UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regula honestatis moralis seu tractatus theologicus tripartitus de regula moraliter agendi

In Duos Item Libros Dividitur: In priori potissima fundamenta, & principia moderni Probabilismi intrinseca exactè, & accuratè examinata multipliciter evertuntur, & non esse verè principia, ... In posteriori verò eundem cum modernis Decretis Pontificiis multiplici argumento ... ubi multa de ultimi ...

Camargo, Ignacio de

[S.l.], 1702

urn:nbn:de:hbz:466:1-94767

Visual Library

Th. 919a.

C III
5

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



REGULA HONESTATIS MORALIS,

SEU

Tractatus Theologicus Tripartitus

DE REGULA MORALITER AGENDI;

In cujus Prima, & Secunda Parte regula obliqua, ac prava, quam designat modernus Probabilismus, omni argumenti genere ab imis suis fundamentis convellitur: & Scripturæ Sacræ doctrinę, communi sensui Patrum, Sacrorumque Doctorum Ecclesię, Decretis Summorum Pontificum, cunctisque antiquæ, ac solidæ Theologiæ principiis, penitùs per omnia repugnans, facilè, luculenter, ac multipliciter demonstratur adversùs Recentiores Probabilistas.

In Tertia verò, & Ultima, recta regula agendi, idest, Probabilitas vera, seu (quod eòdem redit) veritas probabiliter cognita, solidè, ac firmiter stabilitur adversùs nuperos Tutioristas, seu Jansenistas malè larvatos: ubi veritatem moralem, seu veram Dei legem, esse per se invenibilem ritè quærentibus, perspicuè, & evidenter demonstratur: indeque de multiplici via, de diligentia exacta ad illam inveniendam, de ignorantiæ peccatis, ac denique de paucitate intrantium per angustam portam, ex Scriptura Sacra potissimùm, & ex SS. Ecclesiæ Patribus accuratè, & utiliter disseritur.

PARS PRIMA.

IN DUOS ITEM LIBROS DIVIDITUR:

In priori potissima fundamenta, & principia moderni Probabilismi intrinseca exactè, & accuratè examinata multipliciter evertuntur, & non esse verè principia, sed consectaria potiùs ex eodem Probabilismo, ipsoque recentiora, luculenter evincitur:

In posteriori verò eundem cum modernis Decretis Pontificiis multiplici argumento ineluctabili manifestè pugnare demonstratur: ubi multa de ultimi dictaminis conscientiæ certitudine adversùs Recentiores, tum Jansenistas, tum Probabilistas.

AUCTORE

P. IGNATIO DE CAMARGO

E' SOCIETATE JESU,

Sacræ Theologiæ Doctore Salmanticensi, & ejusdem Theologiæ Professore.

Ego sum via, & veritas, & vita. Joan. 14. *Contendite intrare per angustam portam.* Luc. 13. *Et nolite conformari huic sæculo.* Ad Rom. 12.

Sectis Jesu

Paderbornæ 1705

NEAPOLI M. DCCII.

Ex Novorum Characterum Fusoria Officina Michaëlis Aloysii Mutio.

SUPERIORUM PERMISSU.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XI.

Ignatius Camargo Societatis IESV.

Felicitatem.

TUis Sanctisſimis Pedibus, quibus geminus Orbis advolvitur, præſens Opus, eo, quo par eſt, obſequio ſiſto, Beatisſime Pater: Plura, fateor, me ab hoc conſilio dehortabantur, Tui faſtigii dignitas, mei tenuitas ingenii, tempus, loci diſtantia: ex quibus à temeritate propiùs, quàm ab obſequio videbatur ex-

ter-

ternum hominem, longo locorum intervallo disiunctum, Tuam mortali fastigio Majorem, eoque uno, cujus gerit vices, minorem, id temporis interpellare Majestatem, quo undique ingruentes majores curæ aliò Augustam avocant mentem, & ferendo Orbi parem penè implent solicitudinem. Sed vicit tandem timorem ratio, & ipsa muneris offerendi materies sibi offerentis vindicavit arbitrium. Cui enim potiùs hoc nuncuparem Opus, quod jactis solidioris moralis Theologiæ fundamentis ad sanctiorem normam exigendos instituit mores, quàm Tibi, qui Christianæ Reipublicæ Vicarium fundamentum, ac basis Orbi universo ad omnem Sanctitudinis normam exactissimum Te, morum, & exemplum præbes, & exemplar? Summorum certè Pontificum, & Ecclesiæ Pastorum nihil magis proprium videtur, quàm creditas sibi Oves à noxiæ, imò etiam ancipitis doctrinæ pascuis arcere, ad salubria, atque tuta perducere: iisque propterea favere quàm maximè, qui aliquam hoc in Ministerio pro virili parte sibi operam præstant.

ſtant: Quod præclara tùm aliorum Sanctitatis Tuæ Deceſſorum, tùm nominatim Alexandri VII., & Innocentii XI. exempla teſtantur. Horum enim uterque, & plurimas, quæ Chriſtiano gregi perniciem afferre ſuo uſu poterant, nimis laxas de moribus opiniones ab Eccleſia proſcripſit; & Doctorum eos, qui ſeveriora, ideòque ſinceriora proſeminarent in publicum dogmata, peculiari benignitate eſt amplexus. Alter ſcilicet Patrem Michaelem de Elizalde: cui per Eminentiſſimum Cardinalem Sfortiam Pallavicinum ſignificari voluit intentionem ſuam, ac deſiderium, ut cauſam iſtam ageret, & inchoatum jam opus *de recta doctrina morum* perficeret; prout, & ipſe Author ingenua confeſſione teſtatur lib. 8. quæſt. 6 & ſatis aliunde conſtitit. Alter verò Patrem Thyrſum Gonzalez noſtri Ordinis Generalem Præpoſitum: Cui & primarium in Salmanticenſi Academia Theologiæ Doctorem agenti, quà per Literas anno 1680. ſuo nomine datas, quà per ſuum in Hiſpania Apoſtolicum Nuntium, ut *in præclaro Inſtituto explicandi materiam ſaluti animarum tàm neceſſariam*

(ipsissima sunt Epistolæ verba) *alacriter pergeret*, stimulos addidit; & mox anno 1687. ad supremam Societatis præfecturam evecto, ut eandem severiorem doctrinam propagatum iret, impensè commendavit. Quàpropter, licèt tam egregiis Doctoribus, nullo conferendam modo tenuitatem meam scirem; Non tamen sum veritus, ut meum quoque in eadem sparta curanda saltem conatum, atque studium benignè exceptura Tua Sanctitas foret. Præsertim cùm, ceu paulò ante indicavi, castigatissima Tuorum integritas morum, quam ego moralis disciplinę severitatem calamo tueor, dictis, factisque omnibus multò, & luculentiùs exhibeat, & confirmet validiùs: Publicum hìc famæ appello judicium, à quo procul omnis assentationis fucus, & lenocinium. Ecquęnàm alio calens à Sole Regio, ecquis angulus, quò Tuarum Summo sacrorum Præside dignarum virtutum fama non pervaserit? Quæ ignorat natio, quantus eo emineas in fastigio, quod tenes? hòc illo dignior, quò magis invitus es ad illud accitus. Stupore defixus demiratur adhuc Orbis insignem

gnem illam Tui animi moderationem, cum jam mira Purpurati Senatùs consensione ad Vicarium Divinitatis Solium admotus, tridui mora animo obluctans, supplicis Christiani Orbis libraſti metus, vota diſtuliſti: Nec aliter Religioni Te ſuum depoſcenti ad clavum dediſti manus, quàm incuſſa obſtrictus Religione. Quò quid admirabilius ſuſpexit Roma, ſplendidius ſuis abdita latibulis hæreſis, univerſus terrarum orbis auguſtius? Paruiſti tandem, & ad Principatum obſequio perveniſti, ſupraque Trajani laudem nihil magis à Te ſubjecti animo factum eſt, quàm quòd imperare cæpiſti: Cum interim illud in mediò reliqueris, utrum à Te præclarius ſit factum, quòd merueris, an quòd parueris. Hac via ad ſummum dignitatum apicem eum niti par erat, qui is erat in eo futurus, ut ex Principatu quidquid laboris eſſet, & curæ ſibi aſſerens, unam ſibi gloriam abnueret Principatùs. An non ea Te Tui deſpicientia ſuſpicit Roma? Quæ Te toties mirata eſt, nunc expiandis animorum noxis publicè in Templis aures commo-

modantem, nunc in xenodochiis demissa Majestate fercula ministrantem, nunc suprema pietatis officia è vita decedentibus persolventem. Quid publicæ rei studium, quid justitiam loquar? Alterum ingravescens testatur Annona firmiore Magistratu sublevata; & divini verbi pabulum Supremi ipsius Pastoris ore Populo præstitum ad imitationem Magni Leonis, & Magni Gregorii inter sacræ liturgiæ solemnia perorantium. Alterum Tuus animus insignibus prodidit documentis, qui se adeò incorruptum justitiæ vindicem semper probavit, ut illud Tibi Fabricii Romani jure adscribi possit, *difficiliùs Te à recto, quàm Solem à suo cursu dimoveri posset*. Quippe qui eam Tibi, Tuisque legem statuisti, ut nec liceat, quod libet, nec libeat, quod non licet. Talem Te profectò præstas, Pontifex Sanctissime, qui legibus omnibus obsequentissimus, illi uni non obsequeris, quæ Principem solutum legibus dictat: Cui semper à tergo imminere videtur pallas illa Homerica, quæ coercitis cupiditatibus admonet, ut in Te ipsum primùm Principem agas, in alios Parentem

tem potiùs, quàm Dominum. Itaque nemo erit, qui non videat, quantum non modò lucis ex Auguſta Tui patrocinii umbra huic Operi, verùm etiam momenti Tuo accedet ab exemplo. Nimirum ut Sanctiſſimarum Legum favor ſibi diem ſperet, deſperet libertas plus, quàm tot hìc congeſta rationum pondera, Tuum Auguſtiſſimum conficiet exemplum. Alter etiam in hoc Opere nuncupando ſubigendus fuit timor, ne tot curis, quibus hoc temporis Tuus diſtinetur animus, importunus obſtreperem. Sed hoc me exolvit metu ſupra fortunæ vices erecta Tui animi magnitudo, qui omnia infra ſe deſpiciens Tuo gentilitio Sydere geminos ſupplens Caſtoras, Europæ tot bellorum fluctibus jactatæ ſerenam ſpondet tranquillitatem. Scimus nempè pacandis maximorum Regum diſſidiis optatæque ſtabiliendæ concordiæ quantus, opera, conſilio, fuſis enixè ad Deum precibus immineas: Nec alia ex cauſa aſſiduis diſtringeris curis, quàm ut Chriſtianæ Reipublicæ tranquillum parias otium, Cui, & non Tibi Principa-

tum

tum geris. Quo circa omni ſolutus metu, ea mihi propè audaciam faciente Tua ſpectatisſima morum comitate, qua omnibus antecellis, hoc quidquid eſt Operis ſupplex de genu Tibi ſiſto: ſi minus ab ingenio, à ſtudio ſaltem morum in melius conformandorum, quorum adeò numeris abſoluta omnibus norma in Te elucet, Tibi probandum. Vive diù, & diem illum candidum profer, quem Tuis jam vaticinatus es lacrymis, quibus Tuï Principatùs auroram ubertim irroraſti, ut experimento Chriſtianus Orbis ſentiat, ab ALBANO Summo Sacrorum Præſide jure alba omnia fuiſſe ſperanda.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

IL P. Ignatio de Camargo della Compagnia di GIESV', supplicando espone à V. Em., come desidera dare alle Stampe un suo Libro intitolato *Regula Honestatis Moralis*. Per tanto supplica V. Em. degnarsi di commettere la revisione di esso à chi meglio li piacerà, ut Deus.

De mandato Eminentissimi

R. P. Mauritius de S. Philippo Carmelit. Discalceat. Examinator Synodalis, S. Officii, & S. Visitat. Consultor revideat, & inscriptis referat. Neap. 6. Februarii 1702.

IO: ANDREAS SILIQVINVS VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Canonic. Deput.

EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME DOMINE.

OPus bipartitum, cujus titulus (*Regula Honestatis Moralis*) Auctore R. P. Ignatio de Camargo è Societate IESV, lætanter vidi, attentè perlegi, atque non semel evolvi; (sic enim mihi incubuit ex præscripto Eminentiss. Domini mei Cardinalis Cantelmi Archiepiscopi Neapolitani): In eo autem non latè quæruntur incerta, sed quæ vera, quæ certa sunt, Majorumque stabilita calculis, brevi oratione clauduntur. Porrò hæc Regula, Morum semitas facit rectas, quas effrænis Sententiarum tumultus, sub specie benignitatis simulatus, declives fecerat, & obliquas; nec non suapte vi perspectum relinquit, & arctam esse viam, quæ ducit ad vitam, æquè, ac insimul latum mandatum Dei nimis; non ea quidem latitudine, quæ conscientias laxet, sed quæ corda sublevet; non quæ vanis utpotè fulcris, sed fidei columnis, sacris Patrumque Auctoritatibus innixa. Vt autem securiùs incedat, atque in rebus dubiis lucem effundat, Majorum vestigia sectatur: quapropter eas rejicit opiniones, quas nec novit Antiquitas, nec firmat Auctoritas; Sicque fugat pericula, dum fugit novas, quæ Animas non tàm laxant, quàm ligant, perturbant magis, quàm sedant. Infelix quippe dum Homo Auctorum novellis, & amplissimis placitis incauta credulitate nimiùm fidit, accipit de pietate periculum, dum quæritat de Infirmitate solatium. Totum hoc itaque Opus viam parat ad sydera, vera dum docet, & proficua. In commune igitur commodum sudet sub prælo: nil enim fidei regulis dispar, nihil in eo documentis Patrum adversum, aut morum educationi contrarium; imò omnia ad trutinam Veritatis appensa, ad Animarum emolumentum, nedum utilia, sed & necessaria esse, existimo; Sicque subscribo è Collegio Matris Dei Neapolis Carmelitarum Discalceatorum die 15. Iulii 1702.

Fr. Mauritius à S. Philippo Carmelita Discalceatus Examinator Synodalis, S. Officii, & S. Visitationis Consultor;

Attenta supradicta relatione R. Patris Revisoris imprimatur. Neap. 23. Iulii 1702.

IO: ANDREAS SILIQVINVS VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Canonic. Deput.

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

MIchele Luigi Mutii, supplicando espone à V. E. come desidera fare imprimere nella sua Stamparia un Libro intitolato *Regula Honestatis Moralis*, Authore P. Ignatio de Camargo Societatis IESV. supplica per tanto V. E degnarsi commetterla alla solita revisione, che l'haverà à gratia, ut Deus.

Rev. Pater Ioseph Palma Soc. Iesu videat, & in scriptis referat.

Gascon Reg. Andreasi Reg. Guerrero Reg. Mercado Reg.

Provisum per Suam Excellentiam Neap. 6. Februarii 1702.

Spect. Reg. Andreas non interfuit.

Mastellonus.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

IVssu Excellentiæ Vestræ perlegi Opus, quod inscribitur *Regula Honestatis Moralis* ab admodùm R. P. Ignatio Camargo Societatis Iesu accuratissimè elucubratum, nihilque in eo reperi, quod Regiæ Iurisdictioni adversetur, imo omnia ad æquissimam veritatis normam exacta, quæque Hispanici Doctoris & ingenium sapiant, & pietatem, ex quibus profectò sperandum fore, ut qua veritatis vi humana libertas Divino Iuri hinc se se pleniori obsequio mancipare discit, ac suavissimo jugo colla submittere, alacriùs etiam Regii Iuris discat aureis frænis assuescere, & publicæ tranquillitati servire. Quapropter dignissimum censeo, quòd Typis, atque adeò æternitati mandetur: Si ea Excellentiæ Vestræ mens fuerit. In Domo Probationis Neapolitanæ Societatis Iesu. Die 30. Mensis Martii 1702.

Excell. Vestræ

Omni obsequio Addictissimus
Ioseph de Palma Soc. Iesu.

Visa supradicta relatione imprimatur, & in publicatione servetur Reg. Pragm.

Gascon Reg. Guerrero Reg. Mercado Reg. Biscardus Reg.

Provisum per Suam Excellentiam. Neap 10. Iulii 1702.

Spect. Reg. Andreas non interfuit.

Mastellonus.

THYR-

THYRSUS GONZALEZ

Præpositus Generalis Societatis IESV.

CUm Primam Partem Regulæ Honestatis Moralis, seu Tractatus Theologici Tripartiti de Regula honestè moraliter agendi, compositam à P. Ignatio de Camargo nostræ Societatis Sacerdote, & in duos Libros divisam, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut Typis mandetur, si iis, ad quos pertinet ita videbitur: Cujus rei gratiâ has literas manu nostrâ subscriptas, & Sigillo munitas dedimus. Romæ 27. Januarii 1702.

Thyrsus Gonzalez.

IN-

INDEX

CONTROVERSIARUM, ARTICULORUM, ET PARAGRAPHORUM

LIBRI PRIMI, PARTIS PRIMAE

Regulæ Honeſtatis Moralis, ſeu Tractatus Theologici tripartiti regulæ moraliter agendi.

CONTROVERSIA I. Jaciũtur fundamenta totius Operis, & ſcopus ejus præfigitur. pag. 1.

Articulus I. *Quæ ſit regula prima moralis honeſtatis, primum atque potiſſimum totius Operis fundamentum?* 2.

Articulus II. *Quæ ſit ſecunda regula honeſtatis moralis, ſecundum Operis fundamentum?* 3.

Articulus III. *Elicitur ex duobus præjactis tertium aliud principium, ſeu fundamentum.* 5.

Articulus IV. *Quis ergo ſit ſcopus totius Operis?* 7.

CONTROVERSIA II. Utrum quælibet noſtra opinio, vel exiſtimatio, affirmans honeſtatem objecti, ſit regula honeſtatis moralis? 9.

Articulus I. *Quibus poſſit rationibus pars affirmativa ſuaderi?* ibid.

Articulus II. *Pars negativa, tanquam omninò certa tenenda.* 10.

Articulus III. *Ulterior comprobatio ab abſurdis.* 11.

Articulus IV. *Ad argumenta Articuli primi.* 13.

Articulus V. *Nonnulla Corollaria.* 14.

CONTROVERSIA III. An opinio quęcunque alicujus, aut plurium gravium Doctorum, ſit regula moralis honeſtatis? 16.

Articulus I. *Quid ſentiant Recentiores Probabiliſtæ?* ibid.

Articulus II. *Affirmativæ hujus ſententiæ fundamenta.* 17.

Articulus III. *Quæſtionis reſolutio.* 18.

Articulus IV. *Ulterior comprobatio noſtræ ſententiæ.* 20.

Articulus V. *Improbatur ulteriùs Recentiorum ſententia, & ſignanter Terilli aſſertio.* 23.

Articulus VI. *Ad argumenta ſententiæ contrariæ.* 25.

Articulus VII. *Corollaria pro praxi.* 27.

CONTROVERSIA IV. Utrùm opinio gravium Doctorũ ſtans pro libertate contra legem, ſaltèm quando eſt probabilis, licèt æquè tantùm, aut minùs, quàm opinio contraria legem propugnãs, ſit regula honeſtatis moralis? ubi multis prœmiſſis pro recta intelligẽtia, & reſolutione quæſtionis, refertur duplex Probabiliſtarum opinio, quę latè poſtmodùm impugnãda deferitur. 29.

Articulus I. *Pro dicendorum intelligentia aliqua prænotantur, & exponuntur.* ibid.

Articulus II. *Duo inſuper prænotãda.* 33.

Articulus III. *Exponitur germanus quæſtionis ſenſus.* 35.

Articulus IV. *Rejecta duplici opinione*

damnata, proponitur sententia recentium Probabiliſtarum juxtà duplicem viam, per quam incedunt, & ipſius auctoritas ſummatim inſinuatur. 36.

Articulus V. *Deſeritur affirmativa Probabiliſtarum ſententia, & inſinuatur leviter, tum authoritas, tum potiſſimùm fundamẽtum negativæ, & veræ ſententiæ.* 39.

CONTROVERSIA V. An & quatenus opinari ſit nobis liberum, aut neceſſarium? 41.

Articulus I. *Quid ſit opinio, & quatenus formidinem adjunctam habeat?* ibid.

§.1. *Definitio opinionis ex Philoſopho.* 42.

§.2. *Vulgaris definitio opinionis, & quæ ſit propria ipſius formido?* 43.

Articulus II. *Senſus quæſtionis examinandæ, quibuſdam præſuppoſitis, exponitur.* 45.

Articulus III. *Duplex ſententia oppoſita, & auctoritas utriuſque.* 47.

Articulus IV. *Suadetur negativa, & vera ſententia auctoritate, & ratione Philoſophi.* 50.

Articulus V. *Refellitur ſolutio Recentiorum, & urgetur ulteriùs ratio propoſita.* 52.

Articulus VI. *Præcluduntur aliæ evaſiones, quas Recentiores ex Terillo deſumunt: ubi quid de motivis ſimilibus, vel diſſimilibus.* 54.

Articulus VII. *Diſtinctio itidem de apparentia antecedenti, vel conſequenti, haud minùs importunè producitur ad noſtrum argumentum ſolvendum.* 57.

Articulus VIII. *Suadetur inſuper noſtra ſententia ad hominem contra Terillum ſemel, & iterùm, hac in re apertè ſibi contradicentem.* 60.

Articulus IX. *Aliis etiam rationibus ſuadetur adhuc noſtra ſententia.* 62.

§.1. *Prima ratio ex principio ab omnibus recepto.* ibid.

§.2. *Secunda ratio ab ipſa intellectus natura.* 63.

§.3. *Tertia ratio ab ipſa experientia.* pag. 64.

Articulus X. *Solvitur primum argumentum contrarium ex multiplici teſtimonio Angelici Doctoris deſumptum: ubi mens ejus accuratè expenditur, & pro nobis eſſe monſtratur.* pag. 65.

§.1. *Teſtimonia potiſſima ex D. Thoma, quæ nobis adverſari videãtur.* ibid.

§.2. *Elucidatur mens D. Thomæ.* 66.

§.3. *Ad teſtimonia oppoſita.* 68.

Articulus XI. *Solvitur argumentum ſecundum ex epiſtola de Obedientiæ virtute SS. Parentis Noſtri Ignatii.* 70.

Articulus XII. *Solvitur argumentum tertium ex libertate aſſenſus divinæ fidei.* 73.

§.1. *Argumentum proponitur ex Terillo.* ibid.

§.2. *Propoſiti argumẽti inefficacia multipliciter demonſtratur.* 74.

§.3. *Argumenti ſolutio.* 76.

§.4. *Reflexio ad Terilli doctrinam.* pag. 77.

Articulus XIII. *Solvitur argumentum quartum ex libertate temerè judicandi.* 79.

§.1. *Argumentum proponitur.* ibid.

§.2. *Argumentum propoſitum innumera, & ingentia probat abſurda.* 80.

§.3. *Argumenti ſolutio.* 82.

Articulus XIV. *Solvitur argumentum quintum: ubi qualiter in meliorem partem dubia aliorum facta, vel dicta interpretari ſemper debeamus?* pag. 83.

§.1. *Argumentum conficitur.* ibid.

§.2. *Reſolutio quæſtionis ex D. Thoma ſecundùm Cajetani expoſitionem.* pag. ibid.

§.3. *Vera reſolutio quæſtionis, ex qua tandem elicitur, & opportunior D. Thomæ expoſitio, & ſolutio argumenti nobis oppoſiti.* 85.

Articulus XV. *Solvitur argumẽtum ſextum à paritate voluntatis deſumptum.* 88.

Articulus XVI. *Solvitur argumentum ultimum, quod à priori Recentiores appellant.* 90.

Articulus XVII. *Tribus Corollariis deductis, præſens Controverſia concluditur.* 93.

Co-

§.1. *Corollarium primum: Soliditas nostræ sententiæ ad oppositam comparatæ.* ibid.
§.2. *Corollarium secundum: Assensus, quem intendunt Recentiores, etsi foret possibilis, prudens non esset.* pag. 94.
§.3. *Corollarium tertium: Utilitas nostræ sententiæ.* 96.
CONTROVERSIA VI. Utrum lex, cõtra quã aliqua exiſtit opinio probabilis, etiam in ſenſu Probabiliſtarum, hoc ipſo ſatis promulgata non ſit, ideòque nullam habeat vim obligandi? 97.
Articulus I. *Legem in eventu quæſtionis ſatis promulgatam non eſſe, nec habere vim ullam obligandi, eſſe primum, & ultimum fundamentum, cui cætera omnia innitantur, & ſine quo nullatenus Probabiliſmus poſſit ſubſiſtere, demonſtratur apertè ex Probabiliſtarum principiis.* 98.
§.1. *Cõparatur Probabiliſmus ad Principia ſupra ſtatuta de regula moralis honeſtatis.* ibid.
§.2. *Artificium reflexi Probabiliſmi luculenter exponitur ex Terillo.* 99.
§.3. *Expoſiti artificii fallacia demonſtratur.* 102.
§.4. *Explico luculentius, & confirmo diſcurſum factum.* 104.
§.5. *Noſtræ demonſtrationis vividior declaratio.* 105.
§.6. *Dilucida dictorum complexio, qua Recẽtiorum omnis præcluditur evaſio.* 107.
§.7. *Concluditur neceſſitas recurſus Probabiliſtarum ad principium Terilli de inſufficienti legis promulgatione.* 108.
Articulus II. *Potiſſimum, aut unicũ Probabiliſmi fundamentum de inſufficienti legis promulgatione, quibus rationibus Terillus ſtatuat?* 109.
Articulus III. *Quibuſdam prænotatis, & ſtatutis circa legis promulgationem ex receptis apud omnes principiis, exponitur ſenſus quæſtionis à Recentioribus neceſſariò vel intentus vel intendendus.* 112.
§.1. *Conceptus proprius promulgationis legis, & duplex ipſius acceptio.* ibid.
§.2. *De qua igitur legis promulgatione vel loquantur Probabiliſtæ, vel loqui debeant, ſi opportunè loquantur?* 114.
Articulus IV. *Prætenſum Terilli principium de inſufficienti legis promulgatione, in primis eſt apertè contra Theologos omnes, etiam contra ipſum Terillum: immò videtur eſſe manifeſtè contra Scripturam.* 115.
§.1. *Omnes etiam Probabiliſtæ memoratum principium improbant.* 116.
§.2. *Refellũtur Terilli ſolutiones.* 117.
§.3. *Nec D. Thomæ auctoritas, nec alterius cujuſquam Terillo ſuffragatur.* 118.
§.4. *Videtur inſuper idem principium doctrinæ ſacræ manifeſtè adverſari* pag. 120.
Articulus V. *Ex Summorum Pontificum Decretis, quibus varii morales articuli damnantur, falſitas Terillini principii multipliciter demonſtratur.* 120.
Articulus VI. *Falſitas ejuſdem principii demonſtratur ulteriùs univerſaliter, præcluſis evaſionibus Terilli.* pag. 123.
Articulus VII. *Elicitur ex dictis ratio à priori, qua convincitur demum ejuſdem principii falſitas.* 125.
Articulus VIII. *Solutis Terilli argumentis articulo ſecundo propoſitis, concluditur cõtroverſiæ aſſumptũ.* 127.
§.1. *Ad primum argumentum, & utrãque confirmationem.* ibid.
§.2. *Ad præſumptionem illam Terillĩ petitam ex defectu expreſſionis: ubi de tot noxiarum opinionum origine pauca, ſed notabilia diſſerũtur.* 128.
§.3. *Ad argumentum alterum.* 132.
§.4. *Breviuſcula Synopſis Controverſiæ.* 133.
CONTROVERSIA VII. Fundamentũ potiſſimum contra modernũ Probabiliſmum inſtauratur ex dictis, & multipliciter explicatur. 134.
Articulus I. *Suppoſitis principiis capitalibus ad controverſiam primam ſtabilitis, proponitur, & diſtinctiùs ex-*

ponitur fundamentum potissimum sententiæ nostræ contra modernam Recentiorum sententiam. ibid.
§.1. *Resumitur eorum principium compendiaria quædam notitia.* ibid.
§.2. *Nostrum argumentum proponitur.* pag. 135.
§.3. *Exemplis explicatur, & illustratur,* 136.
Articulus II. *Præcludit evasiones cogitabiles.* 138.
Articulus III. *Ex Fidei Catholicæ dogmate, rationis quoque lumine evidenti, quo docemur, teneri nos voluntatem, & legem DEI seriò, ac diligenter inquirere, ut nostras illi conformemus actiones, iterùm demonstratur falsitas benignæ sententiæ.* 140.
§.1. *Ostenditur præfatum principium esse fide, & ratione certum.* ibid.
§.2. *Conficitur demonstratio nostra contra modernum Probabilismum.* 142.
Articulus IV. *Præcluduntur effugia: ubi directus etiam Probabilismus Recentiorum, apertæ falsitatis denuò convincitur.* 143.
§.1. *Reflexistarum evasiones præclusæ.* pag. ibid.
§.2. *Præcluditur effugium ex Probabilismo directo.* 145.
§.3. *Refellitur omninò ex argumento nostro directus Recentiorum Probabilismus.* 146.
Articulus V. *Ergo Probabilistis nullum restat effugium absolutè.* 148.
§.1. *In hac, & precedenti Controversia traditæ doctrinæ Synopsis.* ibid.
§.2. *Concluditur inevitabilis nostræ demonstrationis efficacia.* 150.
§.3. *Refelluntur superficiales, & vulgares quorundam solutiones.* 151.
CONTROVERSIA VIII. Examinatur denuò accuratiùs, & refellitur multipliciter celebre principiũ reflexum de prudenti electione opinionis minùs probabilis, quo Recẽtiores sententiam suam patenter à priori demonstrare se jactant. 153.
Articulus I. *Proponitur, Terilli verbis, principium illud Probabilistarum, & qualiter in duplici conscientia statu ab ipsis propugnetur, exponitur.* ibid.
Articulus II. *Prætensa demonstratio Recentiorum non nisi inane sophisma est, & insignis hallucinatio.* 155.
§.1. *Conclusionem probandam non probat, sed absurdè supponit.* ibid.
§.2. *Appellatio ad sapientes, & prudentes, in quam tandem resolvunt Probabilistæ communem suam demonstrationem, nimis absurda & importuna est sub terminis, quibus interponitur, totaque per omnia contraria Augustino, & certissimæ doctrinæ ejus.* 157.
§.3. *Prosecutio ejusdem propositi, & collatio doctrinæ communis Recentiorum ad doctrinam Augustinianam.* pag. 158.
§.4. *Demonstratur ulteriùs præfatæ appellationis absurditas in terminis præsentis Controversiæ.* 161.
§.5. *Vulgaris Recentiorum discursus, quo appellationem suam ad Sapientes instaurant.* 162.
§.6. *Retorquetur imprimis in Recentiores vulgaris ipsorum discursus* pag. 163.
§.7. *Ergo præfati discursus Recentiorum nulla est vis, sed insignis æquivocatio.* 164.
§.8. *Amovetur objectio.* 166.
Articulus III. *Eadem Recentiorum vulgaris demonstratio in opinione propria, contra quam formatur conscientia per artificium Probabilismi, nullum permittit sensum, nisi nimis absurdũ, aut repugnantem.* 167.
§.1. *Prior sensus apertam contradictionem involvit.* ibid.
§.2. *Posterior sensus ejusdem principii ineptus admodùm, & absurdus est,* pag. 169.
§.3. *Refellitur solutio Terilli.* 170.
§.4. *Modus iste loquendi, & opinandi ingentia producit absurda, totamque in re morali Christianam veritatem, ac sinceritatem corrumpit.* pag. 171.
§.5. *Concluditur absurditas alterius sensus.* 173.
Articulus IV. *Ex principiis jam statutis evi-*

evidenter tandem, & facilè concluditur, absurditas, & falsitas insignis, prætensæ Recentiorum demonstrationis à priori *pro moderno Probabilismo.* 175.
§.1. *Falsitas, & absurditas ejus principii juxta secundum sensum, seu modum formandi conscientiam ex Probabilismo reflexo.* ibid.
§.2. *Nihilò minor est, quin & multò major videtur absurditas, & falsitas memorati principii juxta alteram viam Recentiorum, seu modum formandi conscientiam.* 177.
§.3. *Concluditur multò major absurditas hujus communis viæ Reflexistarum.* 180.
§.4. *Corollarium de Theologo consulente, sive aliis consilium dante.* 181.
Articulus V. *Synopsis Controversiæ.* 184.
CONTROVERSIA IX. Examinatur item, & accuratiùs denuò refellitur reflexum alterum Recentiorum principium de possessione libertatis humanæ in omni eventu dubio de obligatione divinæ legis. 187.
Articulus I. *Natura propria dubii intellectualis sub generali ratione exponitur.* 188.
§.1. *Proponitur definitio dubii ex D. Thoma communiter recepta, & variis illationibus illustratur.* ibid.
§.2. *Aliæ itidem illationes, quibus dubii natura ampliùs elucidatur.* 189.
§.3. *Aliæ quædam de dubio expediuntur difficultates.* 191.
Articulus II. *Prætensi Recentiorum principii sensus, auctoritas, & fundamenta.* 194.
§.1. *Regulæ sensus communior, ac legitimus apud Juniores Probabilistas,* pag. ibid.
§.2. *Regulæ Probabilistarum auctoritas, quàm sit exigua.* 197.
§.3. *Fundamenta à ratione ejusdem regulæ, seu principii.* 201.
Articulus III. *In primis Regula Probabilistarum videtur manifestè Scripturæ Sacræ contraria.* 203.
§.1. *Deuteronomii textus de regula in dubiis tenenda proponitur, & explicatur.* ibid.
§.2. *Ex memorato textu divino regula extremè oppositæ regulæ Recentiorum elicitur.* 205.
§.3. *Solutio quædam argumenti nostri, quæ cogitari posset, refellitur.* 207.
§.4. *Ad Confirmationem.* 209.
Articulus IV. *Suadetur à ratione communis, & nostra sententia, & fundamenta sententiæ contrariæ multipliciter enervantur.* 212.
§.1. *Titulus possessionis prævalens in materia justitiæ nihil facit ad rem præsentem.* ibid.
§.2. *Paritas ex materia propria justitiæ, non modò Recentioribus nihil favet, sed & falsitatis apertæ eorum sententiam convincit.* 214.
§.3. *Roboratur discursus noster, & tradita doctrina in altius principium resolvitur.* 216.
§.4. *Suadetur insuper sententia nostra ex generali obedientiæ lege, & retorquetur in Recentiores argumentum inde depromptum.* 218.
§.5. *Præcluditur evasio, & promovetur idem propositum.* 219.
§.6. *Evasio item alia præcluditur.* 220.
Articulus V. *Demonstratur denique falsitas ejusdem regulæ, seu principii ex capitalibus fundamentis, & principiis à nobis stabilitis.* 222.
Articulus VI. *Synopsis Cõtroversiæ.* 224.
CONTROVERSIA X. Lex Dei reflexa, aut consequens hominum opiniones, ad quam Recentiores Probabilistæ recurrunt pro nostris argumentis solvendis, plurimis titulis fictitia, & impossibilis evidenter ostenditur. 226.
Articulus I. *Lex illa gratis à Terillo conficta ex sua ipsa novitate refellitur: ubi ad reliqua etiam Probabilistarum principia sit generalis quædam, & notanda reflexio.* 227.
§.1. *Quid præfata lex sit, & in quem finem adinventa.* ibid.
§.2. *Lex Terilli reflexa nullo prorsus auctoritatis, rationisve momento subsistit, sed evidenter pugnat cum certa, atque communi Theologorum omnium doctrina.* 229.

§.3.

§.3. *Reflexio generalis magnopere notanda ad principia moderni Probabiliſmi.* 230.
Articulus II. *Demonſtratur ulteriùs, vel ex Terilli ipſius doctrina, ejuſdem legis implicatio.* 233.
§.1. *Lex Terilli reflexa eſſentialiter pugnat cum lege DEI primaria, ac directa: idque in primis convincitur ex doctrina ipſius Terilli apertè ſibi contradicentis.* 234.
§.2. *Duplicis objectionis Recentiorum nullitas breviter inſinuatur, & utriuſque difficultatis ſolutio in proprium locum expedienda remittitur.* pag. 237.
§.3. *Duplex per occaſionem Corollarium.* 239.
Articulus III. *Eadem lex reflexa, & conſequens noſtros errores, alia item ratione ineluctabili, abſurda, & impoſſibilis demonſtratur.* 240.
§.1. *Præfata lex tantum abeſt, ut proſit ad rectam conſcientiam formandam juxta principia novi Probabiliſmi, ut ipſos potiùs Probabiliſtas ad evidentem cogat contradictionem; præcipuè verò Terillum hujus novæ legis auctorem.* ibid.
§.2. *Evaſio Recentiorum ex doctrina Terilli longè ſingulariſſima.* 242.
§.3. *Subtilis hæc Terilli doctrina, per quam noſtro argumento occurritur, non alio fundamento conficta eſt, quàm conſequentiæ neceſſitate cogente, quippe quæ ſit evidenter falſa ex cõmuni mortalium ſenſu.* 243.
§.4. *Concluditur ejuſdem ſingularis doctrinæ evidens falſitas ex Terillo ipſo, apertè ſibi ipſi contradicente.* pag. 246.
Articulus IV. *Multiplici præterea ratione falſitas, & abſurditas ejuſdem legis oſtenditur.* 247.
§.1. *Aliqua ex abſurdis innumeris, quæ ex lege reflexa procedunt inevitabili conſequentia, evidenter, & facilè convincuntur.* ibid.
§.2. *Evaſiones præcluſæ.* 249.
§.3. *Alia præterea abſurda ex eadem lege reflexa.* 251.
§.4. *Concluditur ex dictis novum aliud abſurdum, ingens illud, atque monſtroſum, innumeros involvens errores, abſurditates, & impietates.* 252.
§.5. *Expenditur abſurditas præcedentis ſequelæ.* 255.
Articulus V. *Quæ demùm eliciatur regula morum ex benigno Probabiliſmo, poſita iſta lege reflexa?* 257.
§.1. *Regula unica moralis honeſtatis ſunt opiniones, ac judicia hominum in via Probabiliſtarum.* ibid.
§.2. *Ergo opiniones ac judicia hominum in via Probabiliſtarum ſunt regula abſoluta honeſtatis moralis nulli alteri regulæ ſubordinata.* 258.
§.3. *Præcluditur evaſio Recentiorũ.* 259.
§.4. *Lex divina reflexa à Probabiliſtis conficta ex ſuo conceptu eſſentiali eſt regula ſubordinata noſtris erroribus, & opinionibus; quæ proinde ſunt regula honeſtatis in via ipſorũ Probabiliſtarum prima abſolutè, non tantùm negativè, ſed etiam poſitivè, ideſt, non ſolùm reſpectu hominũ, verùm etiam reſpectu DEI.* 260.
§.5. *Urgetur multipliciter, & exponitur argumentum præcedens.* 262.
§.6. *Ergo Probabiliſtæ inſigniter hallucinantur, dum legem reflexam confingunt, ut in eam reſolvant honeſtatem actionis, velut in primam regulam moralis honeſtatis.* 264.
Articulus VI. *Amovetur ſolutio, ſive inſtantia perimportuna, quam pro lege reflexa Recentiorum producit cõtra ſe ex principiis ſcientiæ mediæ doctiſſimus P. Palancus.* 267.
§.1. *Propriis ejuſdem Auctoris verbis inſtantia, vel ſolutio proponitur.* ibi.
§.2. *Palãcus Societatis Doctoribus injuriam haud modicam irrogat.* 268.
§.3. *Pro removenda inſtantia producta præmittitur Synopſis doctrinæ noſtræ de concurſu divino ad actiones morales creaturæ.* 269.
§.4. *Ergo P. Palancus immeritò divexat Societatis Auctores, & traducit Scientiam Mediam.* 271.
§.5. *Productæ ſolutionis, vel inſtãtiæ, nimia importunitas demõſtratur.* 273.
Synopſis Univerſæ Doctrinæ. 275.
Adnotatio, & Concluſio. 281.

IN-

INDEX

CONTROVERSIARUM, ARTICULORUM, ET PARAGRAPHORUM

LIBRI SECUNDI, PARTIS PRIMAE

Regulæ Honestatis Moralis, seu Tractatus Theologici tripartiti de regula moraliter agendi.

CONTROVERSIA I. Ex Summorum Pontificum Decretis, quibus multæ morales opiniones ab Ecclesia Catholica proscriptæ sunt, evidens argumentum depromitur cõtra modernum Probabilismum. pag. 283.

Articulus I. *Probabilitas opinionum moralium, quam Probabilistæ designãt, tanquam rectam, ac tutam agendi regulam, per præfata Decreta Pontificia confixa generaliter esse videtur.* 284.

§.1. *Nostrum argumentum.* ibid.

§.2. *Prima Minoris pars demonstratur.* pag. 285.

§.3. *Demonstratur Secunda Minoris pars.* 287.

Articulus II. *Urgetur argumentum propositum, nulla Probabilistis evadendi via relicta.* 288.

§.1. *Præcluditur evasio vulgaris.* ibid.

§.2. *Alia item evasio non minùs absurda præcluditur.* 289.

Articulus III. *Refellitur vulgaris argumenti nostri retorsio.* 290.

§.1. *Retorsio argumenti.* ibid.

§.2. *Retorsionis æquivocatio, & summa nostræ doctrinæ consensio cum doctrina Ecclesiæ Catholicæ.* 291.

§.3. *Vis argumenti nostri ineluctabilis contra modernum Probabilismum concluditur.* 292.

CONTROVERSIA II. Ex Decreto Innocentii XI. damnantis benignissimam Sententiam quorundam Probabilistarum de praxi tenuis probabilitatis, validum item argumentum depromitur contra benignã Recẽtiorum sententiam. 294.

Articulus I. *Quo sensu opinio illa absolutè damnata sit juxta modernos Probabilistas.* ibid.

§.1. *Expositio Decreti Pontificii apud Recentiores communis.* ibid.

§.2. *Ejusdem Pontificii Decreti quorundam Recentiorum expositio specialis.* pag. 295.

Articulus II. *Improbatur doctrina præcedentis articuli.* 298.

§.1. *Refellitur communiter illa expositio Probabilistarum.* ibid.

§.2. *Expositio specialis duorum Recentiorum refellitur.* 299.

Articulus III. *Benigna Recentiorum Sẽtentia per damnationem sententiæ benignissimæ videtur quoque damnata.* 301.

§.1. *Elicitur sensus legitimus prædicti Pontificii Decreti, quo damnatur sententia benignissima de tenui probabilitate.* ibid.

§.2. *Concluditur ex dictis, benignam quoque Recentiorum sententiam per præfatum Decretum Põtificium virtualiter saltem esse damnatam.* 303.

Articulus IV. *Solvuntur Recentiorum argumenta.* 304.

§.1. *Ad argumentum secundi Recentioris propositum ad articulum primum.* ibid.

§.2. *Ad aliud argumentum vulgare ejusdem, & aliorum Recentiorum.* pag. 306.

§.3. *Frustra argumentum contra nos retorquetur.* 308.

CONTROVERSIA III. Ex eodem Decreto Innocentii XI. damnantis secundum articulum de Judice judicare potente secundùm opinionem

nem minùs probabilem, validum argumentum conficitur contra Probabiliſmum Recẽtiorum. 310.
Articulus I. *Status Cõtroverſiæ ante Decretum, & origo opinionis hìc damnatæ, cum quadam reflexione notanda.* ibid.
§. 1. *Quid olim de re iſta Theologi ſenſerint?* ibid.
§. 2. *Reflexio.* 311.
Articulus II. *Diſcurſu ad homines evidenti, ac palmari, convincitur, prædictam opinionem damnatam ex benigna ſententia Recentiorum inevitabilem eſſe ſequelam, etiam cum incremento abſurditatis.* 313.
§. 1. *Præmittitur doctrina Terilli, & Recentiorum Probabiliſtarum de inſufficienti legis promulgatione, contra quam datur opinio probabilis.* pag. ibid.
§. 2. *Demonſtratur propoſita ſequela cum abſurditatis exceſſu.* 314.
§. 3. *Evaſionis præcluſio.* 316.
§. 4. *Præcluditur evaſio altera.* 317.
Articulus III. *Ex reliquis principiis Probabiliſmi eadem ſequela convincitur.* 318.
§. 1. *Communia fundamenta Probabiliſmi, maximè verò illud vulgare, & à priori, quo cuncti utuntur Probabiliſtæ, articulum de Judice damnatum inevitabiliter inferunt.* ibid.
§. 2. *Refellitur vulgaris Recentiorum ſolutio de diſtinctione opinionis practicè, vel ſpeculativè probabilis.* 320.
Articulus IV. *Rationes ſpeciales, quas Recentiores proferunt contra opinionem de Judice damnatam, nullæ ſunt in principiis ipſorum, nec minùs urgent benignam ſententiam.* pag. 321.
§. 1. *Prima ratio ex Terillo, vel nihil valet, vel Probabiliſmum evertit.* pag. 322.
§. 2. *Neque majoris momẽti ſunt ſecunda, & tertia ratio Terilli.* 325.
§. 3. *Ratio quarta ſimiliter contra Probabiliſtas retorquetur.* 326.
§. 4. *Urgetur efficaciùs contra Probabiliſtas eadem ratio, cui Terillus inſiſtit, in primis ex doctrina Terilli ipſius apertè ſibi cõtradicentis.* 329.
§. 5. *Nec minùs urget eadem ratio Recentiores illos, qui negant præfatam intellectus indifferentiam ad aſſentiendum parti minùs probabili.* pag. 331.
§. 6. *Retorquetur ſimiliter quinta Terilli ratio.* 335.
§. 7. *Argumentum denique ſextum, quod ex utroque Jure Terillus elicit, ejuſdem eſt rationis cum præcedentibus.* 336.
§. 8. *Præcluditur inanis evaſio.* 338.
Articulus V. *Rejecta demùm ſolutione vulgari, qua frequentiùs utuntur Probabiliſtæ, concluditur aſſumptum controverſiæ, & falſitas ſententiæ benignæ.* 340.
§. 1. *Vulgaris Recentiorum ſolutio, ſive ratio diſparitatis, nullius planè roboris, ſed nimis potiùs abſurda eſt.* ibi.
§. 2. *Præcluditur evaſio longè abſurdiſſima.* 342.
§. 2. *Innuitur tandem quædam noſtri argumenti, ſive inſtantia, ſive retorſio, peropportunam offerens occaſionem firmandi ulteriùs totam hujus controverſiæ doctrinam, & modernũ Probabiliſmum multipliciter redarguendi.* 344.
Articulus VI. *Præmiſſa compendiaria notitia, & noſtro de recenti libro judicio, ipſius argumenta, & inſtantiæ contra præcedens argumentum noſtrum proponuntur, ac refutantur. Præambula notitia ad præſentem articulum.* 346.
§. 1. *Judicium de libro præfato cum compendiaria ejuſdem notitia.* ibid.
§. 2. *Acerbitas ſtyli nimis intemperans.* pag. 348.
§. 3. *Reflexio ad Libri Auctorem, necnon ad Cenſores ejuſdem.* 351.
§. 4. *Prædicti Authoris inſtantiæ, & objectiones.* 353.
§. 5. *Ad productas inſtantias.* 354.
CONTROVERSIA IV. Utrum in conficiendis, miniſtrandiſve Sacramentis, in adhibendis corporum medicinis, in bellis inferendis, & in aliis materiis conſimilibus, eâdem, an diversâ, agendi regulâ uten-

utendum sit? Ubi moderni Probabiliſmi falſitas multipliciter denuò convincitur. 357.
Articulus I. *Pro reſolutione quæſtionis nonnulla prænotantur, & exponuntur.* 358.
§.1. *Unde, ut à fundamento, & à prima radice, oriatur obligatio univerſalis fugiendi actionem moraliter malam? Ubi quid malitia formalis?* ibid.
§.2. *Regula honeſtatis moralis, à qua tāquàm à primo, & univerſali principio deſcendit obligatio fugiendi actionem moraliter malam, eſt lex æterna, ſeu voluntas Dei aliquid præcipiens, aut prohibens: ubi refellitur de re iſta ſingularis opinio P. Vazquez.* 361.
§.3. *Demonſtratur ulteriùs falſitas opinionis prædictæ, & expoſito proprio legis naturalis conceptu, præcedentis paragraphi promovetur aſſumptum.* 364.
§.4. *Nova tandem, ac penitùs convincenti ratione, demonſtrata communi Theologorum ſententia, perficitur idem aſſumptum.* 367.
§.5. *Concluditur ex dictis, ut ſacræ paginæ apprimè cōſentaneum, ſtrictam, & generalem obligationem vitandi ſemper malum omne morale, oriri ut ex principio, primoque fundamento, ex voluntate, ſeu lege Dei æterna ſummè à nobis amanda, atque pro viribus ſemper quærenda, ut noſtras illi conformemus actiones.* 369.
§.6. *Ipſo rationis lumine naturali eadem veritas nota eſt.* 371.
Articulus II. *Reſolvitur ex dictis quæſtio inſtituta ſub quadam generali ratione.* 372.
§.1. *Corollarium deductum immediatè ex proximè ſtatuta doctrina, ad præfatam quæſtionis reſolutionem immediatè quoque deducens.* ibid.
§.2. *Comprobatur ex D. Thoma.* 373.
§.3. *Alterum Corollarium pro quæſtionis ejuſdē generali reſolutione.* 374.
Articulus III. *Eadem potiſſima quæſtio clariùs, ac diſtinctiùs reſolvitur.* pag. 376.
§.1. *Prælibatur non nihil de voluntate Dei generali, qua creaturas omnes movet, & ordinat in proprium finem ſuum, ſecundùm propriam cujuſque naturam.* ibid.
§.2. *Qualiter eadem voluntas Divina regulet noſtras morales actiones?* pag. 378.
§.3. *Præcedentis doctrinæ luculentior expreſſio.* 379.
§.4. *Appendicula de objectis non præceptis, quomodo in finem ultimum ſint referenda?* 381.
§.5. *Ergo regula agendi formaliter, & quoad ſubſtantiam, eadem ſemper eſt: haud tamen ideò ubique ujurpanda ſimiliter ſine ullo prorſus diſcrimine, aut ſine reſpectu ad materiam, ac ſpeciales alias operis circunſtantias: ubi mirabili Auguſtini doctrina, tota, quam nos tradidimus, comprobatur.* 382.
§.6. *Illuſtrata doctrina præcedentis paragraphi, perficitur ipſius aſſumptum.* 385.
Articulus IV. *Concluditur ex hactenus dictis deciſio controverſiæ propoſitæ ſub terminis particularibus, quibus à nobis eſt inſtituta.* 387.
§.1. *In conficiendis igitur Sacramentis Eccleſiæ, in adhibendis corporum medicinis, in bellis, ac in aliis materiis conſimilibus, non alia, ſed eadem formaliter, & quoad ſubſtantiam agendi regula utendum eſt.* ibid.
§.2. *Obvius ſcrupulus amovetur.* 389.
§.3. *Et ſi ſit eadem agendi regula in materia Sacramētorum, ac in alia quavis materia, ejuſdem tamen regulæ rectitudo, & conformitas cum prima regula, non pari diligentia, ac ſtudio, ſed majori, ac vigilantiori in hac materia quærenda eſt, quàm in pluribus aliis per ſe loquendo.* pag. 392.
Articulus V. *Quanta eſſe debeat certitudo judicii de valore Sacramētorum, ut honeſtè quis agat in illis conficiendis, aut conferendis?* 394.
§.1. *Sæpius, immò plerunque, licitum eſt uti judicio non abſolutè certo, ſed purè, verè tamen probabili, hoc eſt in ſenſu veræ ſententiæ.* 395.

§.2. *Eniti tamen quàm maximè debemus ad veram certitudinem memorati judicii, quantum humano modo fieri possit, & quidem propensiori conamine in hac, quàm in aliis materiis.* 397.
§.3. *Exactæ diligentiæ mensura paulò adhuc distinctius insinuatur.* 399.
§.4. *Non nihil adhuc extenditur assertio.* 401.
§.5. *Difficilior assertio.* 403.
§.6. *Objectioni occurritur, & rationibus etiam non incongruis comprobatur proxima assertio.* 405.
§.7. *Modica paræneſis, valdè tamen notanda, pro morum doctrina tradenda.* pag. 407.
§.8. *Posterior pars sequelæ objectionis oppositæ propulsatur.* 409.
§.9. *Diligentiam potissimùm adhibendam qualiter doceamur à Deo?* pag. 410.
§.10. *Specialem hanc diligentiam, cui Sacramentorum ministris peculiariter est insistendum, non tam onus, quàm oneris levamen, & esse, & censeri debere.* 413.
§.11. *Mensurã orationis exactè definire supra nostram prudentiam est: ipsa tamen oratio, quantum satis sit, docet, ut veram tribuat securitatem; non tamen vacuam vero timore, sed in eodem prorsus fundatam.* 415.
§.12. *Certitudo, & securitas in agendo, quam Probabilismus spondet, omninò fallax est, & inanis, per omniaque contraria doctrinæ Dei, indeque supra modum moribus noxia.* 417.
§.13. *Compendiaria complexio doctrinæ datæ per totam controversiam.* 420.
Articulus VI. *Doctrinæ traditæ nostra, & vera sententia, non modò nulla ex parte repugnat, quin immò ex illa validè comprobatur.* 423.
§.1. *Regula agendi juxta nostra principia breviter, ac dilucidè exposita.* pag. ibid.
§.2. *Num vera probabilitas stare possit cum falsitate?* 425.
§.3. *Nostræ sententiæ veritas, & constantia.* 427.
§.4. *Concluditur inanitas retorsionis, quam in sententiam nostram Recentiores intendunt.* 428.
§.5. *Lapidarii argumẽtum fallax.* 430.
§.6. *Moderni quidam Antiprobabilistæ, ex moderno, què fugiunt, Probabilismo eundem pænè errorem traxere.* pag. 431.
§.7. *Quædam, sive solutio, sive objectio, refellitur.* 433.
§.8. *Ad Aristotelem importunè productum: ubi tantillùm de Nostro Patre Elizalde.* 435.
§.9. *Assumptio in argumento Lapidarii est etiam adeò evidenter falsa, ut vel ipse, si rem seriò advertat, non possit de falsitate ipsius dubitare.* pag. 438.
Articulus VII. *Mens Theologorum circa certitudinem ultimi conscientiæ dictaminis de absoluta honestate objecti: Ubi, multis deprehensis nimiùm absurdis Lapidarii hallucinationibus, ab istius quæstionis resolutione, doctrina nostra independens ostenditur.* 441.
§.1. *Quid de hac certitudine Theologi generaliter sentiant?* 442.
§.2. *De D. Thomæ mente insignis Lapidarii hallucinatio.* 444.
§.3. *De Bellarmino peculiaris correptio Lapidarii.* 447.
§.4. *Evidentia moralis, & imperfecta, optimè cadit, sicut & certitudo, in judicium purè probabile.* 448.
§.5. *Verborum V. C. Bellarmini Lapidarii mirabilis interpretatio.* 450.
§.6. *Quidquid in illa tandem re dicere libeat, doctrinæ nostræ nihil potest obstare.* 451.
Articulus VIII. *Quid demùm statuendum de absoluta, ac perfecta certitudine ultimi conscientiæ dictaminis circa absolutam honestatem objecti in administratione Sacramentorum?* 452.
§.1. *Nec hìc, nec alibi, per seloquendo, necessaria illa est: immò communi sensui Theologorum, & quod est majus, Scripturæ Sacræ, repugnare apertè videtur.* ibid.
§.2. *Itidem Tridentino repugnat.* 454.
§.3. *Alia item ratione efficacissima refellitur opinio Recentiorum, firmatur-*

turque communis Theologorum sententia. 456.
§.4. *Refellitur Terilli solutio, & roboratur ampliùs vera sententia.* 457.
§.5. *Suadetur insuper vera sententia ad Recentiores Antiprobabilistas.* 460.
§.6. *Præcluditur evasio, & firmatur ulteriùs vera sententia.* 462.
§.7. *Itidem contra eosdem Recentiores ex doctrina paginæ sacræ validum argumentum conficitur.* 464.
§.8. *Frustrà à docentibus argumentum retorquent.* 465.
§.9. *Urgentur denique, & convincuntur Neoterici Antiprobabilistæ.* 467.
§.10. *Ergo nihil obstãte difficultate supra insinuata de tutiori parte tenenda, vera, ac communis sententia Theologorum, pro pluribus saltem actionibus, ab omnibus recipi debet.* pag. 470.
§.11. *Tenenda est generaliter, & absolutè eadem communis sententia, saltem moraliter, ac per se loquendo.* pag. 471.
§.12. *Argumentum acuti Probabilistæ, & emergens ex eo difficultas contra rationes proximè allatas.* 473.
§.13. *Expeditur proposita difficultas.* pag. 475.
§.14. *Ratio quasi à priori, cur agere ex dictamine non absolutè certo, cum humana prudentia rectè cohæreat.* pag. 477.
§.15. *Concluditur communis sententiæ veritas.* 478.
§.16. *Neque Probabilistæ, adhuc admisso inani reflexionum suarum artificio, à communi sententia jure recedunt.* 480.
§.17. *Pro sententiæ communis stabilitæ praxi nonnulla sunt animadvertenda.* pag. 481.
§.18. *Corollarium pro bellis observatione dignum.* 483.
§.19. *Qualis tandem, & unde, quærenda nobis sit conscientiæ nostræ pax, & securitas?* 485.
§.20. *Ergo cavẽdum omnibus est à Jansenismo, & Probabilismo, & media via omninò tenenda.* 488.
Conclusio. 490.

			Errata.		*Corrige.*
Pag.	*Col.*	*Lin.*			
48	1	46	immediatam	*lege*	mediatam
78	1	30	fulcimenta		fulcimentum
95	1	10	probabilem		prudentem
136	2	28	que		quod
145	2	38	non judicet		quo judicet
		39	quo opponi		non opponi
176	1	37	*quam*		*quæ*
	2	8	abſtructis		abſtruſis
		14	oppinaturum		opinatur, cum
178	1	17	depoſitam		depictam
179	1	8	obſervante		obverſante
199	2	5	*ad finem*		*ad fidem*
269	1	6	actuale		actualem
329	2	15	oſtendens		oſtendentes
336	1	6	tandem		laudem
340	2	30	confeſſione		collatione
391	1	20	inſtans:		inſtas :
405	2	50	Utique		Utrique
409	1	34	ſicut		ſi cui

Alia, perpauca quidem, & nullius ferè momenti, errata, quæ ſenſum nec variant, nec obſcurant, & in hoc Opere irrepſerunt; Tu, Lector benevole, pro ea, qua polles, prudentia, facilè corriges, & benignè condonabis.

RE-

REGULA HONESTATIS MORALIS,

SEU

TRACTATUS THEOLOGICUS DE REGULA MORALITER AGENDI,

PARS PRIMA.

LIBER PRIMUS.

CONTROVERSIA PRIMA.

Jaciuntur fundamenta totius Operis, & ſcopus ejus præfigitur.

1. ETſi in hac prima noſtri Operis parte totum conſilium noſtrum, & intentio directa ſit, non ædificare, aut plantare, ſed evellere potius, aut deſtruere ſecundùm illud: *Ecce dedi verba mea in ore tuo .... ut evellas*, Hier. 1. *& deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*: quia tamen regulæ moralis honeſtatis, quam Probabiliſtæ deſignant, & quam nos ante omnia deſtruendam aggredimur, obliquitas, & inſufficientia, nō ſatis innoteſcere poteſt, niſi ad regulam primam totius rectitudinis comparetur (ut enim fædum nonniſi per pulchrum, neque malum niſi per bonum, ita etiam obliquum nonniſi per rectum cognoſcitur) propterea hanc primam regulam de ſe notiſſimam, & fuſiùs nihilominus in decurſu exponendam, tanquam totius Operis fundamentum, atque menſuram, ad quam omnia exigenda erunt, in ipſa Operis fronte conſtituere neceſſum fuit. Ex illa verò geminum aliud, principium, atque fundamentum in eundem pariter finem ſtabilire ſimul oportuit: unde facilè etiam totus ſcopus intentionis noſtræ patebit.

ARTICULUS I.

Quæ sit regula prima moralis honestatis, primum, atque potissimum totius Operis fundamentum?

2. OMnis humana, aut moralis actio ex peculiari suo conceptu dicit respectum, & habitudinem ad aliquam mensuram, & regulam rationis taxantem, atque mensurantem modum, quem ipsa tenere debeat in ordine ad ultimum finem.

3. Huic regulæ si actio conformetur, & servet modum ab ipsa præscriptum, dicitur moraliter bona, recta, laudabilis, & honesta: si verò regulæ contrarietur, aut ab ipsius directione deficiat, erit mala moraliter, turpis, vituperabilis, & inhonesta. Demum si præter regulam ipsam sit, id est, nec contra, nec juxta regulam, quia nihil hæc de illa præscribit, dicitur actio indifferens, hoc est, nec bona, nec mala moraliter, de qua in præsenti nihil curabimus; tum quia reverà nulla est hujusmodi, dum practicè, & actu exercetur, ut communior, & vera sententia docet: tum quia, quidquid sit de hoc, nihil facit ad nostram controversiam.

4. Prima, suprema, & universalis regula, atque mensura honestatis moralis est lex æterna, aut voluntas Dei, totius bonitatis originis, qui creaturas suas rationales sapientissimè dirigit, ac movet, jubendo, prohibendo, aut consulendo, quid, & quomodo ipsæ agere, vel omittere debeant, aut possint, ad suum ultimum finem liberè, & meritoriè cõsequendum. Hoc, saltem quoad substantiam, immò etiam quoad modum (nisi libeat divertere ad quæstiones de voce prorsus inutiles ad rem præsentem) non solùm ex divinis sacræ paginæ oraculis, atque ex SS. Patrum doctrina, verum etiam ex ipso rationis lumine, notissimum est apud omnes, ideoque probatione non eget, sed sola terminorum declaratione.

5. Declaratur verò in hunc modum. Omnis perfectio, aut bonitas creaturarum, seu physica sit, seu moralis, est velut gutta quædam, aut stilla, à Deo, primo, & summo tõtius perfectionis, ac bonitatis fonte, derivata: quare eatenus erit bonitas, aut perfectio, erit itẽ bonitas major, quatenus imitatur summam illam, & infinitam Dei bonitatem; vel quò ad illam magis accedit per majorem similitudinem, aut conformitatem cum ipsa. Porrò *illud, quod est primum in quolibet genere, est mensura, & ratio omnium, quæ sunt illius generis*, inquit D. Angelicus; quod est principium lumine naturæ notum, & ab eodem S. Doctore alibi etiam frequenter usurpatum: *Unumquodque autem* (ait ipse) *rectum, & bonum est, in quãtum attingit ad propriam mensuram.* Rursus divina bonitas, aut honestas moralis, est voluntas divina, quæ ob infinitam suam rectitudinem adæquat indefectibiliter, comprehenditque summum bonum. Patet igitur voluntatem divinam esse regulam, ac mensuram, per quam omnis perfectio, & bonitas moralis regulatur, ac mensuratur. Est ergo prima regula totius honestatis moralis.

D. Tho. 1. 2. q. 19. art. 9. corp.

Ibidem.

6. Præterea omnis creata voluntas quoad omnes suas operationes est naturâ suâ subjecta, inferior, ac subordinata supremæ, & infinitæ Dei voluntati; quod tàm est evidens, quàm evidens est, Deum esse factorem rerum omnium, nos autem opera manuum suarum, ipsum Dominum, & nos servos, ipsum Legislatorem, ac Superiorem, nos autem inferiores, ac subditos. Hinc verò statim evidenter apparet, nullam omninò operationem nostram esse posse honestam, ac rectam, nisi per ordinem, & conformitatem ad volun-

luntatem ipsius Dei. Utique, si operatio voluntatis creata posset esse recta, aut honesta, & divinæ non conformari, jam voluntas creata non esset voluntati divinæ quoad omnes suas operationes subjecta, atque subordinata, sed potiùs absoluta, & independens ab omni subordinatione. Evidens ergo est, voluntatem divinam esse regulam primam, atque supremam totius honestatis moralis.

7. Sed dicat aliquis: regula universalis directiva omnium operationum creaturarum est lex æterna, ut docet S. Thomas: sed lex non consistit formaliter in actu voluntatis, sed in actu rationis, ut tradit etiam ipse, tum ibidem, tum insuper aliàs sæpe: malè ergo diximus, voluntatem divinam esse regulam primam bonitatis moralis.

D. Tho. 1. 2. q. 93. art. 1. corp.

Ibidem, q. item 90. ar. 1. corp. & alibi.

Resp. nos consultò dixisse, voluntatem divinam, seu legem Dei æternam, esse regulam primam moralis honestatis, quia detineri modò non libuit in quæstione prorsus vocali, vel certè inutilis disquisitionis, circa constitutionem legis formalem. Profectò, quidquid sit de illa, certum omninò est, nullam moralem operationē esse posse honestam, aut rectam, quin conformetur divinæ voluntati, ut manifestè patet ex dictis, & expressè etiam docet Angelicus M. Est igitur voluntas divina regula universalis, ac mensura totius bonitatis moralis, sive sit etiam constituenda in Deo alia regula prior, aut ratione nostrâ distincta, sive constituenda non sit, quod modò disputare è re nostra non est. Enim verò Augustinus, dum peccatum definit, *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam Dei*, ab hac etiam quæstione abstinet, subjungens immediatè, *est autem lex æterna ratio, vel voluntas Dei, &c.* De hoc tamen dicemus, quantum sit opus, in loco opportuno.

D. Tho. ibidem q. 19. ar. 9.

August. lib. 22 cont. Faust. c. 27.

Infra lib 2. controv. 4. ar. 1.

Dicatur ergo hìc (quod unicè ad nos pertinet) voluntatem divinam, seu legem Dei æternam, esse regulam primam, atque supremam, moralis honestatis, cui proinde adaptari, & conformari debeat, ut recta sit, omnis operatio moralis.

ARTICULUS II.

Quæ sit secunda regula honestatis moralis, secundum Operis fundamentum?

8. VOluntas, seu lex Dei, quamvis sit prima regula, atque mensura nostrarum actionum moralium; cum tamen nobis extrinseca sit, non potest per se ipsam immediatè movere, dirigere, seu regulare operationes nostras; sed debet nobis applicari, & proponi per cognitionem aliquam, seu dictamen nostræ rationis, quod primam ipsam regulam, seu voluntatem Dei, circa eliciendam operationem nobis repræsentans, & intimans, sit proxima, immediata, & formalis directio, aut regulatio actualis, operationis eliciendæ, seu potius voluntatis eam operationem eliciturræ. Per hanc autem formalem, & immediatam nostri dictaminis directionem, regula prima applicata, & unita, instar objectivi principii, & ut virtus moralis sufficienter approximata, movet, ac dirigit voluntatem nostram, ipsiusque morales operationes actualiter mensurat, ac regulat.

9. Itaque voluntas divina non est regula proxima, immediata, aut formalis, sed mediata dumtaxat, remota, & objectiva, nostrarum actionum moralium; quia ad illas nec movere, nec dirigere potest, nisi ut cognita, & applicata per nostram cognitionem actualem. An vero ipsa cognitio se habeat tanquam virtus physicè influens nomine objecti in ipsam moralem actionem, an ut pura conditio applicans, & expediens ipsum objectum ad influēdum? quæstio est Philosophica, quam modò disputare non vacat. Scire in præsenti sufficiat, regulam primam, neque

movere, neque dirigere ad actiones morales, nisi ut propositam, & applicatam, per nostræ rationis dictamen.

10. Nota verò: quod dicimus, ejusmodi dictamen applicans nobis regulam primam, debere esse cognitionem actualem, non est sic accipiendum, ut debeat actu physicè coexistere ipsi operationi morali, adeo ut nunquàm quis possit honestè, aut turpitèr operari, nisi actu cognoscat, dum operatur, ipsam regulam primam, cui suam debeat actionem conformare. Hoc quidem ex professo postea tractabimus: modò verò solùm intendimus, regulam primam nunquam movere posse, seu regulare actionem moralem, ni fuerit verè cognita, & applicata per cognitionem aliquam, saltem confusam, quæ aliquando physicè existat, sive physicè, & actu debeat existere quando moralis actio exercetur, sive sufficiat, quod physicè præcesserit, & quod perseveret moraliter, ut certa, & solida Theologia tenet.

11. Nota præterea: regula prima potest nobis proponi, & applicari, aut quasi immediatè in se ipsa, aut potius non in se, sed in aliquo signo creato, quod sit expressio quædam, participatio, intimatio, aut significatio ipsius primæ, ac supremæ regulæ, ut quando voluntatem, & legem Dei aliunde non cognitam cognoscimus in lege, seu voluntate Superioris humani, in dicto, vel in facto sapientis, vel in alio simili signo divinam voluntatem nobis manifestante. Signum autem hujusmodi, ut potè instrumentale, dirigere non potest, nisi ut cognitum, & applicatum per rationis nostræ dictamen; atque adeo erit etiam regula objectiva, & remota, non universalis, ac prima, sed secunda, & particularis, quia nimirum non regulat moralem actionem, nisi ut subordinata regulæ primæ, cui omninò debet, ut recta sit, proportionari, atque conformari.

12. Igitur dictamen rationis applicans nobis regulam primam, vel in se ipsa, vel in signo creato, quamvis sit immediata, proxima, & formalis directio (proindeque in hoc sensu regula prima, sed potius unica posset appellari) tamen absolutè, & simpliciter est regula secunda moralis honestatis. Ratio autem ex dictis evidens est: quia eatenus prædictum dictamen dirigit rectè, ac regulat moralem actionem, quatenus rectè proponit, & applicat voluntatem divinam, ut primam regulam honestatis moralis; non enim est directio, aut regula absoluta, & independens à prima regula, sed eidem potius subjecta, & essentialiter subordinata, ut statim magis exponam: regula verò subordinata, & regulans per conformitatem ad aliam regulam absolutam supremam, & universalem, non est prima simpliciter, sed regula secunda, ut ex ipsis terminis patet. *In his verò, quæ aguntur per voluntatem* (inquit D. Angelicus) *regula proxima est ratio humana, regula autem suprema est lex æterna: quandocumque ergo actus hominis procedit in finem secundum ordinem rationis, & legis æternæ, tunc actus est rectus; quando autem ex hac rectitudine obliquatur, dicitur peccatum.* Hæc D. Thomas. Constat ergo, quæ sit secunda regula honestatis moralis. D. Tho. 1 2. q. 21. a. 1 corp.

13. Sed notandum ulterius est, quod ex jam dictis legitimè consequitur, hanc regulam secundam, seu dictamen nostræ rationis, formaliter, & proximè regulans actionem moralem, & applicans regulam primam objectivè, & primariè regulantem, aliud non esse, quàm conscientiam nostram, hoc est, dictamen practicum intellectus determinatè, & ultimò dictans, hoc esse agendum, vel omittendum, ut conforme, vel dissonum voluntati divinæ, seu primæ regulæ moralis honestatis. Porrò regula prima non applicatur proximè, & immediatè, nisi in ordine ad moralem actionem determinatam, & singularem, sicut & alia quævis uni-

universalis causa non applicatur immediatè, & proximè nisi ad passum particulare, & in ordine ad actum, vel effectum particularem, ac determinatum, neque enim ponitur aliquando à parte rei effectus in communi, sed individuus, & particularis. Judicium verò practicum intellectus applicans immediatè primam regulam ad actionem particularem, & sub omnibus suis circunstantiis, est ultimum dictamen rationis practicæ, sive prudentiæ, quod est ipsa conscientia nostra, ut cum D. Angelico Theologi communiter docent.

D. Tho. q. 17. de cõsc. a 1. & alibi sæpè.

ARTICULUS III.

Elicitur ex duobus præjactis tertium aliud principium, seu fundamentum.

14. NEmpè moralium actionum honestas desumitur, ut nuper dicebamus, ex ordine, ac conformitate ad regulam rationis, utique rectam; nam, si recta non sit, non potest esse honestatis regula. Immò nec regula dici potest, nisi abusivè, & impropriè tantùm; quippe quæ verè minimè regulat, nec dirigit ad ultimum finem (quod est unicum munus moralis regulæ) sed in transversum agit, & ab illo potius avertit. Unde optimè Bernardus sic ab absurdo arguebat, *An ne regula non concordat Evangelio, vel Apostolo? Alioquin regula jam non est regula, quia non recta.*

Bernar. in Apolog. ad Gilliel. Abba.

15. Est autem duplex regula moralis honestatis, altera prima, & altera secunda. De prima nihil nobis ulterius hìc disputandum superest; est enim, ut jam vidimus, voluntas, seu lex Dei, quam constat esse regulam invariabilem, absolutam, independentem, prorsus indefectibilem, & essentialiter per se ipsam rectam, immò, & principium totius rectitudinis. An verò possit esse, vel reflexa, vel subsequens ad opiniones nostras, vel errores, & ex suppositione illorum aliter de rebus disponere, quæstio est nova quidem, & Theologis antiquis incognita, sed maximi momenti ad præsens institutũ, ideoque diligẽter inferius suo loco tractanda.

16. Regula autem secunda duplex præterea est, altera scilicet remota, & objectiva, & quæ non, nisi ut cognita, regulat moralem actionem; altera verò formalis, & proxima, nimirum ipsa formalis directio, sive applicatio regulæ objectivæ, quæ tamen rigorosè loquendo non regula simpliciter, sed regulatio potius, seu propositio regulæ dici deberet: sed jam usus obtinuit, ut regula absolutè dicatur.

17. Regula secunda objectiva est signum quodvis instrumẽtale, quod, ut cognitum ducit in cognitionem regulæ primæ: regula verò proxima, & formalis, est ipsum dictamen rationis applicans nobis regulam objectivam, primam, videlicet, vel secundam ideſt legem æternam, seu volũtatem Dei, vel immediatè in se, vel mediatè, hoc est, in dicto instrumentali signo. Utraque ista secunda regula est objectum nostri Tractatus; sed verò de objectiva non agimus per se in tota sua latitudine sumpta, sed ut contracta ad auctoritatem, vel assertionem doctorum hominum ex genere suo fallibilem.

18. Pro quo nota, assertionem, sive judicium, de bonitate, vel malitia objecti, utroque modo posse regulare, aut dirigere ad moralem actionem, objectivè nimirùm, vel formaliter: formaliter in intellectu, in quo existit formaliter, & subjectivè, ideſt, in illo ipso, qui per tale judicium, vel opinionem opinatur, vel judicat, objectum esse bonum, aut malum, seu, quod in idem recidit, conforme, vel difforme regulæ primæ: objectivè autem in eo, qui reflexè cognoscit illud judicium, & ex ejus notitia ducitur tandem in cognitionem ipsius primæ regulæ, cui objectum illud congruit, vel repugnat.

Exem-

19. Exemplum esto: Petrus, vir peritus, ac probus, post sufficientem diligentiam præmissam in veritatis inquisitione, opinatur sibi licere librum transcribere in die festo: hæc opinio dirigit Petrum, vel certè potest ipsum formaliter dirigere, ad transcribēdi actionem. Paulus autem, qui Petri probitatem, ac peritiam, habet satis perspectam, videns Petrum sic opinantem, ex hac ipsius opinione movetur ad similem actionem exercendam. In hoc eventu eadem Petri opinio utrumque dirigit; sed diverso modo: Petrum videlicet proximè, & formaliter, Paulum verò remotè, & objectivè.

20. Quoniam verò dictamen, seu judicium humanum non est ex genere suo infallibile, sed multiplici potius errori obnoxium, potens que à rectitudine deficere, hinc Theologorum opus, & labor, improbus planè, sed utilissimus, quin, & præ cæteris necessarius, ut ostendant, quale esse oporteat hoc nostræ rationis judicium, ut possit rectè, & inculpabiliter morales actiones dirigere, sivè objectivè, sive formaliter. Sed quia objectivè dirigere non potest, nisi quatenus gignit in operante aliud proprium dictamen proximè, atque formaliter directivum, ideo tota, aut potissima difficultas devolvitur ad exponēdum, quale esse debeat dictamen hoc, quod proximè, & formaliter dirigit; quamvis non satis possit de ipsius rectitudine constare, nisi pariter constet de rectitudine principiorum, ex quibus gignitur, aut elicitur: quapropter, si cōtingat aliquando, dictamen proximè directivum elici ex alio prævio dictamine objectivè, & remotè dirigente, hujus quoque natura', & rectitudo necessariò ostendenda erit.

21. Illud verò ante omnia, tanquam principium certum, & ultrà omnem controversiam positum, ab omnibus statuendum est, quod ex dictis colligitur; & est præ oculis semper habendum: nimirum omne rationis dictamen, vel remotè, vel proximè operationis nostræ directivum, ut possit esse regula ipsius, sivè, quod idem est, rectè dirigere, debere esse conforme primæ regulæ, idest, voluntati divinæ. Hoc est tertium principium, & fundamentum Operis, quod ex duobus antecedentibus sponte sua profluit, & quod D. Angelicus complexus est his verbis, *Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas mensuretur, habet ex lege æterna, quæ est ratio divina; unde in Psal. 4. dicitur,* Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: *quasi diceret, lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, & nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, idest à vultu tuo derivatum.* D. Tho. 1. 2. q. 19. a. 4. corp.

22. Constat insuper, vel ex terminis ipsis regulæ secundæ, vel primæ: nempè secunda est regula naturâ suâ subordinata primæ, & supponens essentialiter ipsam, à cujus rectitudine dependet: prima verò independens, absoluta, & essentialiter per se ipsam recta, proindeque mensura universalis, & primum rectitudinis principium. Tam igitur repugnat, secundam regulam esse veram, aut rectam, & nō conformem regulæ primæ, quàm esse, & non esse secundam. Porrò, si recta esset, & non conformis, hoc ipso foret regula prima, cujus videlicet rectitudo non esset mensurata, neque dependens ab alia rectitudine: &, quod inde consequitur, regula prima non esset prima, immò nec esset regula moralis rectitudinis.

23. Finge alioqui operationem aliquam conformem rationis dictamini, quod esset verè rectum, & tamen non conforme voluntati divinæ: certè operatio illa non esset divinæ voluntati conformis, cum non possit duabus regulis inter se discrepantibus conformari; uti non potest

unus,

unus, & idem numerus conformis esse, aut par, duobus aliis numeris imparibus: aliunde verò foret recta, & honesta, utpotè rectæ rationi conformis: esset igitur recta unicè per conformitatem ad illud dictamen rationis. Hoc ergo in ea hypothesi foret regula prima, & unica, & voluntas divina non esset prima regula, immò nec esset regula moralis honestatis.

24. Evidens ergo est, nullum dictamen nostræ rationis, nec ullam aliam regulam creatam habere posse aliquam rectitudinem, nisi per ordinem, & conformitatem ad voluntatem, & legem Dei, quæ est prima, atque suprema regula honestatis moralis, essentialiter per se ipsam recta, & à qua omnis rectitudo creata, ut à primo principio, & unica mensura, procedit. Quod principium exemplo voluntatis Proconsulis, & Imperatoris, quo utitur S. Augustinus, auctoritatis Dei, & propositionis Ecclesiæ, motus solis, & horologii, multisque aliis obviis, ac perspicuis, promptum esset adhuc ostendere, nisi evidens per se foret, & quod à nemine negaretur.

ARTICULUS IV.

Quis ergo sit scopus totius Operis?

25. Miraris forte Lector, & ais: si hoc principium est evidens, & de quo nemini dubitare fas sit, quid potest nobis superesse quæstionis? Ecquis enim non videat, nullum judicium nostrum, vel opinionem re ipsa falsam, esse posse re ipsa regulam, cum nulla sit conformitas regulæ primæ? Nullam item quæ nobis æquè tantùm, vel minus verosimilis sit, obire apud nos posse regulæ munus, cum nulla sit ejusmodi, quam possimus regulæ primæ judicare conformem? Quis enim, precor, judicet cõformari re ipsa cum lege Dei id, quod apparet sibi magis determinatum, ut opponatur, vel ut summum prorsus indifferens, ut opponatur, vel conformetur? Rursus quis evidenter inde non colligat, solum judicium, aut opinionem, vel re ipsa, vel quoad nos veram, esse regulam posse, vel quoad nos, vel re ipsa, cum illa solùm sit re ipsa, vel quoad nos, voluntati divinæ, seu regulæ primæ conformis?

26. Porrò, si certa hæc sunt, quæ certa prorsus esse videntur, non apparet, quid possit in quæstionem adduci circa secundam regulam moralis honestatis. Unicè ut summum altercari licebit de modo, seu mensura determinata diligentiæ à nobis faciendæ, ut opinio, quam veram existimamus, & ideo tanquam regulam secuti sumus, excusare à culpa nos possit, si aliquando contingat esse falsam. An autem opinione, quam falsam judicamus, aut possumus, si volumus, judicare, vel quam non potius veram, quam falsam reputamus, possimus uti, ut regula ad agendum, tam non videtur dubitari posse, quàm dubitare nemini liceat de necessaria conformitate regulæ secundæ cum prima: de hac verò non posse dubitari, principium est, ut meritò posuimus. Hæc tua vel objectio, vel admiratio.

27. Et ego quidem, candide Lector, admirationem tuam non miror: quin discursu à te facto nihil mihi in Theologia certius apparet; neque facilè possem admirationi meæ modum imponere, si judicio fiderem meo. Adsunt autem, ut vides, hoc nostro sæculo DD. multi, qui cum statutum principium nec negent, nec in dubium vocent (quamvis perpauci ad illud advertant, ut facilè mox ostendetur) sequelam tamen inde deductam, quæ tibi, & mihi, non modo recta, sed nimiùm evidens esse videtur, non solùm totis viribus negant, sed etiam oppositum consequens vix non ut fidei dogma propugnant: certè ut dogma Theologicum confidenter à pluribus circumfertur. Hæc sunt nimirum judi-

cia

cia mortalium. Utinam nihil præjudicarent affectus!

28. En ergo totum Operis scopum: ostendere nimirum illius consequentis veritatem, & deductæ sequelæ rectitudinem. In prima igitur, & secunda parte demonstrandum à nobis est, nullum judicium, vel opinionem, quam falsam judicamus, aut saltem æquè tantùm, vel minus verisimilem, quàm oppositam legis obligationem propugnantem, esse regulam posse moralis honestatis. Quod in hac prima parte per duos libros integros, in quos dividitur, invictis argumẽtis suadebimus ex proximè statutis principiis infallibilibus apud omnes, neque enim nos ad nostram demonstrandam sententiam nova principia cudimus, aut moralem Theologiam antiquis Theologis inauditam in Orbem Christianum invehimus.

29. Ex eisdem ergo principiis multipliciter demonstrabimus falsitatem insignem, & prodigiosam, benigni, atque moderni Probabilismi, & principia, quibus innititur, diligenter examinata, nova, & inania esse, grandibusque referta fallaciis, & æquivocationibus, quæque sequelas inferant innumeras longè absurdissimas, & inevitabiles, luce ipsa solari clarius faciemus, id ipsum in secunda parte fusiùs adhuc urgebimus (si fuerit opus; & bellum adhuc urgeat) auctoritate maximè pugnantes, & ex omni loco Theologico irrefragabilia argumenta contra Probabilismũ producentes: ubi quàm sit exigua auctoritas ipsius, quam Recentiores tantopere commendant, si comparetur cum auctoritate, qua nostra sententia fulcitur, ob oculos Lectori constituemus. Hìc etiam reliqua argumenta solvemus recentium Probabilistarum, & occasione eorum de obedientia, debitaque judicii docilitate, de qua Probabilistæ falsò, & inaniter sibi blandiuntur, accuratè, & exactè disputabimus, & alias plures graves difficultates expediemus.

30. In tertia tãdem parte ostendemus, unicam regulam honestatis moralis, aliam non esse, quam veritatem ipsam probabiliter saltem à nobis cognitam, sive (& eòdem redit) dictamen nostrum, aut opinionem saltem probabiliter verã, idest, per quam prudenter, & inculpatè ex fundamentis gravibus, atque vel unicè verosimilibus, vel saltem verosimilioribus, & notabiliter præminentibus partis oppositæ fundamentis, judicamus, objectum, in quod tendimus, esse re ipsa honestum, & conforme re ipsa voluntati divinæ. Erit item hæc pars in duos etiam libros divisa, quorum prior post regulam honestatis expositam, assertam, atque propugnatã, de diligentia necessariò adhibenda ad inveniendam veritatem moralem, deque ignorãtiis ejus tractabit, & quàm sit alia Theologia Recentiorum à doctrina SS. Patrum Ecclesiæ, quantumque exorbitet ab inconcussis solidæ Theologiæ principiis, argumentis certissimis demonstrabit. Posterior verò, & ultimus moralem veritatem esse per se invenibilem ritè quærentibus, atque viam multiplicem ad ipsam inveniendam ostendet; ubi tandem de paucitate intrantium per angustam portam, pauca, sed utilissima disseremus. Habes, Lector benevole, totum consilium nostrum, & operis assumpti dispositionem. Jam ergo ad opus nos accingamus.

31. Sed enim ante omnia cum Salomone, nec non cum D. Thoma, Angelico Doctore, & duce meo, ex toto mei cordis affectu increatam Sapientiam invoco, *ut mecum sit, & mecum laboret: Nec me errare permittat in periculum animæ meæ, & in laqueum aliorum: sed illuminare dignetur oculos caliginosos ipso suo lumine, sine quo nemo valet ad lumen veritatis usquequaque pertingere.*

Sap. 9. D. Tho. in Proem. ad opusc. de usur.

CON-

CONTROVERSIA SECUNDA.

Utrum quælibet noſtra opinio, vel exiſtimatio, affirmans honeſtatem objecti, ſit regula honeſtatis moralis?

1. LOquimur, ut monuimus, non de prima, ſed de ſecunda. Omnis autem quæſtio, qua inquiritur, utrum aliqua opinio, aut dictamen noſtræ rationis, ſit regula ſufficiens honeſtatis, eſt eadem omninò cum illa, qua vulgaribus terminis diſputatur, an liceat operari ex hac, aut illa opinione morali, aut illam ad praxim deducere? ut facilè quiſque cognoſcet. Dum verò in hac quæſtione, aut proximè ſequentibus, aliquam opinionem probabilem vocamus, aut improbabilem, opinionem probabilem accipimus juxta modum loquendi conſuetum, ac vulgarem, donec exactè poſtea exponendi diverſas acceptiones opinionis probabilis, ſtrictumque probabilitatis conceptum opportunus locus advenerit.

ARTICULUS I.

Quibus poſſit rationibus pars affirmativa ſuaderi?

2. QUæſtio ergo procedit, non de quacumque, ſed de opinione noſtra, hoc eſt formaliter, & ſubjectivè, in intellectu noſtro exiſtente; nec enim poteſt in quæſtionem venire, vel apud Ethnicos, aut Hæreticos, utrum opinio quælibet, etiam aliena, ideſt, cui nullum præbemus aſſenſum, ſed objectivè tantùm in intellectu noſtro invenitur, ſit nobis congrua operandi regula? De opinione autem noſtra, quæcumque demum ſit, affirmativa pars ſuaderi poſſet his argumentis.

3. Primo: quæcumque opinio, ſeu dictamen noſtræ rationis, affirmans honeſtatem objecti, proponit nobis objectum ſuum, ut conforme divinæ voluntati, cum idem ſit, objectum eſſe honeſtum, & eſſe juxta Dei voluntatem. Atqui quiſquis amplectitur objectum aliquod, ut cõforme voluntati divinæ, operatur rectè, & honeſtè: ità ergo operatur quicumque ſequitur illud dictamen: ergo dictamen illud eſt rectum, adeoque congrua regula moralis honeſtatis.

4. Secundo: omnis ſecunda regula conformis formaliter primæ, eſt regula recta formaliter, ſeu regula formalis recta. At quælibet opinio affirmans honeſtatem objecti, eſt cõformis formaliter regulæ primæ, id eſt, voluntati divinæ, quam proximè, & formaliter applicat, tanquam menſuram honeſtatis objecti: ergo eſt regula recta formaliter, ſeu regula formalis recta.

5. Tertio: *Qui non judicat ſemetipſum in eo, quod probat, beatus eſt*, ſecundum Apoſtolum: id eſt, (ut P. Salmeron exponit) *beatus eſt, quem ſua conſcientia non remordet in eo, quod probat eſſe faciendum; ſed quietâ, & pacatâ cõſcientia operatur.* Sed illum, qui operatur ex opinione objectum proponente tanquam honeſtum, conſcientia nõ remordet, ſed abſolvit, utpote agentem juxta ipſius dictamen: beatus ergo cẽſendus eſt. At nemo in opere cẽſetur beatus, niſi qui operatur honeſtè: igitur honeſtè operatur: igitur juxta regulã moralis honeſtatis. Ad Roma. 14. Salmeron. in eum locum.

6. Quarto: quicumque agit juxta conſcientiam, ſi aliunde contra legem non agat, procul dubio honeſtè operatur; unde enim moraliter deficiat? Sed quiſquis agit hoc, quod honeſtum exiſtimat, in primis agit juxta conſcientiam: aliunde verò cõtra legem non agit, ſaltem formaliter, & voluntariò, cum agat id, quod judicat legi conſonũ: ergo non poteſt non honeſtè operari: ergo quælibet

nostra opinio, vel existimatio, est regula sufficiens honestatis moralis.

7. His argumentis, & aliis consimilibus ad speciem satis urgentibus suaderi potest opinio ista; quam tamen sub his terminis, si libros consulas, apud nullum Catholicum, quē ego viderim, scriptam, aut assertam invenies, uno excepto noviſſimo Probabiliſmi Apologista, de quo nō nihil postea dicemus: *Sub his terminis*, inquam; nam sub aliis omninò æquivalentibus utrùm à Recentioribus Probabilistis acriter asseratur, & propugnetur, alibi à nobis tractandum est, & pars affirmativa suadenda, argumentis non solubilibus.

ARTICULUS II.

Pars negativa, tanquam omninò certa, tenenda.

8. SUfficere profectò, & superabundare deberet ad ejus certitudinem stabiliendam, communis omnium DD. consensus. Alioqui quænam erit in universa Theologia assertio, de cujus veritate dubitare non liceat, in magnum veritatis ipsius, & conscientiarum hominum detrimentum? Nullus fuit autem Doctor Catholicus adeo inconsideratus, aut laxus, qui ad regulandas morales actiones, & ad conscientiam ritè formandam, nō exigat, ut minimum, opinionem verè probabilem.

9. Nemo verò quamcumque opinionem nostram, probabilem appellat hoc genere probabilitatis, ad quam scilicet omnes requirunt aliquas speciales conditiones, quæ in multis opinionibus non reperiantur. Certè opinio probabilis sufficiens ad conscientiam rectè formandam, est juxta omnes judicium prudens de rectitudine operationis. Quis verò dicat, omnem opinionem de operationis rectitudine, esse judicium prudens? Sanè, qui sic assereret, deliraret, & sua ipsa stulta assertione probaret evidenter apud omnes oppositæ assertionis veritatem.

10. Deinde ex fundamentis supra præjactis, communis hujus dogmatis veritas facili negotio convincitur. Nempe tota moralium operationum honestas, atque rectitudo, sumitur proximè, & immediatè ex consensu, & conformitate ad dictamen rationis rectum: tota verò dictaminis rectitudo reducitur, ut ad primum principium, ad convenientiam, & conformitatem cum voluntate, seu lege Dei, quæ est prima regula honestatis moralis, adeoque universalis, atque suprema totius rectitudinis mensura.

11. Neque ab hoc est alienum, quod docet S. Thomas ex Philosopho, nempe, dictaminis rectitudinem sumendam esse ex conformitate ad appetitum rectum (de quo nos postea) non enim loquitur S. Doctor de ultima, & suprema rectitudinis regula, sed de proxima tantùm, & immediata; quia scilicet dictamen prudentiæ, cum sit circa mediorum electionem, supponit rectum appetitum finis, per ordinem ad quem regulatur ipsum dictamen. Non negat tamen D. Angelicus, immò verò supponit tanquam indubitatum, totam, & appetitus, & ipsius dictaminis rectitudinem revocari tandem debere ad convenientiam, & conformitatem cum ipsa voluntate divina. Quin, & expressè id docet locis supra allegatis, ac sæpè aliàs; nec aliquis repugnare potest, ut jam demonstratum relinquimus. S. Tho. 1. 2. q. 57. a. 5. ex Aristot. 6. Ethi. c. 2. Cotrov. præced. a. 1. nu. 7. art. 2. nu. 12. & art. 3. nu. 20.

12. Hinc verò fit, eâdem diligentiâ; eâdemque solicitudine, qua curare debemus, ut nostræ operationes rectæ sint, & honestæ, non apparenti quadam, sed vera, atque reali rectitudine: eâdem, inquam, satagere debere, ut dictamina nostra, & opiniones, quibus dirigimur, conformentur re ipsa, & non apparenter dumtaxat, cum voluntate, seu lege Dei; ideſt, ut nihil nobis dictent, aut proponant, tanquam honestum, & amplectendum, quod sit re vera legi contrarium, cum ab hac opinio-

nis

nis conformitate dependeat essentialiter, ut diximus, tota moralis actionis honestas. Illæ ergo opiniones, quas, eâ diligentiâ non præmissâ, concipimus, haud possunt esse honestatis regula; non enim habent conformitatem ullam cum lege, nisi ut summum fortuitam, atque casualem, quam certè nemo dicat sufficere, nisi, qui censeat, nullam diligentiam adhiberi à nobis debere, ut re ipsa inveniamus voluntatem divinam, aut nihili faciendum esse, quod juxta illam non operemur. Id verò qui censeret, aut affirmaret, stultus, immò impius, & hæreticus esset.

13. Confirmatur id ipsum, & declaratur: intellectus humanus non est potentia naturâ suâ recta, aut infallibilis, & quæ in suis operationibus à fine debito aberrare non possit. Hoc certè, salva fide, negari nequit; immò nec ullus hominum, nisi prorsus insanus, aliquando vertat in dubium. Quin intellectum nostrum esse potentiam pro hoc misero statu maximè debilem, & infirmam, monstrosè, ut ita dicam, & usque ad stuporem defectibilem, quæque in rebus, vel infimis, ac valde obviis, passim erret immaniter, absurdissimèque fallatur, satis ad evidentiam, vel experientia sola nos docet, ut necesse hic non sit importunè præmaturare, quæ D. Thomas multis in locis, & cum eo DD. Scholastici, copiosè tradiderunt, & alio loco à nobis sunt producenda, de insufficientia humanæ rationis, deque necessitate gratiæ divinæ, nec non doctrinæ à Deo revelatæ, ad cognoscendas rectè, ac sine erroribus, vel ipsas naturales veritates.

14. Ex hoc autem principio sic arguere licet: opinio, vel judicium nostræ rationis generaliter de se non habet esse regulam rectam operationis nostræ, quam dirigit, ex immediato suo, ac proximo principio, videlicet humano intellectu, cum hic non sit naturâ suâ rectus, sed potius usque adeo defectibilis: aliunde verò nec ex respectu, aut necessaria conformitate ad primam rectitudinis regulam; unde enim illam habebit? aut quomodo hoc stabit cum defectibilitate principii? Utique, si judicium humanum de nostræ operationis honestate, ex communi suo conceptu foret conforme regulæ primæ, intellectus non posset aliquando ab eadem conformitate deficere, adeoque foret necessariò rectus; neque enim aliter deficere potest, quàm per operationem non rectam, seu non conformem regulæ primæ, Ex nullo igitur capite potest opinio, seu judicium humanum de humanæ operationis honestate, sub generali suo conceptu habere rectitudinem aliquam: ergo nec esse regula moralis honestatis.

ARTICULUS III.

Ulterior comprobatio ab absurdis.

15. SUadetur insuper commune dogma ab absurdis innumeris, quæ ex oppositio errore sequuntur inevitabiliter. Ex illo nanque legitimè deducitur, nihil nobis esse timendum ab affectionibus inordinatis, nihil à pravis consuetudinibus, nihil à suggestionibus diabolicis latenter decipientibus sub specie virtutis; nihil à fraudolentiis falsorum Prophetarum, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces; nihil denique ab omnibus erroribus, aut ignorantiis frequenter obrepentibus circa veritates morales: quæ tamen esse apertè contra Scripturam Sacram, contra SS. Patrum doctrinam, contra piorum omnium exempla, & contra omnem rectam rationem, nullus opinor negare audeat.

16. Sequela verò patet: quia, si quælibet nostra opinio, vel existimatio, undecumque, & utcumque concipiatur à nobis, est regula sufficiens honestatis, nihil jam nobis nocere poterit dicere malum bonum, & bo-

num malum, immò commoditates afferet non mediocres, à magnisque molestiis, atque difficultatibus liberabit. Quid ergo erit, cur errores quoscumque in hac morum doctrina formidare, aut cavere, & non magis optare, atque procurare debeamus?

17. Unde ulterius deducitur, otiosum esse, ac vanum omne orationis, ac librorum studium ad assequendas veritates morales; non esse necessarium in humanis negotiis cautè procedere, aut de rebus agendis deliberare; neminem debere consulere viros se prudentiores, ac sapientiores, immò honestè, atque laudabiliter posse quem propriæ prudentiæ inniti, aliorumque judicio semper contempto, in suo ubique sensu abundare; nullum esse judicium temerarium, nullumve dictamen imprudens, nullam proterviam, nullam pertinaciam, nullamque sententiam injustam, & uno verbo nihil non licitum, sed vitia in virtutes abire, & omnia in re morali ultrò, citròque permisceri. Hæc autē omnia longe absurdissima ex hoc errore, quem impugnamus, inevitabiliter sequi, statim evidenter apparet.

18. Verum, ut aliquid in specie dicamus, deducitur ex illo non legitimè tantùm, sed etiam immediatè, sectarium judicantem imaginum sacrarum adorationem esse turpem idololatriam, honestè facere, si imagines conculcet; Calvinistam obstinatè credentem, divinum Eucharistiæ mysterium esse inanem quamdam fictionem, non esse reprehensibilem, immò esse laudabilem, si sacras hostias pedibus proterat, aut equis comedendas objiciat; Judæum Christum Dominum blasphemantem, & execrantem, nec sacrilegum esse, nec blasphemum, neque supplicio ullo, sed potius laude dignum, quippe qui credat pertinacissimè, obsequium se Deo præstare, uti credebat quondam Apostolus, qui JESVM, & ejus Ecclesiam supra modum persequebatur, abundantiùs æmulator existens paternarum suarum traditionum, ut ipsemet expressè testatur. Ad Gala. 1.

19 Deducitur præterea, sceleratos illos, quos commemorat idem Apostolus, dum turpissima illa, & horrenda flagitia, quæ ibidem ipse refert, perpetrabant, minimè in hoc peccasse, sed honestè potius egisse, contra quàm idem Apostolus docet. Sequela verò patet; quia ipsi per errorem, & per reprobum sensum existimabant, illa non esse illicita, sed opera potius honesta; quod ipse Apostolus satis clarè significat, & expressè docuerunt Chrysostomus, Ambrosius, & D. Thomas in eum locum, de quo nos postea. Ad Roma. 1. Chrysost. Ambros. D. Thom.

20. Unde tandem apparet (ut alia prætereamus) errorem, quem modò rejicimus, nihil planè differre ab illo capitali, & pestifero errore aliquorum Hæreticorum, quem refert, & refellit insignis noster Controversista P. Gregorius de Valētia, & ante ipsum Gullielmus Parisiēsis acutissimè pridem refellerat, nēpè unumquēque non prorsus Atheum, sive Fidem Catholicam recipiat, sive respuat, secundum sectam vivendo suam, posse Deo placere, atque salvari, dummodò credat, eam esse à Deo, ipsique proinde placere, & nihil agat contra propriam conscientiam, sed congruenter potius cum eo, quod ipse honestum putat, & religiosum esse, constanter semper vivat, ac sentiat. Id, quod asserit etiam Turcicum Alcoranum, & multi Ethnici aliquando asseruere, ut ex D. Augustino refert ibidem ipse Valentia. Evidens ergo sit apud omnes Catholicos, non omnem opinionem, seu judicium, quo existimamus, objectū esse honestum, sufficere ad honestè operandum. Valent. li. 2. de Analy. fid. c. 1. & tom. 3. d. 1. q. 2. p. 6. Gilliel. Parisien. tr. de legi. c. 21.

21. Et hæc modò sufficiant pro stulta existimatione impugnanda, quam innumeris insuper ex Scriptura, & Patribus testimoniis, promptum esset obruere, nisi consultò illa in commodiorem locum reservaremus.

Quod

Quod si fortè videamur inutilem laborem suscepisse in refeilendo stolido errore, qui nullum Scriptorem Catholicum propugnatorem habeat, aut patronum, precor Lectorem meum, ut paululùm sustineat, dum simillimam aliam, aut eandem potius quæstionem (& quidem celeberrimam inter modernos Theologos) sub terminis tantùm diversis in postrema parte agitamus. Ibi, ut spero, facilè deprehendet, quanti momenti sit ad nostrum institutum, veritatem Catholicam huic pernicioso errori contrariam omnimodis stabilire, quàmque differenda non fuerit brevis saltem ejus notitia, quam ipse etiam doctrinæ ordo suo veluti jure postulabat.

22. Sed ne fidem longanimem deposcere nobis videamur, sciat interim Lector, nos paucis abhinc annis ad Sanctæ Inquisitionis tribunal semel, & iterum fuisse delatos (irritis tamen, Deo favente, nostrorum delatorum conatibus) eò quod è suggestu in publica concione propositionem hanc docuerimus, *Accidere aliquando potest, ut quis non reputans se peccare, immò potiùs existimans obsequium se præstare Deo, gravissimè tamen delinquat*. Comperi etiam sub idem ferè tempus, à quibusdam Magistris, Probabilismi sui nimis amantibus, sed non ita nimis callentibus, gravissimâ censurâ notatam, & è publicis thesibus prælo mandandis deleri quoque jussam hanc assertionem, *Non semper licitum est agere secundum conscientiam dictantem, aliquid esse honestum, quantumcumque judicium certum appareat*.

ARTICULUS IV.

Ad argumenta Articuli primi.

23. AD primum respondetur, non sufficere ad honestè operandum, vel ad non peccandum, quod objectum utcumque proponatur tanquam conforme voluntati divinæ, sed opus esse ulteriùs, ut reipsa conforme sit, & ad minimum saltem, ut opinio, aut judicium, per quod ita proponitur, non temerè cõceptum sit, & absque sufficienti diligentia præmissa; tenemur etenim seriò, & diligenter quærere voluntatem, & legem Dei, ut illam re ipsa observemus, jubente Domino, *Non facietis ... singuli, quod sibi rectum videtur*: & rursus, *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas*. Deuteron. 12.

24. Ad secundum similiter respõdetur, regulam secundã, & proximam, ut sit recta, & sufficiens ad honestè operandum, debere esse conformem regulæ primæ, non apparenter tantùm, aut fortuitò, sed re ipsa, vel saltem ex seria, atque syncera intentione operantis, post sufficientem diligentiam præmissam ad inveniendam divinam voluntatem: non est autem hujusmodi omne judicium nostrum, per quod regula prima nobis applicari videatur.

25. Ad tertium dicito, *beatum esse eum, quem sua conscientia non remordet in eo, quod probat esse faciendum; si tamen* (ut ibidem idem Doctor prosequitur) *qui faciunt, recta fide, & lege, & bona conscientia faciant. Nam ubi, quod quis facit, illicitum est, & malum, pejus est, si securus faciat, præsertim quando ignorantia non omninò excusat*. Si verò, qui operatur ex quocumque dictamine inconsideratè formato, non recta fide, & lege, nec bonâ conscientiâ operatur: quapropter, licet ipsum conscientia non remordeat, lex nihilominus divina condemnat. Notet Probabilista doctrinam hujus eximii Theologi. Salmeron. ubi supra allegatus.

26. Ad quartum demum, concessa Majo., nego Mino., illimitatè acceptam quoad secundam ipsius partem, quam esse apertè falsam, & erroneam probationes nostræ convincunt. Utique qui operatur ex judicio de operationis honestate nõ maturè, sed leviter concepto, agit quidem

dem juxta conscientiam, non tamen rectè, sed iniquè formatam: unde agit formaliter contra legem saltem universaliter prohibentem omnem operationem præcipitem, ac temerariam, per quam lex, & voluntas Dei non attenditur, ut par erat, sed formaliter potius, atque voluntariè violatur.

ARTICULUS V.

Nonnulla corollaria.

27. EX dictis ergo in hac controversia placet utilia quædam corollaria deducere pro majori doctrinæ claritate.

Primò igitur colliges, conformitatem cum prima regula fortuitam, aut materialem, non esse sufficientem ad regulam moralis honestatis, sed necessariam omninò esse conformitatem aliquam formalem, idest, per se intentam, ab ipsoque operante seriò, atque diligenter procuratam: non quia operans debeat necessariò reflectere supra opinionem suam, vel judicium, per quod dirigitur, sed quia per illud debet non leviter, aut temerè, sed maturè, ac prudenter, post sufficientem diligentiam præmissam, cognoscere, atque judicare, objectum, quod amplectitur, esse honestum, & conforme voluntati divinæ.

28. Hinc colliges secundò, judicium de honestate operationis, si ab operante conceptum sit, non prævio sufficienti veritatis examine, etsi fortè aliquando contingat esse verum, & conforme reipsa voluntati divinæ, non tamen esse regulam ad honestè operandum: quia conformitas illa est purè materialis, atque fortuita, quam neutiquàm sufficere demõstravimus.

29. Colliges tertiò, assertionem à nobis stabilitam, non solum esse veram, ac certam, loquendo de opinione, seu judicio quocumque non prorsus certo, verum etiam loquendo de judicio quoad nos certo, aut certissimo, ita ut nullum ejusmodi sit regula sufficiens honestatis, vel negativæ, nisi conceptum fuerit à nobis post sufficientem diligentiam præmissam ad inveniendam divinam voluntatem.

30. Ratio patet ex dictis: quia si non ita conceptum sit, quantumvis certum nobis, aut evidens videatur, nullam habere potest conformitatem cum prima regula, nisi merè apparentem, vel ut summum fortuitam, ac purè materialem: hanc verò nemo prudens, immò nemo Catholicus, dicere audeat sufficere ad honestè operandum.

31. Porrò intellectus noster, sicut errare potest, & deficere per judicium incertum, & purè opinativum, sic etiam potest facilè deficere, ac errare, per judicium, quod certum, aut evidens sibi videatur, idest, ratione cujus absque ulla formidine, sed firmiter omninò, & immobiliter adhæreat objecto; quod expressè docuit Philosophus, Heracliti exemplo producto, ubi etiam D. Angelicus, nec non Bernardus, inquiens, *Multi suam opinionem intellectum putaverunt, & erraverunt*; & omnium confessione, ac frequentissimâ experientiâ constat: judicium ergo nostrum, quantumvis nobis certum, non habet rectitudinem necessariam ad regulandam operationem, ex intellectu nostro, utique defectibili: ergo, si aliunde nulla, aut non sufficiens diligentia adhibeatur, ut conformetur regulæ primæ, non poterit habere absolutè rectitudinem necessariam; nam, vel nullam habebit conformitatem cum prima regula, nisi purè apparentem; vel ad summum fortuitam, ac materialem tantùm habebit, quarum neutram sufficere jam ostendimus.

Aristoteles Ethi. 7. c. 3. D. Tho. ibi.

Bernar. li. 5. de consider. non parum ab init.

32. Præterea absurda omnia, quæ ex errore, quem refellimus, legitimè deduci monstravimus, hujus nostræ illationis rectitudinem, sive communis dogmatis extensionem evi-

evidenter etiam ostendunt. Sanè hæretici illi, vel Judæi, saltem plerique eorum pertinacissimi, absque omni formidine, vel timore, sed firmissimè potius, & inhæsitanter existimant, rectè se credere, & operari: quin plurimi sectarii nostri temporis censent, quidquid hac firmitate, & recta fide, ut ipsi delirant, à viro Christiano non fit, eò ipso peccatum esse. Et tamen certum est in Ecclesia Catholica, perversa illa ipsorum judicia non esse rectam agendi regulam; immò nec eos à peccato excusare, ut à nobis mox ostendetur, quamvis videatur esse communis Ecclesiæ Catholicæ sensus. Sed non hoc unum certum, aut certissimum ostendere nos coget malitia temporum. Constans igitur est, & evidens illatio nostra de quocumque judicio, quantumvis nobis certo, aut certissimo, siquidem ex passione, aut non satis maturè concipiatur.

33. Colliges quarto quàm sit stulta, & irrationalis existimatio, qua quidquid fit contra legem Dei, quomodocumque fiat, si tamen is, qui facit, se non peccare existimet, aut non existimet, se peccare, statim bona fide, & inculpatè factum affirmatur, & creditur: quin, si superis placet, ad meritum æternæ vitæ confidentissimè deputatur. Quanta sit hujus existimationis irrationalitas, & stultitia, manifestè patet ex dictis. Profectò sic censere, nihil est aliud, quàm peccata ignorantiæ de medio tollere, quod est erroneum, & Pelagianum.

34. Colliges quinto, valde imprudentem esse, & ab æterno Judice non ferendam, praxim quorundam Confessariorum (opto, & precor eundem, ut pauci sint) qui, dum aliquis pœnitens conscius factus alicujus peccati, quod per ignorantiam admiserat, non reputans esse peccatum, illud exponit in confessione, ne audire quidem sustinent; immò ipsi præveniunt pœnitentes, dum pravum aliquid se fecisse fatentur, interrogantes eos, nunquid adverterint? nunquid existimaverint, se peccare? Quod si negent, statim sine ulteriori examine, licet pœnitens pessimus, ac perditæ conscientiæ sit, immunis pronuntiatur ab omni culpa, & pœna, ab omni onere restituendi, ab omni irregularitate, ab omni censura Ecclesiastica.

35. Scio P. Terillum praxim hanc omninò negare, immò, & irasci, tanquam impostoribus, omnibus, qui de illa testantur. Sed enim quæstio de facto est, & ea, quæ non possit expediri, nisi per testium depositionem, Testes autem appello conscientias ipsas numero penè innumeras Confessariorum, ac pœnitentium, à quibus si mendacii redarguar, patienter feram impostorem audire. Veruntamen, quidquid sit de hoc, praxim hujusmodi, si qua fuerit, aut esset, imprudentissimam, ac valde pernicioſam, nemo neget esse censendam. An autem illa legitimè sequatur ex moderno Probabilismo, alibi, Deo dante, videbimus.

36. Colliges tãdem sexto, cautè quidem, atque sapienter Auctores omnes, etiam modernos, opinionem vulgarem à nobis hìc rejectam, sub terminis præsentis quæstionis vehementissimè semper improbasse, tanquam erroneam, impiam, ac valde irrationalem: sed verò non intelligi quid significent Probabilistæ Recẽtiores dum mordicùs tuentur, (& quidem plurimi, tanquam dogma Theologicum, cujus oppositum Jansenianum sit) neminem unquam peccare posse formaliter, & imputabiliter absque conscientiæ actuali remorsu, idest, absque aliquo scrupulo, dubitatione, vel suspicione, qua operans formidet, aut dubitet, num id, quod agit, peccatum sit? Quin multi eorum propositionem istam sub his terminis, *potest accidere, ut graviter quis peccet, dum facit id, quod judicat esse honestum*, vehementer exhorrent, totisque viribus infectantur. Hæc verò quomodo inter

ter se cohæreant, ego planè non capio, & vel ex dictis, conjici potest. Sed quæstio ista summi momenti, est accuratissimè postea tractanda. Placuit tamen hoc properè modò adnotare, ut ex nunc animum Lector intendat, maturèque prævideat, atque consideret sequelas imminentes ex Recentiorum Probabilistarum sententia.

CONTROVERSIA TERTIA.

An opinio quæcumque alicujus, aut plurium gravium Doctorum, sit regula moralis honestatis?

1. HÆc etiam quæstio, sicut præcedens, decisionis facilis est: erit tamen non parum utilis ad clariorem, ac faciliorem præcipuæ controversiæ resolutionem. Duo verò sunt breviter prænotanda: alterum non procedere quæstionem de opinione quacumque apertè erronea, vel expressè damnata; hæc enim non opinio, sed error appellari consuevit. Loquimur ergo de illis opinionibus, quæ adhuc à Catholicis Doctoribus impunè referuntur, & propugnantur. Alterum verò, sermonem esse de opinione, seu propria, seu aliena, præscindendo videlicet à modo, quo conscientia formari possit, juxta duplicem viam, per quam incedunt Probabilistæ Recentiores, ut exponemus sequenti controversia.

ARTICULUS I.

Quid sentiant Recentiores Probabilistæ?

2. VAlde commune est apud modernos Probabilistas asserere, opinionem non solum plurium, sed unius Auctoris probi, ac docti (maximè Recentioris) esse verè probabilem, adeoque regulam sufficientem pro conscientia ritè formanda. Hujus sententiæ Auctores vide, si placet apud Dianam.

Diana p. 4. tr. 4. resol. 30. & p. 7. tr. 1. resolut. 26.

3. Hanc tamen assertionem plerumque temperant graviores quique Auctores, ut unicè procedat, quando unius Doctoris singularis opinio potius est præter, quàm contra omnes alios: nam si contingat, aliquem opinari contra torrentem Doctorum, ut ajunt, tunc ipsius opinio non erit censenda probabilis. Quin immò cautè addunt PP. Vazquez, & Sanchez apud Rhodes statim asserendum, nunquam tibi licere uti opinione aliqua singulari tuæ libertati favente, nisi postquam, adhibita diligentia, illam inveneris fulcitam rationibus, quæ probabiles tibi appareant. Profecto si hac lege constanter cohiberetur Probabilismus, non ita foret moribus noxius; sed neque ita placeret hominibus quibusdam.

4. Cæterum istam limitationem passim rejiciunt alii. Unde Rhodes moderni Probabilismi modernus ipse, & acer propugnator, hoc generale documentum elicit: *Imprudenter procederet, qui aliorum opiniones communiter receptas, vel etiam novas, ideo tantùm judicaret improbabiles, quia rationes contra eas aliquas haberet, quas ipse non posset solvere, neque putaret ab aliis posse solvi, quia persuadere sibi prudens quisque debet, multas sæpe rationes nobis apparere insolubiles, quas facilè alii solvunt.* Et paulò inferius, cum statuisset hanc conclusionem: *Dico secundo, sufficere omninò ad opinionem probabilem, ut eam Doctor aliquis magni nominis, & pius, præsertim Recentior, teneat*, ad objectionem secundam ait: *Respondent Sanchez, & Vazquez, unius Doctoris auctori-*

Rhod. to. 1. suæ Theologiæ d. 2. de act. human. q. 2. sectio. 3. §. 1.

ta-

tatem non sufficere ad opinionis probabilitatem, nisi rationes habeat, quæ tibi probentur. Ego existimaverim, esse necesse, ut aliquas habeat rationes; sed necesse non esse, ut illæ mihi probentur in se ipsis: quia viri magni auctoritas satis est magna ratio, ut judicem, rationes illas esse probabiles, quibus sententiam suam confirmat. Hactenus hic neotericus Probabilista, de quo profectò nemo jure queratur, quod strictam consignet agendi regulam.

5. Sed ulterius procedit Joannes Sancius cum aliis Recētioribus: Nam cum in suis Selectis valdè probasset, & commendasset doctrinam istam tum alibi, cum maximè d. 44. adjicit nu. 62. qua solet animositate, assertionem prædictam non solùm esse veram in illis opinionibus singularibus, quas Auctor gravis ex professo docet, & aliqua ratione confirmat, verum etiam in illis, quas obiter, & incidenter, aut quasi aliud agens, producit nullis argumentis fulcitas, videlicet, dum probat sententiam suam, vel dum dissolvit argumenta contraria.

Ioan. Sancius.

6. Quare ex Sancii sententia calamus gravis cujusvis Auctoris, maximè si Recentior sit, est *calamus scribæ velociter scribentis*, & verba ejus verba Prophetica, ex quibus nullum in terram cadat, sed omnia, etiam *perfunctoriè dicta* (sic enim ipse loquitur) sint omnibus mortalibus tuta, recta, ac laudabilis vivendi regula. Amplissimum profecto privilegium, neque mediocri stupore dignum: sed quod nesciatur planè unde sit, vel à quo demum concessum fuerit! Ipsius ergo valor, & veritas diligenter inferiùs examinabitur. Hæc est in hac quæstione sententia Probabilistarum, quod attinet ad opinionem unius singularis Auctoris.

7. Quid verò sentiant de opinione plurium, ex his colligere facilè poteris. Sed ne sit tibi conjecturis opus, audi P. Terillum, Probabilismi vindicem acerrimum, & inter Recētiores facilè Principem, qui de aliorum omnium sententia communem hanc assertionem statuit, ut certum canonem Probabilismi. *Omnis opinio, quam tres, quatuorve viri doctrina, & pietate præstantes post diligens examen absolutè tradunt ut veram, aut, etsi teneant oppositam, docent esse probabilem, est certò probabilis quoad nos, modò nemo doctrinâ, ac pietate celebris, talis opinionis probabilitatem in dubium revocet; licet alii communiter eam ut falsam rejiciant.* Subjungitque immediatè: *Demonstratur assertio, quæ apud omnes est in confesso.* En assertionem omnium Probabilistarum, quam disertè Terillus, non nisi demonstrandam nobis consignat.

Terillus de conse. probabi. q. 6. post nu. 17.

ARTICULUS II.

Affirmativæ hujus sententiæ fundamenta.

8. PRimum desumitur ex D. Thoma quodl. 3. a. 10. *ubi ait, posse quemquam amplecti opinionem, quā à Magistro audivit, in iis, quæ ad mores pertinent*: verba sunt gravis Probabilistæ. Ergo cum S. Doctor assertionem non limitet, nec exceptionem aliquam afferat, licitum erit ex mente ipsius uti opinione qualibet, etiam unius gravis Auctoris.

9. Secundum: omnis moralis opinio, quæ innititur fundamento non levi, est opinio probabilis, adeoque recta operandi regula; hæc enim est recepta communiter opinionis probabilis definitio. Sed auctoritas viri probi, simul, & docti, leve fundamentum non est; nam si non levis (inquit P. Sanchez) sed magni potius momenti censetur, ut Romæ aliquid contigisse credamus, quod vir pius, & gravis illud testetur, cur non magni momenti in re morali dubia putandum sit, quod vir pius, ac doctus in ea materia censuerit? Ergo quæcumque opinio, vel unius gravis

Sanchez li. 1. Sum. c. 9. n. 7.

Auctoris, probabilis censenda est, atque adeo sufficiens agendi regula.

10. Tertium: secundum documentum Philosophi, *Sapientium dictis non aliter, atque demonstrationibus, standum est*: ergo in rebus moralibus dicto, vel opinioni viri sapientis (& à fortiori, si plures sint) stare possumus, ac debemus: ergo quæcumque opinio, vel unius sapientis, est regula sufficiens operandi.

Et confirmatur: qui in rebus agilibus sequitur dictamen sapientis, secundum rectam rationem agit; nam, ut ait Augustinus, *Stultus omnis peccat, nisi in iis factis, in quibus sapienti obtemperaverit: à recta enim ratione talia facta proficiscuntur*. At quisquis agit juxta rectam rationem, honestè agat necessum est: ergo.

Augustin. de utilit. cred. c. 12.

11. Quartum: juxta divinæ, & humanæ prudentiæ regulas in rebus incertis, ac dubiis jubemur sapientes consulere. At frustrà, & inutiliter consuleremus, nisi eorum consilium tutò, & prudenter possemus amplecti. Nec verò dici potest, quod debeamus multos consulere: nam si unum non sufficit, teneremur adire non tot, quin plures; unde nihil à nobis agendum erit, quin prius totam urbem circumcursemus, omniumque sententias audiamus: quod esset onus intolerabile, à nulloque prudente admittendum. Fatendum ergo est, quod unius sapientis dicto, aut consilio, prudenter possimus acquiescere.

Eodem autem argumento probatur, quamlibet opinionem, quam in Auctoris gravis libro inveniamus, esse rectam, ac tutam agendi regulam; quia non minus, sed magis consideratè scribere, quàm loqui, viri sapientes solent, præsertim quando scripta prælo, & censuræ publicè subjiciunt.

12. Quinto demum arguitur argumento reflexo, quod apud Recentiores validissimum est, ac frequentissimum argumenti genus. Quod saltem multi graves Auctores (ponamus decem, aut si videatur numerus parvus, ponamus quinquaginta, vel centum, vel ultra, si placeat) docent esse honestum, ac licitum, probabile sine dubio est; aut si id negetur esse probabile, vix aliquid in morali Theologia, quod expressè non fuerit revelatum, probabile censendum sit. At multi Auctores graves (certè non pauci) docent, licitum esse agere ex quacumque opinione alicujus gravis Auctoris: & si ulteriùs ascendere per reflexiones velis, omnes omninò, saltem Probabilistæ, qui ferè innumerabiles perhibentur, docent, licitum esse, quod multi Auctores graves licitum esse docent, adeoque doceant necessum est eandem etiam illam cõclusionem: igitur probabile est, honestum esse, ac licitum agere ex quacumque opinione alicujus Auctoris gravis.

13. Vel aliter breviùs, & clarius: omnes saltem Probabilistæ docent, licitum esse, quod multi Auctores graves licitum esse docent: sed multi Auctores graves docent, licitum esse uti opinione qualibet alicujus gravis Auctoris: ergo omnes Probabilistæ hoc ipsum licitum esse docent. Atqui, quod omnes Probabilistæ (cum sint Auctores graves numero pænè innumeri) docent licitum esse, probabile procul dubio est. Est igitur certò probabile, licitum esse amplecti quamlibet opinionem alicujus Auctoris gravis. Ergo (quod tandem legitimè deducitur) quæcumque opinio gravis Auctoris, & à fortiori plurium, certò est probabilis, adeoque regula honestatis moralis.

ARTICULUS III.

Quæstionis resolutio.

14. Dicendum tamen est, ac firmiter tenendum, non omnem opinionem, etiam multorum gravium Auctorum, sufficere ad honestè operandum, seu, quod eòdem redit, non omnem esse regulam hone-

neſtatis moralis . *Non omnem*, inquam; nos enim haud negamus, opinionem gravium Doctorum (immò, & unius tantùm aliquando, licet rariſſimè) etiam contra opinionem aliorum plurium, vel etiam communiſſimam , eſſe poſſe quandoque regulam ſufficientem ad honeſtè operandum , dummodo fiat operanti propria , & omnibus inſpectis , vera exiſtimetur ab ipſo. Sententiam verò noſtram in hoc sēſu intellectam docent omnes Auctores , ſaltem Antiprobabiliſtæ , ſi quidem placeat hoc nomine appellare quotquot recentem Probabiliſmum non probant .

15. Suadetur ex principiis capitalibus nuper à nobis ſtabilitis. Opinio unius tantùm, vel etiam plurium gravium Doctorum affirmans aliquid eſſe honeſtum, vel negans eſſe à Deo prohibitum (de hac enim opinione quæſtio eſt) non eſt conformis ex conceptu ſuo cum prima regula moralis honeſtatis : ergo non omnis opinio ejuſmodi eſt regula ſufficiens ad honeſtè operandum. Conſequentia eſt legitima ex tertio fūdamento, de cujus veritate dubitare non licet . Antecedens probatur : opinio illa ex conceptu ſuo non eſt potius vera , quàm falſa , immò ſæpius conjungitur cum falſitate , quia frequentiùs contingit , unum , vel paucos falli , quàm multos , vel majoris , vel ſaltem non minoris , auctoritatis . At conformitas opinionis cum prima regula , tota conſiſtit in ejus veritate , in eo ſcilicet quod opinio affirmet id ipſum , quod præſcribit regula prima. Ergo opinio alicujus , vel aliquorum gravium Auctorum non eſt conformis ex conceptu ſuo cum regula prima honeſtatis , ſed frequentiùs contingit eſſe illi contrariam : ergo non omnis opinio hujuſmodi , ſed rarò, vel minus frequenter , eſt regula ſufficiens ad honeſtè operandum .

16. Confirmatur: ſi opinio unius tantùm , vel aliquorum gravium Auctorum contra opinionem plurium , vel omnium , conformaretur ex conceptu ſuo cum regula prima honeſtatis, opinio illi contradictoriè oppoſita, eſſet eidem regulæ ex conceptu ſuo contraria ; nam ex lege contradictionis , ſi una contradictoria eſt vera, altera debet eſſe falſa . At nemo ſanus dixerit, opinionem multorum , vel etiam omnium , contra opinionem pauciorum , vel unius , falſam eſſe ex conceptu ſuo , ſive , quod idem eſt , legi contrariam ; vel enim id habebit ex eo quod ſit plurium , vel omnium , & hoc conſtat dici non poſſe ; vel ex eo quod militet pro lege contra libertatem , & hoc eſt etiam evidenter falſum ; niſi velis , ut nemo falli poſſit , dum negat legis obligationem , nemo verò poſſit non falli , dum obligationem ſtatuit , quod eſt ridiculum , & ſtultum . Evidens ergo eſt , opinionem , vel omnium , vel multorum, contra opinionem paucorum, vel unius, non eſſe primæ regulæ ex conceptu ſuo contrariam : ergo evidens eſt , opinionem unius , vel paucorum , contra opinionem , vel multorum , vel omnium , non eſſe eidem regulæ ex conceptu ſuo conformem : ergo evidens eſt , non omnem opinionem ejuſmodi ſufficere ad honeſtè operandum .

17. Dicis , his argumentis evidenter probari , non omnem opinionem unius , vel paucorum gravium Doctorum eſſe conformem regulæ primæ materialiter , & in ſe ; ſecùs verò formaliter, & quoad nos, quod ſatis eſt , ut ex conceptu ſuo ſit regula ſufficiens honeſtatis. Ratio eſt: nam , eſto contingat , prædictam opinionem eſſe re ipſa falſam, adeoque primæ regulæ materialiter non conformem , hoc non tollit , quominus innitatur fundamento magni momenti , auctoritate ſcilicet Doctoris gravis: opinio verò gravi fundamento innixa prudenter poteſt judicari probabilis , adeoque primæ regulæ formaliter ſaltem conformis.

18. At contra eſt : nam argu-

menta noſtra eâdem efficaciâ probant utrumque, neque primo ſuppoſito, ſubſiſtere ſecundum poteſt. Porrò, ſi evidens eſt, ut largitur ſolutio, & argumentis noſtris evidenter convincitur, non omnem opinionem unius, vel paucorum gravium Doctorum eſſe conformem regulæ primæ materialiter, & in ſe, evidens debet eſſe, quod nec formaliter, & quoad nos poſſit eſſe eidem conformis, conformitate ſaltem conducenti ad honeſtandam operationem, vel poſitivè vel negativè: aliam verò conformitatem purè apparentem, ac ſine fundamento, neque loquimur, neque curamus.

19. Et ratio eſt manifeſta: quia formalis conformitas, de qua loquimur, in eo ſita eſt, quod opinio, licet in ſe, & reipſa non ſit conformis, poſſit tamen prudenter, ſeu non temerè, judicari conformis, utique reipſa, & in ſe: nam qui prudenter judicare non poteſt, opinionem quam ſequitur, conformari reipſa cum prima regula, voluntariè, & ſpontè deviat ab illa, cum voluntariè eligat regulam deviam, & ipſi primæ regulæ non conformem, ut vel ex ipſis terminis patet. Sed quiſquis videt, evidens eſſe, aliquam opinionem eſſe re ipſa falſam, atque adeo contrariam regulæ primæ, prudenter nequit (immò nec imprudenter) judicare, prædictam opinionem conformari re ipſa cum lege Dei, ſeu cum regula prima: ergo talis opinio nequit eſſe eidem conformis, adhuc formaliter, & quoad nos.

20. At conſtat evidenter, ut fateris, non omnem opinionem unius, vel paucorum, contra opinionem omnium, vel plurium, eſſe re ipſa veram, & conformem regulæ primæ, adeoque aliquam (immò plerumque) eſſe re ipſa falſam, & contrariam: ergo nemo prudenter omnem opinionem hujuſmodi poteſt judicare conformem in ſe, & re ipſa cum prima regula: ergo non omnis conformis eſt, adhuc formaliter, & quoad nos: ergo non omnis regula eſt ſufficiens ad honeſtè operandum. Sed de formali iſta conformitate mox eſt ex profeſſo dicendum.

ARTICULUS IV.

Ulterior comprobatio noſtræ ſententiæ.

21. TOtam doctrinam noſtram non tam ſubtilem, quàm utilem eſſe vellemus, ut præmonuimus in ipſa præfatione. Ergo quia multâ experientiâ didicimus, ſententiam Recentiorum, quam impugnamus, prorſus illimitato, & cæco quodam modo uſurpatam, ut frequenter accipi ſolet, eſſe valde noxiam in praxi, inſigniaque Chriſtianis moribus præjudicia, ultrà quàm dici poſſit, afferre, ex ipſa ipſius praxis abſurditate manifeſta placet ulterius illam refellere, ejuſque falſitatem conſpicuam facere, cunctiſque patentem.

Sed quia ſæculi hujus, certè non boni, inveniuntur quamplures, qui honorem, famamque ſcrupulosè nimis, & ardenter zelentur, adeo ut ſiquid ab aliquo in ejus probrũ fortè dicatur, haud aliter accipiant, quàm ſi ipſis exprobraretur, ſi fortè nolint ſit theſi locus, quod dixerimus, hypotheſis eſto. Et, ſi nulli ſint modò (quod optamus) praxim, quam reprobabimus, exercentes, juvabit ſaltem doctrina noſtra, ne ulli ſint deinceps qui ejuſmodi praxim exerceant. Atque hæc ſint ſemel generaliter dicta pro ſimilibus argumentis, ne quemquam inutiliter, & gratis offendamus, quando re ipſa neminem lædimus. De zelo verò iſto, & ejus cauſa, ac fine, non pauca in decurſu dicemus.

22. Igitur ex ſententia Recentiorum fiet, aut ſaltem fieri poterit, ut quilibet, ſeu doctus, ſeu indoctus, quamlibet opinionem ſuæ libertati faventem, in libro gravis Auctoris re-

repertam, vel assertam ab ipso, vel relatam, & nullâ notatam censurâ statim velit sine examine ullo ad praxim securus deducere. At praxis ista absurdissima est, & quæ Christianis moribus insignia afferat detrimenta: ergo sententia illa vera non est, sed ab omnibus repellenda. Certè sequela ista non tam videtur sequela esse, quàm ipsamet Recentiorum assertio. Utique, si omnis opinio, vel unius gravis Auctoris, est regula sufficiens honestatis, & quidem, licet mihi contra illam fortè occurrant rationes, quæ etiam insolubiles mihi videantur, quid est, quod ultrà debeam curare, aut cur statim nequeam absque ulteriori examine præfatam opinionem amplecti?

23. Sequelæ verò absurditas nimis aperta est. Ex illa nanque in primis deducitur, supervacaneum esse, & inutile pro dubiis conscientiæ occurrentibus, studium omne Theologiæ moralis, immò & divinum orationis studium; ut quid enim ultra laboret, qui ad suæ operationis rectitudinem habet jam regulam, & quidem infallibilem juxta Recētium Probabilistarum principia, videlicet opinionem probabilem suæ libertati faventem? Hanc autem regulam, si vera est sententia Recentiorum, parvo certè labore, & nullo penè studio quivis, etiam indoctus, poterit comparare ex brevi aliqua summa, seu casuum collectione, immò, & ex ipsis librorum indicibus.

24. Sanè vulgares Summulæ casuum conscientiæ, quæ, linguâ etiam vulgari, quotidie prodeunt, vix aliud sunt, quàm breves quidam indices alphabetico ordine digesti opinionum, ut ajunt, probabilium, & Auctorum illas docētium. Aperiatur alioqui experimenti gratiâ compendium celeberrimum, seu Summula Dianæ prolixè, & ultra modum à Recentioribus commendata, eisque approbationibus, & immodicis laudibus onusta, quæ nimiæ etiam videri possent pro libris Augustini de Civitate Dei, aut pro Summa Theologica D. Thomæ: aperiatur, inquâ hæc Summula, & vix ulla invenietur brevis pagella, in qua decem, aut plura dubia moralia probabiliter non resolvantur, annotatis Auctoribus cujusvis opinionis ad hunc modum, *Trullench, &c. Escobar, &c. Palaus, &c.* Si ergo mihi sufficit ad honestè operandum invenire opinionem, vel unius Auctoris gravis, meæ libertati faventem, sufficiet etiam mihi in dubiis occurrentibus legere nosse, nec ulterius tenebor, quamvis facilè possem, per me ipsum evolvere libros alios, nec Theologos sapientes consulere, immò neque Deum orare.

25. Ex illa ergo opinione fieret (& utinam nimis non fiat!) ut mercatores, & nummularii, ministri publici, quantumvis imperiti, & alii quilibet sæculi homines implicatissima quæque negotia, difficillimaque tractantes, quæsitâ Summa vulgaris idiomatis, sive conscientiæ casuum compendio, possent se per se ipsos, & inconsultis Theologis, à dubiis quibuscumque cōscientiæ, atque difficultatibus expedire, & quidem, si esset vera sentētia Recentiorum, prudenter, & irreprehensibiliter. Profectò invenire opinionem libertati suæ indulgentem alicujus Auctoris, vel aliquorum, qui ex fama publica graves vulgò putentur, & quæ notata ab aliis non sit, per se ipsos facilè possunt: illâ autem inventâ, regulam infallibilem jam habēt, secūdum quam agendo procul sint ab omni peccato, immò & ab omni peccandi periculo: quin, licet ipsos falli, & quidem plerumque, contingat, honestè nihilominus, & meritoriè secundum Recentiores operantur.

26. Ut quid ergo miramur, & dolemus sæculi hujus morem satis communem, magis, magisque in dies invalescentem; vix enim rarum aliquem invenias ex ejusmodi hominibus, qui pro negotiis suis, quantumvis difficillimis expediendis, ac di-

directione suæ conscientiæ, Theologos aliquando consulat, cum tamen multi eorum timorati communiter habeantur, immò etiam devoti, & qui frequenter nimis accedant ad Ecclesiastica Sacramenta? Quid item querimur, & exprobramus nonullorum Confessariorum compertam imperitiam cum ingenti audacia cõjunctam, qui moralem Theologiam statim post exiguam Grammaticæ notitiam vix summis labris degustavere, & ipsius studio sanè latissimo, ac maxima ex parte difficili, vix horam unam aliquando impendunt; & tamen confessiones quorumlibet sine ullo discrimine, & brevissimo temporis spatio, intrepidissimè audiunt, ac expediunt? Quid demum sæpè mirabũdi recolimus, rariores in hoc sæculo inveniri consumatæ sapientiæ viros, qui moralis Theologiæ subtiliora principia intimiùs perscrutentur, & calleant, abstrusioresque ipsius difficultates facilè per se ipsos, atque scientificè noverint expedire? Audivi ego non semel viros eximiè prudentes, ac pios, hæc omnia seriò commemorantes, magnoque cum dolore, & admiratione inter se identidem recolentes.

27. Sed enim verò nobis, si vera est Recentiorum sententia, dolor iste videtur non modò otiosus, verum etiam injustus, & admiratio prorsus stulta. Porrò negotiatores, & quivis alii homines rebus sæculi hujus implicatissimi frustrà, & otiosè Theologos fatigabunt pro dubiorum suorum resolutione, cum ipsi sibi ipsis sufficiant.

28. Ob eandem rationem Cõfessariis, eorum hominum confessiones nullum, aut parvum negotium facessent; nam, prætermisso, quod in suis negotiis vix poterunt peccare, ut statim magis urgebo, ipsi peccata sua facillimè cognoscent, & expeditè in confessione aperient; unde cessat in ipsis Confessariis necessitas majoris studii, aut abundantioris scientiæ. Præterea Confessarii eâdem ipsi regulâ utentes, parvo, vel nullo studio, ac labore, poterunt expedire; & quidem securissimè, si quæ dubia restent solvenda: quare nihil est quod formident.

29. Denique graviores magistri, & professores Theologiæ moralis ob easdem rationes facillimè adimplebunt munus suum, nec erit, cur altioribus principiis intimiùs penetrandis insudent, aut quare pro moralibus veritatibus scientificè, ac solidè eruendis fatiscant. Nihil igitur erit, cur nostri sæculi infelicitatem dolere, aut negligentiam culpare possimus; sed gratulari nobis magis debebimus, & nostris temporibus plaudere cum multis Recentioribus crebrò plaudentibus.

30. Verumtamen hæc omnia, quæ ex contraria sentẽtia Recentiorum immediatè, ac legitimè consequuntur, absurdissima planè sunt apud prudentes omnes, & pios: quod quidem multò evidentius est, quàm ut à nobis debeat ostendi. Audiatur tantùm Bonaventura in ipso prologo sui Confessionalis: *Cum secundum B. Gregorium sit ars artium regimen animarum, & occultiora sint vulnera cogitationum, quàm viscerum, horrendum profectò est videre quosdam Sacerdotes nostri temporis* (tu vide, Lector, an etiam nostri?) *qui Sacram Scripturam, in qua præfati regiminis ars sufficientissimè traditur, & Jura Canonica, & Scripta Doctorum, in quibus plenissimè declarantur, vel per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam nesciunt; & tamen vordis medicos in audiendis confessionibus se profiteri impudenter non metuunt, &c. Tali ergo odibili ignorantiæ, &c.* Id ipsum quoque confirmat, & urget D. Thomas, eodem adducto etiam medicorum exemplo. Vide precor, an postulet laborem, & studium, munus hoc regendi conscientias, & moralia dubia expediendi, & utrum usque adeo facilè, & tutò possit à quolibet exerceri? Væ nostri temporis Confessariis innumeris! Væ pœni-

Bonav.

D. Tho. opusc. 65.

nitentibus ad ipsos accedentibus, nisi hi summi Ecclesiæ Doctores verbis inanibus nos deceperunt!

ARTICULUS V.

Improbatur ulteriùs Recentiorum sententia, & signanter Terilli assertio.

31. SI quælibet opinio cujuslibet gravis Auctoris foret sufficiens regula ad honestè operandum, vix aliquid in praxi foret illicitum: vix enim erit actio moralis, quæ, ut practicè exercenda, & sub suis peculiaribus circunstantiis considerata, adeo sit evidenter turpis, ut invenire nequeas opinionem Auctoris gravis, qui ipsius honestatem propugnet.

32. Porrò in quavis materia cõditio ipsa humani intellectus, suppositа naturæ corruptione, magnam fert judiciorum varietatem, ut vix sit aliquid apud omnes constans, & nullo dissentiente, receptum. Præcipuè autem verum id est, ubi de humanarum actionum bonitate, aut malitia agitur; tum ob propriam ipsarum incertitudinem, & peculiarem variabilitatem, quam toties Aristoteles exagerat; cum etiam maximè ob innatum hominibus sibi, & aliis placendi desiderium, quod in hoc nostro sæculo, toto ad benignitatem circa doctrinam morum composito, in dies vehementer increscit. Mirum utique est quantum hodiè communiter arrideant opiniones benignæ, ut vocant, & libertati humanæ indulgentes, ut vel hoc solo titulo (qui certè non est nota doctrinæ Christi, si Evangelium ejus non fallit) avidissimè conquirantur, & maximè plausibiles sint libri eorum Auctorum, qui benignis sententiis, seu expresse, seu facto ipso, plerumque se adhærere profitentur, cujus generis inveniuntur haud pauci.

Philosoph. Ethic. præsertim li. 1. c3. & li. 2 c. 11.

33. Quàm verò potens sit ejusmodi affectus ad inclinandum judicium nostrum, ut putemus, licitum esse quidquid jucundum, & placens est, & ratio ipsa facilè dictat, & frequens experientia docet. Porrò, ut sapienter dixit Angelicus Præceptor, *unusquisque faciliter credit, quod appetit*.

D. Tho. 2 2. q. 6 a. 3. corp.

Cæterùm de periculo isto haud paucа in decursu dicemus. Interim verò dicta sufficiant, ut dilucidè appareat, quàm sit facile ubique invenire opinionem humanæ libertati faventem, & deobligantem à legis observantia, quam communis opinio injungit.

34. Si igitur omnis opinio, vel unius gravis Auctoris, in tanta, tum Auctorum multitudine, tum judiciorum hominum varietate, tum etiam opinandi licentia, dicatur esse regula sufficiens ad licitè, & honestè operandum, peccata vix non erunt entia rationis, & velut Platonis ideæ, universalia quædam principia ab individuis omnibus separata; vix enim aliquando continget, legem universalem, & communem per singularem aliquam actionem formaliter à nobis violari. At hoc, quisquis non censeat, Deum esse irridendum, & ejus leges floci pendendas, admittere nullo modo potest. A nullo ergo debet admitti prædicta Recentiorum sententia.

35. Reponent forsitan, haud ita esse obvium, ac facile, in quolibet occurrenti dubio invenire opinionem gravis Auctoris humanæ libertati faventem, quæ à cæteris Doctoribus, vel ab aliquo saltem non sit notata, tanquam improbabilis. Hoc autem ipso, quod notata sit, exceptionem jam habet, ut non sufficiat ad honestè operandum.

Sed in primis hac evasione non omnes Recentiores uti possunt; neque enim omnes assertioni suæ limitationem istam adjungunt; quin eorum non pauci illam ex professo rejiciunt. Contra hos ergo stabit argumentum nostrum, cujus sequela videtur legitima; sequelæ verò absurditas evidens. Rursus adversus omnes

nes procedunt argumenta superius facta.

36. Deinde, admissa etiam limitatione illa, adhuc manet assertio nimiùm laxa, & humanis moribus noxia; plurimæ nanque suppetunt, & in dies ebulliunt opiniones, etiam singularium Auctorum, quæ à nomine notantur ut improbabiles. Utique Recentiores Probabilistæ admodum solent esse timidi, & acuti in notandis aliorum opinionibus, valdeque ad invicem comes, ac liberales in cõmendandis assertis suis. Quin, si quis in re ista non nihil audeat, severè reprehenditur, & ipsius censuræ contemnuntur, & carpuntur communiter ab aliis; hic enim Theologi benigni communiter severissimi sunt, & implacabiles. Et quidem, ut existimo, admodum consequenter ad principia sua gerunt; neque video, quo jure, quove principio firmo, & non penitus arbitrario Probabilistæ possint aliquas opiniones, nisi expressè damnatas, aut manifestè erroneas, de improbabilitate notare, de quo latiùs postea dicendum. Ergo approbare ut honestatis regulas generaliter opiniones omnes, quæ ut improbabiles notatæ non sunt, nimis adhuc est laxum, nimiamque indulget licentiam peccandi.

37. Verum age, ne diutiùs immoremur, sententiam Recentiorum istorum, etiam prætensa restrictione donatam, immò & ipsam Terilli demonstrabilem assertionem, *quæ apud omnes est in confesso*, argumento evidenti refellamus.

Nulla opinio moralis scandalosa, & in praxi perniciosa, ideoque, ut talis ab Ecclesia damnabilis, est opinio certò quoad nos, immò nec ullo modo verè probabilis. Sed stat, aliquam, & multas opiniones, doceri, à tribus, quatuorve viris (quin à plusquam viginti, vel triginta) doctrina, & pietate præstantibus, post diligens examen (ut supponitur) nemine interim illas notante, vel in dubium vocante probabilitatem ipsarum, & tamen esse revera scandalosas, & in praxi animabus perniciosas, propterea que ab Ecclesia damnari: igitur non omnis opinio, quam tres, quatuorve viri doctrina, & pietate præstantes post diligens examen absolutè docent, ut veram, vel saltem, ut certò probabilem, etiãsi nemo neget, aut revocet in dubium ipsius probabilitatem, est quoad nos certò, immò neque ullo modo probabilis. Ecce contradictoriam demonstrabilis assertionis omnium recentium Probabilistarum, evidenter, ut reor, demonstratam.

38. Porrò discursus noster moraliter ut minimum evidens, & undique infallibilis apparet: nam propositio major in primis certa, & indubitata absolutè cẽseri debet, neque posse contingere timendum foret, ne de evidenti ipsius veritate aliquando dubitaretur, nisi facto ipso notorio invicta hujus argumẽti efficacia Probabilistas in angusto positos hanc unam sibi reliquam fugiendi viam post moderna Pontificum Decreta turmatim arripuisse constaret. Interim verò sufficit nobis hoc argumento nostro ad id ipsos omninò compulisse, ut absolutè fateri debeant, probabilitatem, quam docent, esse tutam agendi regulam, eam esse, ut benè cohæreat, aliquam opinionem esse verè probabilem, & esse simul scandalosam, & in praxi perniciosam; quod certè, nisi factum doceret nos, nunquam possibile crederemus, ut ab aliquo Theologo affirmaretur. Præterea viam istam (si via dici potest) præludemus facilè postea. Vide infra li. 2. cõtrov. 1. 2. 1.

39. Mi. verò argumenti notoria est, & constans in Ecclesia Catholica, in qua non pridem, sed ab anno 1665. ultra 140. opiniones morales damnatæ sunt, ut minimum tanquam scandalosæ, & in praxi animabus perniciosæ, quarum aliquæ à multis, & gravibus Auctoribus absque aliqua nota docebantur. Certè (ut exempli gratia aliquam referamus)

mus) opinio, quæ docebat, annuæ communionis præceptum impleri posse communione sacrilega, adeò erat communis inter Theologos, ut vix jam aliquis inveniretur, qui illam absolutè veram, ne dum probabilem esse negaret. Denique consequentia recta est, nisi cui fortè negare libeat, Theologos hujus temporis errare posse, sicut potuerunt, & re ipsa erraverũt Theologi temporis præcedentis. Consequens demum contradictorium est communis assertionis Recentiorum.

Evidens ergo sit, & firmiter tenendum contra modernos Probabilistas, non omnem opinionem alicujus, vel plurium gravium Doctorum humanæ libertati faventem, etiamsi ut improbabilis à cæteris nõ rejiciatur, esse regulam sufficientem ad licitè, & honestè operandum.

ARTICULUS VI.

Ad argumenta sententiæ contrariæ.

40. AD primum respondetur, D. Thomam in eo loco (sicut & aliàs nunquam) non modò assertionem illam non tradere, immò expressè docere oppositum. Nempe in corpore articuli, cùm præmisisset, auditores Doctorum Sacræ Scripturæ absque periculo amplecti posse diversas opiniones eorum, siquidem neque ad fidem, neque ad bonos mores pertineant, subjungit, *In his verò, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri: in talibus enim ignorantia non excusat.* Vide, quàm longe sit à mente D. Thomæ benigna sententia, quã vocant, maximè verò, quam refellimus modò universalis Recentiorum assertio; pro qua tamen adducitur S. Doctor verbis expressis in argumento.

D. Tho. Quodl. 3. a. 1.

41. Ad secundum admittimus definitionem illam opinionis probabilis in recto, & sano sensu intellectam. Negamus autem auctoritatem unius viri gravis, ac docti, immò etiam plurimorum, universaliter, & ubique, esse fundamentum non leve. Paritas verò adjuncta, si procedat de aliquo casu speciali, pro quo nihil habeamus in oppositum, vera est, sed non opportuna. Si verò generaliter procedat, sicut procedit Recentiorum assertio, dicimus, paritatis assumptum non minus esse falsum, quàm assertionem ipsam; unde contra adversarios facilè retorquetur. Certè, si viro illo alioqui fide digno aliquid Romæ contigisse attestante, duo alii, vel plures non minoris auctoritatis oppositum attestarentur, testimonium ipsius pro illis circunstantiis non censeretur magni momenti, neque possemus illi præbere fidem, saltem secundùm regulas prudentiæ.

42. Ad tertium dicimus, documentum Philosophi acceptum in sensu legitimo, & intento ab ipso Philosopho, esse verissimum, ac prudentissimum; in sensu verò intento à Recentioribus, nec veritati, nec prudentiæ congruere. Rogo enim, cur dictis sapientum, qui nobis aliquid licere negant, similiter non sit standum, præsertim quando sunt numero plures, vel auctoritate potiores? Numquid soli sapientes sunt, & eorum dicta attendenda, qui nostræ libertati opinionem faventem docent; qui verò pugnant pro lege Dei, neque sapientes sunt, neque audiendi? Certè sapientia hæc saperet nimiùm carnis sapientiam.

43. Rogo iterùm, quid nobis sit faciendum, si vir alioqui sapiens, ac prudens doceat nos opinionem tenuiter probabilem? Quid, si erroneam? Neque enim puto Recentiores negabunt, viros aliàs sapientes, & sapientissimos, aliquando posse desipere. Dicent, illius dictum contemnendum omninò, neque documentum Philosophi in eo eventu locum habere. Rectè. Sed cur tantundem

reponere nobis non liceat? Nempe sapientium dictis tunc solum esse standum, quando rationi, dictisque aliorum æquè sapientium, aut fortè sapientiorum, repugnare non viderimus; quo certè nihil æquius, rationive conformius.

44. Ex his patet responsio ad testimonium, in argumenti confirmationem ex Augustino acceptum. Ad quod item possemus multa reponere ex Augustino ipso. Sed quia appellatio ista ad sapientes, atque prudentes, quæ nobis valdè placet, si legitimè interponatur, admodum frequēs est, & familiaris Probabilistis, adeòut in ea tandem totam litis spem reponant, fusiùs nobis de illa infra tractandum erit, & ideo modò dicta sufficiant.

45. Ad primum respondemus similiter, constare jam, quo sensu possimus, ac debeamus, sapientes, ac prudentes consulere, & eorum dictis stare. Nec dicimus, debere nos consulere sapiētes omnes, sed juxta qualitatem, difficultatem, & reliquas actionis circunstantias, prudentiæ leges esse tenendas, & diligentiæ modum in inquirenda veritate taxandum.

46. Verum quid dicent Probabilistæ de judice in ferenda sententia, aut de Ministro Sacramentorum in ipsis conficiendis, aut conferendis? Numquid debent sapientes, ac prudentes omnes consulere in cunctis dubiis sibi occurrentibus, in quibus, magno Dei beneficio, constat jam nobis nō esse licitum usum opinionis ullius, quæ sit æquè, aut minus probabilis? Profectò prudens quisque (ut pro omnibus respondeamus) in negotiis humanis magni momenti, neque consulit omnes sapientes, neque fidit dicto cujuslibet. Cur ergo in solo negotio salutis, licèt omnes consulere non debeamus, cujuslibet dicto fidemus? Numquid res temporales, & caducas pluris debemus facere, quàm æternas, & in illis, secus in istis, errores diligenter cavere? Hæc enimverò non hominis Christiani, quinimmò neque hominis prudentia esset, sed turpis potius, atque beluinus alicujus Athei error.

47. Demum ad argumētum reflexum Probabilistarum respondemus, hujusmodi argumenta parvi nobis momenti esse. Sanè fallacia istius argumētationis facilè, & multipliciter posset hic demonstrari, nisi de illa postea ex professo dicendum esset. Ad ostendendam ergo inanitatem hujus, atque similium reflexionum, hæc unica retorsio modò sufficiat: omnis opinio, quam multi Auctores graves (pone viginti, vel triginta, vel plures) absolutè docent ut veram, secundùm omnes Probabilistas procul dubio, & certissimè est probabilis, adeòque recta operandi regula: sed opinio, quam multi Auctores graves, etiam viginti, vel triginta, vel plures, absolutè docent ut veram, potest esse tenuiter probabilis, vel prorsus improbabilis, vel etiam animabus noxia, scandalosa, & pernicioſa in praxi, ut non semel de facto contigit: ergo opinio tenuiter probabilis, vel prorsus improbabilis, &c. secundùm omnes Probabilistas procul dubio, & certissimè probabilis est, adeòque recta operandi regula. En tibi argumentum reflexum, quod Recentiores Probabilistæ demonstrativum passim appellant. Vide precor, quàm rectam, quàmque Catholicam regulam honestatis demonstret.

48, Illam ergo vulgarem propositionem, *quid quid multi graves Auctores docent licitum esse, verè licitum est, vel est certò probabile, licitum esse*, etiam cum restrictionibus, quas Recentiores adhibent, & nuper recensuimus, non esse veram, sed verè miserandam, & quæ infinita mala, & deplorandam morum stragem in Christianum Populum invehat, omnia argumenta nostra cōvincunt. Frustrà ergo recurritur ad reflexiones ruinoso fundamēto subni-

nixas, quæque revera non aliud sint, quàm ædificia quædam speciosa, & magnifica, inania tamen, & apparentia, super mobili arena, vel ipso in aere sumptuosè constructa. Porrò falsum fucari, pingive potest, ut verum appareat: ut verum sit, fieri nunquam potest.

ARTICULUS VII.

Corollaria pro praxi.

49. EX hujus igitur controversiæ doctrina deduces primò, nullum esse Doctorem particularem (excipio modò SS. Ecclesiæ Patres, quos reliquis annumerari non decet, & de quibus quid sit tenendum, alibi à nobis determinandum est) quantumcumque doctum, ac pium, cujus opiniones morales generaliter assumi possint, ut regula sufficiens ad honestè operandum, itaut ipsius opinionem sequendo, hoc solo titulo, & absque alio ullo veritatis examine, honestè quis egisse censeatur.

50. Illatio patet evidenter ex dictis: quia nullus Doctor particularis est, qui aliquando errare non possit; neque enim potest mẽtiri, qui dixit, *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax*: immò, qui aliquando non erret, ut experientia ipsa demonstrat, *Quia non est hominis* (inquit D. Angelicus) *ut nihil à mente ejus excidat*. Contingere ergo potest, & quandoque continget, ut Doctor ille, quantumvis gravis, revera decipiatur, ut homo, & doceat opinionem non solum falsam, sed etiam improbabilem, ac pernicioſam. At hujusmodi opinio secundùm omnes non potest esse regula honestatis: ergo nullus est Doctor particularis, quantumcumque doctus, ac pius, cujus omnis opinio absque ulteriori veritatis examine assumi generaliter possit, ut regula sufficiens ad operandum.

Ad Roma. 3.

D. Tho. in Ethi. 7. c. 1.

51. Hinc secundò deduces, nec tutò, nec prudenter procedere, neque satis curare propriæ, aut alienæ salutis negotium, Confessarium, qui ex brevi quadam Summa casuum conscientiæ, quam unicè revolvit, & familiarem habet, omnia sibi occurrentia dubia resolvit, si quidem resolutio suæ, aut alienæ libertati faveat, à legisque observantia deobliget. Denique iste laxiorem adhuc, & minùs tolerandam regulam sequitur, quàm sit regula Recentiorum à nobis proximè reprobata. Immò laxiorem adhuc eo articulo, *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse à Sede Apostolica, tanquam improbabilem*, qui est 27. ab Alexandro VII. damnatus: nam Summa illa, nisi sit moderniſſima, aliquam forte, aut plures continebit propositiones, non solùm improbabiles, ac damnabiles, sed etiam expressè damnatas.

52. Sed en Parochus iste, seu Confessarius, opponit nobis, quod milliès audivimus. Quamvis opinio aliqua meæ Summæ appareat mihi falsa, aut improbabilis, potero tamen ego ita mecum discurrere prudentiſſimè: Auctor hic procul dubio fuit multò me sapientior, ac prudentior: dubium hoc ex professo resolvit: utriusque partis momenta seriò, ut credendum est, maturèque libravit: ratiunculas, quæ mihi contra opinionem ejus occurrunt, ipse, ut credere debeo, vidit, atque despexit: quorsum ergo tantillum judicium meum ipsius judicio præponam cõtra præceptum Dei admonentis, *Ne innitaris prudentiæ tuæ*? Hæc certè nimia foret, ac superba præsumptio. Ergo tutò, ac prudenter, immò multò prudentiùs, meâ despectâ, hujus Auctoris opinionem amplector:

53. Insignis hæc modestia, & larvata docilitas, quæ multos decipit non admodum invitos, nec nimis deceptionem timentes, aliud non est, si larva detrahatur, quàm ille aurium pruritus, quem prædixit Apostolus, *Coacervabunt sibi Magistros*,

2. ad Timoth. 4.

stros, prurientes auribus: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Nempe, qui sic se gerit in conscientia formanda, Auctorem illum colit,& audit, non equidem quia vera,sed quia sibi placentia loquitur, & aurium pruritum scalpit.

54. Quid enim oro te, si vel ipse, vel alius fortè sapientior ipso,duriusculum quid doceat, & tuæ libertati contrarium? Tunc ipsius auctoritas nihili fit,sed facillimè à te contemnitur. Quare non facis tunc discursum illum tantæ humilitatis? Quia minime, inquis, teneor. Quin, licèt possem facere, & ex illo concludere, Auctorem illum vera docere, liberum mihi est facere discursum oppositum,contrariamque opinionem alterius Auctoris, amplecti.

55. Sed non loquimur modò de tua ista nimia libertate, de qua mox latè, Deo favente, & exactè dicturi sumus: id unicè contendimus, & ostendimus ex tua ipsa libera confessione, te neque Auctorem hunc, neque alium aliquando audire, vel quærere, quia vera, sed quia tibi placentia loquitur. Id verò nonne est veritatem planè contemnere, & nullam tibi aliam præfigere operandi regulam, quàm tuam ipsam liberam voluntatem ab omni ratione absolutam, ab omnique veritatis respectu? Quid autem aliud est *coacervare Magistros, prurientes auribus, & auditum avertere à veritate*,quod Apostolus damnat, & prædicit?

56. Ad objectionem igitur respondeo, discursum illum illimitatè, ac generaliter usurpatum fore valde imprudentem, & qui absurdè concluderet, debere nos, aut posse suscipere, & amplecti, quemcumque errorem doceat Auctor alioqui gravis,ne scilicet tantillum judicium nostrum præferamus judicio ipsius contra præceptum Domini jubentis, ne prudentiæ nostræ innitamur. Ut ergo tunc prudenter possum, ac debeo, contemnere dictamen ejus Auctoris, quantumcumque absolutè gravis, ac pii, innitendo prudentiæ meæ, non utique quia meæ (quod unice Dominus reprobat), sed quia aliorum sapientium auctoritate, & solidis munitæ rationibus: ita etiam similiter possum, ac debeo contemnere opinionem cujuslibet, quando non est verè probabilis,juxta præceptum Domini jubentis per Apostolum Joannem, ut non omni spiritui credam, sed ut probem spiritus, si ex Deo sint: & iterum per Apostolum Paulum, ut omnia probem,& quod bonum est, teneam,abstineamque ab omni specie mala. 1. Ioan. 3. 1. ad Thessal. 5.

57. Deduces tertiò, nullum taxari posse determinatum Auctorum numerum, quorum opinionem sequendo universaliter, & ubique,prudenter quis, & rectè operetur, nisi fortè contingat, Doctores omnes modernos, & antiquos in eandem sententiam convenire, quia tunc non jam opinio, sed Theologicum dogma, & moraliter saltem infallibile, reputari meritò debet. Ratio patet ex dictis: nam opinio moralis, ex eo quòd sit plurium, aut plurimorum gravium Doctorum, non habet necessariam conformitatem cum lege Dei, sive cum prima regula moralis honestatis, cùm possit absolutè contingere, ut sit non solum falsa, sed etiam improbabilis, aut erronea, & quæ mereatur ab Ecclesia damnari, tanquam pernicioſa animabus, ut experientiâ notoriâ constat. Opinio verò hujusmodi juxta omnes non est congrua operandi regula. Nullus igitur potest determinari numerus Auctorum, quorum omnis opinio generaliter, & absque alio veritatis examine, sit regula sufficiens operandi.

58. Deduces tandem quartò, neminem posse tutò procedere ad praxim alicujus opinionis, ex eo quòd videat, vel audiat, ipsam doceri à multis, & gravibus Auctoribus, nisi progrediatur ulteriùs ad examen rationum, atque fundamentorum,

rum, quibus Auctores illi moventur ad eam opinionem docendam. Non loquimur de rusticis, & imperitis, qui nequeunt per se ipsos rationum momenta librare; de his enim hominibus dicetur alibi, quomodo se gerere debeant. Itaque universalis Recentiorum assertio nõ solùm falsa est, sed etiam (quod est planè mirabile) omninò vera, quin & evidens est, idque in ipsorum etiam Recentiorum principiis, assertio universalis eorum assertioni contraria.

59. Illatio ex dictis est manifesta, non solùm absolutè, sed etiam in principiis Recentium Probabilistarum. Porrò secundùm ipsos nulla prorsus opinio negans legis obligationem, sufficit ad honestè operandum, nisi fuerit directè certò, & evidenter probabilis; quod, ut principium certum in via Probabilistarum, Terillus passim supponit, & statuit, & firmiùs adhuc nunc à Probabilistis tenetur; neque enim aliter declinari posse arbitrantur fulmen Pontificiæ sententiæ, quod benignã sententiam videbatur saltem afflasse, dum ann. 1679. Innocentius XI. sententiam benignissimam, quæ docebat universaliter licitum usum cujusvis opinionis, tenuiter etiam probabilis, cum aliis 64. publico Decreto confixit. At nulla opinio, ex eo præcisè quòd doceatur à multis, & gravibus Auctoribus, est certò, & evidenter, immò nec verè probabilis; potest nanque contingere, uti non rarò de facto contigit, ut sit, non modò falsa, sed etiam improbabilis, & damnatione digna, ut manifestè constat ex dictis. Igitur nulla opinio, eò præcisè quòd doceatur à multis, & gravibus Auctoribus, est regula sufficiens ad operandum; quæ est assertio contraria (& evidens, etiam ad homines) assertioni communi recentium Probabilistarum.

CONTROVERSIA QUARTA.

Utrum opinio gravium Doctorum stans pro libertate contra legem, saltem quando est probabilis, licèt æque tantùm, aut minus, quàm opinio contraria legem propugnans, sit regula honestatis moralis? Ubi multis præmissis pro recta intelligentia, & resolutione quæstionis, refertur duplex Probabilistarum opinio, quæ latè postmodum impugnanda deseritur.

1. HÆc potissima est totius nostri Operis controversia, in cujus vera resolutione haud minoris momẽti negotium vertitur, quàm animarum ipsa salus æterna: ut meritò proinde non segniter, sed totis prorsus ingenii viribus, totisque mentis nostræ conatibus divinæ gratiæ auxilio munitis, incumbere cuncti debeamus, quovis deposito contentionis affectu, in tantæ veritatis accuratissimam, ac syncerissimam inquisitionem. Ut verò resolutio, quæ ad omnes pertinet, omnibus, si fieri potest, facilis, ac pervia reddatur, operæ pretium sit in ipso hujus disputationis ingressu genuinam terminorum in hac materia magis frequentium significationem exponere, & quædam notabilia præmittere in eundem scopum conducentia, ut proprium tandem, atque legitimum aperiamus quæstionis sensum.

ARTICULUS I.

Pro dicendorum intelligentia aliqua prænotantur, & exponuntur.

2. HAbemus jam ex duplici proxima controversia, non omnem existimationem, vel opinionem nostram, de alicujus actionis honesta-

ſtate: item non quamcumque opinionem unius, vel multorum gravium Auctorum, eſſe regulam honeſtatis moralis, ſive, quod idem eſt, ſufficere ad honeſtè operandum. Modò ulteriùs inquirimus, quid ſit dicendum, quando opinio gravium Auctorum, licèt ſit minus tuta, eſt tamen abſolutè probabilis; non tamen magis, ſed vel æquè, vel minus, quàm opinio oppoſita tutior. Pro cujus controverſiæ faciliori, ac clariori reſolutione ſequentia breviter prænotanda ſunt.

3. Et in primis quid ſit, & quotuplex, regula honeſtatis moralis; in quo conſiſtat ipſius rectitudo, & unde tandem ſit deſumenda; quid ſit honeſtas, vel inhoneſtas actionis humanæ, & moralis; de qua honeſtatis regula procedat controverſia noſtra, & qua ratione regula formalis, ac proxima, de qua tandem tota lis eſt, cum ipſa conſcientia recurrat: hæc, inquam, omnia patent ex prima controverſia. Diviſiones verò conſcientiæ, & alia multa ad illas ſpectantia, quæ neceſſaria modò non ſunt, & expeditum curſum diſputationis alieno tempore præmaturata confunderent, opportuno in loco tractabimus. His ergo prætermiſſis.

4. Notandum primò eſt, probabile, latiſſimè ſumptum, eſſe quidquid, ut verum, ab intellectu probari poteſt, nimirum enuntiari per enuntiationem incertam, ſeu per judicium opinativum: quo ſenſu omnis opinio probabilis dicenda eſt; nanque probabile in hac latitudine in idem recidit cum opinabili. Cæterùm in præſenti probabile, & opinio probabilis, in ſtrictiori ſenſu accipiuntur. Nomine ergo opinionis probabilis ſignificatur judicium intellectus non prorſus certum, ſed verè opinativum, quo enuntiantur, objectum honeſtum eſſe, vel inhoneſtum, ſeu, quod eòdem redit, eſſe, aut non eſſe lege prohibitum, idque non temerè, aut præcipitanter, ſed ex aliquo digno, ſufficientique fundamento. Si fundamentum deſumptum ſit ex objecto ipſo, aut ex propriis ipſius circunſtantiis, tunc judicium vocatur probabile ab intrinſeco: ſi verò unicè ex auctoritate alicujus, aut plurium gravium Auctorum, dicitur ab extrinſeco probabile: ſi denique ex capite utroque, probabile tunc erit ab intrinſeco, ſimul & ab extrinſeco. Utraque autem hæc probabilitas aliis nominibus, & ſatis congruis, appellari conſuevit *authentica*, vel *rationalis*.

5. Notandum ſecundò, conſultò dictum eſſe, *judicium non prorſus certum, ſed verè opinativum*; modò enim non loquimur de probabili in ſenſu præciſivo, ſeu poſitivo tantùm, prout ſcilicet dicit poſitivam, & veram dignitatem approbationis, præſcindendo à judicii incertitudine, vel certitudine (quo ſenſu, quod eſt certum, aut evidens, maximè probabile eſt) ſed probabile accipimus, prout dicit dignitatem prædictam, cum excluſione tamen abſolutæ, & perfectæ certitudinis.

6. Notandum tertiò, denominationem *probabilis*, ſi rigorosè loqui velimus, primariò, & principaliter cadere ſupra objectum, & ex ipſo refundi ſecundariò, & minus principaliter in actum. Certè probabile ſimpliciter dictum nihil eſt aliud, quam, quod probari poteſt, aut debet, ſeu, quod dignum eſt, ut probetur per actualem judicium intellectus, quod eſt ipſa actualis probatio; ſicut amabile, vel viſibile, eſt quod videri, aut amari poteſt per amorem, aut viſionem actualem: quod verò ab intellectu per actualem judicium probatur, aut probari poteſt, non eſt judicium ipſum, ut tale, ſed objectum potiùs ipſius. Ut tale, inquam; nam ſi conſideretur, quatenus eſt objectum alterius judicii reflexi, per quod cognoſcitur probabiliter, tunc de judicio ipſo directo eodem modo loquendum eſt; ac de aliis objectis probabilibus.

7. Objectum ergo ſe habet ut ſu-

ſubjectum, ſupra quod cadit denominatio *probabilis*; judicium verò eſt forma illius denominationis: ſicut in phyſicis paries, exempli gratia, eſt ſubjectum dealbabile, vel dealbatum; albedo autem non eſt alba ſimpliciter, ſed forma dealbans parietem. Denique opinio noſtra, vel judicium probabile appellatur, quatenus reſpicit objectum probabile: unde denominatio eſt in objecto quaſi paſſivè, in actu verò velut activè. Actus ergo, ſi propriè loquendum eſſet, non tam probabilis abſolutè, quàm probativus dici deberet. Uſus tamen jam habet, ut ſine reſtrictione probabilis dicatur, quod certè parum refert, dummodò clarè conſtet, quid per hanc vocem ſignificemus.

8. Notandum quartò, opinionem faventem humanæ libertati, appellari benignam, quia liberat ab onere ſervandi legem; eam verò, quæ legis obligationem tuetur, rigidam appellari, juxta communem loquendi uſum à Probabiliſtis invectum. An jure, vel injuria, non diſputo. Hoc unum certum, veram benignitatem non ex commoditate, vel indulgentia, ſed ex vera, & non apparenti utilitate menſurandam eſſe: nihil autem reverà nobis utilius lege divina, & onere ejus, atteſtante Regio Propheta, *Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti*. Pſal. 118.

9. Rurſus aliis nominibus opinio ſtans pro lege dicitur tutior, quæ favet libertati, minus tuta, vocatur: ubi, etſi voces comparativum ſonent, re tamen ipſa non niſi poſitivum ſignificatum habent; ſola enim opinio, quæ militat pro lege, tuta eſt, quippe quæ ſola liberat ab omni peccandi periculo; opinio verò favens libertati, affert ſecum periculum peccandi materialiter ſaltem, unde ſimpliciter tuta eſſe non poteſt. Exempli gratia: opinio, quæ docet, acceptum propter lucrum ceſſans, omninò reſtituendum eſſe, ſine ullo periculo peccandi accipitur: opinio verò negans in hoc caſu obligationem reſtituendi, exponit operantem periculo violandi ſaltem materialiter legem.

10. Cæterùm Recentiores communiter jam dicunt, hanc diviſionem eſſe de ſubjecto non ſupponente; quia nulla eſt opinio verè probabilis in ſenſu ſuo, quæ minus tuta re ipſa ſit; opinio nanque favens libertati, ſi ſemel ſit probabilis, eſt tutiſſima, non minus, quàm oppoſita legem propugnans (quin etiam magis, ſi Deo placet, ut multi Caramueli ſubſcribentes ex Recentioribus intrepidè ajunt) quippe quæ excludit omne prorſus periculum peccandi imputabiliter, ſeu formaliter: non eſt autem poſſibilis major ſecuritas, quàm quæ nullum periculum ſecum admittit. Ubi nota modeſtiam, & animi moderationem, nempè, quo loco ſententiam noſtram ſententiæ ſuæ contradicentem, hi Theologi benigni reponant, & memor eſto, dum eorum querelas de Auctoribus noſtris audieris.

11. Nunc verò, ſi rogentur, quid de periculo peccandi materialiter, & violandi reipſa legem? Ajunt intrepidiſſimè, verum eſſe, quòd opinio benigna ejuſmodi periculum non arceat, immò valdè frequenter (quin & frequentiùs, ſi ſit minus probabilis) conjungatur reipſa cum violatione materiali legis: ſed violationem iſtam nihil mali eſſe, nihil nobis nocere, neque periculum ejus curandum in terminis ſuæ ſententiæ. Ita ipſi: num ſatis piè, & acutè, judicent alii nobis prudentiores. Id cunctis verè piis, & cautis, compertum eſſe debet, nempe, ut omne periculum violandi materialiter legem, non tranſeat in periculum peccandi, etiam formaliter, immò, ut non ſit formale peccatum, violatio materialis divinæ legis non modò nihili facienda non eſt, ſed potiùs vehementer timenda, atque pro viribus ſemper vitanda. Verum hoc aliàs.

Modò autem ſufficiat breviter adnotaſſe, in quo ſenſu diviſio iſta, quæ

quæ à præcedenti solis vocibus differt, communiter recepta sit. Utraque verò secundùm omnes est purè materialis, quippè quæ neque dividat opinionem probabilem, neque probabile formaliter acceptum, sed ipsius materiam tantùm.

12. Unde facilè colliges, probabile, seu probabilius, immeritò ab aliquibus imperitis confundi cum tutiori, vel minus tuto, cùm prorsus ab illo præscindat. Utique omnis opinio stans pro lege contra libertatem, est eò ipso tutior (ut supponimus cum prudentioribus Probabilistis) utpotè magis distans à peccandi periculo: at non est necessariò probabilior, sed potest esse minus probabilis, aut etiam improbabilis omninò, si nimirùm sit destituta sufficientibus fundamentis, quibus movere possit ad prudentem assensum: quo casu opinio opposita erit magis, aut unicè probabilis, non tamen tutior, sed potiùs minus tuta, utpote minus à peccato remota; cujus rei obvia sunt exempla.

13 Notandum quintò, celebrem esse, & usitatissimam divisionem opinionis probabilis in probabilem solùm speculativè, & speculativè, simul & practicè. Quæ divisio, si dividat opinionem universalius sumptam, & ut abstrahit à materia morali, antiquissima est, & à sæculis ubique recepta, juxta celebrem divisionem scientiæ, in speculativam, & practicam, sive in activam, quæ practica est, & in purè contemplativam, quæ speculativa appellatur. Si verò sermo sit de opinione tantùm morali, & in sensu superiùs insinuato, primus divisionis Inventor videtur fuisse Cajetanus, quem Navarrus deinde secutus est. Sed nihil jam frequentius apud modernos Probabilistas, qui nihil ferè expediunt, nisi sub distinctione *speculativè*, vel *practicè*, & nihil non per illam expediunt.

14. Est autem apud ipsos opinio speculativè probabilis, quæ respicit moralem actionem secundùm se, & abstractam à suis specialibus, vel ab aliqua saltem particulari circunstantia: practicè verò probabilis est, quæ proponit objectum ut subest suis omnibus circunstantiis particularibus; agere nanque non est abstractè, sed sub omnibus circunstantiis. Hinc, cùm sæpe contingat, ut objectum abstractè, & secundùm se licitum, ex adventu alicujus circunstantiæ particularis fiat illicitum, vel è contra, fieri quoque potest, ut opinio, quæ erat speculativè probabilis, practicè improbabilis sit. Atque hæc est inter Recentiores communis divisionis explicatio.

15. Hanc tamen divisionem, & explicationem ipsius, jam pridem P. Vazquez acriter impugnaverat, post Cordubam, quem ipse laudat, & refert; & alii deinde post ipsum. Sanè, quæ Recentiores significare volunt, vera reipsa sunt secundùm intentionem ipsorum: termini tamen, quibus utuntur, valde sunt improprii. Videatur, si libuerit, ipse Vazquez; nos enim hìc consuetos eorum terminos referimus, non impugnamus. Quid verò sit absolutè tenendum juxta principia nostra, constabit ex dicendis. Vazq. to.1. in 1.2.d.62. c.4.& d.65. c.1.

16. Illud autem omninò non omittendum, complures in dies emergere, & quasi terra ipsa parturiente, ebullire opiniones morales singulares, quæ principio quidem non practicè, sed speculativè dumtaxat, probabiles dicuntur, ac reputantur; paulatim verò, patronis accedentibus, practicam etiam solèt probabilitatem nanciscì, & sub communi censu aliarum opinionum, quas tutas vocant, deinceps computantur. Ejusmodi opiniones, cùm ex objecto suo sæpè non differant, non videntur dici probabiles practicè, vel speculativè, in sensu divisionis expositò; sed per purè speculativam, & non practicam probabilitatem, significari tantùm videtur (quantum nobis conjicere fas est) probabilitas quædam

sub

ſubdubia, atque adeò non ſatis firma, neque ſufficiens ad practicè operandum.

ARTICULUS II.

Duo inſuper prænotanda.

17. PRæterea notãdum adhuc eſt, & diſtinctiùs præſupponendum, probabilitatem conſcientiæ (id eſt, propriam opinionum moralium, quæque ſufficiens ſit ad conſcientiam ritè formandam) ſtrictiùs hìc uſurpandam eſſe, quàm ut confundi debeat, aut poſſit cum alia probabilitate, quæ generaliter dari ſolet omnibus opinionibus non prohibitis, ſive moralibus, ſive non moralibus, ratione cujus edi poſſunt in lucem impunè, ac ſine impedimento, quamvis nec ſolidum fundamentum habeant, nec prudentem aſſenſum communiter mereri cenſeantur. Hanc probabilitatem (quæ, ſi placeat, vocari poteſt communis, ſeu tranſcendentalis probabilitas impunitatis, vulgaris, & ſecundùm dici), etiam dum cadit in opiniones morales, eſſe ex formali conceptu ſuo longè diverſam à probabilitate conſcientiæ, ex eo manifeſtè patet, quòd nulla moralis opinio poteſt dici probabilis pro conſcientia formanda, niſi quæ ſolido fundamento nitatur, & prudentem aſſenſum mereri valeat, ut omnes unanimiter fatentur.

Terill. 1. p. de Regu. mo. q. 6. & 26.

18. Nihilominus P. Terillus, ut P. Elizalde argumentis occurreret, latè contra ipſum contendit, nullam omninò eſſe probabilitatem opinionibus dari ſolitam, quæ ſit diverſa à probabilitate conſcientiæ, niſi ut ſummum de materiali, ſeu ratione tantùm materiæ non ſpectantis ad lineam moris: quia nullus, inquit, aliquam opinionem, ſive de linea moris, ſive de alia, cenſet, aut dicit aliquando probabilem, niſi, quam judicat eſſe innixam fundamento magni momenti, ob quod aſſenſum verè prudentem, probabilemque mereatur.

19. Sed enim difficillimam provinciam, immò verò incredibilem, Terillus ſuſcipit, in qua tot fermè contrarios habeat, quot habet libros orbis litterarius. Profectò, qui Cenſorum librorum edendorum, ſeu Reviſorum munere funguntur, doctrinis omnibus, & opinionibus, quæ in libris ſic reviſis continentur, aliquam tribuunt probabilitatem, cùm illas omnes de facto approbent, & ſua ſubſcriptione confirment. Quis verò dicat, illos, aut cenſere, aut teſtificari, nullam omninò eſſe propoſitionem in libris, quos ſic revident, & approbant, quæ prudentem aſſenſum non mereatur? Dicit quidem Terillus: ſed paucos credo inveniat, qui ſibi credant, niſi fuerint ex illis, qui nihil non credendum Terillum poſſe loqui crediderint. Cum ſimilibus autem ſtultum foret velle cõtendere.

20. Rurſus ex terminis, opinabile, probabile aliquomodo eſt; nam quidquid intellectus opinatur, per actualem aſſenſum approbat: ut enim optimè Auguſtinus ajebat, *Quis enim id, quod credit, non probat, aut quomodo eſt illud, quod ſequuntur, ſi non probatur, probabile?* At non omne opinabile, etiam in linea moris, ſufficit ad honeſtè operandum; aliàs ſufficeret quicumque error, quod erroneum foret aſſerere.

Aug. li. de utilit. cred. c. 11.

21. Ulteriùs in quæſtionibus Scholaſticis, ſeu Philoſophicis, ſeu Theologicis, multæ opiniones ſunt, quas Auctores Scholæ unius evidenter exiſtimant demonſtrari contra alterius Scholæ Auctores: & nihilominus opiniones oppoſitas, quas ipſi judicant evidenter falſas, & deſtitutas ſolido fundamento, non renuunt appellare probabiles; quod obvium eſt, ac certius, quàm ut exemplis egeat oſtendi.

22. Præterea quid frequentius apud Auctores, quàm plures opiniones morales appellare probabiles ſpeculativè, practicè verò omninò improbabiles; vel affirmare expreſsè,

sententiam aliquam probabilem esse, contrariam verò in praxi tenendam? Videantur in rem istam Doctor Eximius, Sanchez, Fagundez, Oviedo, & alii plures, locis ad marginem adnotatis.

Sua. to. de Fid. d.21.s. 4.n. 20. & 21. & to.3. in 3.p. d. 6. s.1.& d.21. 1.3.ver. *Ad decretum*,& to.5.de censu.d.7.s.5 n. 12.Sanchez li.1. Sum.c. 2.n. 13. Fagun.to.2.in Deca. li. 7. c. 20. n. 5. Ovie.in 1.2. tr.8.cõtrov. 1.pu.7.§. 3. n. 109. & alii plures.

23. Tandem omnis opinio tenuiter probabilis de linea moris, aliqua gaudet probabilitate, ut ex ipsis terminis constat. At talis probabilitas non sufficit pro formanda rectè conscientia, cùm oppositum sit articulus tertius ab Innocentio XI. damnatus post editum Terilli librum. Certum igitur est, aliquam esse probabilitatem opinionibus tribui solitam, quæ non materialiter tantùm, sed formaliter etiam diversa sit a probabilitate conscientiæ, adeòque conatum Terilli vanum esse, ac inefficacem.

24. Hìc jam conceptus proprius moralis probabilitatis exactè videbatur exponendus. Sed, cur id non præstemus, ut rationem reddamus. Notandum demùm, exactam opinionis probabilis definitionem, aut explicationem, pendere omninò ex resolutione hujus potissimæ controversiæ, ut ex dicendis liquidum fiet. Porrò utriusque sententiæ Auctores opinionem probabilem exponunt juxta sua quique principia, quæ certè valdè inter se diversa, quin & extremè opposita sunt.

Teril. de consc. proba.q.2.n.41.

25. Terillus sic definit opinionem probabilem, *judicium absolutum de aliquo objecto, sed incertum, nixum motivo prudenti, cui homo irreprehensibiliter assensum præbet*; in quam definitionem verbis paulò diversis omnes reipsa Probabilistæ eunt. Illam Terillus ipse fusissimè suadet, & explicat, per centum ferè paginas, videlicet à quinta usque ad secundam supra centesimam, adhibitis tot distinctionibus, conditionibus, notis, regulis, exceptionibus, ac præceptis, iisque valde subtilibus, & ingeniosis, ut ars ista inveniendi opinionem verè probabilem, simillima mihi videatur arti inveniendi medium, quam Dialectici in Summulis tradere solent, & quam Sophistæ *pontem asinorum* per irrisionem appellavere. Et nihilominus (quis nõ miretur), cùm veritas divinarum legum juxta Probabilistas sit inventu impossibilis moraliter, ac per se loquendo, adhuc per judicium probabile; hæc tamen probabilitas Recentiorum facillimo negotio inveniri potest, & debet, ad conscientiam ritè formandam, non per judicium merè probabile, sed omninò certum, & evidens. Mysterium hìc procul dubio latet: sed revelabitur, Deo volente.

26. Istam Terilli definitionem, prout jacet, non gravantur recipere Auctores contrariæ sententiæ: sed quoad voces dumtaxat, nam res significata juxta ipsos prorsus diversa est, ut ex postea dicendis planum fiet. Nempè Terillus, & alii Recentiores per motivum prudens intelligunt rationem assentiendi, etiam communem utrique parti contradictionis, etiam parti minus probabili, & quæ operanti ipsi pro priori ad assensum non solùm appareat indifferens ad veritatem, & falsitatem, verùm etiam inspectis omnibus, magis detrata, & connexa cum falsitate; cum hoc enim cohæret juxta ipsos, quòd motivum istius partis sit motivum magni momenti, habeatque qualitates, seu conditiones omnes, quæ requiruntur, ut sit ingens, & grave, potensque movere ad assensum absolutè prudentem, ac penitus irreprehensibilem.

27. At verò Auctores contrariæ sententiæ constanter negant, tale motivum in eventu proposito movere posse ad aliquem assensum, nedum ad assensum prudentem; & consequenter negant, illud esse probabile relatè ad intellectum, oppositum motivum perpendentem; nam quòd ab intellectu probari per assensum non potest, neutiquam potest esse ipsi probabile, ut, vel ex ipsis terminis constat, & Augustinus nuper do-

ce-

cebat, ut rem de se exploratam, ac notam.

28. Opinio ergo verè probabilis secundùm hos Auctores est illa tantùm, quam intellectus probare potest per assensum directum innitentem motivo, quod, vel sit unicè verosimile, taleque existimetur absque passione, & culpa, vel, si adsit ex opposito motivum alterum, sit, omnibus inspectis, absolutè verosimilius, & quidem manifestè, atque perceptibiliter, ita ut exiguam fundet deceptionis formidinem, & quæ prudenter possit contemni juxta veram doctrinam, quam alibi trademus.

29. Hinc fit, ut ad præsentem controversiam (si congruè, atque legitimè disputare velimus) nulla supponi debeat, aut possit exacta definitio opinionis probabilis. Ratio ex dictis est evidens: quia, nec supponi potest aliqua definitio communis, & ab utrâque sententiâ abstrahens, cùm nulla sit ejusmodi reipsa, sed unicè quoad sonitum vocum: nec aliunde supponi potest alterius ex oppositis sententiis definitio determinata, aliàs illa sententia supponeretur, indeque quæstio fieret impossibilis, vel ridicula saltem, ac nugatoria. Præsens igitur controversia, ut disputari commodè possit, sub alio sensu debet institui, quem omnes admittamus, quique de se præscindat ab utraque sententia, & à particularibus utriusque partis principiis, ut jam expono.

ARTICULUS III.

Exponitur germanus quæstionis sensus.

30. ITaque, ut in præsenti rectè procedat disputatio nostra, & ne difficultatem tanti momenti, quã clarè expediendam suscipimus, vocibus obvolvi contingat, abstrahendum omninò est, non solùm ab utraque sententia, sed etiam ab exacta definitione opinionis probabilis probabilitate conscientiæ, quam juxta sua quisque principia ex propria sententia deducit, ut convincit discursus proximè factus.

31. Ubi obviter observa, quàm ineptè nonnulli in hac materia parum versati, & ne quæstionis quidem sensum callentes, sic arguere soleant: *licet sequi opinionem verè probabilem: sed opinio benigna minus probabilis verè est probabilis, ut ex terminis constat: ergo*: Et dum ipsis negatur Minor, stupent, & scandalizantur, quasi scilicet alter concedere deberet sine ulteriori aliqua probatione propositionem clarè continentem sententiam, quam refellit, & nihil aliud.

32. Sensus ergo legitimus, & expeditus quæstionis est, utrum ille, qui dubitat, an actio aliqua sit mala moraliter, seu prohibita per legem Dei, quia pro utraque parte novit esse rationes, & Doctores graves, ac pios sibi invicem repugnantes: & postquam sufficientem diligentiam adhibuit ad resolvendum dubium, inveniendamque veritatem; tandem inspectis omnibus fundamentis, tàm à ratione, quàm ab auctoritate, & maturè consideratis, judicat esse verosimilius, talem actionem esse prohibitam, eò quòd fundamenta illius partis superent fundamenta partis oppositæ: an, inquam, iste nihilominus possit eam actionem licitè exequi?

33. Et præscindimus nunc à modo, quo conscientiam formare debeat: an suspendendo judicium omne circa objectum ipsum directum, an potiùs judicando directè, ex fundamentis, licèt levioribus, actionem illam licitam esse, juxta duplicem viam statim exponendam, qua incedunt Recentiores Probabilistæ, & de qua mox distinctè, & accuratè sigillatim agendum est? Præscindimus similiter à qualitate fundamentorũ, & à cæteris conditionibus, quæ concurrere debent ex ea parte juxta Auctores sententiæ affirmativæ, ut actio il-

la licita sit; tum quia hoc etiam apparebit inferiùs; tum quia ex illis nō pendet quæstionis absoluta resolutio, quandoquidem sententia negativa, quam nos sumus propugnaturi, absolutè, & in omni eventu negat, actionem illam licitam esse.

34. Hic est legitimus sensus quæstionis, quam sub his terminis instituimus, ut expeditior sit disputatio, & clarior rei difficultas appareat, licèt eadem sit reipsa, & ex eisdem principiis resolvenda, in terminis æqualis probabilitatis utrinque, nempè casu, quo nullus percipiatur excessus inter motiva utriusque partis; in quo casu quid sit tenendum, facillimè constabit ex resolutione quæstionis in priori sensu institutæ, & si quid specialis difficultatis occurrerit, (occurret autem nihil, aut pænè nihil) expendere non omittemus.

35. Sed, ne quisquam turbetur, aut falsam judicet doctrinam traditam sanè verissimam, & ab omnibus admittendam, observandum ulteriùs est, nihil frequentius apud Probabilistas (quin & apud modernos oppositæ sententiæ Auctores), quàm præsentem quæstionem disputare, & argumēta utrinque proponere sub terminis majoris, atque minoris probabilitatis, vel opinionis probabilioris, seu magis, & minus probabilis. Sed parum id refert. Nam facilem potest locutio ista, & multiplicem sensum habere, quin minimè repugnet legitimo sensui quæstionis, prout à nobis est instituta.

36. Primò nanque intelligi potest de probabilitate transcendentali opinionibus dari solita, quam exposuimus artic. præced. Secundò apud Auctores Probabilistas tuentes libertatem opinandi quoad specificationem, ut ajunt (quam latè refellemus sequenti controversia) accipi potest de opinione probabili, sive probabiliori, per ordinem ad approbationem, & assensum possibilem intellectus præstandum parti minus probabili, præscindendo tamen ab eo, quòd assensus sit prudens, aut imprudens, & regula sufficiens, vel insufficiens ad regulandam operationem honestam. Tertiò denique potest locutio illa intelligi de quadam probabilitate absoluta, idest, de opinione probabili, quæ talis sit comparativè ad alios viros doctos, ac pios, illi vel assensuros, vel assentientes, quidquid de ipso operante sit; hæc enim probabilitas (de qua mox latiùs) congruè vocari potest absoluta, quia non dependet ab approbatione istius, vel illius intellectus determinati; ad differentiam probabilitatis, quæ talis est relatè ad operantem ipsum, & quæ potest, & solet relativa vocari.

37. Nos igitur, ut mori morem geramus, vulgaribus his terminis utemur in primo, vel in tertio sensu usurpatis, abstrahendo, ut par est, in ipso quæstionis examine, ab eo quòd æqualis, aut minor probabilitas, sit, vel non sit sufficiens ad conscientiam rectè formandam. Denique nos ubique, ut de voce non contendamus, per opinionem probabiliorem, & minus, vel æquè probabilem nihil aliud intendimus significare, quàm assertionem gravium Doctorum (si quidem aliquos patronos habeat), cujus rationes, & fundamenta, vel majora sunt, vel minora, vel omnibus inspectis, æqualia fundamentis partis oppositæ.

ARTICULUS IV.

Rejecta duplici opinione damnata, proponitur sententia recentium Probabilistarum juxta duplicem viam, per quam incedunt, & ipsius auctoritas summatim insinuatur.

38. IN hac igitur celebri controversia, cujus sensus legitimus, ac realis perspicuè, nisi fallor, manet expositus, duæ fuerunt olim sententiæ in cotraria extrema abeuntes, & à veritatis scopo absurdè pariter aberrantes. Altera scilicet plus justo beni-

nigna (quam benigniſſimam appellabimus) generaliter aſſerebat licitum eſſe amplecti, & ad praxim deducere quālibet opinionem, tenuiter etiam probabilem, dummodò verè probabilis eſſet, juxta recentis utique Probabiliſmi ſensū. Altera verò plùs juſto ſevera (quam rigidiſſimam, aut ſeveriſſimam appellare meritò poſſumus) per oppoſitum rigoris extremum contendebat, nunquam licère ſequi opinionem aliquam minus tutam, quantumcumque probabilem, & conſequenter ad honeſtè operandum poſtulabat judicium de actionis honeſtate, minimè opinativum, ſed abſolutè certum, & evidens.

39. Priorem opinionem tenuerunt aliqui Neoterici Probabiliſtæ, & quidem admodum conſequenter ad principia moderni Probabiliſmi, ut ipſi exiſtimabant, & nos etiam exiſtimamus. Poſteriorem verò docebant nonnulli, vel apertè Janſeniſtæ, vel certè à Janſeniſmo haud nimium abhorrentes. Utraque autem jam in magnum animarum beneficium palam proſcripta eſt, & ſeverè damnata ab Eccleſia Catholica, prior ſcilicet ab Innocentio XI. ann. 1679. die 2. Martii his verbis præconcepta, *Generatim, dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive exrinſeca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, conſiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus*, qui eſt articulus tertius ex 65. tunc damnatis: poſterior verò ab Alexandro VIII. ann. 1690. die 7. Decembris ſub his verbis expreſſa, *Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam*, qui tertius itèm eſt inter alios 31. quos Pontifex iſte confixit.

40. Nihilominus tamen ad veritatem adeo neceſſariam, quam inter hæc extrema conſtitutam eſſe jam novimus, non unica, & inſectilis via, quod ſummoperè optandum eſſet, ſed duabus, iiſque diverſis, immò verò è regione poſitis, & extremè inter ſe contrariis, Catholici Doctores contendunt. Alii nimirum docent, licitum adhuc eſſe ſequi opinionem quamlibet minus tutam, verè tamen probabilem (in ſenſu jam expoſito, & exponendo), etiamſi poſt adhibitam diligentiam appareat operanti, inſpectis omnibus fundamentis, æquè tantùm probabilis, aut etiam minus, quàm opinio tutior oppoſita. Alii autem illicitum ſemper id eſſe, adeòque opinionem tutiorem in eventu propoſito ſemper eſſe tenendam, non minus conſtanter affirmant.

41. Primam ſententiam communiter propugnant Theologi moderni hujus ſæculi, qui ab ipia probabilitate communi, etiam falſis opinionibus, cui tantopere plaudunt, ac deferunt, Probabiliſtæ meritò nuncupantur. Non tamen omnes unicâ incedunt viâ in propugnanda ſua ſententia, ſed in duas valdè diverſas longiſſimè inter ſe diſcedunt. Nempè, quidam ipſorum docent nunquam licère amplecti aliquam opinionem, in intellectu ipſius operantis ſubjectivè, & formaliter non exiſtentem, ſive quam ipſe operans veram non reputet per actualem aſſenſum: attamen cenſent poſſe intellectum judicare abſolutè veram partem, etiam minus probabilem, & quæ pro priori ad aſſenſum appareat ipſi innixa fundamentis levioribus. Unde fit tādem ſecundùm hos Auctores, ut uſus opinionis minus tutæ, antecedenterque minus probabilis, licitus abſolutè ſit; nunquam tamen quis licitè operetur ex opinione aliqua minus tuta, quæ ſibi minus probabilis ſit tunc, cum actualiter operatur, quia nemo opinionem, cui aſſentitur, putare poteſt minus probabilem in ſenſu compoſito aſſenſus.

42. Cæteri verò Probabiliſtæ, cùm nequeant, vel inviti non videre, ſententiam ſuam hoc modo propugnatam reddi nimis incertam, multùmque viribus infirmari, quippe quæ valdè debili fundamento innitatur, illo videlicet principio Philo-

ſo-

sophico de indifferentia intellectus nostri ad opinandum partem minus probabilem, quod antiquiores omnes, & Philosophi, & Theologi, immò & graviores quique, etiam ex Recentioribus, vel negant, vel in dubium vertunt: cùm hæc, inquam, non possint non videre, ne in has angustias redigi compellantur, ajunt, non esse opus ad usum opinionis minus probabilis, & minus tutæ, ut subjectivè existat in intellectu ipsius operantis, sed sat esse volunt, si objectivè tantùm existat.

43. Hoc est, ut possim licitè exequi actionem aliquam, sufficit, inquiunt, mihi, si videam, viros aliquos pios, ac doctos opinari absolutè, licèt ex fundamentis mihi leviоribus, eam actionem licitam esse, quamvis ego directè opinionem ipsorum non probem, aut existimem veram, sed vel contrarium judicem, vel saltem omne judicium suspendam circa objectum ipsum directū, seu directè consideratum: nam eò ipso prudenter possum assurgere ad judicium reflexum, & practicum conscientiæ dictamen, quò firmissimè credam, objectum illud honestum esse, nullumque in ejus prosecutione contingere posse peccatum, ita videlicet formando conscientiam: *Qui operatur ex opinione, & dictamine verè prudenti, prudenter, & honestè operatur: sed ego, dum amplector objectum istud, operor ex dictamine verè prudenti, ex opinione scilicèt gravium, ac prudentum virorum: ergo prudentèr operor, & honestè.*

Hæc est altera via, qua gradiuntur Probabilistæ Recentiores, qui Reflexistæ solent appellari, eò quòd reflexionibus nimis confidant, & ad illas passim appellent, nec aliter in suis principiis, quàm per similia principia reflexa, & judicia eisdem innixa, rectam conscientiam formari posse, ultrò fateantur, ac profiteantur.

44. Jam verò auctoritatem hujus sententiæ sub terminis communibus, & abstrahendo nunc à diversis ipsius explicationibus, seu modis, quibus propugnatur, ut summatim hic indicemus, Terillus de conscien. proba. q. 22. per totam eruditissimè, ac prolixissimè ejus patronos referens, & accumulans, ultra centum, & quinquaginta catalogum eorum contexit, quos ut indubitatos adducit; nominatim verò inter ipsos meritis laudibus commendatum S. Franciscum Salesium. Addit autem ibidem (sed ad majorem solùm, ut videtur, ostentationem, & auctoritatis strepitum) antiquos omnes, aut ferè omnes, ab anno 1300. usque ad 1500. quorum verba latè producit, & quoad rem ipsam saltem sibi favere dicit.

45. Hinc, cùm filum deficeret, diversis conjecturis, & exemplis (quæ tamen ipse certissima appellat) sententiam suam ad Ecclesiæ initium, immò & ad mundi ipsius originem continuatâ serie perducit. Neque mirum id cuiquam videri debet, cùm non defuerit nobilis Probabilista, qui Cœlo quoque illam inferere non dubitaverit, seriò, & operosè contendens, ipsos Beatos Angelos ex opinione solùm probabili, etiam æquè, vel minus, quàm oppositâ, aliquando fuisse operatos. Rem verò risu dignam, si ejusmodi res foret, quæ risum ferret! Caramuel in suo Apologemate.

46. Præterea idem Terillus aliqua testimonia ex sacra pagina pro sententia sua producit, quibus deinde q. 26. & rursus 1. p. de Regu. mo. q. 8. plurima adjungit ex Jure Canonico, quæ ex multiplici praxi, & factis ipsis Summorum Pontificum insuper roborare contendit. Quæst. verò 27. nonnullos SS. Ecclesiæ Patres, ideſt, Augustinum, Hieronymum, & Bernardum, sibi quoque favere affirmat. Est autem cæteris mirabilius, quod D. Angelicum clarissimè, ut videbimus, si quando aliàs, in hac controversia locutum, non solùm audeat utcumque exponere, sed & pro se referre non dubitet.

tet. Denique docti quidam Recentiores V. P. Ludovicum à Ponte, Probabiliſtarum ſententiam in propriis terminis tradidiſſe gloriantur, in manuſcriptis ad 1. 2. quæ in Bibliotheca Vallis-Oletana noſtri Ambroſiani Collegii aſſervantur.

47. Hoc eſt in ſumma auctoritatis pondus, quod pro ſententia ſua producunt, & confidenter nimis paſſim deprædicant verbis quàm magnificentiſſimis Probabiliſtæ moderniores. Quantum verò reipſa ſit, videbit Lector haud ſine admiratione, ubi in ſecunda parte fideli trutina ponderabitur; ibi enim, & hujus, & contrariæ ſententiæ auctoritas latè, & exactè per ſua capita à nobis, ut promiſimus, examinanda eſt, & juxta veritatis, atque juſtitiæ leges jus ſuum unicuique tribuendum, nullo relicto Probabilitatis juſtæ appellationis effugio. Interim verò præmonere ſufficiat (quod ſuo loco facilè oſtendemus), nullibi falſitates, vulgaritateſque palpabiliores, ac minus excuſabiles admiſceri, quàm circa auctoritatem Probabiliſmi ex numero ſuorum patronorum; cùm tamen nullum majus (aliud dicere potui) præſidium habeat, nec quidquam aliud frequentiùs, ac glorioſiùs à ſuis ſectatoribus decantetur.

ARTICULUS V.

Deſeritur affirmativa Probabiliſtarum ſententia, & inſinuatur leviter, tum auctoritas, cùm potiſſimum fundamentum negativæ, & veræ ſententiæ.

48. SEntentia negans univerſaliter licitum uſum cujuſvis opinionis minus, aut æquè tantùm probabilis in ſenſu quæſtionis expoſito, nõ ſolum nobis vera videtur, & omnimodis amplectenda, ſed nunquàm ſatis mirari poſſumus (teſtor æternam Dei veritatem), ac magis in dies miramur, oppoſitam ſentẽtiam affirmativam tot, tamque inſignibus, ac piis Doctoribus, unquàm perſuaderi potuiſſe.

49. Porrò ſententia noſtra multis in primis admodum opportunis, & non obſcuris, aut generalibus, ex Scripturis Sacris teſtimoniis efficacisſimè comprobatur. Deinde ex ſacro Jure Canonico (tum etiam ex Civili) multa producuntur Decreta, quibus non ſolùm eam fulciri, ſed & decidi expreſsè videatur. Præterea plurimis Summorum Pontificum inſinuationibus, & approbationibus, iiſque nimiùm expreſsis, ac manifeſtis (quas in medium producere promptum ſit, & opportuno loco producentur): multarum Synodorum Provincialium Decretis, Illuſtriſsimorum Prælatorum Edictis, & encyclicis epiſtolis crebrò datis ad Parochos ſuarum Diœceſium, ſacrarum item Religionum ſanctionibus Apoſtolicæ Sedis auctoritate confirmatis, nobilium inſuper Univerſitatum publicis, & authenticis ſtatutis, aliiſque pluribus auctoritatis momentis, validisſimè communitur. Accedit his SS. Doctorum, & Eccleſiæ Patrum auctoritas, pluribus nobis teſtimoniis non dubiis, ſed illuſtribus conſignata.

50. Tãdem ex Scholaſticis Doctoribus omnes ad unum, quà tacitè, quà expreſsè ad annum 1578. in quo Bartholomæus à Medina primus cõtrariam docuiſſe videtur, (ſi tamen docuit in ſenſu Recentiorum) noſtræ ſententiæ ſuffragati ſunt; nullus nanque invenitur, qui ante id tempus ſententiam Probabiliſtarum, vel docuerit, vel inſinuaverit (non hìc moror Auctorem parvi cujuſdam libri idiomatis vulgaris, qui eodem ferè tempore Medinæ ſententiam tradiderat), idque fatentur palàm graviores quique Probabiliſtæ, & facto ipſo notorium eſt. Ne quis verò fallatur Terilli verbis, noverit, ipſum, dum affirmavit, antiquos omnes ſibi favere, non loqui in ſenſu noſtræ quæſtionis, ſed in alio longe diverſo, nimirum abſolutè propugnante licitum

tum usum opinionis probabilis, pro quo nos etiam omnes referre posset, atque deberet. Artem verò, qua fortè ita confusè locutus est, alibi jam detexímus, & detegemus iterùm suo loco, ut omnis deceptionis in re notissima occasio præcidatur.

51. Qui verò sententiam benignam à Medina primò traditam, & ab aliis post ipsum Recentioribus in sensu fortè alieno avidissimè arreptam, & propugnatam, non solùm expressè negaverint, sed acriter insectati sint, doctissimis editis libris, quibus plerumque eam ex professo refellunt, ultra centum jam numerantur ex totius Europæ florentissimis Accademiis celebres Magistri, ac Doctores, in quibus sunt quamplures Antistites piissimi, atque sapientissimi, præter quàmplures alios S. R. E. Eminentissimos Cardinales; è quibus omnes prorsus modò superstites nostræ sententiæ ex corde suffragari, & à moderno Probabilismo nimis alienos esse, testatur eruditissimus Cardinalis de Aguirre in sua nova Conciliorum Synopsi (typis vulgata Romæ an. 1695. in ipsa facie Curiæ Romanæ) nu. 24. Quibus denique omnibus plures, & plures alii in dies certatim accedunt: pæne quot quot syncerè, seriòque quæstionem evolvunt, neque rem tanti ponderis, à qua salus pendet æterna, levibus, ac superficialibus, imperiti vulgi rumoribus temerè committere audent.

Horum omnium, quæ facto notoria sunt, ne fidem gratis postulare videamur, fusè opportuno suo tempore, & loco, certâ veritatem ostendimus. Interim verò auctoritatem maximam, qua sententia nostra munitur, & cui contrariæ sententiæ auctoritas, ne comparari quidem meritò potest, summatim hìc perstrinxisse sufficiat, ut multi nimiùm vulgariter decepti, & alios multos facilè decipientes, cautiores in credendo deinceps fiant.

52. Argumenta verò à ratione, quibus sententia nostra communiter suadetur, plurima sunt, atque validissima, immò eorum non pauca manifestè demonstrativa, ut suis locis monstrandum est. Illud autem potissimum inter omnia, quæ ex fundamentis præjactis ad primam nostri Operis controversiam, statim intuenti se offert, & jam ibidem est adumbratum. Nimirùm, nemo licitè, & honestè operatur, nisi qui diligenter, seriò, & ex corde intendit conformare operationem suam cum regula prima honestatis, idest, cum voluntate, seu lege Dei: at quisquis operatur ex opinione aliqua minus tuta, & simul minus sibi, vel æquè dumtaxat probabili, non intendit seriò, & ex corde operationem suam conformare cum regula prima honestatis: ergo nec licitè, nec honestè operatur.

53. Hoc argumẽtum negotium planè conficit, quippè quod veritatem sententiæ nostræ evidenter demonstrat, ut videbimus. Cæterùm, ut patenter ob oculos id constituamus, nullusque maneat tergiversandi locus, oportet ante omnia geminum fundamentum, cui innititur sententia contraria, & à quo penitus dependens est, juxta duas vias diversas, in quas Probabilistæ divisi sunt, radicitus prius convellere; id enim si efficaciter præstiterimus, statim vis propositæ demonstrationis expedita, & clarissima apparebit, nullusque nobis contradicere poterit.

54. Prior igitur via, seu modus propugnandi sententiam illam, totaliter dependet, ut vidimus, ab illo philosophico principio de indifferentia proxima intellectus ad opinandum partem contradictionis in actu primo sibi æquè tantùm, aut etiam minus probabilem, ex libero voluntatis imperio. Posterior verò ab altero, quod ut principium etiam, idque firmissimum, Probabilistæ proferunt post Terillum ipsius inventorem, videlicet, quod lex, contra quam datur opinio aliqua verè pro-

probabilis in sensu ipsorum Probabilistarum (nimirum etiam æquè, vel minus, quàm opposita affirmans legis obligationem) satis promulgata non sit, adeòque nullam habeat vim obligandi. Utrunque verò nos suo ordine disputabimus, & postquàm conclusiones oppositas, ut certas, & communes, solidissimè statuerimus, argumentum propositum, ut penitùs convincens, sine obice ullo urgebimus, & instaurabimus.

55. Sed, antequàm progrediamur ulteriùs, placet animadvertere, Recentiores Probabilistas sententiam quidem suam sub jucundo, ac placido nomine *sententiæ benignæ*, nostram sententiam sub ingrato vocabulo *sententiæ rigidæ*, passim circumferre. Porrò viri sapientes, ac cordati nomina non magnopere curabunt, quippe qui probè sciant, sæpè non rei naturam, & veritatem ipsam, sed sensum, & affectum imponentis exprimere. Cæterùm, quia vulgares, & imperitos homines jucunda nomina valdè delectant, & in rerum quandoque fugiendarum amorem noxium imprudentes alliciunt, animadvertant volumus, totum nostrum dissidium cum Recentioribus de re alia non esse, quàm de natura benignitatis, quam suæ ipsi sententiæ arrogant, nobis scilicet contendentibus, benignam illam esse, sed verò non spiritui, sed sensui; illis autem contrà tuentibus, esse verè benignam, & spiritui quoque percommodam.

Cum hac ergo animadversione sententiam Probabilistarum benignã quandoque appellare nos quoque in posterùm non renuemus, frequentiùs tamen proprio, ac genuino suo vocabulo *Probabilismi*, seu *sententiæ modernæ*: nostram verò (quandoquidem pari, aut potiori jure, nobis licebit) moderatam, antiquam, ac veram appellabimus; neque enim aliam ipsi quærimus, vel optamus, quam veritatis benignitatem, quæ vera est, & magna benignitas iis, qui diligunt Deum, & sanctam ejus legem, attestante Regio Propheta, *Universæ viæ Domini misericordia, & veritas requirentibus testamentum ejus, & testimonia ejus*. Psal. 22.

CONTROVERSIA QUINTA.

An, & quatenus Opinari sit nobis liberum, aut necessarium.

1. PRincipium, cui innituntur Probabilistæ, quos directos vocare possumus, illi videlicèt, qui priorem viam, seu modum propugnandi specialiter sententiam benignam sequuntur, est, ut præmisimus, libertas nostra, sive indifferentia intellectus ad opinandum quamlibet contradictionis partem, quotiès adsunt utrinque fundamenta, aut motiva, quorum quælibet seorsim ab aliis absolutè sufficerent ad opinandum. Principium istud in hac controversia solidè, & efficaciter confutandum à nobis est. Verum, ut in examine quæstionis hujus, quæ post natum modernum Probabilismum gravis, ac celebris effecta est, clariùs, atque distinctiùs procedamus, propriam opinionis naturam exponere priùs oportet.

ARTICULUS I.

Quid sit Opinio, & quatenus formidinem adjunctam habeat?

MUltâ subtiliter circa opinionem, & proprietates ejus, disputant Scholastici, quæ si placeat, videri poterũt apud nostros Conimbricenses. Sed quia partim spectant ad institutionem Dialecticam, partim ad modum loquendi tantùm, ut observant iidem Conimbricẽses, nos Conimbricen. in 1. Poster. c. 26.

ex illis, quæ magis sunt probata, frequentiùsque recepta apud Philosophos, & Theologos morales, ea tantummodò seligemus, quæ ad institutum nostrum deserviant.

§. I.

Definitio Opinionis ex Philosopho.

2. IGitur Aristoteles 1. Poster. c. 26. ut utriusque ostendat naturam, scientiam cōparat ad opinionem; de qua cùm premisisset, *opinionem esse circa id, quod verum quidem est, aut falsum, aliter autem se se habere potest*, subjungit immediatè, *Hæc autem est vacantis medio, & non necessariæ propositionis existimatio*: idest intellectus, assensus, judiciumve immediatum circa objectum contingens, sive quod possit aliter se habere. Per quam definitionem Philosophus non exponit, ut patet, opinionem in tota latitudine sua, cùm plurimæ inveniantur, quæ non sunt immediata judicia, sed potiùs per discursum, sive per medium aliquod ab intellectu comparantur.

Philos. 1. Postr. c. 26.

3. Immò, quia ejusmodi opiniones mediatè, sicuti frequentiores, ita & notiores omnibus sunt, ad illas specialiter nō attendit Philosophus, ut Conimbricenses notarunt; sed eas tantùm sigillatim expressit, quæ non sunt adeo vulgares, ac notæ, quales sunt opiniones immediatæ; neque enim ita obvium, aut scitu facile est, intellectum ex terminis, & immediatè alicui veritati posse assentiri per assensum non evidentem, sed purè opinativum, atque probabilem. Re vera tamen sæpè ita contingit; nam hæ propositiones, *mater diligit filium*, *æger desiderat sanitatem*, & aliæ similes, ex propriis terminis, & secluso quocumque medio, probabiles absolutè sunt, proindeque intellectus optimè potest illis immediatè assentiri per assensum opinativum.

Sed verò quamvis Aristoteles opinionem mediatam speciatim non explicuerit, ex doctrina ipsa, quam tradit, facilè ipsius natura dignoscitur. Immò, secluso addito *vacantis medio*, tota explicatio tradita ex æquo convenit opinioni mediatæ, nimirùm esse existimationem, judiciumve intellectus, circa objectum contingens, ac defectibile.

4. Hinc ad mentem Philosophi opinionem, ut sic, rectè definit P. Terillus *judicium absolutum de re proposita nixum motivo fallibili*. Dicitur *absolutum judicium*, id est, continens absolutam, atque determinatam (etsi imperfectam) intellectus sententiam, ratione cujus opinio differt non solùm à simplicibus apprehensionibus, verùm etiam à dubio, & suspicione. Porrò dubium contingit, cùm intellectus suspensus hæret, & nihil absolutè enuntiat de aliqua parte contradictionis, sive quia nullum habet fundamentum pro una potiùs, quàm pro alia, ex. g. siderum imparitate, potiùs quàm paritate; & hoc vocatur dubium negativum: vel quia motiva sunt utrinque æqualia, ex quorum mutuâ collisione, ac conflictu intellectus confunditur, ut non audeat (immò verò nec possit, de quo statim) in alterutram partem per absolutam sententiam ferri, ideoque omnem suspendit assensum; & hoc dicitur dubium positivum, quod propriè, & unicè dubium est; ut docet S. Thomas infra adducendus, quid quid contrà dicat Terillus; nam dubium negativum mera potiùs nescientia, vel ignorantia dici meretur. Profectò nemo, qui propriè loquatur, si rogetur, an sidera sint paria? vel an Turca nunc ambulet, an sedeat? respondebit, se dubitare, sed potiùs, se ignorare, vel nescire. Verùm de hoc inferiùs sermo redibit.

Teri'. 1. p. de Regu. mo. q. 34. assert. 1.

S. Tho q. 14. de verit. artic. 1. corp.

5. Deinde opinio differt à suspicione; hæc enim, vel non est absolutum judicium de altera parte contradictionis, sed dispositio quædam, & actus imperfectus intellectus quodammodo inclinantis ex levi aliqua conjectura, aut indicio, in unam partem determinatam, non

ta-

tamen absolutè assentientis : vel si fortè est assensus determinatus, adeò est tenuis, ac debilis, ut intellectus ratione illius, non nisi valdè imperfectè, ac mobiliter, adeòque vix adhæreat objecto. Nihilominus tamen suspicio in hac sententia (quam tuentur nonnulli) cùm propriè, & in rigore non mera apprehensio, sed absolutum potiùs judicium sit, erit species quædam opinionis valdè imperfectæ, proindeque sub data definitione illimitatè accepta comprehendetur.

6. Præterea per Ly *nixum motivo fallibili*, explicatur conceptus specialis, & proprius opinionis, ratione cujus differt ab scientia, nec non à fide supernaturali, quæ utraque est assensus simpliciter firmus, ac certus, utpote innixus motivo infallibili, prior scilicèt principiis evidentibus, posterior verò testimonio divino. E contrà verò opinio ob rationem contrariam est assensus incertus, atque formidolosus. Unde Aristoteles post relata verba sic subdit: *Atque hoc consentaneum est etiam iis, quæ apparent : tam enim opinatio, quàm talis natura, incertum est sanè*: ideſt, tam actus, quàm objectum ipsius, sunt quid incertum, atque fallibile. Aristo. ubi super.

7. Sed dices : intellectus non solùm opinatur circa objectum contingens, ac defectibile, sed etiam circa objectum omninò necessarium : sæpè nanque concludimus post longam, & ancipitem disputationem per discursum non evidentem, sed purè opinativum, ac probabilem, passionem aliquam metaphysicam, seu prædicatum aliquod rei intrinsecum, ut mille exemplis posset ostendi. Ergo conceptus proprius opinionis, ut talis, non est respicere objectum fallibile, adeòque doctrina Philosophi, & nostra paritèr definitio fallit.

Respondeo tamen, objectum necessarium, quandocumque cognoscitur actu non evidenti, sed opinativo, ac probabili, non cognosci immediatè in se ipso, neque per medium necessarium, seu necessariæ connexionis; sed per medium quod non habet infallibilem cõnexionem cum ipso objecto necessario, adeòque semper opinio illa nititur objecto fallibili. Idcircò in nostra definitione consultò diximus, actum opinativum semper inniti motivo fallibili, non verò, quod objectum per opinionem enunciatum debeat esse ubique fallibile, propter argumentum propositum. Atque in hoc sensu accipienda est, & nostra definitio, & tradita doctrina Philosophi.

§. II.

Vulgaris definitio opinionis & quæ sit propria ipsius formido?

8. AB hac nostra definitione parùm, aut nihil abit vulgaris definitio opinionis, videlicet, *assensus intellectus, seu judicium determinatum de altera parte contradictionis cum formidine partis oppositæ*: quæ definitio sumitur ex D. Thoma ajente, *De ratione opinionis est, quod accipiatur unum cum formidine alterius oppositi: unde non habet firmam inhæsionem.* Hujusmodi verò formido, sive firmitatis defectus, ex eo provenit, tanquam ex radice, quòd opinio nitatur motivo non omninò infallibili, sed fallibili potiùs, & quod simplicitèr deficere possit. Unde propterea definitio prior, congruentior apparet, ac præferenda, quòd penetret intimiùs opinionis naturam, quippe quæ propriam ejus formidinem, & incertitudinem explicet per originem propriam, & radicem ipsius. D. Tho. 1. 2. q. 57. a. 3. corp.

9. Est autem opinionis formido duplex : altera nempè exercita, essentialis, vel radicalis, quæ in ipsa intrinseca imperfectione judicii opinativi consistit, hoc est, in negatione firmitatis, ac certitudinis ipsi opinioni intrinsecè repugnantis: altera

verò actualis, formalis, ac signata, quæ consistit in actu, quo intellectus formidat, & actualiter timet, ne fortè aberret à veritate, & in oppositum errorem impingat. Prior formido essentialis est opinioni, ab ipsaque propterea metaphysicè inseparabilis: posterior verò accidentalis est, & actui opinativo superaddita; licèt possit quandoque, juxta plures, ipsi realiter identificari. In eo autem eventu, adhuc non erit de conceptu opinionis formaliter, & logicè loquendo, sed identicè tantùm, & materialiter.

Aristo. Ethi. 7.c.3.

10. Ab hac igitur actuali formidine potest quandoque opinio separari, & multotiès reipsa separatur; nam, ut docet Philosophus, multi sunt, qui opinionibus suis firmiùs, ac tenaciùs adhærent, quàm alii adhæreant veris scientiis; de quibus loquitur etiam Bernardus, *Multi suam opinionem intellectum* (ideſt clarissimam rei notitiam) *putaverunt, & erraverunt*. Id, quod clarissimè apparet in hæreticis, & in aliis hominibus errantibus pertinacissimè: error autem, ut patet, non nisi falsa quædam opinio est; & tamen nullam tunc formidinem admixtam habet.

Bern. li. 5. de considerat. non procul ab init.

11. Cæterùm ea firmitas, & immobilitas, non provenit ab ipso opinativo actu, qui ex intrinseco suo conceptu incertus semper est, & radicaliter formidolosus; sed provenit ex defectu, & vitio voluntatis, quæ ex vehementi aliqua passione, vel inordinata affectione, turbat, atque præcipitat rationis judicium, nec sinit intellectum attendere ad motiva partis oppositæ, sed ipsum potiùs impellit, ut, omni timore contempto, proposito objecto assentiatur adeò tenaciter, ac immobilitèr, ut omnem impediat formidinem, quæ ex tali assensu resultare deberet, consideratâ objecti naturâ. De ejusmodi opinionibus intelligendus est idem Bernardus, dum ait, *Opinio si habet assertionem* (ideſt, assensum sine formidine) *temeraria est*.

Bernard. ibidem.

12. Itidem Augustinus, dum docet, *Opinari nunquam esse sine vitio*; quibus verbis Sinichius, & alii Turioristæ parùm excusabiliter decepti sunt, ut Augustino affingerent doctrinam nimis evidenter absurdam, quasi nimirùm ipse generaliter omnem opinionem damnaret, & à prudentiæ finibus removeret; quod absolutè falsum, & absurdum, & contra eundem Augustinum est, qui tum alibi sæpè, tum illo eodem loco paulò inferiùs conceptis verbis docet oppositum. Porrò Augustinum memorata verba generalia, ac indefinita in sensu, quem notavimus, protulisse, apparet evidentèr ex contextu sermonis, quo ad capitis initium præmiserat, de quibus opinionibus loqueretur: *Tria sunt* (inquit) *alia hominum genera profecto improbanda, ac detestanda. Primum est opinativum, ideſt* (attende) *eorum, qui se arbitrantur scire, quod nesciunt.*

Aug. de utilit. cred. c.11.

13. Hìc verò observandum est, assensum propriè, ac simpliciter talem non solùm importare affirmationem, sed etiam firmitatem omnem formidinẽ excludentem; assensus nanque, sive sententia, est enuntiatio objecti penitùs certa, ac firma, quæque non ex incertis, aut probabilibus conjecturis, sed ex motivo potiùs oriatur penitùs certo, vel evidenti, ut S. Thomas docet; qui propterea meritò dixit, quòd non solùm qui dubitat, sed neque, qui opinatur, habet assensum. Et in eodem sensu locutus est Bernardus, dum dixit, *Loquor non ex conjectura, sed ex sententia*. Nihilominus satis communiter opinio solet assensus appellari, quia hic non ita strictè, sed largiùs usurpatur pro quolibet judicio, seu certo, seu formidoloso: qua locutione jam usu recepta nos quoque hactenus usi sumus, & deinceps etiam utemur.

S. Tho. q. 14. de verit. a. 1. corp.

Bernar. epist. 11.

14. Hanc propriam opinionis formidinem exponunt aliqui per particulam *fortè*, ita ut opinio actualis habeat istum tendendi modum,

ma-

mater diligit filium : sed fortè fallor, aut fortè non est ita. Verùm hæc explicatio nimis inepta est ; quia intellectus opinans, enuntiat absolutè, atque determinatè, unam partem contradictionis : qui verò aliquid absolutè enuntiat, non potest simul dicere, *fortè non est hoc, sed oppositum*; perinde nanque foret, ac dicere, *forte est, forte non est*, quod non est affirmare determinatè unum extremum contradictionis, & alterum negare, saltem virtualiter; sed, vel utrunque simul affirmare (quod implicat), vel potiùs dubitare de utroque, & suspendere omnem determinatum utriusque partis assensum.

15. Formido igitur intellectualis formalis, ac signata, est actus, quo intellectus reflectens se supra opinionem suam, & supra motivum ipsius, cognoscit esse utrunque fallibile : atque adeò sic tendit, *Mater diligit filium; sed non repugnat aliter esse, sive non repugnat me falli* : qui actus optimè sibi cohærent; prior enim affirmat actum, posterior verò non negat eundem, sed ejus tantùm necessitatem, seu (quod eòdem redit) solùm affirmat possibilitatem oppositi, saltem motivi naturâ inspectâ : hi verò actus minimè secum pugnant, ut de se manifestum est. Sic exponunt ubique opinionis naturam Aristoteles, & D. Thomas. Sic etiam ferè P. Terillus, ubi supra relatus ; cæterùm sui prorsus oblitus, qui videlicet alibi oppositum docuerat his verbis, *Sanè, qui operatur cum formidine, dicit hoc modo: ego quidem hìc, & nunc operor honestè, sed fortassis tamen fallor, & violo legem Dei*. Sed Terillus hoc loco deceptus est, ut constat ex dictis.

Terill. de consc. proba. q. 13. n. 9.

ARTICULUS II.

Sensus quæstionis examinandæ, quibusdam præsuppositis, exponitur.

16. His positis, certum est apud omnes, opinari, quoad exercitium, liberum nobis esse simpliciter. Et quidem alioqui nunquam opinaremur; nam sola veritas evidenter proposita intellectum necessitat ad assensum : ergo quoties objectum non proponitur evidentèr, intellectus manet indifferens, adeòque à voluntate determinari potest, ac debet.

17. Certum præterea est, quoties rationes, seu motiva assentiendi, superãt notabiliter rationes, aut motiva dissentiendi, vel vice versâ, posse intellectum liberè à voluntate determinari ad assensum opinativum, vel ad dissensum partis præponderantis ; quod nemo opinor sub his terminis neget.

18. Ubi nota, Terillum non justè reprehendere Julium Mercorum, eò quòd dixerit, intellectum assentiri non posse etiam parti probabiliori, dum pars opposita probabilis est, quod, inquit, est evidentèr falsum, & contra omnes omninò Auctores. Sed profectò Terillus deceptus est : nam, quod docet Mercorus, docent reipsa paulò diversis vocibus, Auctores plurimi, atque gravissimi, etiam ex ipsis Probabilistis, ut planum fiet ex quæstionis decursu.

Terill. de consc. proba. q. 7.

19. Porrò Mercorus unicè affirmat, & solidè probat, intellectum non posse uni parti assentiri, nisi fundamenta assentiendi superent notabilitèr, atque perceptibilitèr fundamenta partis oppositæ ; quia, si non datur ex una parte excessus perceptibilis, moraliter loquendo datur æqualitas: ait autem, hunc excessum intelligi non posse, si pars minus probabilis appareat intellectui absolutè probabilis, quia si ab altera parte notabilitèr excederetur, probabilis apparere non posset. At quoties datur moralis æqualitas inter utranque partem contradictionis, intellectus non potest alterutri assentiri, sed necessariò debet dubius hærere: ergo intellectus assentiri non potest parti, etiam probabiliori, dum pars opposita

Merco. in Basi. Theomora. p. 2. a. 7.

sita manet probabilis . Hic est discursus , & doctrina Mercori , quam tenent quoad rem ipsam omnes, aut ferè omnes qui negant , intellectum posse assentiri parti æque, aut minùs probabili . Quod verò addit Mercorus , dum intellectus uni parti assentitur , non posse alteram esse probabilem in sensu compositò illius , est etiam assertum commune apud eosdem omnes Auctores , & verissimum quidem, atque consequentissimum, si rectè intelligatur , & explicetur , ut nos in decursu monstrabimus .

20. Verùm ecce Terillus arguit contra Mercorum , sequi ex sententia sua, omnem intellectus assensum esse absolutè certum , & nulli obnoxium deceptionis periculo , aut saltem deceptionis timori . Sed unde hoc sequitur, vel apparenter? An nequit intellectus formidare de veritate sui judicii , nisi quando motiva partis oppositæ sunt æqualia , vel ferè æqualia , motivis , quibus nititur assensus ? Nemo profectò dixerit . Quare ergo Terillus doctissimi Mercori sententiam adeò solidam , ac communem , novam appellat , & contra omnes ? Hæc pro Mercoro , aut potiùs pro veritate.

21. Præterea convenit inter Auctores, opinari , non modò quoad exercitium , sed etiam quoad speciem assensus, vel dissensus, seu quoad specificationem, ut ajunt, esse aliquo modo nobis liberum (nempè mediatè , ac remotè saltem) , ut plurimum , & per se loquendo .

22. Ubi nota : libertas opinandi quoad exercitium (quam vocant libertatem contradictionis) est libertas ad opinionem , vel ad opinionis carentiam: libertas verò quoad specificationem (quæ dicitur libertas contrarietatis) est libertas ad actus positivos inter se oppositos, & specie diversos, nimirùm ad assensum,& dissensum .

23. Est igitur extra controversiam , quòd non solùm possimus objecto probabiliter proposito pro libitu assentiri , vel suspendere assensum circa ipsum, sed etiam, quod sit liberum nobis eidem assentiri , vel etiam dissentiri , saltem mediatè , & quasi per circuitum ; quia voluntas pro sua libertate potest intellectum divertere , sive retrahere ab attentione motivorum unius partis , verbi gratia, quæ inclinant ad assensum, & illum applicare ad attentiùs considerandum motiva opposita , quæ ad dissensum inclinant , vel ad quærendas novas rationes pro illa parte , quam ipsa voluerit,atque ita tandem poterit intellectum inflectere ad assentiendum , vel dissentiendum.

24. Præsens igitur controversia est , utrum actu propositis pro utraque parte contradictionis motivis , quorum quælibet secundùm se , & seorsim ab aliis , sufficiant ad movendum actum opinativum , detur in intellectu indifferentia,non solùm mediata, ac remota,sed etiam proxima , & immediata , ad opinandum quamlibet contradictionis partem , ideſt , ad assentiendum , vel dissentiendum pro solo libitu voluntatis ; an potiùs sit omninò necessitatus,vel ad non opinandum aliquam partem, ut si motiva sint utrinque æqualia ; vel , si inæqualia sint, ad opinandum solùm eam partem , pro qua motiva urgentiora apparent ? Et non loquimur modò de apparentia comitanti, vel sussequenti , vel ipsam opinionem , vel liberum voluntatis imperium (de qua apparentia dicetur postea) , sed solùm de apparentia antecedenti , quia in hoc sensu dumtaxat ad nostrum institutum quæstio deservit .

25. Apponamus exemplum majoris claritatis gratiâ. Dubium est, an Ecclesia , dum Cap. *Dolentes* de celebrat.Missar. præcipit Officium Divinum recitare *studiosè pariter,ac devotè* , non tantùm obliget ad attentionem, atque devotionē externam , sed etiam ad internam simul.Et postquam dubitans omnia perpendit, in-

ve-

venit fundamenta pro parte affirmativâ esse multò graviora, & urgentiora (ut reipsa communiter existimantur), vel æqualia, & non minus intellectum urgentia, quàm fundamenta partis oppositæ: poterit ne homo iste, rebus sic permanentibus, pro suo libitu judicare absolutè, prædictam Ecclesiasticam legem non obligare ad attentionem internam?

26. Video, Auctores communitèr eventum, in quo utrinque motiva sint æqualia, separare ab eventu, in quo ex altera parte detur excessus, & utrunque seorsim disputare majoris distinctionis, & clatitatis gratiâ, ut existimo. Sed video pariter, separationem istam, non solùm necessariam non esse, verùm etiam talem, quæ saltem inutilis mihi videatur, nec ad aliud deserviat, quàm ad multiplicandas frustrà quæstiones, in quarum posteriori eadem inculcentur, ac repetantur, quæ in priori jam manent dicta.

Porrò in secundo eventu, licèt diverso à primo, eadem est formaliter quæstio, & quæ ex eisdem principiis resolvatur, cum minimâ, vel nullâ differentiâ. Nos igitur utrunque sub unica quæstione comprehendemus sine ulla, ut confidimus, confusione.

Illud dumtaxat iterùm adnotandum, nos hìc probabile, aut probabilius in eodem sensu usurpare, quem distinctè supra exposuimus. Contr. præced. a. 3. Igitur partem æquè probabilem, vel probabiliorem oppositâ, illam nos appellamus, quæ fundamentis nititur, vel æqualibus, vel quæ potiora intellectui sint fundamentis partis contrariæ.

ARTICULUS III.

Duplex sententia opposita, & auctoritas utriusque.

27. Posse quem in prædicto eventu ex libera electione voluntatis opinari utramlibet partem, & consequenter posse assentiri parti, quæ sibi appareat æquè aut minus probabilis, quàm opposita, docent Neoterici Probabilitæ (non tamen omnes, ut statim videbimus) & quidem adeò intrepidè, ac fidenter, ut quasi nullus esset, aut pænè nullus, qui sibi hac in re contradiceret, sententiam suam certam passim appellent, communem, atque receptissimam inter Theologos, & Philosophos. Hinc fit, ut ex antiquis nullum contra se referant: ex recentibus autem unum solùm, aut alterum, veluti novam quamdam opinionem, valdeque singularem obtrudentem, cõtra communem Doctorum calculum, pænè cum despectu commemorent.

28. Has, & similes alias locutiones Probabilistis nimis frequentes, facilè prætermitteremus, nisi propter præsentis materiæ conditionem valde præjudicarent veritati tam necessariæ, & cujus ignorantia adeò Christianis moribus deploranda mala producit. Censeo quidem (nec falli timeo), idque diuturna didici observatione, vix alia ex parte potiùs numerum adeò ingentem sectatorum benignæ sententiæ accessisse, quàm ex glorioſis his grandiloquiis, quibus illius auctoritatem Recentiores ubique extollunt, & quæ vix audita, vel lecta avidissimè à pluribus arripiuntur, sparguntur que in vulgus confidentissimè absque ulteriori ullo veritatis examine. Denique raros admodum invenies, qui propriam libertatem non ament, & qui placentia sibi loquentibus repugnare aliquando velint, aut eorum dicta discutere. Equidem *unusquisque faciliter credit, quod appetit*, ut supra ajebat D. Angelicus, quo nihil veriùs, aut prudentiùs dictum. D. Tho. 2. 2. q. 6. a. 3. corp.

29. Idcircò non contendendi animo (quo impensè Deum glorioſum precor, ne me unquam abduci sinat), sed ex syncero tantùm veritatis amore, quàm unicè invenire, atque docere opto, utque nocentia ista præ-

præjudicia removeam, in hoc uno Doctorum sententiæ meæ modestiam, aut patientiam non æmulabor. Nullam ergo ex magnificis commendationibus auctoritatis sententiæ benignæ, absque severo examine facilè præteribo, sed omnes, quantum potero, accuratè discutiam, & quid veritatis contineant, perspicuè, ac solidè demonstrare curabo. Ut autem in quæstione præsenti observationis nostræ veritatem certo experimento comperias, ecce pro sententia contraria Auctores, tum antiquos, tum recentes, fideliter relatos tibi subijcimus, ad marginem rejectis more nostro exactis citationibus, seu locorum allegationibus, ut Lectoris tædium minuamus.

30. Ergo intellectum nunquam omninò posse proximè, ac immediatè præbere assensum determinatum alicui parti contradictionis, nisi illi tantummodò, quæ in actu primo, & pro priori ad ipsum assensum, & ad imperium liberum voluntatis, apparet ipsi verosimilior, & gravioribus nixa fundamentis, docet in primis (ut statim videbimus) Aristoteles, quem antiqui Philosophi, & celebres ipsius interpretes in hoc sensu secuti sunt, ut Averroes ejusdem Commentator, Simplius, Philoponus, & Themistius. Id ipsum docet satis perspicuè variis in locis Magister Angelicus, cujus mentem inferiùs accurate explorabimus, & pro negativa sententia manifestam esse ostendemus.

Aristot. 3. de Ani. vel (ut alii volunt) 2. tex. 153. Commenta. Simplic. Philopo. & Themist. in eum locum.

D. Tho. locis infra alleg.

31. Consentit haud obscurè Subtilis Doctor, dum ex professo disputans de potestate libera voluntatis ad imperandos actus intellectus, nullam aliam admittit in ordine ad oppositos, ac diversos specie actus, nisi indirectam tantùm, & non immediatam, quatenus liberè voluntas potest avertere intellectum ab uno objecto, & ad aliud diversum applicare: *Respondeo* (inquit), *& dico, quod oportet, actum intellectus esse in potestate voluntatis, ita quod possit intellectum avertere ab uno intelligibili, ad aliud intelligibile convertendo*. Hæc subtilis Scotus, qui sanè diminutè, & ineptè rem definiisset in ordine ad scopum sibi præfixum, si voluntas haberet liberam potestatem ad imprimendum directè, & immediatè actus oppositos intellectus. Sed quia talem potentiam penitus repugnantem existimavit, neque hìc, neque alibi aliquando ullam illius mentionem fecit, sed oppositum tanquam rem exploratam tacitè supposuisse censendus est.

Scot. in 2. par. 2. dist. 42. n. 5.

32. Consentiunt insuper reliqui antiqui Theologi, Henricus de Gandavo, Richard. Holchot, (qui latè id probat, adducto testimonio Philosophi, & Commentatoris ipsius ex loco nuper allegato), Major, Conrad. Adrian. Corduba, & universim reliqui antiquiores id, vel expressè docent, vel ubique supponunt, si excipias Cajetanum, cujus auctoritas, alioqui magna, parvi in quæstione ista facienda est, cùm opinionem teneat longè singularissimam, & absurdam ab omnibus existimatam, posse videlicet voluntatem pro solo suo libitu inflectere intellectum ad opinandum, quidquid voluerit, stellas, verbi gratia, esse pares, aut impares (hoc ipse exemplo utitur), absque ratione ulla, vel fundamento ex parte objecti præstito; quod non modò evidenter falsum, sed incredibile dictu est. Adeò nullus Homerus est, qui non aliquando dormitet. Hanc ipsam Cajetani opinionem P. Turrianus tribuit OKamo. At ego nihil tale, sed oppositum potiùs, apud OKamum invenire potui.

Henr. Quodl. 14. q. 8. Richar. in 2. dist. 38. a. 2 Holch. in 1. q. 1. Mai. in 4. q. 2. Prologi. Conrad. de contract. tr. 7. q. 100. cõclus. 1. Corduin Quæstionar. li. 2. q. 3.

Cajeta. 1. 2. q. 65. in commenta. ad art. 4.

33. Jam verò ex modernioribus eandem sententiam docuerunt V.C. Bellarminus, P. Molina, V. P. Ludovicus à Ponte, P. Dandinus, Candidus Philalethus, seu P. Andreas Blancus, P. Scildere, Homen affirmans, contrariam opinionem rationis lumini repugnare, Faber, Rubeus, Mercorus, Fagnanus, & uno verbo cæteri omnes, qui negãt usum li-

Turria. d. 29. de fi. dub. 1. §. *Occasione*. OKam. in 2. dist. 25. a. 2. Bellarm. li. 3. de gra. & lib. arbi. Moli. to. 5. de just. & ju. tr. 4. d. 15. 16. & 17. P. Puente in m. s. in 1. 2. q. 19. a. 5. & 6. dub. 4. n. 1. Dandin. in tert. de Anima Comentar. 44. Candid. q. 2. Scild. de consc. tr. 2. c. 2. §. 1. 4. Homen. de consc. c. 2. n. 39.

licitum opinionis minùs probabilis contra tutiorem, & probabiliorem, quorum numerum, & auctoritatem expendemus in loco, & summatim supra jam dedimus.

Controv. præced. a. 5. n. 51.

34. Insuper in eandem sententiam adducit Candidus Cardinalem Toletum. Sed Candidi discursus parùm est efficax. Quare, ideò præcipuè Cardinalis doctissimus nobis favere censendus est, quatenus, neque ibi, neque alibi sententiam Recentiorum unquam insinuat; sed potiùs clarè insinuat oppositam, cùm sæpiùs, vel supponat; vel significet, ex conflictu variarum opinionum, aut rationum utrinque militantium, intellectum manere necessariò suspensum, & dubium in utramque partem; quod sanè non contingeret, si vera foret Recentiorum sententia, posset enim pro libitu voluntatis alterutram partem eligere, & dubium absolutè resolvere. Illius igitur falsitatem tacitè supposuisse (immò satis apertè) necessariò putandus est.

Tolet. c. 20. Summ. de sept. pecca. morta.

35. Id, quod de multis aliis ob eandem rationem censeri debet. Maximè verò mihi certum apparet de nostris Conimbricensibus, qui, cùm multis in locis exactè more suo, & eruditè differant de indifferentia nostri intellectus ad judicandum, & opinandum, nusquam ipsi concedunt potentiam proximam, ac directam, ad assentiendum parti æquè, aut minùs probabili; sed totam subjectionem ipsius ad voluntatem ubique exponunt unicè per indifferentiam ad opinandum, vel non opinandum, ideſt, non quoad diversos specie actus, sed unicè quoad exercitium.

36. Præterea, ex his Auctoribus, qui à Recentioribus Probabilistis pro sua sententia benigna referri communiter solent, expressè nobis in præsenti consentiunt P. Vazquez, Lessius, Laiman, Arriaga, Cardinalis Sfortia, uterque Antonius Perez, Bresserus, & Ægidius Coninch, quibus subscribunt Recentiores quamplures ex Societate nostra. Pro eadem sententia affert Recentior quidam Doctorem Montesinos, & Cornejum; qui tamen illam re ipsa non docent, sed oppositam potiùs.

Vazq. to. 1. in 1. 2. d. 62. a. 3. & d. 67. c. 1. Less. 1. 2. q. 17. a. 6. du. uni. Laiman li. 1. tr. 1. c. 5. §. 2. Arria. to. 1. in 1. 2. d. 24. s. 5. du. 2. nu. 29. Pallavic. in 1. 2. d. 8. q. 6. a. 4. à nu. 9. P. Anto. Perez d. 4. de just. & ju. c. 5. Perez Benedict. in Lau. Salmant. certami. 10. du. 2. c. 3. nu. 38. Bresse. de consc. li. 3. c. 2. n. 22. Coninch. d. 34. dema. trim. du. 10. nu. 82.

37. Tandem sententiam nostram tradit apertè Doctor Eximius, ut sit mirabile, P. Esparzam non parùm laborare, ut ipsum liberet ab inconsequentia, dum per expositionem violentam, & alienam, ipsius verba cogere nititur in sensum proprium suæ sententiæ; cùm tamen juxta veram, & nostram clarè loquatur, & consequenter.

Porrò Magnus Suarius conclusionem istam statuit, *Quando intellectus non habet evidentiam de aliquo objecto, potest moveri à voluntate ad speciem actus, ideſt, ad assentiendum, vel dissentiendum. Est etiam D. Thomæ.* Deinde, ut clarum esset, se loqui de motione non directa, neque immediata, sed mediata dumtaxat, ac indirecta, supponit id, quod est per se notum: nimirùm, voluntatem nũquam posse intellectum inclinare, aut movere, ut assentiat objecto, nisi quod ipsi verum appareat. Addit autem, objectum sæpè ità apparere verum, ut intellectum non penitùs convincat, eò quòd simul adsint rationes aliquæ pro opposito extremo: *Et tunc* (inquit) *mihi probabile est, non posse moveri* (à voluntate), *nisi in illud, quod verosimilius, & probabilius apparet, quamvis ipsa voluntatis affectio plurimum conferre possit, ut ipsum objectum probabilius, & verosimilius appareat.* Hæc, & non plura de re ista P. Suarez, qui non solùm apertè sentẽtiam nostram docet, sed lucem etiã præfert ad solvendũ inferiùs argumenta contraria.

Sua. to. 1. in 1. 2. tr. 2. d. 10. s. 1. n. 5. Espar. Append. par. 2. a. 105. & 115.

Ecce tibi utriusque sententiæ auctoritas, quam adeò exactè, ac prolixè distinximus, ut citò discceres vocibus non moveri, maximè in præsenti materia. Ad rationes jam accedamus.

ARTICULUS IV.

Suadetur negativa, & vera sententia auctoritate, & ratione Philosophi.

38. NImirùm, Aristoteles loco suprà allegato, ut ostendat phantasiam, sive imaginationem, non esse idem, ac opinionem, hanc in primis rationem reddit, *licet nanque, cùm libet, fingere quidquid volumus: at opinari in nobis non est; necesse est enim verum, aut falsum dicere.*

Sensus autem, & vis hujus rationis, & argumenti, est, quòd per phantasiam, aut imaginationem nihil reverà dicimus, aut enuntiamus, sed modo quodam simplici, ac materiali diversa objecta apprehendimus, & conjungimus: quare licet, si volumus, imaginari bobem volantem, montem aureum, vel gemmeũ, turrim astris altiorem, nos ipsos mortuos, & his similia. Per opinionem verò aliquid enuntiamus, ac dicimus; quod fieri non potest, nisi juxtà merita objecti, & prout ratio ipsa persuaserit: hoc est, si objectum appareat verum, necesse est, ut verum dicamus, idest, ut assentiamus ei tanquàm vero; si autem falsum appareat: necessum est, ut falsum dicamus, hoc est, ut dissentiamus, & illud tanquam falsum respuamus (ex suppositione videlicet, quòd actu opinari velimus). Igitur, quoties adsunt graviora fundamenta pro parte affirmativa, verbi gratia, ita ut objectum ipsum appareat verum potiùs, quàm falsum, vel æqualia, ut non potiùs falsum, quàm verum, non est liberum nobis assentiri, vel dissentiri (nimirùm proximè, ac immediatè), aliàs liberum esset verum, vel falsum dicere, prout libuerit, quod disertè negat Philosophus.

39. Dices ex P. Esparza, intentionem Philosophi in eo loco solùm esse docere, quod verissimum est, & experientiâ notum, nimirùm opinari haud ita nobis liberum esse, ac imaginari; quia non semper, cùm volumus, habemus sufficientes rationes ad assentiendum, vel dissentiendum. Cæterùm, quando adsunt rationes sufficientes utrinque, quòd nobis non sit liberum assentiri, vel dissentiri, nec Philosophus docuit, nec ex ejus verbis colligitur; sicut ex iis, quæ affirmat li. 2. tex. 60. nempè, *Intelligere quidem est in ipso* (intelligente), *cum voluerit: sentire autem non est in ipso; necesse enim est adesse sensibile*, nemo sanus arguerit, vel nostrum intelligere nulla necessitate restrictum esse, vel nullam nos habere libertatem circa sensationes externas.

Esparz. ibidem.

40. At contrà est primò: quia à interpretatio ista ultrò conficta est ad eludendam argumenti difficultatem contra omnes Philosophos antiquos, & interpretes Aristotelis, quorum nullus eundem sic exposuit. Ideò P. Dandinus, acuratissimus Philosophi interpres, meritò illam præoccupat, & simul impugnat, ac despicit.

Dandi. ubi supra.

41. Contrà secundò: quia, sicut nobis liberum non est opinari quodcumque objectum ex defectu motivi sufficientis, sic nec liberum est quodcumque objectum imaginari, quia sæpè non habemus speciem: ergo ineptè ex hoc capite desumpsisset Philosophus discrimen utriusque facultatis, proprium, & specificum, ut intendebat.

42. At verò juxta nostram, & communem intelligentiam optimè, ac congruenter rem exposuit, videlicet ex proprio, & naturali modo, quo prædictæ potentiæ operantur, ac tendunt in proprium suum objectum præsuppositum: quia scilicet phantasia, cùm nihil propriè affirmet, aut neget, potest objecta, quorum species habeat, prout libuerit sibi, componere, sive vera sint, sive falsa, seu repugnantia, seu cohærentia. Contrà verò Intellectus, dum opinatur, aliquid

quid dicit, hoc est, enuntiat, affirmat, aut negat, quod facere non potest, nisi juxtà merita objecti, & prout persuaserint enuntiandi motiva: ergo, etiam dum adsunt pro utraque parte rationes, non est intellectus indifferens ad opinãdum quodcumque velit, idest, ad assentiendum, vel dissentiendum; sed, si opinandum sit, debet omninò attendere ad rationes propositas utrinque, & conformare judicium suum cum ipsarum rationum exigentiâ. Igitur, dum Philosophus negat in nobis libertatem ad opinandum, negare omninò censendus est potentiam assentiendi, vel dissentiendi, prout nobis libeat, etiã dum adsunt utrinque rationes, ut plerunque adesse contingit.

43. Contrà tertiò: quia, ut rectè argumentatur V.C. Bellarminus, intellectus juxtà Philosophum quandoque necessariò dubitat ob conflictum rationum mutuò se invicem collidentium, ut manifestè constat ex eodem Philosopho docente, syllogismum captiosum, seu sophisticum, necessariò aliquando inducere dubitationem, cùm ab una parte videatur incredibile, quod concluditur, & ab altera nequeat argumentum contemni, donec appareat ejus solutio.

Bellar. ubi supra.

Elench. 7. c. 2.

44. Præterea, tum ibidem, cùm etiam alibi, intellectum, dum dubitat ob concursum rationum hinc inde militantium, ligato comparat Aristoteles, qui nequeat ulteriùs procedere, donec vinculum dissolvatur: vinculum verò dubitationis unicè solvi affirmat utrobique, per veritatis inventionem: *Dubitationis enim solutio* (inquit) *inventio est*, scilicet veritatis: *cum invenitur, quid sit verum circa id, quod dubitatur*, ut exponit D. Angelicus. Atqui, si vera foret Recentiorum sententia, intellectus non posset ita ligari, sed ex libero semper voluntatis imperio posset vinculum impediri, aut dissolvi, per judicium determinatum de utralibet parte quæstionis, nulla ulteriori adhibita veritatis inquisitione. Evidens ergo est, Philosophum docuisse sententiam nostram, & oppositam prorsus reprobasse, tum in his locis, & aliis consimilibus, tum in loco allegato, quem Esparza sinistrè exponit.

Philos. 2. Met. c. 1.

D. Tho. ibi.

45. Contrà denique quartò, & urgeo efficacissimè doctrinam, & rationem Philosophi, quâ nostram conclusionem iterum à priori suadeo. Nulla potentia nostra, adhuc ex libero voluntatis imperio, operari aliquando potest extra objectum suum proprium, & specificativum, ut ajunt; quod est principium omnibus certum, aliòqui posset oculus videre sonum, & auris audire colorem, quo nihil dici posset stultius. Sed objectum formale, ac proprium intellectus in ordine ad assensum, est verum per apprehẽsionem præviam sibi propositum, & absolutè apparens, ut tale, pro priori ad ipsum assensum (& idem est in ordine ad dissensum, de falso): igitur nunquam intellectus potest, adhuc ex libero voluntatis imperio, tendere per assensum in objectum, quod sibi pro priori absolutè hic, & nunc non repræsentetur ut verum. Hæc certa sunt.

46. Modò sic argumentor: Atqui, dum intellectus invenit pro parte contraria rationes æquè, aut magis urgentes, nequit objectum ipsi apparere absolutè verum: ergo nequit illi assentiri, adhuc ex libero voluntatis imperio. Cætera per se patent: Minor ostenditur. Objectum apparere intellectui absolutè verum in ordine ad assensum præstandum, est prædicatum repræsentari ut conveniens absolutè subjecto, seù (quod in idem recidit) est subjectum enuntiationis apparere intellectui connexum absolutè cum prædicato, ut est ex ipsis terminis manifestum, & vel tyronibus in Dialectica notum. At in eventu posito nequit subjectum enuntiationis apparere intellectui connexum absolutè cum prædicato,

cùm nullum majus, sed potiùs minus, vel ad summum æquale fundamentum repræsentetur ipsi pro connexione, quàm pro connexionis carentiâ: ergo objectum non potest absolutè apparere intellectui verum: ergo non potest eidem assentiri, adhuc ex libero voluntatis imperio.

Hoc argumentum nostrum sub his terminis institutum demonstrativum est, ac convincens, si rectis oculis inspiciatur, quippe quod ex principiis apud omnes indubitatis sententiam nostram legitimè concludat. Id ut clariùs appareat, videamus, quid ad illud reponi possit ex communi doctrina Recentiorum.

ARTICULUS V.

Refellitur solutio Recentiorum, & urgetur ulteriùs ratio proposita.

47. Dicent fortè ex Terillo: ut intellectui appareat objectum verum, & absolutè ab ipso enuntiabile per assensum opinativum, sufficere motivum probabile, quâvis ex parte opposita adsit aliud probabile, aut probabilius; per hoc enim non fit, ut motivum probabile secundùm se non sit verosimile, seu connexum ex se probabiliter cum veritate, aliàs minimè urgeret, nec aliquo modo stimularet intellectum ad sui assensum, quod est contra compertam experientiam. Ergo quando intellectus assentitur objecto ob motivum probabile, etiam dum adest aliud æquè, aut magis probabile in oppositum, semper assentitur objecto ut absolutè vero probabiliter, atque adeo minimè extrahitur à suo proprio, & formali objecto. Instat deinde argumentum nostrum perdoctus quidam, & acutus Recentior in voluntate eligente bonum, alio æquali, aut majori bono contempto, necnon in intellectu temerè judicante. Sed, quod ad instantias spectat, constabit mox.

48. Nunc verò contrà est primò: quia responsio non tangit (tantùm abest ut solvat) nostri argumenti difficultatem; sed petit apertè principium. Porrò argumentum nostrum contendit, ac demonstrat, motivum minùs, aut æquè tantùm grave, in cospectu gravioris, aut æquè gravis, nec probabile esse relatè ad intellectum utrumque perpendentem, neque esse verosimile, aut connexum cum veritate, neque movere absolutè posse intellectum ad sui assensum, adeòque, neque verum, neque esse absolutè enuntiabile; quia in illis circunstantiis non proponit subjectum ut connexum cum prædicato, cùm nihil plus appareat pro connexione, quàm pro inconnexione, aut etiam minùs pro connexione. Reponunt verò nobis his omnibus contraria absque aliqua probatione, quam reverà non afferunt, neque afferre aliquando poterunt. Ergo non solvunt argumentum, sed absurdè principium petunt.

49. Contrà secundò, & instauratur nostrum argumentum: dum intellectus est in actu primo proximo ad opinandum quæstionis partem affirmativam, non attendit præcisè ad motivum affirmationis, sed motivum oppositum actu quoque considerat; aliòqui non eligeret judicium prælativum, neque foret indifferens quoad speciem, atque adeò importunè desiliremus ab hypothesi, quam assumpsimus pro præsenti disputatione. Atqui intellectui actu consideranti utriusque partis motiva impossibile omninò est, ut pars affirmativa, si sit æquè, aut minùs probabilis, appareat absolutè vera: ergo non potest illam opinari ex aliquo voluntatis imperio.

50. Minor, quæ sola probationem desiderat, probatur facilè ex assumpto principio: partem affirmativam apparere absolutè veram, est subjectum enuntiationis apparere intellectui, omnibus hinc inde perpensis, absolutè connexum cum præ-

prædicato, ut nemo Logicus negare poteſt. At intellectui actu ponderanti utriuſque partis motiva, impoſſibile omninò eſt, ut ſubjectum enuntiationis appareat abſolutè cum tali prædicato connexum; repugnat nanque ex terminis ipſis, ſubjectum apparere abſolutè connexum cum prædicato, quando intellectui ſimul non minus, ſed vel æquè, vel magis apparet omninò inconnexum propter motiva partis contrariæ. Ergo impoſſibile prorſus eſt, ut intellectui actu conſideranti utriuſque partis motiva, pars affirmativa quæſtionis appareat abſolutè vera. Ergo non poteſt illam abſolutè opinari.

51. Confirmatur, & declaratur: vel ſubjectum enuntiationis apparet intellectui, primò abſolutè ſolùm connexum cum prædicato quæſtionis inſtitutæ; vel ſecundò abſolutè inconnexum tantùm; vel tertiò connexum, & inconnexum ſimul; vel demum quartò nec connexum, nec inconnexum, ſed tam à connexione, quàm inconnexione præſcindens intentionaliter, & ex vi apparentiæ? primum, atque ſecundum falſum eſt in caſu æqualitatis motivorum, & aliunde eſt apertè contra adverſarios; ſic enim intellectus indifferens non eſſet immediatè ad aſſentiendum, vel diſſentiendum, niſi velint, ut ſit proximè potens diſſentiri vero, & aſſentiri falſo formaliter ut tali, quod nemo hactenus expreſsè dixit (quamvis id Recentiores virtualiter aſſerere, & nullo modo negare non poſſe, ſtatim manifeſtè oſtendemus): in caſu autem inæqualitatis, verum id eſt; ſed tunc eſt manifeſtum, intellectum unicè poſſe, vel aſſentiri, vel diſſentiri, quod Recentiores negant, & nos contendimus.

52. Tertium eſt evidenter falſum; quia nunquam duo contradictoria poſſunt apparere intellectui, ut actu, & ſimul enuntiabilia, cùm ſit contra principium ipſo naturæ lumine notum. Et quidem alioqui poſſet actu intellectus affirmare, & negare ſimul idem omninò objectum, quod nemo dixerit. Denique, ſi quartum dicatur, intellectus non poteſt immediatè, nec aſſentiri, nec diſſentiri alicui parti contradictionis, adhuc ex libero voluntatis impeſio, ſed dubitare neceſſariò debet, ut eſt evidens apud omnes, ſi unum Cajetanum exceperis. Ergo in quacumque hypotheſi cogitabili intellectus, ut motus à voluntate, unicè poteſt, vel aſſentiri tantùm, ſi objectum ipſi verum appareat, hoc eſt, ſubjectum enuntiationis abſolutè cōnexum cum prædicato; vel diſſentiri ſolùm ſi appareat falſum, ideſt, ſubjectum abſolutè inconnexum; vel tandem dubitare, & hærere, ſi nec appareat verum, nec falſum, ideſt, ſubjectum neque connexum, neque inconnexum cum prædicato: quæ eſt in terminis noſtra ſententia. Et hæc eſt vis rationis Philoſophi, quæ meritò appellatur demonſtrativa à Candido, & ſine dubio talis habebitur, ſi rectè termini penetrantur.

53. Sed adnotanda hìc eſt aperta Recentiorum, vel contradictio, vel hallucinatio, quam mirum eſt homines acutiſſimos non advertiſse, cùm ſtatim appareat. Nimirùm, juxta ipſos, intellectus, dum ex motivis minùs, aut æquè tantùm probabilibus, aſsentitur alicui objecto, poterat pro illo priori ad ipſum actualem aſſenſum, proximè, & immediatè eidem diſsentiri, ſi vellet ex libero voluntatis imperio: igitur pro illo priori objectum apparebat intellectui, ut abſolutè falſum, ideſt ſubjectum, ut non connexum abſolutè cum prædicato; neque enim aliter intellectus alicui objecto diſsentiri poteſt, niſi velint, ut exeat à ſuo objecto proprio, ac formali: ergo præbuit intellectus aſſenſum objecto, quod pro illo priori proponebatur, ut abſolutè falſum: Cùmque idem argumentum de diſſenſu facere liceat, ſequitur evidenter intellectum habuiſſe pro eodem ſigno, potentiam proximam,

& im-

& immediatam ad dissentiendum vero, & assentiendum falso, per prævias apprehensiones sibi apparentibus. Unde tandem concluditur, idem omninò objectum apparuisse intellectui verum simul, & falsum, idest, subjectum enuntiationis absolutè cõnexum, & simul inconnexum cum eodem omninò prædicato; quod tamen contradictio est non minùs evidens intellectui, quàm sit evidens ipsi principium universalissimum, & ipso lumine rationis notum, *impossibile est idem simul esse, & non esse*.

Fateor ejusmodi contradictionem Recentiores evadere non potuisse, suppositâ opinione, quam defendunt; quia opinio illa nihil aliud est, quàm hæc ipsissima contradictio, si termini clarè explicentur, ut ratio expensa manifestè demonstrat. Ipsi verò prudentes sunt, ut videant, & non ament errorem.

ARTICULUS VI.

Præcluduntur aliæ evasiones, quas Recentiores ex Terillo desumunt: ubi quid de motivis similibus, vel dissimilibus?

54. VErumtamen Terillus, & alii Recentiores ipsum sequentes, adeò non vident opinionis suæ manifestam contradictionem, ut potiùs reclamant, nos hic insigniter paralogizari, & perperàm confundere verum reale cum apparenti, quod est intellectus objectum in ordine ad enuntiationem.

Utique (inquiunt) verum à parte rei immediatè opponitur falso; quia si verum est Sortem ludere, nequit non esse falsum, Sortem non ludere, cùm contingere nequeat, utrumque simul contradictorium verè existere à parte rei, sed potiùs existentia alterutrius expellat essentialiter, ac per se ipsam, existentiam alterius. At veritas unius extremi in apparentia, & obscurè cognita, minimè excludit alterius veritatem, sed optimè cum illa cohæret; quia adesse possunt utrinque motiva, & rationes inter se oppositæ, quarum quælibet proponat extremum suum tanquam probabiliter verum: quo fit, ut intellectus utrumlibet opinari possit, quin extrahatur à proprio suo objecto, videlicèt à vero, utique intentionali, & apparenti per apprehensionem præviam. Ita sæpè ex Terillo nonnulli Recentiores ipsius asseclæ.

55. Sed hærent semper in eodem loco, & argumenti nostri vim, aut non sentiunt, aut, quod non credimus, sentire dissimulant. Scimus utique (quis enim hoc ignoret?) verum, quod est objectum enuntiabile ab intellectu, esse verum repræsentatum, & apparens in apprehensione, ipsam enuntiationem præcedenti: neque hoc verum confundimus cum reali. Dicimus tamen hìc, & ubique, efficaciterque probamus, verum, etiam apparens, opponi essentialiter falso, sive ejusdem extremi falsitati, in terminis præsentis quæstionis: unde fit consequenter, ut opponatur etiam essentialiter veritati alterius extremi, cùm idem prorsus sit, unum extremum contradictionis apparere intellectui verum, idest, verè ab ipso enuntiabile, ac oppositum apparere falsum.

56. Porrò, si hoc principium, *impossibile est idem simul esse, & non esse* (quod secundùm Philosophum est principiorum omnium primum, atque notissimum) adeò sit evidens, ac per se notum, ut nullus intellectus de veritate ipsius dubitare aliquando possit, sicut non potest aliquando contingere, ut duo extrema contradictoria existant simul à parte rei, exempli gratia, ludus, & ipsius carentia; ita neque potest contingere, ut in uno, & eodem intellectu aliquando simul existant, ut vera, sive proximè enuntiabilia, itaut proximè possit utrumlibet eorum affirmare. Arist. 4. Met. c. 6.

57. Profectò, si in eodem instanti, in quo absolutè verum apparet, Sortem ludere à parte rei, posset eidem

dem intellectui apparere absolutè verum, Sortem non ludere à parte rei, jam utrumque contradictorium, nimirùm Sortem ludere, & non ludere, appareret ut simul verum, indeque memoratum principium appareret illi intellectui, non solùm incertum, aut dubium, sed etiam simpliciter falsum; quod tamen meritò repugnare supponitur, & esse absolutè impossibile docet, ubi nuper, Philosophus, negans Heraclitum, aut alium quempiam, quamvis ore proferret, id fuisse mente aliquando opinatum, nec opinari posse, si terminos intelligat. Prorsus ergo repugnat, utrumque simul contradictorium, pro eodem instanti apparere intellectui verum: igitur, dum alterutrum verum apparet, nequit non alterum falsum apparere: igitur nunquàm fieri potest, ut intellectus sit proximè indifferens ad assentiendum utrilibet eorum, seu (quod eòdem redit) ad assentiendum, vel dissentiendum uni, & eidem objecto materiali.

Aristo. ubi nuper.

58. Neque referre potest ad amovendam prædictam repugnantiam diversitas rationum, seu motivorum, ad quam Recentiores recurrunt; quia repugnantia illa consistit adæquatè in intrinseca, ac immediata extremorum oppositione, quæ oritur ex ipsa contradictionis lege imbibita in dicto principio, *impossibile est idem simul esse, & non esse*, cujus veritas omni intellectui est evidens, ut diximus, ac per se nota. Quare nulla diversitas motivorum vincere potest oppositionem illam, quia ex nulla motivorum diversitate, nec ex alio ullo accidenti fieri potest, ut intellectus dubitet de veritate illius principii, adeòque, nec ut judicet, aut apprehendat utrumque extremum contradictionis, ut verum, vel ut proximè enùtiabile per utriusvis affirmationem, seu (quod in idē redit) unum, & idem per negationem, & affirmationem.

59. Et verò nemo hactenus delira-

vit, aut in ullius mentem ascendit, quod si intellectus simul assentiret, & dissentiret eidem materiali objecto, id faceret ex uno, & eodem motivo. Quis enim unquam ita desipuit, ut non videat motivum assentiendi non posse movere ad dissensum? Et tamen omnes communiter Philosophi existimant absolutè impossibilem simultatem assensus, & dissensus ejusdem intellectus circa idem objectum.

60. Perinde itaque est recursus ad rationum, seu motivorum diversitatem, quoad concludendam in intellectu indifferentiam proximam, & immediatam assentiendi, vel dissentiendi circa idem omninò objectum, ac si recurreretur ad diversitatem causarum, quod attinet ad inducendam cōtradictionem à parte rei; quasi videlicet una causa induceret reipsa ludum Sortis, alia verò diversa posset inducere pro eodem instanti formalem ludi Sortis carentiam. Utique, ut hæc extrema immediatè, & per se opponuntur quoad physicam coexistentiam, sic etiam quoad intentionalem; nam existere simul in intellectu, ut vera, sive ut proximè enuntiabilia, est intellectum apprehendere illa, ut sibi physicè coexistentia, quod, ut jam diximus, fieri nunquam potest.

61. Neque item refert, apparentiam objecti, de qua loquimur, esse obscuram, & in ordine tantùm ad producendum assensum, vel dissensum, opinativos, & obscuros, non verò certos, & evidentes; neque enim ideò minùs sibi repugnant. Ratio autem ex dictis evidens est: quia intellectus, dum opinatur alteram partem contradictionis, absolutè enuntiat, & judicat, quamvis obscurè, & formidolosè, illam esse re ipsa veram, ut patet ex Philosopho ubi supra, & ex ipsa opinionis definitione. *Utique opinio* (inquit ipse Philosophus) *non inquisitio, sed enuntiatio jam est*. At implicat omninò, intellectum, dum judicat

Aristo. 6. Ethi. c. 9.

ab-

absolutè aliquid esse verum, habere simul indifferentiam, aut proximam potentiam ad judicandum, etiam opinativè, id ipsum esse falsum, aut oppositum esse verum, alioquìn opinari, & judicare absolutè posset contra memoratum principium, *impossibile est, idem simul esse, & non esse*, de cujus veritate, nec dubitare potest. Ergo non minùs implicat, utrumque extremum contradictionis apparere intellectui verum, aut (quod eòdem redit) alterutrum eorum verum simul, & falsum per apparentiam solùm obscuram, & in ordine ad producendum assensum, vel dissensum opinativos, quàm per claram, & notam generare assensum, aut dissensum evidentes. Sanè Dialectica nunquam distinxit inter propositiones contradictorias opinativas, aut evidentes, neque majorem docet in his, aut magis notam esse oppositionem, quàm in illis.

62. Hæc usque adeò sunt per se ipsa evidentia, ac nota, ut nemo, vel mediocriter Philosophus, & qui terminos verè penetraverit, de veritate eorum dubitare aliquando possit. Invenientur fortasse nonnulli homines, puri Summistæ, qui minùs cautè insinuent, vel affirment etiam expressè, eundem intellectum posse assentiri simul probabiliter utrique parti contradictionis, alteri per intrinseca principia (ut ajunt), alteri verò solùm per extrinseca: cæterùm, quod de PP. Vazquez, & Sanchez, viris in Schola Theologica doctissimis, ac eruditissimis, id ab aliquibus vulgatum sit, nulla ratione ferendum est.

Vazq. 1. 2. d. 62. c. 3. n. 10.

63. Equidem P. Vazquez solùm affirmat, intellectum, dum probabiliter alicui opinioni assentitur, posse simul oppositam judicare probabilem, non quidem per intrinseca, & propria, sed per extrinseca principia tantùm, idest, propter judicium, & actoritatem aliorum, qui opinionem illam tuentur. Hoc verò nihil habet cum illa absurda Summistarum doctrina, sed potiùs juxta ipsius Vazquez principia satis consequenter est dictum, quantum ad id, quod ponit, quid quid sit de absoluta doctrinæ veritate. Porrò in Vazquez principiis intellectus, dum judicat, aliquam opinionem esse probabilem ob auctoritatem aliorum, non ideò judicat esse veram, sed solùm esse innixam rationibus non contemnendis, quæ viros alios probos, ac doctos potuerint ad assensum pertrahere; quod optimè componitur cum eo, quòd sic judicans, partem oppositam opinetur, atque adeò præfatam aliorum opinionem judicet absolutè falsam, absque ulla contradictione, prout ibidem exponit ipse Vazquez, qui alioqui intellectum nunquam posse utrique parti contradictionis assentiri, vel probabiliter, neque per diversa principia, expressè affirmat ibi, & supponit, tanquam omninò evidens, ac per se notum.

Sanch. li. 1. Sum. c. 9. n. 12. & 15. Grana. 1. 2. controv. 2. tr. 12. d. 4. s. 2. nu. 18. Bresse. de consc. li. 3. c. 6. n. 69.

64. Id ipsum docet, & nihil aliud ex eisdem principiis P. Sanchez, nisi quod P. Vazquez arguit inconsequentiæ (sicut eundem arguunt Granados, & Bresserus) in eo, quòd admittere renuerit, posse quem duas opiniones contrarias existimare simul probabiles, etiam ex principiis intrinsecis; quod quidem meâ quoque sententiâ inconsequenter Vazquez negavit. Supponit insuper, sicut & Vazquez ipse, tanquam prorsus indubitabile, nunquam posse intellectum habere simul duos assensus, etiam probabiles, de utraque parte contradictionis, adhuc per diversa principia. Falsò ergo tribuitur duobus istis magnis Doctoribus doctrina tam absurda, cujus notissimam falsitatem uterque docet, & supponit, ut certam.

Espar. Append. p. 2. ab art. 123.

65. Quare mirandum est, P. Esparza, virum alioqui inter Recentiores admodùm eruditum, & ingeniosum, nimis operosè contendere, quando motiva utriusque partis etero-

rogenea sunt, seu dissimilia, nisi ex altera parte detur excessus manifestus, & evidens, utrunque extremum contradictionis posse apparere simul eidem intellectui verum, & enuntiabile, ita ut possit ex libero voluntatis imperio utrilibet eorum assentiri, vel dissentiri.

66. Distinctio hæc motivorum homogeneorum, vel eterogeneorum, à nullo, quem sciam, ante P. Esparza considerata, quam tamen ipse magnopere commendat, latequè proponit, & urget, & quam ex ipso postmodum mutuatus videtur Terillus, vera est, sed (in intellectu) omninò materialis, prorsusque inutilis ad quæstionem præsentem. Quare, ne tempus frustrà teramus, nos illi referendæ, ac refellendæ non diutiùs immorari necessum est, cùm ex doctrina proximè tradita ipsius importunitas, & inutilitas, statim evidenter appareat.

67. Sanè, quantum spectat ad argumentum nostrum solvendum, nullius illam esse momenti, ex dictis manifestè colligitur. Quid enim precor refert entitativa motivorum diversitas, aut mutuus eorum excessus, ad superandam oppositionē immediatam, & evidentem? An ne fieri potest ex quacumque ratione, aut motivorum dissimilitudine, ut intellectus dubitet de veritate illius principii, *impossibile est, idem simul esse, & non esse*? Si verò dubitare non potest, quomodò poterit judicare, aut apprehendere, ut simul vera, vel simul proximè affirmabilia, duo extrema contradictionis, cùm sic apprehendere nihil aliud sit, quàm apprehendere illa, ut sibi à parte rei coexistentia?

68. Rationum ergo, seu motivorum entitativa dissimilitudo, & mutuus eorum excessus faciet ad summum, ut intellectus non possit ita facilè declinare in alterutram partem contradictionis, neque de veritate objecti propositi absolutam ferre sententiam; quia non ità facilè, ac promptè, poterit æstimare absolutam præponderantiam, & excessum unius supra aliud: unde ex conflictu rationum dissimilium, ac sesc invicem elidentium, sæpè quidem continget, lucem veritatis confundi, & intellectum cogi dubitare, & hærerē. Cæterùm nunquam fiet, ut aliquando tandem declinet in alterum extremum determinatè per absolutum ejus assensum, nisi apprehenderit illud, ut verum absolutè, pro priori ad ipsum assensum.

69. At ex nullo conflictu, seu diversitate rationum, nec ex ullo alio accidenti, contingere aliquando potest, utrunque extremum contradictionis apprehendi ab intellectu, ut simul verum, & proximè per assensum enuntiabile: ergo nec contingere potest, ut sit proximè indifferens ad assentiendum, vel dissentiendum utrilibet eorum ex libero voluntatis imperio. Est ergo penitùs importuna, & inutilis, distinctio motivorum homogeneorum, vel eterogeneorum, nec magis facit ad rem præsentem, quàm facere possit in physicis entitativa agentium diversitas, aut pugnax eorum congressus, quod attinet ad inducendam contradictionem à parte rei.

ARTICULUS VII.

Distinctio itidem de apparentia antecedenti, vel consequenti, haud minùs importunè producitur ad nostrum argumentum solvendum.

70. Nihil, quod ex doctrina Recentiorum, vel apparenter, reponi possit ad argumentum nostrum, prætermittemus, ut manifestiùs fiat, quàm sit illud invictum, ac penitus indissolubile. Porrò quanti momenti sententia nostra sit ad decisionem controversiæ potissimæ, constabit ex inferiùs dicendis.

Terillus pro quæstionis præsentis difficultate resolvenda, novam, atque subtilem distinctionem

Terill. de consc. proba. q. 8. n. 3.

invexit, cujus utilitatem magnoperè commendat, & quam Recentiores ex ipso libenter amplexati sunt. Notat ergo, apparentiam veritatis, aliâ esse, quæ intellectus judicium, aut liberum voluntatis imperium antecedit, ac prævenit; aliam verò, & longè diversam, quæ sequitur, aut comitatur judicium ipsum, aut imperium: nimirùm apparentia antecedens multò est obscurior, atque remissior, consequens verò, aut comitans, multò clarior, atque vividior. Cujus notabilis differentiæ multas, & varias causas eruditè recenset, & expendit, quas tamen hìc inserere non est operæ pretium; cùm differentiam istam, & causas ejus, ultrò etiam nos admittamus, quamvis non omnia, quæ Terillus prosequitur, nobis absolutè probentur.

71. Ex dicta verò differentia fit, ut rationes, quæ antecedenter ad actualem assensum, apparent intellectui æquè, aut minùs probabiles, quàm oppositæ, dum intellectus eis assentitur, jam per ipsum assensum comitanter, aut consequenter, appareant ipsi probabiliores; nam eò ipso quòd intellectus ex affectu, & imperio voluntatis illas approbat, & amplectitur, ac absolutè præfert oppositis per judicium determinatum, subinduunt novam vim, & energiam repræsentandi veritatem objecti, cujus apparentia proinde evadit absolutè major, quàm apparentia partis oppositæ.

72. Hinc fit (inquit Terillus), ut intellectus, absolutè loquendo, nunquam actu assentiatur, nisi parti probabiliori, si sermo sit, ut debet, non solùm de apparentia, quæ præcedit assensum, verum etiam de illa, quæ eundem comitatur, aut sequitur, & consequenter fit, ut nunquam duo extrema contradictionis appareant simul vera intellectui, qui propterea nunquam extrahitur à suo proprio, ac formali objecto, scilicet à vero apparenti. Unde tandem concluditur, cuncta argumenta nostra ex hac doctrina facilè evanescere; omnia nanque procedunt ex hallucinatione, & æquivocatione manifesta, qua utraque apparentia malè confunditur, cum valde distingui oporteret. Ita Terillus ibi, & alibi sæpè, & ex ipso communiter Recentiores.

73. Sed enim verò doctrinam istam, & distinctionem utriusque apparentiæ, quam, vel rudiores homines, experientiâ ipsâ deprehendunt, nostræ sententiæ Auctores optimè callent, & illam sæpè opportunè ingerunt, quamvis in hac quæstione, tàm ipsi, quàm Auctores contrarii, usque ad Terillum, nunquam illam attenderint. Et quidem meritò, quia nihil importunius excogitari potest, quod attinet ad expediendam difficultatem, quam versamus. Ideò in hoc sensu, & quantum ad hunc finem, novam dixi Terilli distinctionem, quæ tamen absolutè vetus est, & omnibus nota.

74. Ejus verò inutilitas, & importunitas ad rem præsentem, satis reor apparet, vel ex ipso quæstionis sensu, sub quo ab omnibus instituitur. Nimirum, præsens controversia est, utrum, dum intellectus inquirens aliquam veritatem, invenit pro utraque parte rationes, vel æquales, vel inequales, quas ipse tales esse cognoscit, vel signatè, vel exercitè saltem, possit à voluntate liberè flecti, ut opinetur quamlibet contradictionis partem? Sive ipsam actualem enuntiationem comitetur, aut subsequatur major, atque vividior apparentia ejusdem veritatis objectivæ, sive minimè subsequatur; hoc enim ad quæstionis resolutionem affirmativam, vel negativam, prorsus impertinenter, ac de materiali se habet, haud secus, quàm se habeat impertinenter, quod ad tale judicium intellectus sequatur amor efficax, vel inefficax, aut alius potiùs voluntatis affectus.

75. Porrò cunctorum Philosophorum, sive antiquorum, sive recentium, constans, ac certa senten-

tia

tia est, intellectum creatum (sicut, & quamlibet aliam potentiam) tendere actu non posse, adhuc ex libero voluntatis imperio, nisi in objectum proprium, aliquomodo præsuppositum ad ipsam actualem tendentiam: objectum autem proprium intellectus in ordine ad assensum, est verum propositum per præviam apprehensionem; falsum autem in ordine ad dissensum. Quare, quod modò quærimus, est, an pars quæstionis affirmativa verbigratia, pro qua intellectus invenit, inspectis omnibus, fundamenta minora, vel æqualia fundamentis partis oppositæ, possit ipsi apparere vera absolutè, ex vi apprehensionis antecedentis, ex qua apparentia tandem moveri possit, accedente voluntatis imperio, ad eam partem absolutè enuntiandam? Non ne quæstionem istam, & nullam aliam modò versamus? Non ne hic est apud omnes sensus ipsius?

Atqui apparentia comitans, aut subsequens assensum, nihil facit, ut patet, ad hoc ut illa pars pro priori ad assensum appareat intellectui vera, vel falsa. Est igitur abs re, & maximè importuna ad rem præsentem, nova ista, ac subtilis Recentiorum distinctio de apparentia, quæ præit, & quæ actualem assensum sequitur; neque per illam solvitur argumentum nostrum, quin neque tangitur difficultas ipsius, sed manifestè principium petitur, sicut per solutiones præcedentes, quas jam confutatas relinquimus.

76. Enim verò argumentum nostrum cõtendit, & ostendit evidenter (utique ex principiis notissimis, vel adversariis ipsis faventibus) intellectum non posse determinatè, & actu assentiri illi parti contradictionis, quæ pro priori ad ipsum assensum, apparet illi, aut æque, aut minus verosimilis, quàm oppositæ: quia intellectum sic assentiri est actu dicere, & enuntiare, objectum esse reipsa verum: hoc verò denuntiare non potest, nisi objectum pro priori ad assensum appareat ipsi verum absolutè per apprehensionem antecedentem; sicut voluntas amare non potest nisi objectum, quod pro priori appareat bonum per cognitionem præviam. At, dum objectum minùs, aut æquè tantùm verosimile apparet, non potest intellectui apparere absolutè verum, cùm, vel minùs, vel nihil plus appareat pro connexione, quàm pro inconnexione subjecti enuntiationis cum prædicato: & quidem aliàs unum, & idem appareret verum, & falsum, vel (quod in idem redit) utrunque extremum contradictionis verum absolutè appparet, quod est contra principium primum, ac per se notum, *Impossibile est idem simul esse, & non esse.* Igitur nunquam fieri potest, ut intellectus actu assentiatur objecto, quod apparet pro priori ad assensum, æquè tantùm, aut minùs verisimile, ex quovis libero voluntatis imperio.

77. Ad hæc Probabilistæ Recentiores ex nova distinctione, & observatione Terilli, quid reponunt? Nempè, intellectum optimè posse ex libero imperio voluntatis actu assentiri objecto, & extremo contradictionis, quod pro priori ad ipsum assensum apparet illi, aut æquè, aut minùs verosimile, quàm oppositum. Quare precor? Respondent: quia per assensum ipsum actualem, sive consequenter ad illum, objectum, quod vel æquè, vel minùs verisimile apparebat antecedenter, jam apparet verisimilius, & absolutè verum; nam alia est apparentia objecti, quæ assensum actualem præcedit, alia verò, & longè diversa, quæ assensum ipsum comitatur, aut sequitur. Hæc Recentiores ad argumentum nostrum, & nihil ultrà.

78. Sed quis non videat, istam non solutionem, sed manifestam esse petitionem principii? Quid enim nos contendimus, ac demonstramus, nisi implicare omninò, objectum apparere, aut enuntiari

per actualem assensum verum, nisi apparuerit verum pro priori? Reponunt autem, posse, quia per ipsum assensum apparet verum. Bellè! Et cur amabo vos non possit intellectus enuntiare id, quod unicè falsum ipsi pro priori apparebat? Nescio planè quid dicent. Sed neque video quid dicere possint. Ergo revera nostrum argumentum non solvunt; immò nec quidquam ad ipsum respondent, sed circulum faciunt vitiosum,& absurdè principium petunt.

ARTICULUS VIII.

Suadetur insuper nostra sententia ad hominem contra Terillum, semel,& iterùm, hac in re apertè sibi contradicentem.

79. NEmpè ipse prædictâ q.8.de consc.probab.n.24.expressè affirmat, & ex professo ponit, ac probat, præfatam intellectus indifferentiam ad opinandum quâlibet cõtradictionis partem, etiam quando intellectus pro priori ad assensum, vel dissensum, comparat motiva inter se, atque signatè, & expresè credit, illa esse prorsus æqualia: quod ipsum pluries repetit, etiam quando sunt inæqualia, nempè q.9.n.4.17.& 26. ubi assertionem suam multis probare intendit.

80. Maximè verò urget in hujus assertionis comprobationem argumentum infra solvẽdum, petitum ex fide divina, cujus assensum dicit liberum esse, etiam quoad specificationem: & tamen *mysteria fidei* (verba Terilli sunt ubi nuper n.4.) *ut sufficienter proponantur, debent esse evidenter credibilia super omnem doctrinam contrariam, ut unanimiter omnes Theologi, quasi certum dogma tradunt*: unde sequitur, intellectum signatè posse, aut debere cognoscere, mysteria nostræ fidei evidenter excedere contrarios errores, in ordine ad merendum assensum; id, quod ipse Terillus expresè quoque affirmat n.10. *motiva* (inquit) *sufficientis credibilitatis pro assensu fidei Catholicæ, relatè ad motiva faventia hæresi, non solùm exercitè, sed etiam signatè evidenter cognoscuntur esse potiora*.

81. Rursus in opere posteriori, quod inscribit *De Regula morum* 1.& 2.par.q.30.n.3.& q. 52.n. 2. omninò sui immemor, ut videtur, contradictoriam cõclusionem statuit his formalibus verbis, *Intellectus nulli contradictionis parti assentiri potest, quãdiù signatè existimat, rationes utrique parti faventes esse æquales*: quam conclusionem universalem, & nulla restrictione donatam, efficaci ratione probat;& deinde concludit sic, *Hæc ratio à fortiori convincit, quod nemo possit assentiri objecto, ac motivis, quæ absolutè credit esse minus probabilia oppositis*. Et ut mireris magis, remittit tandem se ad prædictas qq. de Consc. ubi in terminis, & datâ operâ, contrariam doctrinam tradiderat. Terillo quoad hanc ultimam assertionem expresè consentit Esparza, sine Terilli tamen contradictione, quæ adeò est evidens, & expressa, ut incredibilis videri posset. Espar. par. 2.a.113.

Unam attamen potest excusationem habere hæc contradictio; nimirùm, quòd legitimè, & inevitabiliter consequatur ex ipsâ, quam propugnat cum Recentioribus, intellectus indifferentiâ ad opinandum æquè, vel minùs probabilia. Enim verò, quòd utraque contradictoria Terilli assertio ex hac ipsius, & Recentiorum sententia, legitimè sequatur, ac penitùs inevitabilitèr, suaderi potest facilè, & efficaciter, vel ex doctrina ipsa Terilli, qua utranque suam assertionem suadet.

82. Suadetur igitur prima assertio: quia non semel, aut rarò, immò verò plerumque intellectus signatè credit, motiva unius partis, vel æquari, vel superari à motivis partis oppositæ: & saltem quando excessus, aut æqualitas sunt evidentes, non potest ita non judicare. Atqui, si semel

mel intellectus potest proximè, & immediatè opinari quamlibet partem contradictionis ex libera motione voluntatis, nihil est, cur semper non possit, quoties adsunt utrinque motiva sufficientia, ut Recentiores ipsi supponere videntur, qui universaliter, ac sine restrictione, conclusionem suam statuunt. Ergo, si semel dicitur intellectus habere indifferentiam ad opinandum, quam Recentiores in præsenti defendunt, aliquando, immò sæpè, poterit immediatè assentiri, vel dissentiri, etiam parti, cujus motiva signatè existimat superari, aut saltem æquari à motivis alterius partis. Et quidem alioqui opinari rarò erit liberum, quoad speciem, cujus tamen oppositum Recentiores, ipsorumque argumenta significant.

83. Probatur itidem efficaciter assertio eadem P. Terilli: nam, ut ipse arguit optimè locis supra allegatis, quod existens in se non impedit assensum, neutiquam illum impedire potest, eò quòd cognoscatur sicuti est, & signatè affirmetur ab intellectu; quid enim refert ita cognosci, quod attinet ad assensum præstandum? Atqui, si vera est Recentiorum sententia, rationes, vel æquales, vel graviores existentes re ipsa in intellectu pro parte negativa exempli gratia, non impediunt assensum partis affirmativæ: ergo nec poterunt illum impedire, etiam si ab intellectu signatè cognoscãtur ut tales.

84. Ratio autem in promptu est: nam intellectus in data hypothesi per apprehensiones prævias ad assensum, vel ad dissensum, saltem exercitè, ac experimentaliter, non potest non cognoscere, & conferre inter se, rationes utriusque partis, quatenùs necessariò videt, aut sentit, se magis inclinari, & urgeri ab his rationibus, quàm ab aliis: ergo, si nihilominus adhuc objectum potest propter rationes partis affirmativæ apparere intellectui per apprehensionem, proximè enuntiabile, poterit etiam sic apparere, etsi intellectus expressè judicet, rationes illas non magis urgere, aut fortè minùs, quàm rationes contrarias; quemadmodum, quia objectum per apprehensionem non evidentem proponi potest ut proximè opinabile, potest etiam ita proponi, quamvis non evidentia, sive obscuritas apprehensionis, signatè cognoscatur ab intellectu. Ergo quisquis affirmat absolutè proximam intellectus indifferentiam ad assentiendum parti, cujus motiva sunt æqualia, aut minora, quàm motiva partis contrariæ, nequit negare ex hac suppositione eandem intellectus indifferentiam, etiam quando motiva signatè cognoscuntur ut talia. Vera igitur est prior Terilli assertio, & quæ ex suppositione sententiæ Recentiorum, nulla ratione possit negari.

85. Jam posterior assertio in quâlibet sententiâ non minus vera, & evidens est: nam, vel ex ipsis terminis, videtur implicare contradictionem, quod intellectus actu per determinatum judicium reputet absolutè veras, & præferat oppositis, rationes illas, quas per aliud judicium in eodem instanti existimat esse prorsùs æquales, aut etiam inferiores, atque adeò nullatenus præferendas: quænam enim patentior contradictio? Ecquis precor clarissimè non videat, judicium, quo intellectus judicat absolutè, rationes verbi gratia, partis affirmativæ, esse non magis, sive etiam minùs verosimiles, quàm oppositas, & alterum, quo in eòdem instanti absolutè item judicet, rationes illas esse præ oppositis veras, esse judicia prorsus secum pugnantia, & virtualiter saltem manifestè contradictoria?

86. Evidens ergo est in qualibet sententia posterior hæc assertio Terilli. Cùmque prior aliunde sit etiam evidens ex ejusdem Terilli confessione, licet nobis legitimè concludere, rectè ipsum Terillum ratiocinari,

nari, dum ex sententia sua, & Recentiorum, utranque infert contradictionis partem; malè verò, dum Antecedens, ex quo falsum legitimè concluditur, defendere persistit, ut verum.

ARTICULUS IX.

Aliis etiam rationibus suadetur adhuc nostra sententia.

87. ARgumentum, quod hactenus expensum est, & ab impugnationibus, aut solutionibus Terilli, & Recentiorum facilè vindicatum, si satis penetretur, planè, ac plenè, sententiæ nostræ veritatem demonstrat. Cæterùm, quia non omnes uno modo concipiunt, &, ut ingenia hominum varia sunt, argumentum, quod uni demonstrativum est, alteri vix apparet probabile, placet ulteriùs sententiam nostram aliis rationibus communire, quæ ex præjactis principiis facilè conficiantur.

§. I.

Prima ratio ex principio ab omnibus recepto.

88. SIc igitur argumentor primò. Intellectus secundùm omnes (uno tantùm excepto Cajetano) nequit ex libero voluntatis imperio judicare determinatè, stellas verbi gratia esse pares, aut impares. At non ob aliam causam, nisi quia nihil invenit pro priori ad assensum, vel dissensum, potiùs pro paritate, quàm pro imparitate stellarum. Igitur nunquam opinari potest, nisi partem contradictionis, pro qua aliquod majus fundamentum appareat.

Sed negant Recentiores Minorem: non enim, inquiunt, ideò non potest, quia nihil potiùs invenit pro paritate, quàm pro imparitate; sed quia nihil omninò, & absolutè invenit pro alterutra parte.

89. At contra est primò ad homines: si intellectus actu assentiatur paritati stellarum verbi gratia, jam per ipsum assensum, sive consequenter ad ipsum, pars illa, cui assentitur, juxta vestram doctrinam, & distinctionem datam de duplici objecti apparentia antecedenti, vel subsequenti, absolutè vincet oppositam, & apparebit ipsi absolutè vera præ altera.

Si Recentiores dixerint, apparentiam sequentem, aut comitantem, esse omninò importunam, ut intellectus actu assentiatur, si nulla pro priori ad assensum reluceat veritatis apparentia: verum profectò dicent absolutè; sed planè inconsequenter se gerent. Equidem, si apparentia absoluta comitans, aut sequens assensum, sera est, & prorsus inutilis, ut intellectus actu assentiatur, cur non erit inutilis major illa apparentia, quæ consequeretur assensum partis æquè, aut minus probabilis?

90. Contrà secundò: finge tibi insignem Astronomum, qui ex principiis scientiæ suæ, & observatione diuturna, seriò affirmet, se comperisse, stellas esse de facto pares. Adsit itidem alius in oppositum auctoritatis prorsus æqualis, qui stellas esse re ipsa impares, non minùs costanter affirmet. Quis dicat, intellectum in hac hypothesi posse opinari ex libero voluntatis imperio imparitatem, vel paritatem? Dicet quidem Terillus, & Recentiores, si nolint consequentiam deserere. Sed enim verò consequentia hæc nimis apertè prodit Antecedentis falsitatem; nam profectò de asserto Consequentis totum mundum habebunt sibi contrarium; est enim contra innatam hominum apprehensionem, & contra compertissimam experientiam. Porrò unusquisque facilè in se experietur non minùs impossibilem assensum, vel dissensum determinatum, post duplex memoratum testimonium Astrologorum, quàm ante

te ipsum experiebatur.

91. Præterea falsitas Consequentis de facili convinci potest. Ideò intellectus, secundùm omnes adversùs Cajetanum, non potest, adhuc ex libero voluntatis imperio, judicare determinatè, stellas esse pares exempli gratia, quia videt, illas naturâ sua esse prorsus indifferentes, æquèque conjungibiles ex se cum paritate, vel imparitate. Atqui post duplex præfatum testimonium, æquè apparent indifferentes, æquèque conjungibiles cum utralibet, nam quantum ex vi unius testimonii ad paritatem determinantur, tantumdem ex vi oppositi determinantur ad imparitatem, cùm non magis unum, quàm alterum contingere possit ut fallat. Ergo non minùs impotens permanet intellectus ad assentiendum paritati stellarum, post duplex testimonium prædictum, quàm ante illud inveniebatur.

92. Quòd siquis fortè dixerit, neutrum testimonium Astronomi, adhuc seorsim, & secundùm se, facere fidem aliquam, ut assensum mereri possit: nihil id nostra refert; nam ad vim argumenti nostri sufficeret hypotesis impossibilis. Præterquàm quòd, quid prohibet, idem argumentum instituì in eventu, quo duo testes paris prorsus auctoritatis, oppositа de usu testentur, aut ex revelatione sibi facta, vel sub alia simili hypothesi haud difficili cogitatu?

§. II.

Secunda ratio ab ipsa intellectus natura.

93. ARgumentor secundò: intellectus, utpote rationalis potentia, non potest aliquam sententiam ferre, neque habere judicium aliquod, de quo rogatus nequeat rationem reddere, alioqui planè ageret contra rationem, adeòque contra propriam naturam, quod est prorsus implicatorium. Atqui intellectus judicans, partem æquè, vel minùs antecedenter sibi verisimilem, esse absolutè veram, nullam reddere posset de judicio suo rationem: ergo. Probo Minorem: intellectus in ea hypothesi, si rogetur, cur judicet determinatè, partem affirmativam verbi gratia, esse veram præ negativa? respondere non potest, *quia pars affirmativa præ negativa, pro priori ad judicium verosimilis mihi apparebat*; hoc enim est contra hypotesim ipsam. Aliunde verò respondere non potest; *quia pars affirmativa pro priori mihi apparebat æquè tantùm, aut minùs verosimilis*; id nanque planè foret perinde, ac siquis diceret, *censeo, hoc objectum esse revera album, potiùs quàm nigrum, quia æquè simile mihi, aut similius apparet nigro, quàm albo*, quod esset stultissimum, & irrationale delirium. At non est cogitabilis alia ratio, quàm reddat. Nullam ergo intellectus in hypothesi facta reddere posset de judicio suo; quod est contra naturam potentiæ rationalis.

94. Dicet quis: poterit respondere, se ita judicasse, quia obedire debeat voluntati imperanti tale judicium. Sed in primis inquiro, cur non debeat, aut possit obedire similiter voluntati imperanti judicium determinatum de paritate siderum exempli gratia? Nescio, quid possit dici; nisi fortè admittatur cum Cajetano judicium istud contra omnes Philosophos, & contra compertissimam experientiam.

95. Deinde contrà est primò: quia imperium voluntatis non est ratio, quam de judicio suo intellectus reddere possit; nam ejusmodi imperium nec est objectum proprium, nec motivum talis judicii. At intellectus unicè pro ratione reddere potest objectum proprium, & motivum, cui innititur ad præbendum assensum determinatum.

96. Contrà secundò: quia, & si voluntas possit re ipsa facere intellectum delirum, ipsum scilicet excæcan-

cando, & faciendo, ut objectum appareat ipsi verum, cùm re ipsa verum non sit; nullo tamen imperio potest ipsum adigere, ut scienter fallatur, vel, ut non invitus deliret. Atqui, si opinaretur partem æquè, vel minùs verosimilem, falleretur scienter, ultròque deliraret; quod nanque fingi potest magis spontaneum delirium, quàm judicium hujusmodi, *etsi videam, objectum non esse potiùs verum, quàm falsum, seu esse magis simile falso, quàm vero, judico tamen esse absolutè verum?* Ergo voluntas nequit imperare intellectui assensum partis sibi æquè, aut minùs probabilis. Frustrà ergo recurritur ad liberum voluntatis imperium, ut de suo judicio intellectus rationem reddat. Unde tandem concluditur, judicium illud concipiendum ab intellectu absque ullo motivo, seu ratione; quod est prorsus implicatorium.

§. III.

Tertia ratio ab ipsa experientia.

97. TAndem, ut alia mittam, suadetur efficaciter à posteriori nostra sententia ex Cardinali Pallavicino loco superiùs allegato. Art.3.n.37. Nemo unquam in se expertus est hujusmodi actum, *hoc est verosimilius: credo tamen, oppositum esse verum*. Sanè, siquis in publica disputatione, post relatas duas sententias immediatè, ac extremè oppositas, & expensa earundem fundamenta, ita demùm concluderet, *ego quidem, inspectis omnibus, censeo, sententiam affirmativam gravioribus inniti, & verosimilioribus fundamentis, ratione quorum mihi verosimilius est, ipsam præ negativa, veram esse. Nihilominus tamen sententiam negativam existimo absolutè veram*: rem novam diceret, & mirabilem: immò verò planè ridiculam. Certè nullus huc usque ita locutus est, & siquis loqueretur, non solùm cum admiratione, sed, & cum risu ab omnibus excideretur, nec ita judicare intellectualiter, sed potiùs fingere crederetur. Ergo quia ex ipso naturæ lumine cunctis mortalibus insita est repugnantia talis judicii.

98. Respondent ex Terillo Recentiores, repugnare absolutè talem affirmationem; nam qui sic loqueretur, assentiretur jam sententiæ negativæ: nemo verò affirmare potest, sententiam, cui jam præstitit assensum, esse minùs probabilem, quàm oppositam: quia, licèt apparentia veritatis minor fuerit pro ea parte antecedenter ad assensum, consequenter tamen ad ipsum major est absolutè juxta dicta Art.7. Quare, si sermo sit de apparentia dumtaxat antecedenti, haud repugnare dicunt, ut quis ita loquatur; quia facilè contingere potest, & frequenter etiam contingit, ut assensum quis præbeat parti contradictionis, quæ pro priori ad ipsum assensum minùs probabilis apparebat.

99. Verumtamen apparentiam omnem, quæ non præcedit ipsum assensum, de materiali omninò se habere ad possibilitatem ipsius, satis constat ex dictis eo in loco; quia non aliter potest ullo modo conducere ad præferendam unam partem alteri, nec movere intellectum ad assentiendum, ut patet in objecto voluntatis, & alterius cujulibet potentiæ.

100. Fateor, assensum ipsum semel præstitum, nec non affectum liberum voluntatis multùm sæpè conducere, ut motivum præcedens appareat postea majus, non quia affectus ipse, aut assensus, per se, & formaliter inferre possint majorem veritatis apparentiam; sed causaliter tantùm, & illativè; quia ex illa inclinatione, & approbatione, tam intellectus, quàm voluntatis, utraque rationalis potentia afficitur erga illud objectum, ex qua affectione fieri solet, ut intellectus attentionem avertat ab extremo, quod repudiavit, & ut multò studiosiùs applicet

se

se ad considerandum attentiùs illud extremum, cui assensum præbuit, novum aliquid detegendo in ipso, vel id ipsum vividiùs cognoscendo: ex quo denique fiet, ut intellectus pro reliquis instantibus objecto illi multò firmiùs adhæreat, multòque magis abhorreat ab oppositio. Id quidem verum est, sed omninò importunum, & quod nihil prorsùs conducat in ordine ad præstandum primum assensum.

101. Quare, dum Recentiores nobis opponunt, seu dum reponunt ad nostrum argumentum, objectum, quod antecedenter, & pro priori ad actualem assensum, apparebat minùs probabile, per ipsum assensum actualem, sive consequenter ad ipsum, probabilius jam apparere, gratis omninò principium petunt, & terminos repugnantes connectunt. Hoc enim nos contendimus, & evincimus, repugnare videlicet assensum omnem tendentem circa objectum quodcumque, quod pro priori, & antecedenter æquè, aut minus probabile apparebat.

102. Cæterùm, prætermissa doctrina ista, adhibita Recentiorum solutio non satisfacit nostro argumento. Certè loquendo adhuc de apparentia ipsum assensum antecedenti, nemo unquam expertus est, nec publicè dicere audebit, se, omnibus inspectis, ac maturè consideratis, ut veram elegisse partem illam, pro qua minora reperit fundamenta, & quæ proinde minùs verosimilis sibi apparet.

103. Supponamus alioqui, hominem illum publicè disputantem celebrem aliquam controversiam (ut in Repetitionibus, aut Prælectionibus fieri solet) suspendere, uti potest, omnem intellectus assensum, donec utrinque expensis rationibus, sic tandem coram omnibus pronuntiat: *usque modò intellectus meus nullã sentẽtiam protulit de quæstione proposita: consideratis autẽ, ut vidistis, utriusque partis momentis, invenio, partem affirmativam gravioribus inniti, solidioribusque rationibus, vi quarum mihi apparet absolutè verosimilior: in gratiam tamen Magistri mei partem oppositam veram censeo.* Nemo unquam, ut reor, ita locutus est, neque citra pudorem talem sententiam proferre audebit. At unde precor pudor, si vera est Recentiorum sententia? Porrò, si assensus ille foret possibilis, & prudens esse posset juxta ipsos, immò quandoque, omnibus consideratis, oppositio quoque prudentior. Ideo ergo sic loqui nimis puderet hominem illum, quia videret à nemine fidem esse sibi adhibendam, sed mentiri potiùs, & fingere ab omnibus esse credendum. Est igitur omninò impossibilis præfatus intellectus assensus.

His rationibus puto, vera, & communis Philosophorum sententia satis ostensa, & stabilita, & (haud temere dixero) propriè, ac simpliciter demonstrata manet. Supereſt, ut solvamus argumenta, quæ Recentiores Probabilistæ contra illam subtiliter excogitarunt, & magno molimine urgent.

ARTICULUS X.

Solvitur primum argumentum contrarium ex multiplici testimonio Angelici Doctoris desumptum: ubi mens ejus accuratè expenditur, & pro nobis esse monstratur.

104. OPponunt nobis Recentiores primò in favorem suæ sententiæ multiplex D. Thomæ testimonium.

§. I.

Testimonia potissima ex D. Thoma, quæ nobis adversari videantur.

IN primis S. Doctor agens de objectis opinabilibus, & de modo, quo se intellectus habet ad illa, sic loquitur: *Sunt quædam apprehensa, quæ* S. Tho. 1. 2. q. 17. a. 6. corp.

non adeò convincunt intellectum, quin possit assentire, vel dissentire; vel saltem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam: & in talibus assensus ipse, vel dissensus est in potestate nostra, & sub imperio cadit. Ubi Angelicus Doctor clarè videtur tribuere intellectui utranque indifferentiam ad opinandum, nempè, & quoad exercitium, & quoad speciem.

105. Sed clariùs adhuc (inquit Terillus) loquitur S. Thomas, dum ait *Intellectus determinatur per voluntatem, quæ eligit assentire uni parti determinatè, & expressè propter aliquid, quod sufficiens est ad movendam voluntatem, non ad movendum intellectum; utpotè quod videtur bonum, & conveniens uni parti assentire.* Quid expressius?

S. Tho. q. 14 de verit. a. 1. corp.

106. Præterea idem D. Angelicus, disputans de merito fidei, cùm præmisisset, objectum evidenter demonstratum necessitare ad assensum sui, subjungit continenter: *Et ideò assensus scientiæ non est meritorius; sed consideratio rei scitæ subjacet libero arbitrio. Est enim in potestate hominis considerare, vel non considerare; & ideò consideratio scientiæ potest esse meretoria, si referatur ad finem charitatis, id est, ad honorem Dei, vel utilitatem proximi. Sed in fide utrunque subjacet libero arbitrio, & ideò quantùm ad utrunque actus fidei potest esse meritorius.* Hactenus D. Thomas, cujus verba, ait Esparza, adeò perspicua sunt, ut qui illa voluerit interpretari, non is sincerè Angelicum Doctorē revereatur, sed genuflexus colaphizet. Mitto leviora alia, quæ ex D. Thoma depromi possent.

S Tho. 2. 2. q. 2. a 9. ad 2.

Espar. par. 2 a. 118.

§. II.

Elucidatur mens D. Thomæ.

107. EAm nimirum haud esse ambiguam, sed pro sententia nostra nimis apertam, liquidò constat primò, quia in Commentario ad Textum de Anima suprà à nobis relatum, & expensum, approbat Aristotelis sententiam, ac in eodem sensu locutus cæteris interpretibus consentit.

108. Secundò, quia, ubi querit, *Utrum voluntas moveatur ab intellectu?* cùm tertio loco sibi objecisset, *Idem respectu ejusdem non est movens, & motum: sed voluntas movet intellectum; intelligimus enim quando volumus: ergo intellectus non movet voluntatem*: respondet: *Ad tertium dicendum, quòd voluntas movet intellectum quantùm ad exercitium actus .... Sed quantùm ad determinationem actus, quæ est ex parte objecti, intellectus movet voluntatem.* Ecce Angelicus Doctor, cùm objecisset sibi motionem voluntatis circa intellectum, tanquam incompossibilem motioni, quam exercet juxta omnes ipse intellectus circa voluntatem, respondet, has motiones nō esse incōpossibiles, quia *intellectus movet voluntatem quantùm ad determinationem actus*, hoc est, quoad ipsius speciem; voluntas verò *movet intellectum quantùm ad exercitium actus*. Manifestè ergo sentit, voluntatem non posse intellectum movere quoad speciem, ut rectè notat, & arguit ubi supra Cardinalis Pallavicinus; cur enim hanc motionem, quæ magis de se apparet incompossibilis, non explicaret M. Angelicus, ubi ex professo exponendum sucipit, quonam pacto potentiæ illæ invicem se se moveant, & qua ratione ipsarum motiones possint inter se cohærere?

S. Tho. 1. 2. q. 9. a. 1.

Pallavic. adduct. supra a. 3. nu. 37.

109. Profectò hoc argumentum, etsi negativum videatur, multò firmiorem pro sententia nostra mentem S. Doctoris mihi ostendit, quàm si conceptis verbis negasset motionem voluntatis in intellectum, quam adstruit contraria sententia; nam quòd illam non exprimat, nec meminerit, ubi tam urgens aderat causa exprimendi, argumentum est planè certum, quòd D. Angelicus adeo

pu-

putavit certam, & exploratam repugnantiam talis motionis, ut nec in ejus mentem de ipsa venerit dubitare, nec dubitandum cuiquam censuerit. Nec mirum, cùm opinio memoratam motionem adstruens, ignota sit antiquis Doctoribus, & cum moderno Probabilismo nata, ut de principiis reliquis, quibus innititur, per Operis decursum notabimus, & luculenter quoque ostendemus.

110. Dices: voluntas secundùm omnes movere quoad speciem potest intellectum, saltem mediatè, neque motionem istam censendus est D. Thomas negasse, ex eo quòd signatè non expresserit: ergo malè concludimus, ipsum negare motionem immediatam, ex eo quòd signatè non exprimat. Opportunè!

Sed facilè respondetur, discrimen manifestum esse: quippè motio mediata immediatè, & per se, non differt à motione quoad exercitium, sed per accidens tantùm, & mediatè; quia eatenus voluntas indirectè, & mediatè quoad speciem movere potest, quatenus potest immediatè, & per se, determinare quoad exercitium assensum intellectus opinativum, aut liberè ipsum suspendere; hinc enim indirectè consequitur, ut intellectus tandem convertatur ad assentiendum parti contrariæ: hanc igitur motionem exprimere non debuit S. Thomas. At verò motio illa immediata quoad speciem assensus, & dissensus, esset per se diversa à motione quoad exercitium, neque in ista contineretur. Non ergo potuit omittere illam, nisi repugnare censeret.

S. Tho. 1. 2. q. 13. a. 6. ad 3. 111. Tertiò, mens D. Thomæ colligitur quasi à fortiori ex eo, quòd apertè supponat, voluntatem non posse eligere alterum ex duobus bonis æqualibus, nisi applicet intellectum ad inveniendam rationem aliquam, vi cujus absolutè præmineat alteri. Et, quod mirandum est, id ipsum docet Cajetanus ibidem exponens, & amplectens, ut veram, S. Doctoris suppositionem. Qua tamen consequentia, viderit ipse; ecquis enim concedat intellectui veram indifferentiam ad opinandum inter æqualia, immò absque aliquo fundamento, quam Cajetanus ipsi concedit, si neget voluntati similem potestatem ad eligendum?

112. Quartò, D. Angelicus ubi nobis objectus à Terillo, omnem de mente sua dubitandi occasionem, præcidisse planè constabit, si legantur attentè, quæ antè producta verba præmiserat. *Quandoque enim* (inquit) *non inclinatur magis* (intellectus) *ad unum, quàm ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus; vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utranque partem, & ista est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. Quandoque verò intellectus inclinatur magis ad unum, quàm ad alterum: sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc quòd determinet ipsum in unam partium totaliter: unde accipit quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposita, & hæc est dispositio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Hæc D. Angelicus quæ certè Commentario non egent. S. Tho. q. 14 de verit. a. 1. corp.

113. Quintò demum (ut alia prætereamus) sententiam nostram D. Angelicus indubitatè tradit in Commentario ad textum Philosophi superiùs allegatum ex 3. Met. c. 1. ubi cum eodem Philosopho affirmat, intellectum ob conflictum rationum utrinque militantium, dubitare de utraque contradictionis parte: utique necessariò; quia intellectum sic dubitantem comparat etiam homini vinculo corporali ligato, qui progredi ulteriùs non potest, donec vinculum dissolvatur: ad solutionem autem vinculi intellectualis quid sit necessarium, exponens: *Et ideo* (inquit) *sicut ille qui*

vult solvere vinculum corporale, oportet, quòd priùs inspiciat vinculum, & modum ligationis, ita ille, qui vult solvere dubitationem, oportet, quòd priùs speculetur omnes difficultates, & earum causas. Ergo non potest solvere precisè per liberum voluntatis imperium, sed necessarium omninò est quærere, & invenire novas rationes, quibus pars altera alteri præmineat, ut possit intellectus per determinatum assensum in partem præeminentem declinare. Docet igitur clarè D. Thomas nostram, atque communem, & reprobat Recentiorum sententiam.

Hæc, si sincerè considerentur, satis manifestè, ut existimo, mentem S. Doctoris nobis ostendunt. Iis verò capitonibus, qui obfirmato judicio, quidquid sibi opponatur auctoritatis, interpretari fixa sententia est, frustra testimonia multiplices, etiam luce ipsa clariora. Sed nos ostendere veritatem promisimus, non verò inflexibilia judicia flectere.

§. III.

Ad testimonia opposita.

114. EX his ergo adeò claris D. Angelici testimoniis facilè colligere sit verum sensum eorum, quæ nobis adversari videntur; re tamen ipsa, si recte intelligantur, mentem S. Doctoris magis illustrant, & pro nobis stare manifestant.

Ad primum itaque dicendum est, non loqui D. Thomam de assentiendi, vel dissentiendi potestate directa, & immediata in ordine ad utrunque extremum, & eâdem omninò permanente apparentia objecti; sic enim sibi apertè contradiceret; sed de potestate immediata respectu unius actus, & mediata respectu alterius: quia, dum objectum per motiva assentiendi nō est evidenter propositum, facilè potest liberè voluntas avertere intellectum ab illis, & ipsum ad oppositа convertendo, invenire rationes, quibus dissentiat: quo tandem fit ut eidem objecto possit absolutè, & simpliciter, assentire, vel dissentire ex libero voluntatis imperio. Quod verò addidit S. Doctor, *vel saltem assensum, vel dissensum suspendere*, ideo dixit, quia aliquando contingit, ut novas intellectus rationes facilè invenire non possit, quo casu solùm poterit suspendere dissensum, vel assensum. Unde expositio data validè confirmatur; quia in hypothesi assumpta à D. Thoma, si intellectus haberet illam potentiam, quam falsò illi Recētiores attribuunt, semper præbere posset assensum, vel dissensum, & non quandoque tantùm illum suspendere. Non ergo habet potentiam illam ex mente D. Angelici.

115. Sed dices ex Terillo, libertatem mediatam ad dissentiendum, dari etiam respectu objecti clarè, & evidēter propositi: & tamen D. Thomas non docet, assensum evidentem esse liberum quoad speciem; immò expressè docet oppositum: ergo, dum talem libertatem statuit circa assensum opinativum, intelligi non debet de libertate tantùm mediata, sed etiam de immediata, ac directa. Terill. 1. p. de Regu. mo. q. 30. n. 10.

Respōdeo, libertatem illā esse valdè remotam, & quā non nisi rarò cōtingat exerceri; tùm quia volūtas nequit suspendere immediatè assensum evidentē; tum quia, licèt suspendat indirectè, divertendo intellectum ad alia objecta, non ita facilè abolentur species objecti semel evidenter cogniti: quare non nisi rerum mutatione, non modica, & temporis mora interjectis, tandem aliquando continget, ut intellectus possit falsum putare, quod semel censuit evidenter verum. Hanc ergò libertatē, usque adeò remotam, ac infrequentem, non debuit D. Thomas considerare. At verò circa objecta opinabilia libertas assentiendi, vel dissentiendi, quamvis non immediata, facilè solet, frequenterque exerceri:

qua-

quare non debuit illam S. Doctor omittere, dum expressius sermo incidebat de potestate nostri intellectus ad assentiendum, vel dissentiendum in ordine ad hujusmodi objecta; sicuti non omisit in eodem articulo recensere libertatem quoad exercitium, etiam circa demonstrabilia, quæ non prorsus infrequens est, quamvis non immediata sit, sed indirecta, ac mediata tantùm.

116. Replicabis: nos suprà arguebamus, intellectum non posse immediatè moveri quoad speciem à volũtate, quia ejusmodi motionem signatè D. Thomas non expressit. Cùm autem urgeremur, quia neque motionem mediatam, quoad speciẽ expressit S. Doctor, quin tamen inde liceat arguere illam intendisse negare: reponebamus, motionem istam virtute contineri in motione quoad exercitium, à qua immediatè, ac per se non differt, ideoque non debuisse à D. Thoma considerari. Cur ergò modò S. Doctorem, dum potentiam statuit intellectus ad assentiendum, vel dissentiendum, exponimus de potentia mediata, saltem respectu alterius extremi? Hæc profectò non satis cohærere sibi videntur.

Resp. nihil esse implicationis, nec in D. Thomæ doctrina, neque in nostris expositionibus. Porrò in priori loco rectè concludimus, Angelicum Doct. negasse universalitèr motionem immediatam quoad speciem, quia nec expressit illam in se ipsa, nec item in aliquo alio, in quo contineatur virtualiter, cùm tamen, si daretur, non debuisset illam omittere, dum ageret de repugnantia, aut cohærentia mutuæ motionis intellectus, & voluntatis. Ex eo verò, quòd motionem mediatam signatè non expresserit, non est censendus illam negasse, quia motio ista virtualiter continetur in motione, quoad exercitium, quam conceptis verbis expressit.

Jam verò in hoc posteriori loco potentiam intellectus ad assentiendum, vel dissentiendum, quam D. Thomas asserit, rectè exponimus de potentia mediata, & indirecta, saltem ex parte alterius extremi; tùm quia non aliter verba S. Doctoris verum sensum habere possunt; tùm quia intellectus habet reverà prædictam potentiam mediatam, quam non infrequenter exercet: unde quamvis potuerit S. Doctor illam omittere, utpotè præcontentam in potestate quoad exercitium, verè tamen potuit, & voluit illam etiam in se significare: & quidem opportunè, ut distinctiùs innueret, quid intellectus absolutè possit circa objecta non evidentia. In his verò quid implicantiæ? Planè nihil, si rectis oculis aspiciantur.

117. Secundum D. Thomæ testimonium clariùs adhuc apparet intelligendum esse de motione immediata solùm quoad exercitium, ad quod nullum objectum non propositum evidenter sufficit intellectum determinare, & ideo ad auferendã indifferentiam, ac suspensionem, tùm objecti, tùm intellectus, requiritur imperium voluntatis liberè decernentis ex aliquo motivo sibi proprio, ut intellectus uni parti assentiatur. Cæterùm, quòd non possit ipsum determinare ex mẽte D. Thomæ, nisi in partem præponderantẽ, & quæ ex se magis intellectum inclinet, constat apertè ex verbis ipsius, quæ in eodem loco præmiserat, & transcripsimus §. præcedenti.

118. Ad tertium denique testimonium dicimus, ipsum continere doctrinam optimam quidem, atque verissimam, sed nulla ex parte nostræ contrariam. Enim verò in quocumque assensu, sive evidenti, sive opinativo, duo possunt considerari, nempè attentio intellectus, sive applicatio actualis ad considerandas rationes, quibus moveri possit ad assentiendum, & præterea ipsa actualis determinatio, sive actuale exercitium assentiendi. Ait ergò D. Thomas,

mas, primùm, hoc est, actualem intellectus applicationem, sub libertatem cadere, etiam quando evidenter proponitur objectum, quia liberè potest voluntas (ut plurimum, ac per se loquendo) intellectum divertere, vel applicare ad dictam considerationem; quæ proinde, si fiat ex aliquo honesto motivo, honesta & ipsa erit, ac meritoria: ipsum verò exercitium assentiendi nullo modo esse liberum ex prædicta suppositione, quia objectum sic propositum intellectum necessitat ad assensum.

119. Cæterùm quando objectum non evidenter, sed obscurè proponitur, ut in objecto fidei contingit, tunc ait, etiam ipsum assentiendi exercitium liberum esse, atque meritoriũ, quia adhuc ex suppositione considerationis actualis, intellectus manet indifferens ad assentiendum, vel non assentiendum, adeòque potest liberè à voluntate determinari ad ipsum actualem assensum contra propriam inclinationem, & conatum ipsius intellectus semper ex se tendentis, atq; conantis ad quærendam notitiam evidentem objecti, per quam ipsius appetitus satietur.

120. Et hæc est intellectus captivitas in obsequium fidei Divinæ, quâ nobis commendat Apostolus: quòd nimirum voluntas piè affecta erga Deum, & adjuta gratiâ divinâ, obliget intellectum, & quodammodo cogat, ut nihil ultrà quærat, sed solo Dei testimonio contentus sit, & eidem actu assentiatur propter divinam auctoritatem, non firmiter utcumque, verùm multò firmiùs, ac certiùs, quàm si evidenter ipsum cognosceret. Hæc est propria libertas assensus fidei, videlicet quoad exercitium, ex qua sequitur alia indirectè, ac mediatè libertas quoad speciem, juxta superiùs dicta, & juxta inferiùs etiam dicenda in solutione tertii argumenti.

In hac verò doctrina D. Thomæ quid precor invenitur nostræ contrarium, ob quod nobis necessum sit, vel D. Angelicum palàm negare, vel ipsum *non sincerè revereri, sed genuflexos colaphizare?* Utinam Recentiores Probabilistæ sic D. Thomam ubique revereantur, non de genu dumtaxat, sed de mente! Profectò non auderent in controversia nostra præcipua, totiusque moralis Theologiæ gravissima, ac momentosissima, vel apertè deserere summum, atque communem Theologicæ Scholæ Magistrum (quod aliqui ipsorum non timent), vel mentem ejus nimiùm perspicuam inani quadam interpretatione deludere (quod alii non verentur), meâ quidem sententiâ, multò magis irreverenter.

ARTICULUS XI.

Solvitur argumentum secundum ex epistola de Obedientiæ virtute Santissimi Parentis N. Ignatii.

121. SEcundò opponunt adversarii nobis auctoritatem maximam quidem omnibus, sed nobis specialiter venerandam SS. N. Parentis, in divina illa epistola de obedientiæ virtute ad filios suos Patres Lusitanos nostri Collegii Conimbricensis, quod Regiâ tunc munificentiâ erectum maximâ jam virtutum, & scientiarum laude florebat. In hac autem epistola S. Pater agens de perfectissimo, atque supremo obedientiæ gradu, cùm præmisisset nu. 9. debere subditum non voluntatem tantùm, sed etiam intellectum Deo immolare, conformando judicium suum cum sui Superioris judicio: ut hoc esse possibile demonstret, rationem philosophicam subjungit, nempè, quod *Intellectus multis in rebus, in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert, potest voluntatis pondere in hanc potiùs, quàm in illam partem inclinari.* Quid clarius dici potuit?

122. Quod si fortè respondeas, assertionem S. Parentis intelligendam esse, non de indifferentia immedia-

diata ad assentiendum huic, vel illi parti, sed de mediata tantùm, ac indirecta, quatenus intellectus potest, & debet moveri à voluntate ad quærendas novas rationes, ut se conformet Superioris judicio: contra insurgit ingeniosus Recentior (qui sic in Philosophia se respondisse dicit, ubi sententiam nostram docuerat, quam solemniter hìc retractat): contra, inquam, insurgit; nam hæc solutio est planè contra mentem, & legitimum sensum S. Patris. Sanè intellectum posse modo dicto inclinari in hanc partem minùs probabilem, potiùs quàm in partem oppositam, non est posse inclinari voluntatis imperio, aut pondere, quod S. P.N. affirmat, sed inclinari posse prævalentiâ: ipsoque pondere motivorum noviter aliunde advenientium. Ita ille, qui idcirco magni facit hoc argumentum, sicut & alii plures, præsertim verò P. Esparza.

Espar. par. 2. a. 129.

123. Resp. tamen absque omni formidine, aut resipiscentiæ timore, mentem N. S. Parentis esse quàm alieniſſimam ab ea, quam refellimus Recentiorum sententia. Enim verò, si sensus productorum verborum nō foret adeò naturalis, ac planus, nec Pater ipse Sanctus tot, & tam clara nobis argumenta præberet, quibus sententia ipsius clarissima nobis redditur, adhuc intelligentiæ Recentiorum acquiescendum nobis non esset, sed totis potiùs viribus connitendum, ut qualibet interpretatione non penitus inverisimili, quamvis ad speciem duriori, verba S. Parentis in nostram, & communem sententiam traheremus.

124. Quidni verò? An ne nos æquum reputemus, aut decens, quod S. N. Parens, abjectâ communissimâ antiquorum Philosophorum, & Doctorum omnium sententiâ, doctrinam verè auream, verè cœlestem, per quam summam prudentiæ, & obedientiæ perfectionem ingerit, & in qua nihil dubium, nihil non solidissimum reperias, adstructam, ac innixam esse voluerit opinioni non tantùm singulari, verum, quam vix tunc aliquis, aut ne vix quidem aliquis docuerat? Præclaram sanè laudem quæreremus eximio nostro perfectionis Magistro.

125. Utique voluntatem eligere, aut imperare intellectui nostro assensum partis minus probabilis, ut minimum est infimus prudentiæ gradus, id fatente Terillo per hæc verba, *Imperare, consulere, atque amplecti medium minus probabiliter illativum finis intenti* (nimirum assequendæ veritatis) *est infimus gradus prudentiæ, cùm quidquid infra illum est, manifestam contineat temeritatem, & imprudentiam.* Et tamen nos non pudeat, vel cogitare, S. Parentem N. cælestem Religiosæ perfectionis Doctorem, hanc nos viam docuisse, dum ad summum nos duceret prudentiæ apicem, supremamque obedientiæ perfectionem?

Terill. q. 10. de cōſc. n. 18.

126. Mens ergo Beatissimi N. Parentis nihil differt à vera, & communi sententia, ac ne leviter quidem sententiam Recentiorum insinuat. Porrò in sententia nostra verum est absolutè, in rebus incertis, ac dubiis posse intellectum voluntatis pondere in hanc, vel illam partem inclinari: non quidem quia assentiri proximè possit parti, quæ minus sibi, aut æquè verosimilis appareat, sed quia voluntas potest pro sua libertate, & dominio, quod in intellectum exercet, ipsum convertere, & applicare ad quærendas novas rationes, quibus pars eadem, quæ antecedenter minùs ei verisimilis apparebat, appareat absolutè verosimilior, adeoque simpliciter vera, & enuntiabilis ab ipso intellectu. Hunc, & non alium sensum verba S. Patris habere, argumentis perspicuis monstrari potest, quæ leviter delibare sufficiat, ut nullus maneat, vel dubitandi locus.

127. Primò: quia S. Parens supponit, & expresse etiam affirmat, quod est certissimum apud omnes, videlicet *intellectus assensum ipsa natu-*

tura ferri in id, quod sibi veri speciem præbet: pars autem, quæ intellectui ut minùs verosimilis proponitur, in conspectu partis oppositæ, & verosimilioris, non præbet absolutè veri speciem, sed magis præbet speciem falsi, vel, si sit æquè tantùm verosimilis, non magis veri speciem, quàm falsi præbet. Non ergo potest proximè, & immediatè intellectus in illam ferri.

128. Secundò: motivum, & finem, ex quo S. Parens movetur ad doctrinam illam tradendam, & ex quo filios suos movere etiam intendit, ut in rebus incertis judicium suum cõforment cum sui Superioris judicio, exprimit ipse nu. 11. disertissimè per hæc verba, *Jam vero, si finis, & causa obedientiæ spectetur, quemadmodum voluntas, ita & judicium, in eo, quod nobis convenit, decipi potest. Ergo, sicuti, ne voluntas erret, cum Superioris voluntate conjungitur; sic intelligentia, ne fallatur, ad Superioris intelligentiam conformanda est.* Ad assequendum autem hunc finem quis dicat esse utilem, doctrinam de intellectus indifferentia ad assentiendum proximè parti minùs probabili, aut ejusmodi assensum esse opportunum medium, quod nimirum ex se potiùs infert finem oppositum?

129. Sanè, qui objectum aliquod æquè, vel minùs sibi verosimile pro priori ad ejus assensum, ultrò, ac scienter eligit, & opinatur, non potest non videre, & rogatus etiam fatebitur, verosimilius esse, aut saltem æquè sibi verosimile, se per assensum ejus objecti re ipsa falsum iri, & finem veritatis non obtenturum; quod ex ipsa acceptione terminorum evidens debet esse apud omnes. Deviam igitur viam docuisset S. Pater, & medium consuluisset ineptissimum ad finem erroris vitandi, quem sibi, & nobis ibi præfigit, si sensum Recentiorum præseferret ejus assertio, & non potiùs antiquam, & veram sententiam teneret.

130. Denique, si Romam petenti hujusmodi consilium quis præbeat: *quoties in bivio te constitutum invenias, perplexumque de via tenenda, ut non aberres à recta via, illam arripito, quam inspectis omnibus, verosimilius appareat tibi non esse rectam viam, sed obliquam, & quæ à Roma potiùs avertat.* Peto te, quid censeres de ejusmodi consilio? An consiliarium illum prudentem judicares, an stolidum potiùs, atque delirum? Et volunt Recentiores, ut credamus, S.N. Parentem Dei spiritu plenum, & summum prudentiæ Magistrum, simillimum consilium, immò penitus idem, nobis præbere, ut in rebus incertis non fallamur, nec aberremus à via salutis? Profectò nimis carò Recentioribus cõstat recedere à sententia communi, ut nunquam deserant Theologiam benignam.

131. Tertiò demum: viam, & modum, quo voluntatis pondere possumus, ac debemus inclinare intellectum nostrum, ut sequatur judicium Superioris, illi se conformando per actualem assensum, quod S. Pater suadet illo nu. 9. Ut *non solùm idem velit, sed etiam, ut idem sentiat, quod Superior, ejusque judicio subjiciat suum, quoad potest devota voluntas intelligentiam inflectere*: modum, inquam, & viam, quam tenere debemus, ut finem hunc propositum assequamur, sapienter, ac distinctè ipse nobis ostendit à nu. 16. tria suggerens media opportunissima, & efficacissima, quibus possimus facilè judicium nostrum flectere, & Superioris judicio subjicere.

123. Primum, *ut in persona Superioris non intueamur hominem obnoxium erroribus, atque miseriis: sed Christum ipsum, qui est sapientia summa, bonitas immensa, charitas infinita, qui, nec decipi potest, nec nos vult ipse decipere.* Secundum, *ut, quod Superior mandat, ac sentit, defendere semper apud animos nostros studiosè nitamur, variis ad hoc quæsitis rationibus*: sic enim habet autographum

Hi-

Hiſpanum. Tertium denique, *Ut nobiſcum ſtatuamus, quidquid Superior præcipit, ipſius Dei præceptum eſſe, & voluntatem.* Uide precor, quàm ſit alienum à mente S. N. Parentis docere, vel conſulere ſubjectionem judicii per immediatum, ac proximum aſſenſum partis æquè, aut minùs probabilis. An non potiùs rationes ipſe offert, & quærendas nobis ſuadet, quibus pars illa, quam amplecti debemus, non jam magis probabilis, ſed valdè certa nobis appareat, ſaltem ut plurimùm, ac per ſe loquendo?

133. Et verò mirum foret, ſi Magnus noſter obedientiæ Magiſter viam obediendi doceret adeò à veritate aberrantem, ut per minùs veroſimilia veritatem ipſam inquirere, aut potiùs declinare juberet. An non liceret nobis cum Bernardo exclamare, *O odioſa perverſitas! Obedientiæ virtus, quæ ſemper militat veritati, adverſus veritatem accingitur?* Sed verò de obedientia, & de doctrina, quam circa illam tradit S. P. N. Ignatius, uberiùs eſt à nobis in ſecunda parte dicendum, ubi ex hoc etiam capite facilè demonſtrabimus, quantum deficiat benigna Theologia à veræ Theologiæ principiis. Nunc ad præſens propoſitum dicta ſufficiant.

Bern. epiſt. 7. propius ad fin. quàm ad med.

ARTICULUS XII.

Solvitur argumentum tertium ex libertate aſſenſus divinæ fidei.

134. HInc Terillus, Eſparza, & alii Recentiores ex ipſis fortiſſimum, ut autumant, contra ſententiam noſtram argumentum depromunt, quod ita Terillus efformat.

Terill. de conſc. proba. q. 9. aſſert. 1. à n. 4.

§. I.

Argumentum proponitur ex Terillo.

ASſenſus fidei ſupernaturalis liber eſt, juxta omnes, alioqui non foret meritorius, quod Catholicè nequit dici. At non ſolùm eſt liber libertate contradictionis, ſive quoad exercitium, quia poteſt intellectus non aſſentiri myſteriis revelatis; ſed etiam libertate contrarietatis, ſeu quoad ſpeciem, & quia intellectus poteſt diſſentire fidei myſteriis, & contrariis erroribus aſſentire. Ergo aſſenſus opinativus poterit eſſe liber quoad ſpeciem, adeòque poterit intellectus ex libero voluntatis imperio parti minùs probabili aſſentiri. Conſequentia infallibilis videtur; tum, quia nulla motiva hæreſum, vel errorum fidei oppoſitorum, tantæ apparentiæ ſunt relatè ad motiva credendi, quantæ eſt motivum minùs probabile relatè ad probabilius ſibi oppoſitum; tum, quia alioquin (inquit Terillus) nemo peccare poſſet hæreſis peccato formali; quia nemo peccat peccato hæreſis, quin immò *neque agit imprudèter*, ob aſſenſum erroneum, quandiù myſteria fidei non proponuntur cum majori veroſimilitudine. Porrò, *Qui credit citò, levis corde eſt*, ut dixit Eccleſiaſticus cap. 19.

Terill. ibidem n. 11.

Eccle. 19.

135. Minor ergo, quæ ſola probationem deſiderat, probatur primò ex D. Angelico 2. 2. q. 1. a. 4. corp. ajente, *Alio modo intellectus aſſentit alicui, non quia ſufficienter moveatur ab objecto proprio, ſed per quamdam electionem voluntariè declinans in unam partem, magis quàm in aliam. Et ſi quidem hoc ſit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio. Si autem ſit cum certitudine abſque tali formidine, erit fides.* Id ipſum docet q. 2. a. 1. ad 3. *Intellectus credentis determinatur ad unum, non per rationem, ſed per voluntatem, & ideo aſſenſus*

D. Thom.

hic accipitur pro actu intellectus, secundùm quod à voluntate determinatur ad unum. Ad unum verò determinari, est determinari ad speciem, & reipsa, & in phrasi D. Thomæ. Cujus sententiam de libertate fidei, etiam quoad specificationem, non solùm docet P. Suarez, sed etiam adeò certam existimat (inquit Terillus), ut ne unum quidem Auctorem, nec ullam pro parte contraria afferat dubitandi rationem, Immò esse reipsa communem Theologorum sententiam, & sibi omninò certam, affirmat P. Aloisius Turrianus apud Esparzam id ipsum affirmantem.

P.Sua. d.6. de fid. s. 6. n.3.

Terill. ibi. n.4.

Turria.d. 29. de fid. du. 1.

Espar. par. 2.a.118.

136. Probatur iterùm eadem Minor: quia propositis sufficienter mysteriis fidei coram pluribus auditoribus, possunt aliqui credere, alii verò assensum suspendere, alii autem suis erroribus pertinaciter adhærere, ut Apostolo Athenis prædicante, de facto contigisse narratur Acto. c. 17. *Cùm audissent resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant*, en pertinaciter dissentientes: *Quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum*, ecce suspendentes assensum: *Quidam verò viri adhærentes ei crediderunt*, ecce veritati assentientes. Poterant ergo isti dissentire, sicut & alii, vel assensum suspendere, & vice versa, adeòque, tam assensus, quàm dissensus, liber erat in omnibus quoad exercitium, & quoad speciem.

137. Confirmatur primò: qui propter argumenta in contrarium opposita actu oppugnatur, atque tentatur de fide alicujus mysterii, etsi majori cum difficultate, potest adhuc liberè credere, alioqui non peccabit, si non credat. At major illa difficultas credendi non oritur aliunde, quàm ex possibilitate contrarii dissensus: ergo quia potest homo sic tentatus liberè dissentire, si velit: ergo assensus in eo casu liber est, etiam quoad speciem.

138. Confirmatur secundò: dum intellectus in præfata hypothesi assentitur mysterio revelato, sic assentitur, ut absolutè possit, si velit, assensum suspendere, alioquin assensus liber non esset, neque quoad exercitium: ergo & potest, si velit, dissentire, sive assentiri errori contrario. Probatur consequentia: quia magis est violentum intellectui suspendere omne judicium, quàm assentiri parti minùs probabili; in hoc enim non nisi unicam; in illo verò, duplicem violentiam patitur. At intellectus magis abhorret, adeòque minùs obedit voluntati circa id, quod est sibi magis violentum: ergo, si potest in hypotesi facta voluntas intellectum cogere ad suspendendum omnem assensum, multò faciliùs poterit ipsum flectere, ut assentiatur cuilibet contradictionis parti, adeòque liber erit assensus utroque genere libertatis. Ita Terillus totidem pænè verbis.

§. II.

Propositi argumenti inefficacia multipliciter demonstratur.

139. SAnè argumentũ istud, quod apud Recentiores magni habetur, quodque Esparza *convincens*, Terillus autem vocat *efficacissimum*, non modò non est efficax, aut convincens, sed potiùs adeò inefficax, & importunum ad propositum Recentiorum, ut sit non parva admiratione dignum, quod ab hominibus ingeniosis, ac doctis, contra sententiam nostram opponatur; immò quod in eorum mentem ascenderit.

Et primùm quidem Terillus, & Esparza, qui sunt præcipui illius Auctores, nescio qua consequentia possint illud nobis objicere. Porrò uterque, ut notavimus superiùs, conceptis verbis docet, potentiam intellectus (utique proximam) ad assentiendum, vel dissentiendum, cohærere non posse cum judicio, quo quis signatè credit æqualitatem motivorum; & à fortiori potentiam

Art.3.à nu. 80.

dis-

dissentiendi cum judicio, quo credit, motiva assensus præponderare; quod esse evidens absolutè, & reipsa, ex eodem Terillo nos ibidem ostendimus. Aliunde uterque tenet cum communi sententia, mysteria fidei nostræ sufficienter proposita, esse evidenter credibilia supra omnes oppositos errores, quod proinde non potest intellectus non judicare pro priori ad assensum fidei, idque Terillus ipse disertè affirmat, ut vidimus in eodem loco. Qua ergo consequentia nobis opponunt, posse intellectum proximè, & immediatè mysteriis fidei sufficienter propositis assentiri, vel dissentire?

140. Deinde, si non aliter salvari potest, aut explicari, libertas nostra necessaria ad meritum fidei, quàm, ut nostri adversarii exponunt; profectò, qui in eodem instanti non tentatur actu de fide, & cui errores contrarii actu non proponuntur, ut verosimiles, atque probabiles, sive ut absolutè credibiles (utique proximè, ac immediatè), elicere non poterit fidei assensum salutarem, ac meritorium; quod certè nemo prudens, immò nemo Catholicus fateri audeat.

141. Præterea, non unius, vel alterius, sed plurium, graviumque Theologorum cõstans sententia est, & mihi verissima, mysteria Religionis Christianæ non solùm evidenter credibilia, sed etiam esse evidenter vera, non quidem in se ipsis, & evidentiâ, ut ajunt, intrinsecâ, sed extrinsecâ, & in attestante, quatenus argumentis luculentissimis, & nimis evidentibus, ostenditur, Deum esse ipsius Auctorem, ex quo evidenter etiam concluditur mysteriorum ipsorum veritas. Neque difficile explicatu est (quidquid aliqui refragentur), qua ratione evidentia hæc veram, & absolutam libertatem, adeòque fidei meritum non perimat. Sed his nunc immorandi locus non est.

142. Nam, quidquid de hoc sit, communis est Theologorum sententia, omnem assensum fidei divinæ necessariò supponere assensum alium (seu naturalis sit, seu supernaturalis, quod nihil facit ad rem præsentem), quo mysterium credendum intellectus verum existimet. Et ratio est facilis, ac manifesta: quia pro priori ad omnem assensum fidei infusæ, ac supernaturalis, requiritur indispensabiliter, ut intellectus actu cognoscat, & quidem certò, ac sine formidine, existentiam divinæ revelationis. Porrò hæc propositio, *assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solùm probabili revelationis; immò cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus*, est 21. ab Innocentio XI. damnata an. 1679. Id, quod per se ultrò patet, ut nulla sit probatione opus; quomodo nanque possum certò, ac sine formidine credere Deo loquenti, si nesciam, aut si dubitem, utrum Deus locutus sit? Hac verò certa cognitione supposita, adjuncto alio evidenti principio, quod nullus intellectus ignorat, *quidquid loquitur Deus, verum est*, intellectus omninò manet determinatus, etiam quoad exercitium, ex communi sententia Philosophorum, vel saltem quoad speciem (quod nobis sufficit) ad judicandum, mysterium esse verum, & consequenter proximè, ac immediatè omninò impotens ad dissentiendum.

143. Videri de hoc potest inter alios P. Oviedo, qui traditam doctrinam merito jure statuit, tanquam certam, atque communem: ex qua per illationem legitimam deducit, assensum fidei supernaturalis nunquam posse esse liberum quoad speciem, proximè scilicet, ac immediatè, sed indirectè, & mediatè tantùm, nisi fortasse in aliquo raro eventu intellectus dicatur posse suspendere memoratum assensum prævium, vel aliquam ex præmissis ejusdem; qui eventus utrùm sit absolutè possibilis, meritò subdubitat ipse. Certè discursus proximè factus absolutam eventus repugnantiam videtur ma-

Ovie. controv. 5. de fid. pu. 4. n. 58.

nifestè convincere. Vide ergo, quàm validum argumentum desumant cõtra nos Recentiores ex libertate fideì divinæ! Vide, quàm efficaciter nobis opponant auctoritatem D.Angelici, & Theologorum omnium certum, ac commune suffragium!

§. III.

Argumenti solutio.

144. AD argumentum igitur resp., concessa Majori, negando Minorem in sẽsu quæstionis præsentis, si nimirum procedat, uti debet, de potentia intellectus proxima, & immediata, ad dissentiendum fidei mysteriis. Ad primam probationem ductam ex testimoniis D. Angelici respondemus, mentem Doctoris Sancti esse nimis perspicuam, tum ex proximè dictis, tum ex dictis superiùs. Utrunque igitur testimonium accipi debet de potentia intellectus mediata, & indirecta, quam absolutè exercere potest ex libera electione voluntatis ipsum pro suo libitu applicantis ad considerationem motivorum unius partis, potiùs quàm alterius. Sup. a. 10.

145. Sanè, quod hæc, & alia similia D.Thomæ verba, quatenus exprimunt, aut insinuant, libertatem assensus fidei, sive intellectus indifferentiam ad assentiendum, vel dissentiendum, intelligi non possint de indifferentia proxima, ac immediata in ordine ad utrunque extremum, vel ex eo fit evidens (omissis argumentis proximè factis), quòd intellectus proximè potens dissentire fidei mysteriis, seu (quòd eodem redit) oppositis erroribus assentiri, nulla ratione potest assentiri mysteriis revelatis firmiter, ac sine formidine: quomodo nanque poterit intellectus non formidare, neque timere deceptionis periculum, quando assensum præstat objecto, cujus oppositum in eodem instanti apparet ipsi, omnibus inspectis, adeò probabile, aut verosimile, ut possit illud proximè opinari, verumque absolutè censere? Cogitet prudens quisque apud se, an id appareat sibi possibile?

146. Unde deduces (quod est valde notandum), hæc, & alia hujus generis D.Angelici testimonia, communeque, ut ajebant, suffragium Theologorum ipsi S. Doctori de fidei libertate consentientium, non modò nõ prodesse Recentioribus, verum etiam multùm obesse, quippe quæ in ipsorum sententiam admodum efficaciter retorqueantur.

Ratio autem ex dictis in promptu est: nam si D. Angelicus, & reliqui Doctores cum ipso, quoties insinuant, vel affirmant expresè, assensum fidei nostræ liberum esse, etiam quoad specificationem, accipiendi non sint de indifferentia proxima, & directa ad assentiendum fidei misteriis, sed de indirecta tantùm, ac remota: ergo ubicumque affirmant, aut docent similem intellectus indifferentiam ad opinandum unum, vel alterum, alicujus contradictionis extremum, intelligi non debent de indifferentia proxima, & immediata comparativè ad utrunque extremum, sed de immediata respectu unius, & mediata respectu alterius. Cur enim utrobique non accipiantur in eodem sensu, cùm sit idem loquendi modus, & eadem utrobique ratio, ut Recentiores ipsi contendunt?

Atqui, dum S. Thomas, & cæteri Doctores cum ipso insinuant, aut affirmant libertatem assensus fidei, etiam quoad specificationem, seu, quod in idem recidit, intellectus indifferentiam ad assentiendum, vel dissentiendum mysteriis revelatis, intelligi non possunt in sensu, quem intendunt Recentiores, sed in sensu nostræ sententiæ, ut certis argumentis ostensum est. Ergo ubique, & universaliter in hoc eodem sensu sunt accipiendi, dum absolutè docent, aut proferunt similem intellectus indifferentiam ad opinandam quam-

quamlibet contradictionis partem. Igitur testimonia D. Thomæ, cæterorumque Theologorum pro libertate fidei divinæ, non adversariis prosunt, sed nocent, & pro communi, ac nostra sententia militant.

147. Ad secundam Minoris probationem resp. ut ex eventu, quem narrat Historiographus facer, aliquid possent Recentiores concludere in favorem suæ sententiæ, opus erat ipsis probare, eos omnes, qui audierunt divinam illam prædicationem Apostoli, fuisse eodem modo dispositos, eandemque præstitisse attentionem, tandemque eodem modo apprehendisse mysteria exposita; alioqui quis neget, idem numero objectum materiale diverso modo cognitum, aut apprehensum, posse movere simul ad oppositos actus comparativè ad plures intellectus? At id ex Scriptura minimè constat, neque probari potest aliunde, quàm per divinam revelationem, quam Recentiores nunquam ostendent.

148. Ad primam argumenti confirmationem resp. eum, qui actu oppugnatur, aut tentatur de fide, majori cum difficultate, cæteris paribus, assentiri mysteriis, quia rationes contrariæ distrahunt intellectum ipsius, illum urgentes, ac solicitantes, ut eas actu examinet, & attendat: ex quo fit etiam, ut motiva credibilitatis fidei minorem vim, & efficaciam habeant ad movendum actu intellectum; Hinc verò minimè concludere licet, intellectum habere indifferentiam ad assentiendum, vel dissentiendum cuilibet parti contradictionis, nimirum proximam, aut immediatam, de qua in præsenti tota lis vertitur. Id, quod Terillus ipse diffiteri non potest, in eventu, quo judicet intellectus, motiva dissentiendi, verbi gratia, esse minora oppositis; tunc enim solùm posset assentiri juxta Terillum, majori tamen cum difficultate, quàm si nulla ab oppositio urgerent motiva dissensus.

149. Ad secundam confirmationem, concesso Anteced. nego consequentiam. Ad cujus probationem nego Majorem, vel suppositum ejus: nam assentiri parti minùs probabili, seu, quod eòdem redit, dissentire probabiliori in terminis præsentis controversiæ, non est intellectui violentum, sed prorsus impossibile, ut nos probamus. Rursus ex alio capite Terillus falsò, ac impropriè loquitur; quia suspendere judicium omne circa objectum non evidenter, sed probabiliter tantùm propositum, nullo modo violentum est, sed valde naturale intellectui, & juxta innatam inclinationem ipsius, naturaliter refugientis quodlibet deceptionis periculum. Et quidem alioqui nullo indigeret imperio positivo voluntatis ad assentiendum in ea hypothesi, quod tamen falsum est juxta Terillum, & juxta omnes.

§. IV.

Reflexio ad Terilli doctrinam.

150. QUàm sit inefficax argumentum, quod P. Terillus desumit ex libertate fidei divinæ, quodque appellat *efficacissimum*, tradita solutio demonstrat. Cæterum transmittenda non est, absque aliqua saltem reflexione, doctrina, quam statuit, ut opinionem suam concludat de indifferentia proxima intellectus ad assentiendum parti, etiam minùs probabili.

Nemo (inquit Terillus) *peccat peccato hæresis propter assensum erroneum, quando mysteria fidei non proponuntur cum majori verisimilitudine, quàm errores contrarii, nam qui citò credit, levis est corde. Rursus, per adversarios, nemo potest assentiri erroribus, nisi illi proponantur intellectui cum majori verisimilitudine, quàm objecta opposita. At in sensu composito talis dispositionis nemo peccat peccato hæresis, qui objecto sic proposito assensum* Terill. ubi sup. n. 11.

ſum præbet; nam aſſenſus ille omnibus hìc, & nunc in utrinſque partis favorem apparentibus ritè perpenſis, prudens eſt, quia parti veriſimiliori adhæret, quod prudentiæ eſt, non pertinaciæ, & hæreſis. Ita ad verbum Terillus, qui tota illa prima aſſertione ſæpius eandem doctrinam inculcat, tum, in hoc argumento de libertate fidei, tum inſuper, in alio, quod ibidem deſumit ex libertate temerè judicandi, articulo ſequenti ſolvēdum.

Hæc Terilli doctrina maximè conſonat ei, quam refellimus controverſia ſecunda, & utraque, ut exiſtimo, ex eadem radice pullulat, nempe ex illo principio communi jam, & in paucis charo Recentioribus Probabiliſtis, quo prætenditur, neminem peccare poſſe formaliter, ac imputabiliter abſque malitiæ aliqua actuali cognitione, ſcrupulo, aut remorſu conſcientiæ. Radicem hanc cum ſuis ſtolonibus in ultima parte, ut promiſimus, Deo auſpice, convellemus, & per totius Operis decurſum multa, occaſione data, contra illam dicturi ſumus; eſt enim (ut compendio dixerimus) totius benignæ Theologiæ fulcimenta potiſſimum, aut unicum, ſine quo ſtare Probabiliſmus non poſſet, ut luculenter poſtea monſtrabimus. Interim verò brevem hìc reflexionem, velut indicem dicendorum, in iſtam Terilli doctrinam, prætermittere non debuimus, ut opinionis etiam, quam nunc refellimus, falſitas manifeſtiùs appareat.

151. Quoniam igitur, ut Terillus ſtatuit, nemo hæreticus peccat peccato hæreſis ob aſſenſum erroneum, quandiù myſteria fidei non proponuntur ipſi (nempè proximè, & actu) cum majori veroſimilitudine, quàm errores contrarii; immò aſſenſus, quem præbet ſuis erroribus, dum ſibi apparent proximè, & actu veriſimiliores, quàm myſteria fidei propoſita, prudens eſt, & non hæreſi, aut pertinaciæ, ſed veræ prudentiæ adſcribendus: quoniam, inquam, hæc eſt reſoluta ipſius aſſertio, fateri Terillus debebit, hæreticum, aut infidelem, cui myſteria Fidei Catholicæ ſufficienter propoſita, & expoſita propter nimiam ſuam ſuperbiam, & adhæſionem ad errores ſuos, non modò non apparent veriſimiliora, ſed neque digna, quæ conſiderentur, neque eſſe hæreticum, aut reprehenſione dignum, neque peccare, aut imprudenter agere, eò quòd non aſſentiat, ſed potiùs poſitivè diſſentiat, immò execretur Chriſtianam Religionem. Hæc, ſi benè attendatur, nō tam eſt evidens doctrinæ ſequela, quàm ipſamet Terilli doctrina, inutilis alioqui futura ad concludendam ſuam ſententiam. Porrò in præfata hypotheſi actu proponuntur errores, ut veriſimiliores, immò etiam ut infallibiles, quibus, ut ſic propoſitis, aſſentiri, hæreticum non eſſe, immò eſſe prorſus irreprehenſibile, atque proprium prudētiæ opus, univerſaliter Terillus affirmat, & quidem admodum cōſequenter, ut poſſit aliquid contra nos concludere.

152. Sequelam verò ipſam nullus opinor Theologus admittet, aut tolerandam exiſtimabit; quid enim aliud foret, quàm homines ſceleratiſſimos, obcæcatiſſimos, & obſtinatiſſimos (qui plurimi hujus generis inveniuntur) ſanos facere in ſua inſania, prudentes in ſua dementia, & ſapientes in ſtultitia ſua? Profectò longè alius videtur ſemper fuiſſe Eccleſiæ Catholicæ ſenſus, quæ hujus generis homines eò ſeveriùs execratur, ac punit, tanquàm hæreticos multò nequiores, quò magis ipſi excæcati ſunt, ſuiſque erroribus pertinaciùs addicti. Juxta Terilli verò doctrinam hi forent maximè irreprehenſibiles, omniumque iſtius cōditionis hominum innocentiſſimi, ac prudentiſſimi, quippe quibus peſtifera dogmata ſua certiſſima, atque compertiſſima, myſteria verò noſtræ Religionis prorſus execranda videantur. Vide quò ſit abductus per doctrinæ ſuæ ſequelas Theologus ni-

nimis eruditus, & pius

153. Accedit, quòd Terillus juxta principia ſua id ipſum affirmare conſequenter teneatur, etiam dum error fidei oppoſitus, apparet veroſimilis infideli, aut hæretico, quamvis veritas Religionis Catholicæ appareat ipſi veroſimilior. Sanè, ſi nemo aſſentiens errori, qui veroſimilior apparet, peccat, aut eſt imprudens, ut toties Terillus affirmat, nemo etiam peccabit, dum aſſentit errori, qui apparet abſolutè veroſimilis; quia ſecundum Terillum, & Recentiores non ſolum aſſentiri parti probabiliori, aut veroſimiliori, prudentia eſt, & omni culpa vacat, ſed etiam aſſentiri parti minùs probabili, minuſque veroſimili, dummodò verè ſit veroſimilis, & probabilis. Poſſe autem errores fidei contrarios apparere abſolutè probabiles, ac veroſimiles, quomodo negabit Terillus, quandoquidem ſupponit, & affirmat expreſsè poſſe apparere; etiam probabiliores, ac veroſimiliores, etiam ei, cui myſteria Religionis Catholicæ ſufficienter ſunt prædicata?

154. Modò ſic nobis licet inferre: igitur infidelis, qui non aſſentit veritati Catholicæ, ſed illi potiùs poſitivè diſſentit, quandiù error contrarius veroſimilis ſibi apparet, etſi minùs, quàm veritas Catholica, non ſolùm excuſabitur ab infidelitate, ſed etiam ab omni imprudentia. Quæ ſequela infallibilis, & evidens omninò eſt; cùm tamen conſequens quartum articulum ab Innocentio XI. damnatum, & aliquid abſurdius contineat. Porrò articulus ille ſic habebat, *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili*: ampliùs autem eſt, procul dubio ab omni imprudentia excuſari.

Hæc modò curſim adnotaſſe ſufficiat, ut Lector facilè præcognoſcat, & adnotet, cujus naturæ ſit radix illa, quæ germina talia producit.

ARTICULUS XIII.

Solvitur agumentum quartum ex libertate temerè judicandi.

155. EX hoc capite etiam Recentiores validiſſimè, ut judicant, contra noſtram ſententiam arguunt.

§. I.

Argumentum proponitur.

NEmpè, qui temerè judicat proximum, ideò imprudenter, & injuſtè agit, quia liberè opinatur, & credit objectum, pro quo habet leviora fundamenta, aut ſaltem non graviora, quàm pro contrario; tum, quia ſi fundamenta ad opinandum malum de proximo graviora forent fundamentis contrariis, non peccaret opinans, vel imprudenter non judicaret, attento ſaltem fundamento intrinſeco; tum, quia obviis exemplis, & frequenti experientia conſtat: nam verbi gratia maritus zelotypus ſæpè judicat malè de uxore ſua ob leviſſimum aliquod indicium, vel apparentem tantùm conjecturam, neque judicium temerarium deponit, quamvis, & uxor ipſa, & alii viri graves oſtendant quaſi ad oculum levitatem arrepti fundamenti, & argumenta proferant multò graviora pro innocentia ipſius uxoris: id ipſum patet etiam in Patrefamilias avaro temerè judicante de famulis, aut filiis: in inimico, & aliis innumeris. Evidens ergo eſt, poſſe intellectum flecti pro ſolo libitu voluntatis ad opinandum partem, etiam minùs ſibi probabilem antecedenter ad actualem aſſenſum.

156. Quòd ſi dicas, judicium ideò eſſe injuſtum, ac temerarium, quia voluntas ex aliqua paſſione; aut inordinatâ affectione præcipitat ſententiam intellectus, neque ſinit, illum attendere, & ponderare fun-

da-

damenta contraria:

Contra insurgit Terillus: nam sæpè homo temerè judicans, audit, & ponderat rationes contrarias, sæpè ipsi nolenti occurrunt, sæpè illarum memoria, utpotè recens expositarum, est penitus inimpedibilis: & tamen intellectus ipsius adhuc persistit in judicio concepto.

Contrà secundò: quia juxtà solutionis doctrinam judicium illud non foret temerarium intrinsecè, & per se, sed extrinsecè tantùm, & per accidens, quatenus, licèt sit per se prudens, atque probabile, nihilominus prohiberi potest, donec aliqua peculiaria in contrarium examinentur, estò illorum examen necessarium non sit ad ferendum judicium prudens intrinsecè, & naturâ suâ probabile. At argumentum factum procedit de judicio, etiam per se, & intrinsecè temerario, & contra validissimas rationes, fortioraque argumenta in contrarium: ergo solutio adhibita non evacuat, immò nec tangit ejus difficultatem. Ita pænè ad verbum Terillus.

Terill. dicta q. 9. n. 12. 13. & 16.

§. II.

Argumentum propositum innumera, & ingentia probat absurda.

157. HOc argumentum, sicut præcedens, vel importunum est, vel nimium probat, atque adeò absolutè nihil probat.

Porrò, nisi contendat generaliter, neminem aliquando imprudenter, ac temerè judicare, nisi qui opinatur objectum ex fundamentis proximè sibi levioribus, aut saltem non gravioribus fundamentis contrariis, inane proculdubio, & importunum argumentum est; nam si aliquando potest judicium esse imprudens, ac temerarium, quantumvis concipiatur ex fundamentis proximè judicanti gravioribus, certè tota jam deficit argumenti efficacia, neque ex indifferētia ad judicandum temerè, & injustè de proximo, concludi quidquam potest legitimè in favorem sententiæ Recentiorum.

Si verò generaliter Terillus velit (ut velle re ipsa videtur, & tenetur, ut diximus, si importunè non loquitur), nullum esse judicium per se, & intrinsecè temerarium, imprudens, aut injustum respectu proximi, si concipiatur ex fundamentis proximè verosimilioribus, & ipsi judicanti gravioribus; ab omni veri specie argumentum exorbitat, immò ab omni sana doctrina, cùm infinita probet absurda à nullo vero Theologo toleranda.

158. Quidni vero? An non temerè, & injustissimè judicaret per se, & secluſa qualibet particulari lege, qui propter propriam suam animi levitatem, aut vehementem aliquam passionem vulgaria quæque, & obvia undecumque prolata indicia, sine aliquo examine susciperet, & ex illis optimum quemque firmiter apud se, & inhæsitanter damnaret? Numquid judicia omnia hujus generis concepta ex fundamentis non solùm urgentioribus, sed etiam certis apud judicantem, per se, & attento fundamento intrinseco, vera prudentia sunt, verèque, ac per se probabilia? Nihil sanè imprudentius, improbabiliusve dici posset.

159. Sed, ut obviis exemplis, ad quæ Terillus provocat, rem conficiamus, ponamus virum illum zelotypum, qui sua passione excæcatus, ob indicia levissima, & nullius in se momenti, adeò firmiter credat uxoris innocentis crimen, ut non modò non æstimet, aut censeat verosimiliora, sed neque audire velit, aut attendere fundamenta gravissima, & urgentissima, quæ prorsus evacuare sufficerent totam admissi sceleris suspicionem. Hoc aliquando posse, immò verò de facto sæpiùs contingere, nemo opinor negabit. Quis autem erit, qui affirmare audeat, judicium, in quo ille obstinatè persistit,

ſtit, nõ eſſe injuſtum, ac temerarium, ſed verè prudens, atque probabile per ſe, & attento fundamento intrinſeco?

160. Rurſus, ponamus hominem pravum, qui virum Religioſum pium, ac probum, in quem malè eſt affectus, eo quòd vitia ipſius immania, notamque turpitudinem increpaverit, incunctanter, ac firmiter damnet apud ſe ipſum, tanquam reum impudicitiæ, non alio fundamento, niſi quia fortè audivit, aut vidit ipſe, ingreſſum aliquando domum cujuſdam fœminæ non bonæ famæ, quin curaret ſcire, vel attendere, num mulier illa forſitan ægrotaret, & ad ſalutem animæ ſuæ præfatum Religioſum accerſierit. Ecquis iniquum illum ſic judicantem abſolveret ab injuſtiſſima, ac inſigni temeritate? Sanè P. Terillus abſolvere tenetur, niſi doctrinã ſuam velit damnare, quia præfata judicia, & alia ejuſdem generis nimis frequentia, quæ facilè produci poſſent, non concipiuntur ex fundamentis apud judicantes levioribus, ſed proximè gravioribus, aut etiam certis; ergo, ſecluſa quavis accidentali prohibitione, per ſe, & attento fundamento intrinſeco, verè ſunt probabilia, & ſecundùm prudentiæ legem, ſi vera eſt Terilli doctrina. At ſi probari hæc nequeat, non pariter probatis memoratis judiciis, nemo cordatus ſit, qui non illam confeſtim damnet, ac reprobet, niſi totus ego deſipio.

161. Adde (quod eſt magnopere notandum, & animadverſione digniſſimum), Terillum in hoc argumento, & cæteros Recentiores ex ipſo, nimis apertè conſequentiã deſerere, & ſuæ propriæ doctrinæ obliviſci. Porrò, ſi nemo temerè judicat, dum judicat ex fundamentis proximè ſibi veroſimilioribus, quia judicium omne conceptum ex fundamentis apud judicantem gravioribus, ac veroſimilioribus, quomodocumque tandem concipiatur, per ſe, & attento fundamento intrinſeco, prudens eſt, ac verè probabile; nemo unquam temerè judicare dicetur, etiam dum judicium efformat ex fundamentis veroſimilibus, quamvis ſint minùs veroſimilia, levioraque fundamentis oppoſitis: quia juxta Recentiores Probabiliſtas non modò licet juxta prudentiæ leges opinari probabiliora, ſed etiam æquè, aut minùs probabilia: ergo omne judicium quomodolibet efformatum, ex fundamentis etiam minùs veroſimilibus, erit per ſe, & intrinſecè verè prudens, atque probabile. Cùm verò nullum ſit abſolutè poſſibile judicium non conceptum ex fundamentis veroſimilibus judicanti, concluditur infallibiliter in principiis Terilli, & Recentiorum, nullum prorſus eſſe poſſibile judicium temerarium, & imprudens ſaltem per ſe, & attento fundamento intrinſeco. Quid ergo objiciunt nobis intellectus potentiam, aut libertatem, ad temerè de proximo judicandum?

162. Sed vide precor, Lector, præter inefficaciam, & importunitatem argumenti, in quam doctrinam Probabiliſtæ, vel inviti labi cogantur. Vide, quò tandem ducat agendi regula, quam deſignat benignus Probabiliſmus. Numquid hæc non eſt illa vulgaris aliquorum exiſtimatio (à nullo tamen D. Catholico ſcriptis hucuſque vulgata præter illum ibidem memoratum Probabiliſmi nuperum Apologiſtam, cujus verba dabimus infra), qua ſua cuique opinio utcumque, & undecumque concepta ſit, dicitur recta regula operandi, juxta quam nemo agens peccare poſſit? Profectò non apparet in quo ab illa aſſertione, ſeu delirio, differat, vel leviſſimè, doctrina hæc, quam ex argumento Terilli, aliorumque Probabiliſtarum legitimè concludimus, ut vidiſti. Qualis ſit verò præfata aſſertio, ut nemo nõ cognoſcere poſſit, ſufficiunt ea, quæ dicta ſunt per totam controverſiam ſecundam, & multò fuſiùs, Deo fa-

Infra controv. 7. a. 5. §. 4.

vente, demonstrandum est suo loco. Adeò non possunt acuti Recentiores Probabilismum suum occultare, etiã dum optimis indumentis tota industria, & studio, tegere ipsum, ac vestire procurant. Sed vestimenta omnia, quantumcumque subtilitèr contexta, facilè detrahemus, ac proscindemus, ut à nemine ultrà vestiri possit, aut vel myopis oculis obtegi valeat.

§. III.

Argumenti solutio.

163. Dicendum ergo est, neminem unquam temerè judicare, eò quòd judicium efformet ex fundamentis pro priori ad assensum minùs sibi verosimilibus, alioquin ipse judicans suam videret actu, & agnosceret temeritatem, proindeque (quod alii jam scitè adnotarunt) proximo nõ inferret injuriam. Nam qui suum proximum sic infamat, ut simul fateatur, & agnoscat, ipsum non nisi temerè infamari, reverà non tam proximo, quàm sibi ipsi nocet, ac detrahit, proximo nanque, vel nullum infert damnum, vel si quod infert, statim etiam reparat, aut potiùs simul; unde judicium illud, vel nulla erit injuria, vel erit simul injuriæ satisfactio; quod tamen est evidenter falsum. Sanè nemo invenietur temerè judicans, qui rogatus fateatur aliquando, se pro priori ad judicium suum invenisse graviora fundamenta ad opinandum benè de proximo, voluisse tamen liberè malè opinari ex fundamentis levibus, aut levioribus. Quin immò solet frequentiùs contingere, ut quò magis quis temerè, ac injustè proximum judicat, eò judicio suo firmiùs, ac tenaciùs adhæreat, adeòque ex fundamentis multò apud se gravioribus, aut etiam certis, ut obviis posset exemplis comprobari, nisi res foret satis ipsâ experientiâ nota.

164. Igitur, qui temerè judicat, ideò imprudenter, & injustè agit, quia re non satis examinata, nec maturè perpensis circunstantiis ipsius, ex levitate animi, ex odio, aut ex alia passione, quando deberet saltem judicium suspendere, temerè, ac inconsideratè præcipitat intellectus sententiam, per quam apud se damnat, & reum absolutè pronuntiat eum, quem fortè posset, ac deberet, ut justum, & insontem absolvere, si rem maturiùs considerasset, & attendisset, ut oportebat, ad fundamenta utriusque partis. Id utique per se loquendo, & secluśa quacumque particulari prohibitione, manifestam præsefert imprudentiã, temeritatem, & injustitiam; quis nanque judicem, qui ex invidia, aut ex odio, ex aliâve affectione inordinatâ, ita se gereret in judicio externo, imprudentem non diceret, & injustum?

165. Nec refert, quòd sic temerè judicanti sæpè veniant in mentem pro parte oppositâ, sæpè etiam ab aliis proponantur argumenta, & motiva ex se multò graviora: quia licèt talia reverà sint, taliaque ab ipso judicari deberent, de facto tamen talia non ipsi apparent, sed parvi potiùs, aut nullius momenti, eò quòd intellectus in sua obcæcatione persistens, ad illa non attendat, neque penetret, ut oportet. Mirum nanque quantum præjudicet prævius voluntatis affectus ad faciendum de rebus æquum, aut iniquum judicium, ut experientia ipsa cuique testatur: *Non enim similiter judicium reddimus, cùm dolemus, & cùm letamur, & cùm diligimus, & cùm odimus*, ut sapienter ajebat Aristoteles. In hoc ergo consistit imprudentia, & iniquitas temerè judicantis, non verò in hoc, quòd judicet pro suo libito, quod minus verosimile sibi apparet. Philosoph. 1. Rheto. c. 1.

166. Videri potest D. Angelicus, ubi agit de causis temerè judicandi, cujus tres potissimùm refert, quæ quidem omnes temerarium judicium eatenus inducere possunt, quatenus faciunt, ut intellectus faci- S. Tho. 2. 2. q. 60. a. 3.

cilè decipiatur circa objectum sibi propositum, ipsum videlicet apprehendendo aliter, ac merentur fundamenta utrinque occurrentia. Nullibi tamen recurrit S. Doctor ad potestatem liberam voluntatis, ut flectat intellectum in eam partem, quæ sibi apparet minus probabilis.

Et per hæc patet etiam solutio ad ea, quæ Terillus reposuit adversùs solutionem ibi insinuatam, quam constat esse veram, & rectam.

ARTICULUS XIV.

Solvitur argumentum quintum: ubi qualiter in meliorem partem dubia aliorum facta, vel dicta interpretari semper debeamus?

167. HUic quæstioni occasionem dedit Glossa in illud Apostoli ad Romanos 14. *Qui non manducat, manducantem non judicet*, ubi sic ait, *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda*. Desumpta verò fuit Glossa illa ex Augustino lib. 2. de sermo. Domi. in mon. c. 28. qui de temerario judicio ad illa verba Matth. 7. *Nolite judicare, & non judicabimini*, copiosè disserens, ac sapienter, sic loquitur, *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur*. Quæ certè est resolutio perquàm æquissima, & apprimè rationi consentanea.

§. I.

Argumentum conficitur.

168. EX illa verò contra sententiam nostram sic arguere licet. Præceptum prudens, ac rationale, quale omne divinum est, connotat, aut supponit in subditis veram indifferentiam, & libertatem ad ipsius observationem; quod est principium celebre, ac frequens apud SS. Ecclesiæ Patres, ex quo evidenter colligunt, ac tuentur adversùs Ethnicos, & Sectarios verâ creati arbitrii libertatẽ, potissimùm verò Augustinus contra Hæreticos Manichæos. At Christus Dominus in Evãgelio non modò prohibet dubia aliorum facta, maximè quoad internam voluntatem, & intentionem, in malam partem interpretari, sed etiam nobis præcipit, interprete Augustino, interpretari in meliorem partem: hoc est, non solùm prohibet, ne ex malo animo facta esse credamus, sed etiam nobis præcipit, ut ex bono procedere determinatè judicemus. Ergo in dubio de bona, vel mala intentione operantis, liberum nobis absolutè est utrumlibet extremum opinari; aliàs præceptum Domini implere liberè non possemus, quod blasphemum foret asserere.

169. Nec recurrere hìc licet ad mediatam, aut indirectam tantùm libertatem relatè ad alterum ex prædictis extremis. Nam contrà insurgit P. Esparza: quia hoc esset præceptum Evangelicum ex nostro cerebro interpretari contra legitimum sensum ipsius, & absque aliquo fundamento. Quare pari jure liceret alia præcepta Dei, verbi gratia, præceptum non occidendi, vel non mæchandi, interpretari de libertate proxima in ordine ad motiva, vel circunstantias, quæ inducunt proximam possibilitatem mæchandi, aut occidendi, ita ut ea suppositа, nulla supereſt libertas ad occidendum, vel ad mæchandum. Certè præcepta hæc non aliter respiciunt objectum suum, neque alio lata sunt tenore verborum, ac præceptum non temerè judicandi. Sequelam verò nullus admittet Theologus, aut tolerabilem reputabit. Espar. par. 2. a. 121.

§. II.

Resolutio quæstionis ex D. Thoma secundùm Cajetani expositionem.

170. HUjus argumẽti solutio dependet absolutè ex quæstio-

stionis propositæ resolutione. Illam verò D. Angelicus disputat sub his terminis, *Utrum dubia sint in meliorem partem interpretanda*. Ad quam respondens concludit tandem sic: *Et ideò ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum, ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est*. Cujus conclusionis rationem immediatè præmiserat his verbis, *Ex hoc ipso quòd aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, injuriatur ei, & contemnit ipsum. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcumque inferre absque causa cogente*.

D.Tho 2.2. q 60.a 4.

Difficultatem verò, quæ statim occurrebat, sumptam ex manifesto deceptionis periculo, & quam ipse sibi opposuerat, expedit in hunc modum: *Ad primum ergo dicendum, quòd potest contingere, quòd ille, qui in meliorem partem interpretatur, frequentiùs fallatur: sed meliùs est, quòd aliquis frequẽter fallatur habens bonam opinionẽ de aliquo malo homine, quàm quòd variùs fallatur habens malam opinionem de aliquo bono, quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo*. Hæc Angelicus Doctor.

171. Videtur igitur S. Thomas manifestè sentire, debere nos in dubio de intentione operantis, ubique intellectum inflectere ad judicãdum, eam esse rectam; quandoquidem expressè fatetur, frequenter, aut frequentiùs posse contingere, ut in judicio hujusmodi fallamur; sed tamen hoc periculum æstimandum non esse, sed contemnendum, ne fortè proximo inferamus injuriam, ipsum revera insontem falsò damnando absque convincenti ratione.

Id, quod distinctiùs exprimit ad secundum, ubi distinguit judicium de actionibus, aut de rebus secundùm se, à judicio circa personas: & inpriori docet, deceptionem esse malum ipsius judicantis, quia in rebus verum est bonum intellectus, & falsum est malũ ipsius, ut Philosophus docet. In posteriori verò judicio ait S. Doctor, præcipuè esse attendendum bonum illius, de quo fertur judicium, scilicet, ne malus habeatur absque fundamento cogente. Immò addit ad finem, falsum in hoc judicio non esse malum ipsius judicantis: *Quia homini* (inquit) *judicanti falsum judicium, quo benè judicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipsius: sicut nec ad ejus perfectionem pertinet secundùm se, cognoscere veritatem singularium contingentium, sed magis pertinet ad bonum affectum*.

Aristo. Eth. 6 c. 2.

172. Hæc tamen D. Thomæ doctrina fateor difficilis mihi videtur: quia positivè falli in qualibet materia, & ex quocumque affectu, videtur nunquam posse non esse malum intellectus decepti, siquidem omnis error positivus aliquod nocumentum affert, cùm reddat intellectum pravè dispositum ad assequendam rei veritatem, quæ proprium est ipsius objectum. Et quidem hæc videtur nimis expressa sententia Augustini ajentis, *Ipse per se ipsum error, aut magnum in re magna, aut parvum in re parva semper est malum. Quis enim, nisi errans, malum neget approbare falsa pro veris, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis?* Adeò Augustino evidens visum est, nullam esse intellectus deceptionem, quæ non sit verè malum ipsius.

Aug. Enchir. c. 19.

173. Porrò, etsi ad perfectionem intellectus secundùm se, sive intellectus speculativi, non spectet cognitio singularium, & contingentium, spectat tamen ad perfectionem ipsius intellectus, ut practici; nam ut talis, extendi debet ad cognoscenda etiam singularia, quorum nempe notitiâ ad exercitium prudentiæ, & providentiæ, adeòque ad propriam perfectionem indiget, Id, quod expressè docuit ipse D: Angelicus: *Dicendum* (inquit), *quòd cognitio singularium non pertinet ad perfectionem animæ intellectivæ secundùm cognitionem speculativam; pertinet tamen ad perfectionem ejus secundùm cogni-*

S.Tho.3.p. q.11.a.3.

tio-

tionem practicam, quæ non perficitur absque cognitione singularium, in quibus est operatio, ut dicitur in 6. Ethi. Unde ad prudentiam requiritur memoria præteritorum, cognitio præsentium, & providentia futurorum, ut Tullius dicit in sua Rhetorica.

174. Jam verò, si error omnis positivus, etiam in singularibus, & contingentibus, est malum intellectus errantis, nemo sanè tenebitur, quin nec licitè poterit, dubia aliorum facta, vel dicta sic in meliorem partem interpretari, ut positivè judicet esse recta, sive ex bona intentione facta; id enim esset sponte falli, aut saltem proximum errandi periculum ultrò, & voluntariè subire, quod est per se, & intrinsecè malum, Augustino docente generalissimè, *Neque quisquam error* (voluntarius scilicet) *turpitudine caret*; sicut per se, & intrinsecè malum est, non solùm alium positivè decipere, verùm etiam conjicere in periculum proximum errandi. Utique nemo magis proximum, quàm se ipsum diligere, neque malum ipsius, potiùs quàm proprium, cavere tenetur secundùm rectam legem charitatis.

August. de utilit. cred. c. 11.

175. Sapientissimus Cajetanus, ut doctrinam S. Doctoris in sensum opportunũ exponat, notat in primis, regulam illam præfatæ Glossæ accipi posse solùm in sensu negativo, ut scilicet nobis unicè interdicatur, ne dubias aliorum actiones in malam partem interpretemur, judicando determinatè, & positivè, ipsas esse pravas, seu procedentes ex prava intentione: & in hoc sensu regulam esse verissimam, & quæ nullam admittat exceptionem, nullasque aliqua ex parte difficultates incurrat.

Cajeta. in comment. illius art. 4.

Notat præterea, regulam prædictam, si in sensu positivo accipiatur, intelligendam, non absolutè (hoc enim, inquit, esset contra rectam rationem); sed ex suppositione quòd judicandum sit. Nempè, ut quoties oporteat determinatum ferre judicium in dubiis occurrentibus circa aliorum actiones, semper illud feramus pro innocentia proximi, nunquam verò pro parte opposita. Et hunc ait Cajetanus esse sensum legitimum præfatæ regulæ, quem intendit D. Angelicus, cujus nempè doctrina ex hypothesi facta rectè procedit; nam cùm in ea hypothesi alterum è duobus necessum sit, vel quòd judicans subeat aliquod deceptionis periculum, vel quòd injuriam proximo inferat, ipsum malum putando absque convincenti ratione, æquitas ipsa postulat, & omnis recta ratio præscribit, ut è duobus malis, quæ vitari simul non possint, illud, quod minus est, contemnatur, nempè periculum erroris contingentis, & qui intellectui erranti nihil, aut parùm noceat: præterquamquod ex altera parte simile quoque imminet deceptionis periculum præter injuriam proximo imminentem.

§. III.

Vera resolutio quæstionis, ex qua tandem elicitur, & opportunior D. Thomæ expositio, & solutio argumenti nobis oppositi.

176. EQuidem primus sensus præfatæ regulæ, quem Cajetanus affert, planus est, ac legitimus, adeòque ab omnibus absolutè amplectendus. Sensus verò secundus ex suppositione procedens, verus itidem est; sed nobis non videtur opportunus, nec special iter colligi censemus ex præcepto divino, & naturali non judicandi temerè proximum, nec intendi per Glossam, seu regulam Augustinianam: immò nec credimus, Doctorem Angelicum sensum hunc intendisse, prout exponitur à Cajetano, etsi verba S. Doctoris vehementer in ipsum videantur inclinare.

177. Ratio verò pro cunctis asserti partibus, una, & eadem est: quia præceptum non temerè judi-

can-

candi solùm prohibet nobis omne judicium, quo proximo inferamus injuriam, malum cogitando de ipso absque convincenti ratione. Ut autem omne ejusmodi judicium vitemus, nullo opus est judicio positivo, quo dubium proximi factum, vel dictum determinatè credamus bonum, aut ex bona intentione factum; sufficit enim judicium suspendere, & nihil definiendo circa simile dubium, veram, ac certam cognitionem ipsius reservare judicio Dei, secundùm Apostolicum præceptum, *Nolite ante tempus judicare* (nempe, quæ dubia vobis, & minimè explorata sunt), *quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.*

1. ad Corin. c. 4.

178. Denique nemo jure de me queratur, si circa actiones suas, quarum malitiam, aut bonitatem satis mihi non manifestat, nihil definiam in alterutram partem; sed earum, vel laudem, vel vituperium commitam infallibili, atque rectissimo judicio Dei. Quid enim æquius exigi à me potest, aut rectæ rationi conformius? *Neque unquam mihi potui persuadere* (inquit asseveranter P. Molina) *non solùm nos teneri habere judicium, quo nobis persuadeamus, id verè esse, quod ignoramus ita esse, sed neque licitè posse nos tale judicium elicere; ut scilicet, quando dubium est, an malo animo proximus aliquid fecerit, licitè determinatè judicemus, eum bono animo id fecisse, idque nobis licitè persuadeamus.* Hæc de re ista clarissimus hic Doctor, cui toto judicio subscribimus.

Moli. to. 5. de just. & ju. d. 17. n. 1.

179. Igitur, ut præceptum Dominicum de omni judicio temerario vitando, plenè, ac planè adimplere possimus, solùm requiritur, & omnimodis sufficit, ut circa dubias aliorum actiones, quarum videlicet bonitas, aut malitia explorata nobis non est, abstineamus ab omni positivo judicio. Aliunde verò in rebus incertis, & expositis deceptionis periculo, definitam ferre sententiam absque aliqua utilitate, vel necessitate cogente, non caret omni temeritate; est enim ultrò, & sine ulla causa contemnere veritatis amorem, & ambire erroris periculum, quod rectæ rationi repugnat. Et ideò in Angelis, etiam viatoribus, & in hominibus innocentibus non potuit esse judicium ullum ex proprio suo tendendi modo incertum, & opinativum, ut fert communis Theologorum sententia; quia nulla privativa ignorantia, aut positivus error inveniretur in statu veræ innocentiæ, cùm sit effectus proprius peccati, ut docet disertissimè S. Thomas: *Nulla* (inquit) *deceptio, aut error positivus haberet locum in statu innocentiæ, cùm sit effectus, & pœna peccati*: id, quod priùs non semel docuerat Augustinus, cujus hæc modò verba sufficiant, *Approbare vera pro falsis, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati*: Patet ergo in præfatis dubiis, non solùm non debere, sed neque posse nos honestè, ac laudabiliter, positivum ferre judicium, etiam quo proximum insõtem judicemus.

S. Tho. 1. 2. q. 85. a. 3.

Aug. li. 3. de lib. arb. c. 18.

180. Et verò ipse Augustinus in illo eodem loco satis hoc ipsum expresserat, inquiens, *Sunt ergo quædam media, quæ ignoramus quo animo fiant, quia & bono, & malo fieri possunt, de quibus temerarium est judicare, maximè, ut condemnemus.* Ecce Augustinus in ejusmodi dubiis omne judicium determinatum temerarium esse definit: quod enim addit, *maximè ut condemnemus*, id non excludit, immò apertè supponit, judicium etiam de parte oppositâ, non carere temeritate; sed solùm innuit, quod verissimum est, nempe judicium contra innocentiam proximi, diligentiùs esse cavendum, quippè quod non est solùm contra prudentiam, verum etiam contra justitiam.

Aug. loco allega. sup. n. 168.

181. Denique stultũ obsequium est, quo charitas vera non gaudet, si spon-

ſpontè ſubeam in gratiam proximi, proximum deceptionis periculum; hoc enim turpe, ac vitioſum eſt, & nulla vera virtus vitium acceptat tanquam obſequium: ſed neque virtus ulla, quæ vera virtus ſit, ſimile obſequium offerre poteſt; *neque enim ſunt mendaces veræ virtutes*, ut optimè Auguſtinus ajebat. Porrò de charitate expreſsè nos docet Apoſtolus, *Non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati*. Licet ergo nobis concludere, ſenſum directè intentum per præceptum nō temerè judicandi, & per Gloſſam, ſeu regulam Auguſtini, eſſe abſolutum, cæterum negativum, & nullatenus poſitivum, ſaltem abſolutè, ac directè.

Auguſt. de Civit. li. 19. c. 4.

1. ad Corint. 13.

182. Verùm quid, ſi in prædictis dubiis velimus abſolutè judicare, & de alterutra parte ferre poſitivam ſententiam? Reſp. mihi dubium non eſt, quin ex ea ſuppoſitione debeamus judicare proximum innocentem, & opera ipſius honeſta; id enim evidenter convincit argumentum Angelici Præceptoris ex principio in quavis materia, notiſſimo, & univerſaliſſimo, quòd ex duobus malis, ſi alterutrum debeamus, aut velimus eligere, quod minus eſt, eligere debeamus. Inde verò ad rem noſtram quid concludere licet? Profectò nihil.

183. Enim verò, ſi dicta ſuppoſitio, ut nos exiſtimamus, ac demonſtramus, ſit omninò impoſſibilis in terminis præſentis controverſiæ, eò quòd intellectus nullam omninò habeat indifferentiam proximam ad opinandum minùs, aut æquè tantum veroſimilia, præceptum temerè non judicandi, & regula Auguſtini ex eodem elicita, nec intendunt eventum illum, nec quidquam circa ipſum diſponunt, utpotè penitus repugnantem, atque adeò, qui nunquam poſſit accidere.

184. Si verò ſuppoſitio non eſſet impoſſibilis, & poſſet intellectus pro voluntatis libitu dubia illa reſolvere (immediatè videlicet) in utramlibet partem, ut Recentiores volunt: in primis ſuppoſitio, utpote nobis libera, ſemper eſſet vitanda juxta prudentiæ regulas, proindeque abſtinendum abſolutè ab omni poſitivo judicio circa alterutram partem determinatam, ut docet Auguſtinus ubi nuper adductus, & convincit diſcurſus à nobis factus.

185. Deinde in ea hypotheſi fateor, debere nos ſemper ferre judiciū pro innocentia proximi, ex memorato illo notiſſimo principio vitandi majus malum, ſi alterum è duobus eligere velimus. Cæterùm, cùm ex illo Dominico præcepto, aut ex præfata Gloſſa, ſeu regula Auguſtini, nihil omninò liceat inferre circa ſuppoſitionis ipſius, vel poſſibilitatem, vel repugnantiam, conſequens tandem fit, ut ſenſum poſitivum, quem Cajetanus affert, nulla ratione concludere poſſimus.

186. Dicis, ſuppoſitionis poſſibilitatem ſupponi manifeſtè ab Auguſtino in verbis ſuperiùs adductis. Sed verò Auguſtinus in primis omne judicium determinatum in eventu propoſito temeritatis damnat: quare ſaltem non poterit præcipi nobis, adeòque ex præcepto Dominico non licebit arguere contra ſententiam noſtram. Præterea pro dubiis ſimilibus ex Auguſtino colligi ſaltem nequit poſſibilitas judicii prudentis, adeòque nec verè probabilis.

187. Denique reſpondemus ex memoratis Auguſtini verbis, ut ſummùm poſſe colligi, in ſimilibus dubiis, utrumlibet judicium determinatum eſſe poſſibile abſolutè, & ſimpliciter, quod nemo negat juxta ſuperiùs dicta. Quod verò ſit poſſibile proximè, ac immediatè, ut Recentiores volunt, nec Auguſtinus docet, nec verum eſt, ut affatim demonſtratum relinquimus.

188. Ex quibus tandem concludere licet, credibile non eſſe, D. Thomam tenuiſſe, aut intendiſſe ſenſum illum, quem Cajetanus ipſi tri-

tribuebat, quantumvis verba S. Doctoris eum insinuare videantur. Et in primis, licèt daremus, quòd D. Thomas sensum illum intenderit, nihil ex eo possent Recentiores concludere in favorem suæ sententiæ; tunc enim S. Doctor intelligendus esset haud aliter, quàm Augustinus, videlicet juxta veram sententiam, quam ipsum D. Thomam satis clarè docuisse, ostendimus artic. decimo.

189. Præterea, quòd non teneat, nec intendat prædictum sensum, ex dictis efficaciter mihi persuadeo: quia, licèt verus sit ex memorata illa suppositione, attamen suppositio, vel est prorsus repugnans in sensu jam exposito, vel saltem semper est contra prudentiam, adeòque à nobis semper vitanda. Quis verò credat, Angelicum Doctorẽ, dum exponendum suscipit præceptum Domini de omni judicio temerario vitando, neque docuisse, neque meminisse, quid ex eo præcepto debeamus absolutè præstare; sed unicè docuisse, ac intendisse, quid sit nobis faciendum ex aliqua suppositione, vel prorsus impossibili, vel omninò vitanda? Id verò nobis non apparet credibile.

190. Quare, dicendum potiùs existimarem, dum D. Thomas generaliter docet, dubia aliorum facta, vel dicta, semper in bonam partem esse à nobis interpretanda, non obstante periculo deceptionis, per hæc non intendisse judicium positivum, quo actionem dubiam proximi bonam existimem determinatè; sed vel judicium aliquod practicum, quo dicam apud me, *judicare non debeo actionem esse malam*, vel, *gerere me debeo cum isto homine, tanquàm cum probo, haud aliter ac antea*, quæ judicia sunt vera, & æqua: vel, si S. Doctor loquatur de judicio versante circa ipsam actionem immediatè, non loqui de judicio positivo, sed negativo tantùm, sive de suspensione judicii contrarii; & consequenter errorem imminentem, cujus periculum contemnendum docet, non esse positivum, sed negativum, quatenus intellectus suspendendo judicium, non assequitur veritatem, quam contingenter assequi posset, de quo errore congruè intelligitur, quod non sit malum intellectus errantis, ut docet ipse Magister Angelicus: de positivo verò non facile explicabitur qua ratione potnerit verè affirmari. Porrò esse apertè contra Augustinum, quin immò, & contra ipsum D. Thomam, monstratum est §. præcedenti,

191. Ubi autem insinuat nimis clarè positivum judicium, sive periculum erroris positivi, intelligendus erit D. Thomas de judicio, aut periculo resultante per accidens ex illa suspensione judicii; nam ex eo quòd semper diligenter cavere debeam judicium positivum in malam partem, aliquando per accidens continget, ut declinem in judicium oppositum cum periculo erroris positivi, quod periculum dicit esse parvi momenti, & contemnendum, præ injuria imminenti proximo ex judicio contrario, quo ipsum damnem, quod est apertè injustum, ac temerarium.

Hæc verò dicta sint in reverentiam communis Magistri, quæ maxima ipsi debetur. Si cui autem minus arriserint, is D. Angelicum aliter, si placet, exponat, cujus expositioni, si opportunior extiterit, facilè consentiemus. Nobis verò sufficiat ostendisse, ut credimus, satis apertè, argumentum desumptum à Recentioribus ex præcepto nõ temerè judicandi, & ex adjunta Glossa, seu regula Augustini, nihil momenti habere contra sententiam nostram, sicut, & alia cuncta, quæ proferunt.

ARTICULUS XV.

Solvitur argumentum sextum à paritate voluntatis desumptum.

192. ARguunt præterea sextò Recentiores: ita se habet vo-

voluntas ad bonum, sicut intellectus ad verum, saltem prout iste subditur ipsius voluntatis imperio: atqui voluntas potest ex duobus bonis contrariis æqualibus, aut inæqualibus, quodcumque eorum, etiam minus, eligere, ut tradunt Doctores communiter contra P. Vazquez, & alios: ergo, & poterit intellectus ex voluntatis libera electione opinari utramlibet partem alicujus contradictionis, etiam æquè, aut minùs probabilem.

193. Confirmatur primò: sicut quodlibet bonum absolutè, & secundùm se, est potens terminare amorem, ita, & quodlibet verum, seu motivum probabile secundùm se, potens est, accedente voluntatis imperio, terminare judicium opinativum. Sed quia bonum secundùm se potens est terminare amorem, est etiam potens eundem terminare, dum adest in oppositum bonum alterum, vel majus, vel æquale, voluntatem solicitans ad sui amorem: idem ergo dicendum de quovis vero, seu motivo probabili relatè ad intellectum.

194. Confirmatur secundò: sicut voluntas non sibi soli, sed & reliquis omnibus potentiis amat: immò, & universaliter, sicut potentiæ omnes, tàm corporis, quàm animæ, non sibi tantùm agunt, sed, & cæteris omnibus; sic etiam intellectus non sibi soli, sed, & voluntati, & reliquis potentiis intelligit. Cùm igitur in homine sola voluntas sit potentia libera, & quæ cæteris possit imperare, ad solam voluntatem spectat cæteras omnes pro suo arbitrio ad propria objecta determinare, supplendo in ipsis libertatis defectum. Ergo ad voluntatem spectat determinare proprium intellectum ad opinandam quamlibet contradictionis partem. Denique omnis potentia necessaria ad hoc subiicitur voluntatis imperio, ut ex hoc idem præstet, quod præstare ex se posset, si foret libera immediatè, & formaliter. At, si intellectus immediatè esset liber, posset assensum flectere ad partem æquè, aut minùs probabilem, sicut ipsa voluntas, quia immediatè libera est, potest eligere quodcumque bonum ex æqualibus, aut inæqualibus: idem igitur potest à voluntate determinatus.

195. Resp. ad argumentum: in primis falsitatem Minoris supponit, ut jam vidimus, S. Thomas; multique alii graves Doctores, tum ex veteribus, tum ex Recentioribus, oppositum tuentur. Sed, quidquid sit de doctrina ista, minime illâ nos indigemus.

Itaque, concessa Majori in debito sensu intellecta: permissa item pro nunc Minori, nego absolutè consequentiam. Discrimen autem evidens est: quia bonum in consortio alterius boni æqualis, aut majoris, etiam sibi omninò contrarii, retinet adhuc bonitatem suam; neque enim bona inter se pugnantia contradictoriè opposita sunt, sicut forma, & privatio ejus, sed contrariè dumtaxat, sicut frigus, & calor, aut etiam sicut album, & nigrum, quæ sunt ejusdem potentiæ objecta: quare, licèt voluntas, spreto, verbi gratia, bono honesto, quod excellentius, & majus est, feratur per amorem in bonum delectabile, semper fertur in bonum, adeòque à proprio objecto nunquam extrahitur.

Oppositum verò contingit in vero, & falso relatè ad intellectum; hæc enim immediatè, & contradictoriè opponuntur, non à parte rei tantùm, verum etiam in apprehensionibus in ordine ad eundem intellectum, ut demonstravimus art. 6. Porrò idem prorsus est, extremum aliquod esse reipsa, aut apparere intellectui verum, ac oppositum esse, aut apparere falsum, & vice versa: unde omninò repugnat, ut duo extrema contradictionis appareant simul eidem intellectui vera, aut enuntiabilia, alioquin idem simul appareret verum, & falsum, quod

est contra lumen rationis. Igitur ob rationem oppositam non poterit aliquando intellectus partem minùs, aut æquè verosimilem opinari.

196. Quapropter argumentum à paritate voluntatis petitum, tantum abest, ut nostram sententiam urgeat, ut in contrariam potiùs efficaciter retorqueatur. Urget verò specialiter Terillum, & Esparzam eo utentes: nam quamvis intellectus signatè judicet pro priori, duo bona esse æqualia, vel inæqualia, adhuc potest voluntas juxta adversarios eligere quodcumque maluerit: ergo, si quid valeret paritas ista, idem dicendum esset de intellectu, cùm tamen sit evidenter falsum juxta ipsos Terillum, & Esparzam hoc ipsum ex professo docentes, efficaciterque probantes, quamvis Terillus immemor sui, etiam oppositum ex professo docuerit. Non ergo potest fieri argumentum ex altera potentia ad alteram, nisi quod ipsos adversarios urgeat, & nostram sententiam suadeat. Atque ex his confirmatio prima soluta manet, & præoccupata.

197. Ad secundam confirmationem resp. voluntatis dominium, & imperium in reliquas potentias, despoticum non esse, sed veluti politicum, ordinatum scilicet immediatè in bonum proprium ipsarum potentiarum: unde poterit quidem ipsas quandoque cogere, ut cum aliquo proprio incommodo exerceant suas operationes, ut dum oculos obligat ad intuendum attentè solem, etsi radiis ipsius perstringantur. Nunquam attamen potest, juxta omnes, ipsas extrahere à proprio suo objecto, nisi velis, ut possit ipsos oculos cogere, ut videant sonum, & aures, ut audiant colorem, quod est ridiculum paradoxum.

Potest ergo voluntas obligare intellectum ad enuntiandam aliquam veritatem probabiliter tantùm, & obscurè propositam contra inclinationem ipsius naturaliter refugientis ab assensu cujuslibet objecti non evidenter sibi propositi, propter deceptionis periculum, quod intellectus naturaliter horret: at nunquam poterit ipsum movere, ut assentiat objecto minùs, aut æquè sibi probabili; hoc enim foret ipsum extrahere à suo proprio, & formali objecto, quod facere voluntas non potest, sicut nec posset ipse intellectus, etsi immediata libertate gauderet.

ARTICULUS XVI.

Solvitur argumentum ultimum quod à priori Recentiores appellant.

198. SEptimò tandem arguunt ex Stephano Spinula à priori, ut inquit Terillus. Nulla potentia fertur, inclinaturve naturaliter in terminum sibi impossibilem: atqui intellectus urgetur naturaliter, inclinatur, ac fertur ad assentiendum motivo probabili, etiam dum adest pro parte opposita aliud æquè probabile, aut probabilius: est igitur possibile intellectui præbere assensum parti minùs probabili in conspectu probabilioris, aut alterius æquè probabilis. Major per se nota videtur; quia omnis inclinatio naturalis est indita ab Auctore naturæ, adeòque nequit recta non esse: non foret autem recta, sed stulta, & inordinata, si ferretur in aliquid impossibile. Minor etiam est evidens, vel experientiâ ipsâ, quisque nanque experitur in se ipso, dum habet motiva assentiendi pro utraque parte contradictionis, sic trahi, & inclinari à motivis unius, ut simul inclinetur, & retrahatur à motivis partis contrariæ. Denique consequentia recta est. Ergo.

199. Resp. distinguẽdo Majorem: *nulla potentia naturaliter inclinatur, aut fertur in terminum sibi impossibilem*, absolutè, aut intrinsecè, concedo; per accidens, & extrinsecè tantùm, subdistinguo: non inclinatur

tur in terminum, ut impossibilem, vel, ut habendum sibi in circunstantiis impossibilitatis, concedo; secundùm se, & specificativè, nego Majorem. Et distinguo Minorem: *intellectus urgetur, & inclinatur ad assentiendum motivo probabili, etiam dum adest pro parte opposita aliud æquè probabile, aut probabilius* assensu conjungendo cum hoc motivo, nego; assensu absolutè possibili, & præscindenti ex se ab his circunstantiis, concedo Minorem, & nego consequentiam.

200. Declaratur solutio, & confirmatur. Ut inclinatio potentiæ in terminum non sit frustranea, aut inordinata, sufficit si terminus ipse sit absolutè, & per se possibilis, quamvis per accidens, & extrinsecè, reddatur impossibilis hìc, & nunc propter aliquod impedimentum insuperabile ab ipsa potentia: nam hujusmodi obstaculum prohibet quidem potentiam hìc, & nunc à termini consecutione; at tollere non potest, quominus inclinetur in ipsum inclinatione inefficaci, quæ non fertur in aliquid impossibile, cùm non appetat terminum, ut habendum in conspectu præfati impedimenti, sed secundùm se tantum, ac veluti conditionatè, nimirum si non esset validior exigentia in oppositum.

201. Illustratur exemplis, quæ sint pariter oppositi argumenti evidentes instantiæ. Primò; dum actu adsunt ex utraque parte motiva, intellectus urgetur naturaliter, & inclinatur in utrunque extremum, ut supponit Terillus, & experientia probat. At nihilominus assensus utriusque, licèt possibilis absolutè sit, non potest tamen simul existere, quia intellectus non potest utrique extremo assentiri simul, ut tanquam evidens Terillus supponit., & nemo in dubium vertit, nisi qui, vel Dialecticam contemnit, aut ignorat. Ergo ex inclinatione naturali intellectus ad assentiendum motivo æquè, aut minùs probabili, etiam dum adest pro parte opposita aliud æquè probabile, aut probabilius, solùm concludi potest, assensum illum esse possibilem absolutè, & secundùm se, secus verò in conspectu talis motivi. Hanc instantiam opponit argumento proposito Mercorus. Merco. in Bas. Theolog. par. 2. a. 3.

202. Sed reponit Terillus, & ex ipso nonnulli Recentiores, instantiam esse evidenter nullam, & disparitatem apertam: quia terminus non aliter debet esse possibilis, ac potentia inclinatur, & fertur naturaliter in illum. At intellectus, etsi inclinetur simul ad assentiendum utrique extremo, quia simul habet pro utroque motiva; non tamen inclinatur ad assentiendum utrique simul, sed disjunctivè, & seorsim tantùm: habet utique simultatem potentiæ, sed non potentiam ad simultatem. At verò in eventu quæstionis intellectus urgetur, & inclinatur ad actualem assensum, etiam dum adest pro parte oppositа motivum æquè, aut magis probabile. Ergo est possibilis hic assensus, etiam tali motivo stante. Sed verò hæc, aut nulla solutio est, nec solutionis speciem habet, aut petit nimis clarè principium.

203. Contra igitur argumẽtum retorqueo. Ut intellectus possit naturaliter simul inclinari in duos terminos contradictionis, sufficit quod termini ipsi absolutè, & ex se possibiles sint, quamvis non sint inter se compossibiles. Ergo sufficit etiam, ut possit inclinari in assensum unius partis, dum adest pro oppositа motivum æquè, aut magis probabile, quòd assensus secundùm se, & absolutè possibilis sit, quamvis cum præfato motivo nullo modo sit compossibilis; nam si ad inclinationis simultatem non petitur simultatis possibilitas ex parte ipsorum terminorum, sed sufficit possibilitas absoluta, cur ad inclinationem, quæ simul sit cum motivo oppositо, non sufficiet assensus possibilitas absoluta, quamvis nõ possit dari possibilitas simultatis ejus-

dem motivi, & assensus? Nulla est ergo disparitas intenta, nec speciem habet illius.

Quòd si Terillus, & Recentiores dixerint, intellectum in eventu nostræ quæstionis urgeri naturaliter, & inclinari non ad assensum secundùm se, sed ad illum ut conjungendum cum motivo contrario æquè, aut magis probabili: tum verò manifestè principium petent; hoc enim nos negamus omninò, & erat ipsis unicè probandum, quod tamen hactenus non præstiterunt, nec poterunt aliquando præstare. Certè hujuscemodi inclinationem nec aliqua experientia, nec voluntatis paritas, nec opportunum aliud argumentum suadet. Quod autem hìc objiciunt,& à priori vocant, illam non probat, sed absurdè supponit, ut demonstrat instantia oppositа. Est igitur eorum solutio non solutio reipsa, sed clara petitio principii.

204. Cõfirmatur ulteriùs solutio nostra, & instatur secundò argumentum Terilli, & Recentiorum. Lapis, exempli gratia, etiam quando violenter detinetur suspensus, naturaliter inclinatur deorsum, & gravitat in proprium centrum: ex hac autem inclinatione solùm inferre licet, descensum lapidis esse possibilem absolutè, & secundùm se, secus verò in his circunstantiis, & in sensu compositо impedimenti. Ergo ex inclinatione naturali intellectus ad assentiendum parti, etiam minùs probabili, in occursu probabilioris, colligere non licet, talem assensum esse possibilem in eis circunstantiis, sed solùm esse absolutè possibilem. Hanc insuper instantiam opponit ubi nuper idem Mercorus, & poterant id genus aliæ innumeræ opponi:

205. Respondet tamen similiter Terillus, latum esse discrimen, adeòque instantiam manifestè nullam: quia impedimentum lapidis in evẽtu proposito est verè impediens, hoc est, insuperabile, alioqui lapis necessariò descenderet, cùm ipsius potentia ex se non sit indifferens, sed determinata ad agendum. At verò impedimentum intellectus in nostra hypotesi est solùm difficultans, & quod simpliciter possit superari ab ipsa intellectus potẽtia, quæ ex se est indifferens ad utrũlibet, & potest ad alterutrum determinari ex libera electione voluntatis.

206. Sed quis non videat circulum responsionis? Nempè, Terillus suo argumento contendit, motivum æquè, aut magis probabile non esse insuperabile impedimentum, sed solùm difficultans assensum partis æquè, aut minùs probabilis; quia intellectus urgetur naturaliter, & inclinatur ad hunc assensum, etiam dum illud motivum probabilius urget ex oppositа parte. Dum verò nos instamus, lapidem naturaliter inclinari in descensum, etiam quando violenter elevatur, aut detinetur, quin arguere liceat ex illa lapidis inclinatione, impedimentum elevans, aut detinens, non esse insuperabile, & quod reddat descensum impossibilem proximè, & in his circunstantiis: tum reponit Terillus, disparitatem esse evidentem, quia impedimentum lapidis verè est insuperabile, adeòque verè impediens descensum; motivum autem æquè, aut magis probabile, non est insuperabile impedimentum, sed solùm difficultans, adeòque verè non impediens assensum partis æquè, aut minùs probabilis. Nonne hoc est vocibus ludere, vel illudere, proindeque apud intelligẽtes succumbere difficultati?

307. Ea igitur intellectus naturalis propensio, aut inclinatio in partem æquè, aut minùs probabilem, medium est evidenter ineptum ad concludendam Recentiorum sententiam. Quod potest etiam in intellectu ipso multis adhuc exemplis demonstrari.

Primùm enim, si ex una parte adsit motivum evidens, ex oppositа verò aliud qualecumque motivum, intellectus, etsi imperfectè, aliquo-

mo-

modo inclinat in assensum istius partis, cùm omnis apprehensio sit ex conceptu suo dispositio, & via ad judicium, atque adeò aliqualis in ipsum inclinatio: & tamen is assensus est omninò impossibilis in istius hypothesis circunstantiis. Præterea, demus Deum pro suo absoluto dominio negare intellectui concursum ad assentiendum alicui objecto, etiam evidenter proposito: profectò in hac hypothesi assensus non esset possibilis, & nihilominus intellectus vehementer in ipsum inclinaret. Tandem quando intellectus signatè judicat, utriusque partis motiva esse re ipsa æqualia, neutrum extremum amplecti potest, ut fatentur Terillus, & Esparza; utrinque tamen stimulatur, & urgetur ad assentiendum. Vide, quàm sit inefficax argumentum potissimum, & à priori, quod pro sententia sua Recentiores nobis opponunt.

ARTICULUS XVII.

Tribus corollariis deductis, præsens controversia concluditur.

208. VEritas philosophica, quam nimis luculenter, ut reor, in hac controversia monstravimus, quanti momenti sit ad totius Tractatus potissimum scopum, & jam supra insinuatum est, & multò clariùs postea constabit. Interim verò pro eodem fine operæ pretium sit doctrinam modo traditam veluti sūmatim colligere per illationes aliquas ex illa resultantes.

§. I

Corollarium primum: soliditas nostræ sententiæ ad oppositam comparatæ.

EX dictis ergo primò deduces, quantum sententia nostra oppositæ præmineat, & auctoritate, & ratione. Porrò nostræ sententiæ veritatem docent antiqui omnes, & Philosophi, & Theologi, cum Aristotele, & D. Thoma: moderni omnes Antiprobabilistæ, & ex ipsis Probabilistis multi præcipui nominis Auctores. At verò Recentiorum sententiā unicè docent ipsi Recētiores, qui, vel Probabilissimum illi penitus adstruunt, vel magnopere ab illa dependere fatentur, etiam inviti: quamvis plerumque dependentiam hujusmodi, sententiam suam multùm infirmantem, nequidquam amovere moliantur.

209. Profectò, ut sunt ingeniosi, non possunt non videre provinciam esse nimis difficilem, quòd possim ego rectam formare conscientiam innitens, velut fundamento, opinioni non meæ, sed aliorum, quantumcumque gravium Doctorum, quam vel judico falsam, & contrariam legi divinæ, vel saltem veram judicare non possum. Et qua ratione precor ejusmodi opinionem potero judicare prudentem, quod tamen prorsùs est necessariū? No ne hoc ex ipsis terminis difficile satis apparet? & quàm sit penitus impossibile, latè à nobis mōstrandum est. Cùm igitur Recentiorum opinio simul cum suo Probabilissimo uno velut partu sit nata, & cum eodem pariter adoleverit, à cæteris semper Doctoribus tanquàm adulterina Philosophiæ proles rejecta, ab eisdemque solis Probabilistis studiosè nutrita, & adoptata, multis etiam ipsorum repugnantibus, fieri profectò non potest, quin ex hoc etiam capite auctoritas ipsius mīnuatur perquàm maximè.

210. Rursus sententia nostra rationibus efficacissimis, non de longè quæsitis, sed de proximo ex ipsa rei natura depromptis, ac velut sua spōte patentibus, validissimè communitur, immò (fidenter dixero) demonstratur. Cùm interim Recentiorum sententia vix quidquam pro se habeat, nisi extraneas nonnullas paritates (quod est naturâ suâ debilissimum argumenti genus), & exem-

pla

pla non opportuna, quæ plurima, & ingentia absurda probent, quæque in ipsos suos Auctores efficaciter retorqueantur. Argumentum præterea, quod à priori vocant, quanti roboris sit, immò quàm importunum, & inane, nimis apertè manet ostensum, & omnia, quæ summatim hìc collegimus, liquidò constare deprehendis ex totius decursu controversiæ. Patet ergo sententiam nostram, & auctoritate, & ratione, maximopere prævalere contrariæ.

Interim tamen quidam ex Recentioribus sententiam nostram vocat *singularem*, suam verò simpliciter, si Deo placeat, *communem Doctorum sententiam*: alius autem *perspicuam*, & alii passim similia loquuntur. Tu verò, Lector, videas, & judices sincerè: nostrum verò sit demonstrare, omnia Probabilismi fundamenta, & Recentiorum verba gloriosa ejusdem esse soliditatis cum opinione modo rejecta: quod nisi satis cumulatè præstamus, verba nostra licebit nihili facias.

§. II.

Corollarium secundum: assensus, quem intendunt Recentiores, etsi foret possibilis, prudens non esset.

211. Addimus autem, omnem intellectus judicium in terminis quæstionis præsētis, quamvis esse possibile permitteremus, nūquàm tamen fore Prudens, sed ab omni prudentia alienum; quod ex hucusque dictis legitimè deducitur, & iterùm planè convincit irritum Recentiorum conatum pro fine, quem intendunt in promovenda sua sententia. Ratio perspicua est ex doctrina jam tradita: immò argumenta omnia, quibus ostendimus memorati judicii repugnantiam, ejusdem pariter imprudentiam insignem pari convincunt efficacitate.

212. Porrò omnem assensum partis æquè, aut minùs probabilis, inde à priori evicimus esse impossibilem, quia foret contra propriam naturam intellectus, ultrò aberrantis à fine proprio, & ab objecto suo specificativo, ac primario, scilicet à veritate, quam intendere debet per omnes suos actus; objectum enim æquè, aut minùs verosimile, quàm oppositum, non proponitur intellectui, ut verum, sed potiùs, ut falsum simpliciter, vel saltem, ut non magis verum, quàm falsum; quod patere videtur ex ipsa terminorum acceptione, & affatim à nobis est demonstratum. Hinc verò statim patet, assensum illum fore inordinatum, seu cōtra debitum rationis ordinem; quid enim magis contrarium rationi, quàm quod est contra ipsius rationalis potentiæ finem, & modum debitum operandi? Ergo foret apertè contra prudentiam, nisi cui fortè fingere libeat posse judicium aliquod esse prudens, & nihilominus irrationale, quod foret insigne delirium.

213. Promovetur hæc ratio. Prudentia verè talis, est virtus intellectus tota ordinata ad ipsum perficiēdum secundùm propriam suam rationem, ut nempè in suis actibus, quibus dirigit voluntatem ad agendum honestè, ac laudabiliter, rectè, & sine errore procedat, ut est communis sensus Doctorum cum Aristotele, & D. Thoma. Quare ratio formalis, & objectum prudentiæ proprium, est verum sub ratione veri, in quo prudentia convenit cum cæteris virtutibus intellectualibus, & differt à moralibus virtutibus: cum his verò communicat, & ab illis discernitur, quia præ aliis virtutibus intellectualibus respicit bonum tanquam propriam materiam, ob ordinem, quem dicit ad appetitum rectum, ad cujus actus movet, ac dirigit. Denique ratio propria, & formale objectum prudentiæ, est verum, ut contractum ad bonum morale, & honestum. Unde tandem concluditur, quòd munus adæquatum prudentiæ sit dirigere vo-

voluntatem ad electionem boni moralis, & simul intellectum perficere secũdùm propriam suam rationem, nempè, per cognitionem veritatis, quæ proprium est ipsius objectum. Quæ omnia sæpè docet, & perspicuè demonstrat Angelicus Magister, præsertim 2.2.à q.47. D. Tho.

214. Hinc evidenter patet, assensum, de quo loquimur, probabilem non fore, sed ab omni prudentia alienum; nulla nanque prudentia dictare potest liberam electionem assensus, per quem verosimilius, aut æquè saltem verosimile sit, intellectum non assequi re ipsa veritatem, sed potiùs in errorem positivum impingere. Sanè dictamen illud foret apertè falsum, & erroneum, adeòque non perficeret, sed depravaret potiùs intellectum, nec voluntatem rectè dirigeret, sed ad peccatum potiùs impelleret, quod, evidenter inordinatum, & notoriæ imprudentiæ est.

215. Confirmatur, & declaratur. Ipso naturæ lumine, & sapientum consensu notum est, omne dictamen voluntati proponens, tanquam medium conducens, & eligibile ad finem, quem intendere debet, medium prorsus ineptum, & quod non magis habeat finem ipsum inducere, quàm ipsum impedire, & inducere malum oppositum; & à fortiori si magis habeat impedire debitum finem, & inferre oppositum malum: evidens, inquam, est, hujusmodi dictamen falsum esse, & erroneum, adeòque imprudens, ac temerarium. Aut, si hoc non sit evidens, desperet intellectus humanus nunquam non falli, vel delirare.

216. Atqui omnis assensus partis æquè, aut minùs probabilis, est medium, quod ex se magis habeat inducere, vel non minùs, errorem positivum, quem intellectus naturaliter fugit, & impedire veritatem contrariam, quam naturaliter amat, & quærit, & quam voluntas debet, tanquam finem intendere per omnes actus intellectus, quos imperat. Ergo omne dictamen proponens voluntati memoratum assensum, tanquam medium conducens, & eligibile ad veritatis assecutionem, quam debet velut finem intendere, est evidenter falsum, & erroneum, adeòque temerarium, & imprudens: ergo omnis assensus procedens ex præfato dictamine, nulla ratione ad prudentiam pertinet, sed evidenter illi repugnant: ergo omnis assensus partis æquè, aut minùs probabilis, est apertè contra prudentiam, adeòque absolutè improbabilis.

217. Hæc, quibus nihil nobis evidentius apparet, exemplo facili illustrari possunt, quo cunctis patentia reddantur. Qui dubius circa viam eligendam, ut perveniat ad terminum sibi præfixum post consultationem adhibitam, viam arriperet, quam ipsemet agnoscit æquè, vel magis verosimiliter ducere in præcipitium, quàm in terminum destinatum, insigniter imprudens, ac temerarius haberetur ab omnibus verè prudentibus; maximè si ab itinere cæpto nullo ferè negotio posset desistere, & omne cavere periculum. At hæc est hypothesis nostra: nam terminus, ad quem per omnes suos actus intellectus debet contendere, est veritas, quâ *anima nihil fortiùs desiderat*, ut Augustinus dixit: quare voluntas etiam, ut rectè intellectum gubernet, eundem finem debet inquirere per omnes actus ipsius intellectus, ad quos potest ipsum movere; contemplationis nanque *bonum, ac malum, verum est, atque falsum*, ut Philosophus docet: nequit autem voluntas, nisi perversè agendo, intellectum avertere à suo proprio bono, & ad malum ipsum impellere, ut nemo non stultus negabit. Nec quisquam hic intrudat importunissimè vulgarem Recentiorum distinctionem de probabilitate speculativa, vel practica (de qua mox fusè dicendum est), nisi, qui terminos non intelligat. Aug. tr. 26. in Ioan. Arist. 6. Ethi. c. 2.

218. Ad hæc, quando intellectui

ctui utrinque rationes occurrunt dubiam veritatem reddentes, tunc invenitur quasi in bivio positus, medius scilicet inter duas semitas invicem sibi oppositas, quibus contendat ad ipsam veritatem per determinatum assensum: ergo, si facta consultatione, & collatione ipsarum rationum eligat assentiri ex libero voluntatis imperio parti, quæ sibi, omnibus inspectis, apparet æquè, aut minùs verosimilis, quàm opposita (& quidem potens facilè, vel eligere partem verosimiliorem, vel assensum omnem suspendere), perinde omninò est, ac si eligat viam, quam ipsemet agnoscit æquè, vel magis verosimile esse, quod ipsum in errorem præcipitet, quàm quod ad veritatem rectâ perducat; quod manifestæ imprudentiæ est, & temeritatis insignis. Sanè, si electio ista benè cum prudentia conveniat, non nisi insipienter, & falsò, prudentiam expressisset Augustinus, dum quasi rem notissimam de illa proferebat, *Quid illa virtus, quæ prudentia dicitur? Non ne tota vigilantia sua bona discernit à malis, ut in illis appetendis, istisque vitandis, nullus error obrepat*. Evidens ergo sit, omnem electionem assẽsus partis æquè, aut minùs probabilis, fore imprudentem, ac temerariam. Ergo evidens est, omnem istiusmodi assensum, etsi foret possibilis, ab omni semper fore prudẽtia alienum, adeòque nunquam verè probabilem.

Aug. 19. de Civit. Dei c. 4.

§. III.

Corollarium tertium: Utilitas nostræ sententiæ.

219. Deduces tandẽ tertiò, quantum sententia nostra totâ hâc controversiâ stabilita, solidissimèque firmata, verè faciat ad rectam decisionem Theologicæ, & potissimæ controversiæ, quam instituimus Controv. proxima, ut nostri laboris scopum, & ad sequentes disputationes plenè decidendam remisimus.

Enim verò, si nunquam fieri potest, ut intellectus actu judicet veram opinionem alterius, cujuscumque ea sit, quam videt esse innixam fundamentis levioribus, aut non gravioribus, fundamentis partis contrariæ: in primis altera ex duabus viis, quibus incedunt Probabilistæ, jam penitus per hoc ipsum occlusa, & impermeabilis remanet, cùm unicum ipsius fundamentum deficiat.

220. Utique Recentiores, qui cum P. Esparza fatentur, neminem uti posse opinione non existente formaliter, aut subjectivè, in intellectu ipsius operantis, neque per ullam reflexionem possibilem licitum mihi fieri posse amplecti objectum, quod Auctores alii, etiam plurimi, atque gravissimi, opinantur licitum esse, nisi, & ego ipse cum illis hoc ipsum actu judicem judicio absoluto, ac directo: qui in hoc, inquam, Theologico principio verissimo, ac certissimo (ut nos censemus, ac demonstramus, & ipse Esparza egregiè demonstrat) statuendo nobis consentiunt, non aliter tuentur, neque tueri possunt probabilistarum sententiam, quàm propugnando simul intellectus indifferentiam, & potestatem proximam ad opinandum æquè, vel etiam minùs probabilia, ut facilè quisquis videbit. Igitur, statutâ nostrâ sententiâ, quæ potestatem illam nullam esse convincit, nemo per viam istam incedere jam potest ad propugnandum Probabilismum.

221. Præterea, via altera communissima Recentioribus, quos Reflexistas vocare solent, qui nimirum præfatum Theologicum principium abnegantes, per reflexionum artificium docent rectam, ac tutam formare conscientiam: hæc etiam via, inquam, stabilitâ nostrâ sententiâ, quamvis non adeò clarè, reverà tamen non difficilis tantùm, sed etiam penitus manet impervia, ut præced. §. satis ostensum est.

Equi-

222. Equidem Recentiores viâ istâ gradientes, quamvis doceant non esse opus, ut operans veram existimet opinionem directam, quam amplectitur, suæ libertati faventem; non negant tamen, sed omninò supponunt, debere saltem illam judicare verè probabilem, & conformem rectæ rationi, adeòque consentaneam prudentiæ legibus, & quidem prorsus certò, & citra omnem ambiguitatem, ut communiter jam affirmant. At quis non videat, prorsus impossibile esse, me opinionem alienam, quam, omnibus inspectis, absolutè judico falsam, aut aut saltem veram judicare non possum, existimare simul certò, & inhæsitanter esse verè probabilem, & prudentiæ legibus consonam? Numquid, precor, error, aut falsitas censeri ab ullo potest indubitanter veritati conformis? An verò, quod repugnat veritati, rectæ rationi consonum judicabitur, ab aliquo, qui utatur recta ratione? Quod autem pugnat cum ratione recta, benè cum prudentia conveniet? Quis affirmare audeat? Profectò nemo.

Sed quia latiùs hæc postmodùm urgenda sunt, & multipliciter demonstranda, sufficiat modò leviter adumbrasse utilitatem maximam, & momentũ sententiæ nostræ ad evertendum Probabilismum, quacumque demum viâ à Recentioribus propugnetur, ut interim ad alterum capitale principium, cui Reflexistæ penitus innituntur, expugnandum, gradum faciamus.

CONTROVERSIA SEXTA.

Utrum Lex, contra quam aliqua existit opinio probabilis, etiam in sensu Probabilistarum, hoc ipso satis promulgata non sit, ideoque nullam habeat vim obligandi?

1. HAud mirabor, si Lector meus, qui in Theologia, vel Jure omninò peregrinus non sit, & aliunde Terillum, aut Recentiores ipsius assecias, nunquàm viderit, aut evolverit, ad titulum quæstionis propositæ, ut ad rem novam, & incredibilem, non modò mirabundus subsistat, sed & attonito similis hæreat. Quid ni verò? Ita ne, opinio contra legem, etiam falsa, quæ nempè falsò neget, aut legis existentiam, aut extensionem ejus ad casum aliquem particularem, tantam habere potest efficaciam, ut legis auferat promulgationem, totamque ipsius vim obligandi non solùm impediat, aut supprimat, verùm etiam de medio tollat? Unde hoc? aut quis unquam de re ista quæstionem movit? Nemo profectò ante P. Terillum, qui nihilominus, ut mirere magis, non solùm hoc in quæstionem adducit, sed etiam partem affirmativam adeò confidenter propugnat, ut tanquam principio certissimo, ac firmissimo fundamento, totam illi superimponere Probabilismi molem, non ambigat. Nolim autem, ut Lector per hyperbolem hoc, aut exagerationem dictum existimet. Quare, ut præsentis controversiæ momentum dignè pro suo merito æstimet, aut attendat, id ipsum ante omnia demonstrandum à nobis est ex Probabilistarum principiis. Et verò sensum ipsum quæstionis nequaquàm aliter posse intelligi, facile quisque ex dicendis cognoscet.

ARTICULUS I.

Legem in eventu quæstionis satis promulgatam non esse, nec habere vim ullam obligandi, esse primum, & ultimum fundamentum, cui cætera omnia innitantur, & sine quo nullatenus Probabilismus possit subsistere, demonstratur apertè ex Probabilistarum principiis.

2. QUale sit hoc principium, seu fundamentum Probabilismi, vel simplex propositio ejus, sufficienter pænè demonstrat, & nos præterea in hac disputatione facilè, ac luculenter demonstraturi sumus. Undè si clarè quoque ostendamus, quod ostendendum modò suscipimus, controversiam potissimam planè absolvimus, totamque à fundamentis Probabilismi machinam destruximus. Tanti profectò momenti est præsentis controversiæ scopus: ut molestè Lector non ferat, si iterum, ac iterum deprecemur per Dominum JESUM, & per salutem animæ suæ, ne hæc præcipuè, quæ modò damus, aut lectione festina, aut communi attentione præterire patiatur; sunt enim per se ipsa quadantenus obscura, & non parùm etiam subtilia, quæque proinde expeditos oculos, & intentam mentem deposcant. Faciemus tamen, Deo favente, ut reflexionum tenebris veritas obvoluta non ultrà lateat, sed claram se conspiciendam præbeat ultrò caligare nolentibus.

§. I.

Comparatur Probabilismus ad principia supra statuta de regula moralis honestatis.

3. PRincipiò igitur breviter revocanda sunt in memoriam tria illa principia capitalia, & fundamenta totius Operis, quæ prejacta relinquimus in prima Controversia, & esse semper præ oculis habenda, seriò Lectorem nostrum monuimus. Primum nimirum, legem, seu voluntatem Dei esse regulam primam totius honestatis moralis, cui omnem nostram operationem concordare re ipsa seriò, & ex toto corde satagere semper debeamus. Secundum, omnem opinionem nostram, aut dictamen nostræ rationis, seu dirigat, aut regulet remotè tantùm, & objectivè, seu formaliter etiam, ac proximè, non esse primam, & independentem, sed regulam absolutè secundam, & essentialiter subordinatam, ac subjectam regulæ primæ. Tertium, quod ex duobus legitimè consequitur, omnem secundam regulam, ut recta sit, debere conformari positivè, & formaliter, regulæ primæ, à qua omnis rectitudo descendit. Unde tandem concluditur, nullam elici posse operationem bonam, ac rectam, nisi operans cognoscat, ac judicet, regulam secundam, qua utitur, (non loquor de formali, sed de objectiva) conformari re ipsa regulæ primæ.

Ex his principiis (de quibus quoad rem ipsam nemo Theologus dubitat, immò nemo Catholicus), tanquam ex regulis, ac mensuris apud omnes infallibilibus, examinemus jam, ac metiamur Probabilismi moderni fabricam, & capitalia fundamenta ipsius. Et non agimus modò cum Probabilistis directis, quorum viam scilicet penitus jam præclusimus, sed cum Reflexistis duntaxat, nempe cum Caramuele, Terillo, & cæteris, qui reflexionum viâ gradiuntur.

4. Sic ergo contra eos licet arguere. Omnis opinio æquè, aut minùs probabilis non subjectivè, sed objectivè tantùm in mente operantis existens, actu ab ipso cognoscitur, aut proximè cognosci potest, ut falsa,

sa, & ut discordans à prima regula, vel saltem ut indifferens, & omninò præscindens, tàm à conformitate, quàm à contrarietate; quid enim aliud est aliquam opinionem cognosci ab operante, æquè, aut minùs probabilem, quàm contrariam? Porrò si opinio aliqua cognoscitur æquè, aut minùs probabilis, existimatur æquè, aut magis verosimile esse, illam esse re ipsa falsam, adeòque oppositam divinæ legi. At regula objectiva operanti proposita, ut discordans à prima regula, vel non ut eidem conformis, sed ut præscindens à discordia, & consensu, non potest esse regula recta, adeòque nec potest fundare regulam formalem, ac proximam, quæ mala, & obliqua non sit: ergo nulla ejusmodi opinio est regula objectiva moralis honestatis: ergo fundare nequit rectam aliquam regulam proximam, ac formalem. Totus iste discursus, inspecta illa opinione directa secundùm se, & ex proprio suo conceptu, est evidenter evidens ex principiis præjactis.

5. Id verò, cùm Terillus facilè videat, ut hoc infirmum fundamentum fulciat, & nutans ædificium confirmet, ubique appellat ad principia reflexa. Sed vertat ille se, quò voluerit, nam supra fundamentum hujusmodi nihil unquam firmum stabuet, quamvis Theologiam totam invertat.

§. II.

Artificium reflexi Probabilismi luculenter exponitur ex Terillo.

6. Ait igitur, opinionem directam minùs tutam (nam de hac semper loquimur) minùs, aut æquè tantùm probabilem ab operante cognitam, ut talem, seu (quod eòdem redit) objectivè in ipso existentem, non posse quidem proximè, & immediatè fundare rectam conscientiæ regulam, utique formalem, ac proximam, & id nostro argumento plusquam evidenter convinci; optimè tamen posse mediatè, atque remotè, quatenus proximè, & immediatè fundare potest principia reflexa, quibus supervenientibus, redditur jam non modò oppositæ opinione probabilior, sed etiam penitus certa, & evidens.

At nos non dicimus, inquit Terillus, opinionem minùs probabilem directè solùm consideratam fundare proximè, & immediatè rectam conscientiæ regulam proximam, ac formalem, sed solùm indirectè consideratam, videlicet, quatenus subsistat diversis principiis reflexis omninò certis, & evidentibus, à quibus certa, & evidens constituitur. Ut certa verò, & evidens, quidni fundare immediatè possit regulam proximam rectam, & optimam, idest ultimum conscientiæ dictamen penitus certum, & infalibile de rectitudine operationis? Ita passim Terillus in suo utroque Opere.

7. Principia autem reflexa, quæ opinionem directè minùs probabilem ad tãtam certitudinem evehunt, alia non sunt, quàm argumenta ipsa, quibus Probabilistæ sententiam suam probant, ut, vel hinc, facilè deprehendatur, quàm certa sit certitudo ista, quæ tantam certitudinem impertitur. Duo verò potissima hujusmodi principia sunt, ex quibus tertium aliud consequitur (immò verò præcedit, aut in eisdem potiùs involvitur); reliqua nanque omnia, neque sunt multùm consideranda, neque possunt sine istis subsistere. Omnium denique vis, & efficacia tota uno, & eodem cardine vertitur, ut statim monstrandum est.

8. Primum ex præfatis principiis est ille vulgatissimus discursus, qui à Reflexistis passim circumfertur, tanquam omninò certus, & evidens. Nimirum, *quisquis operatur prudenter, licitè, & honestè operatur: sed qui sequitur opinionem directam,*

etiam æquè, aut minùs probabilem, operatur prudenter: ergo licitè, & honestè operatur. Major est lumine naturæ nota: Minor, inquiunt, est evidens, nam quoties certò, & practicè opinio aliqua probabilis est, prudenter eam ad praxim deducimus, aliàs non esset verè probabilis, quod est in terminis implicatorium, & contra ipsam suppositionem. Denique consequentia est legitima, adeòque consequens certum, & evidens, utpotè legitimè illatum ex duabus Præmissis evidentibus. Ipsum verò præcontinet ultimum conscientiæ dictamen, & ut ajunt, practicè practicum, sub communi ratione acceptum, ex quo facilè quisque potest deducere in singulis quæstionibus sibi occurrentibus dictamen proprium, ac singulare, absolutè certum, & evidens de suæ operationis honestate, quod sit proinde regula proxima conscientiæ suæ, optima, & recta. Hoc est principium primum.

9. Secundum autẽ, & ipsum evidens (si Superis placet) est illa regula ex Juribus desũpta, *In dubiis melior est conditio possidentis*: quam regulam affirmat Terillus *æquè favere Deo contra nos* (nimirum quando possidet ipse), *ac nobis contra Deum*, quando scilicet possidet nostra libertas. Nota modum loquendi Recentioribus familiarem, ut conqueri jure non possint, si contra Deum, & leges ipsius ubique pugnare dicantur, videlicet in terminis Controversiæ præsentis. Ex ea igitur regula Terillus hunc efformat discursum: *In omni dubio probabili melior est conditio possidentis. Sed hìc, & nunc post diligens veritatis examen, adhuc sum in dubio probabili, an hoc objectum sit exemptum à jure mihi naturaliter competente* (nempè faciendi liberè quidquid prohibitum non ostenditur), *in cujus possessione sum, & hactenus fui: ergo melior est conditio libertatis, quæ proinde licitè potest uti hoc objecto pro suo arbitratu. Præmissæ sunt ad invicem moraliter certæ. Eandem autem certitudinem habet consequentia, utpotè ab illis legitimè deducta.* Ita ad verbum Terillus.

Terill. q. 23. de conscien. n. 48.

Ibi n 53.

10. Sed enim, cùm non posset non videre, nunquàm fieri per hæc posse, ut proxima conscientiæ regula, aut actio aliqua per illam regulanda, conformetur Dei voluntati: nam & principia ista, & ultimum conscientiæ dictamen ex eisdem tandem deductum, innituntur omninò, tanquam in primo, & unico fundamento, in regula objectiva mediatè, atque remotè regulante, in ipsa scilicet opinione directa minùs, aut æquè tantùm probabili, quæ ex se, ut jam vidimus, non est conformis voluntati divinæ, sed vel prorsùs indifferens, vel eidem potiùs contraria, atque adeò penitus impotens conformitatem aliquam refundere in illa principia, & dictamen: hæc, inquam, cùm Terillus non posset nõ videre, quid egit?

11. Enim verò, quia non valebat primæ honestatis regulæ conformare, nec proximam conscientiæ regulam, nec actionem ex ipsa regulandam, utpote penitus dependentes à regula illa objectiva, quam primæ regulæ conformare non poterat, si hæc firma, & inflexibilis permaneret, tentavit ipsam regulam primam (quasi foret regula Lesbia), ideſt, divinam voluntatem inflectere, illamque conformare, ac subsequentem facere ad illam regulam objectivam, hoc est, ad illam opinionem directam minùs, aut æquè tantùm probabilem, ut sic denique ultimum cõscientiæ dictamen, adeòque regula formalis, ac proxima operationis eliciendæ, conformaretur regulæ primæ: quin immò jam non primæ reipsa, sed secundæ, ac subordinatæ judiciis hominum, vel falsis, & erroneis.

12. Duas ergo distinguit in Deo leges, seu voluntates, quarum alteram vocat primariam, & per se existentem, antecedentem, atque directam; alteram secundariam, indirectam,

ctam, reflexam, subsequentem, & non per se, sed per accidens existentem in Deo. Voluntas antecedens, & per se est illa, per quam Deus aliquid nobis præcipit, consulit, aut permittit ex primaria, ac directa sua intentione, quæ voluntas fertur in res absolutè, & per se consideratas secundùm proprias suas naturas, & prout independentes, & absolutas ab omni circunstantia contingenti, accidentalive suppositione nostrorum judiciorum, vel errorum, ut cùm præcipit non mentiri, audire sacrum in die festo, & id generis alia.

Voluntas autem indirecta, & per accidens, est, quæ ex aliqua hypothesi à Deo non intenta, nec volita, aliquid præcipit, permittit, aut approbat, quod absolutè, & antecedenter non approbabat, aut præcipiebat, immò præcipiebat oppositum, ut quando Deus ex suppositione ignorantiæ, aut erroris in intellectu nostro existentis, quem ipse non intendit ex se, præcipit, aut consulit nobis omittere sacrum in festo sine legitimo impedimento, mentiri, pejerare, & alia hujusmodi; nam secundùm Terillum, quoties hæc, & alia similia procedunt ex dictamine conscientiæ, vincibiliter etiam errantis (quod videretur incredibile dictu), conformantur reipsa cum aliqua voluntate divina, indirecta videlicet, ac secundaria.

13. Audi Terillum ipsum, ne quid imponere alicui videamur; Terill. q. 17. de conscien. n. 44. *Universaliter loquendo* (inquit) *ultimum conscientiæ dictamen est verum, & evidens, etiam quando homo operatur ex mera ignorantia vincibili*. Ex qua assertione sua hanc cõclusionem deducit, Ibi. nu. 45. *Voluntas conformis dictamini conscientiæ, etiam vincibiliter errantis, conformatur cum aliqua Dei voluntate, saltem per accidens obligante, aut consulente*. Sed de his assertionibus in Theologia nunquam auditis, quas piæ aures ferre vix possunt, & quæ, Terillo judice, legitimè inferuntur ex principiis moderni Probabilismi, haud parum in decursu dicemus, & in postrema parte latè tractabimus.

14. Nunc verò distinctionem duplicis legis, seu voluntatis Dei, quam Terillus hìc invehit, ac statuit, maximèque notandam commendat q. 17. de consc. n. 11. ulteriùs extendit, & ampliat q. 28. à n. 12. & alibi passim, ad omnem casum cujusvis opinionis, etiam æquè, aut minùs probabilis, nostræ libertati faventis; nam ex illius suppositione jam Deus nobis permittit, aut approbat id ipsum, quod per se, & antecedenter re ipsa prohibet, aut saltem nobis verosimilius est, Deum prohibere re ipsa. Et quasi hæc doctrina adeò incredibilis, & inaudita, foret ex ipsis terminis nota, aut passim à Theologis tradita, nulla ratione, aut auctoritate Terillus illam probat, sed ex simplici tantùm propositione, ac terminorum explicatione ab omnibus recipiendam supponit. Atque hoc est tertium principium, ac firmissimum fundamentum, quo tantæ molis ædificium consurgit.

15. Posita ergo in Deo hac voluntate reflexa, & consequenti legis, seu voluntatis antecedentis relaxativâ, aut revocativâ, jam facilè intelligitur (inquit Terillus) quomodo proxima conscientiæ regula, & actio ipsa per illam regulanda, conformentur cum prima regula, nimirum cum hac ipsa voluntate, seu lege Dei reflexa, ac subsequenti, quæ ex prædicta suppositione opinionis probabilis directæ necessariò intelligitur in Deo. Et consequenter fit, ut opinio minùs probabilis, quæ directè considerata fundare nequit proximè, & immediatè rectam conscientiæ regulam proximam; si tamen indirectè inspiciatur (hoc est, quatenus subest memoratis principiis certis, & evidentibus) optimè, & facilè possit illam fundare. Unde tandem apparet, quàm rectè in sententia benigna omnia principia inter se cohæreant, & solidissimè stabiliantur. Ita P. Terillus

lus ubi nuper, & passim alibi, quæ in posteriori Opere de regula morum frequenter etiam repetit, & inculcat.

Hæc est moderni Probabilismi subtilis juxta, ac solida fabrica, cujus mirabilem structuram toties Recentiores commendant, & quam Terillus vocat *mysterium*, quod Auctores sententiæ nostræ intelligere nunquam possunt, qui propterea, dum arguunt contra Probabilistas, nihil aliud, quàm aerem verberant, enormiter errantes circa benignæ sententiæ sensum, quasi videlicet Recentiores statuerint pro regula formali, ac proxima, opinionem directè minùs probabilem, quo nihil apud ipsos magis absurdum, & ab eorum sententia alienum.

Terill. illa q. 28. n. 14.

16. Cæterùm artificium Probabilismi, quantumcumque mirabile, atque subtile à Recentioribus prædicetur, Auctoribus sententiæ nostræ non tantum negotium facesit; neque difficile nobis intelligi, sed probari, difficile semper videtur. Callemus ergo facilè, & intimè, artificiosum Recentiorum inventum ultròque in illo *mysterium* agnoscimus. Sed vis audire quale mysterium? Sanè mysterium nobis, & ingens planè mysterium est, sententiam usque adeò difficilem, & innixam principiis adeò debilibus, adeò in Theologia novis, ac insolitis, tot, tamque doctis, ac subtilibus viris, in controversia tanti momenti tam altè persuaderi potuisse. Miramur ergo, & nunquam satis miramur, quod Probabilistæ non videant, se, dum infirmum illud fundamentum, quod est totius fabricæ basis, per sua principia reflexa adeò operosè fulcire moliuntur, nihil aliud tandem efficere, quàm principium semper petendo, interminabilem circulum claudere, & nihil aliquando concludere.

§. III.

Expositi artificii fallacia demonstratur.

17. ID, ut evidens fiat, utque Probabilismi mysterium adeò arcanum palàm, & citra ænigmata omnibus revelemus, sic argumentor. Finge tibi, me velle propugnare sententiam benignissimam ab Innocentio XI. jam damnatam, nimirum usum licitum cujusvis opinionis tenuiter duntaxat, aut (quod eòdem redit) probabiliter tantùm probabilis; sic enim modò Recentiores communiter exponunt sensum opinionis confixæ de tenui probabilitate. Opponis mihi, opinionem illam esse non posse rectam conscientiæ regulam, quia primæ regulæ non concordat. Ajo, me non intendere, ut sit regula proxima, ac formalis, sed objectiva tantùm, & remota.

18. Replicas, neque hoc posse fieri, quia regula objectiva secundaria debet etiam esse conformis primæ, ac supremæ regulæ moralis honestatis, alioqui nunquam poterit fundare proximam, ac formalem conscientiæ regulam, quæ sit recta, & conformis regulæ primæ. At opinionem illam tenuiter probabilem eam conformitatem non habere, atque adeò non posse remotè adhuc, & objectivè fundare rectam conscientiæ regulam. Repono, id verum esse, si memorata opinio directè tantùm consideretur; falsum verò, si etiam indirectè, & prout subest principiis à te productis (utique certis, & evidentibus), à quibus certa, & evidens constituitur: ut certa verò, & evidens, quidni fundare facilè possit ultimum cõscientiæ dictamen, quod sit regula proxima recta, & conformis supremæ regulæ?

19. Instas principia illa, & ultimum conscientiæ dictamen, penitus dependere ab illa opinione directa, cui prorsùs innituntur, tanquam pri-

primo sui fundamento: cùm ergo opinio illa non sit ex se conformis primæ regulæ, nullam conformitatem potest refundere in illa principia, & dictamen, nisi velim, ut hæc evadant recta per immediatam conformitatem ad regulam distortam, & obliquam, quæ foret stultissima cogitatio. Unde evidenter sequitur, quòd nec possit vicissim opinio illa à prædictis principiis rectitudinem ullam, aut veram aliquam conformitatem mutuari.

Sed facilè obviam ibo ex illa tua commendata doctrina, & subtilissima distinctione duplicis legis, seu voluntatis Dei antecedentis, & subsequentis. Reponam igitur, his optimè probari, ultimum dictamen conscientiæ, & actionem ex ipso regulandam, non conformari voluntati Dei antecedenti, directæ, & per se; secus verò voluntati reflexæ, consequenti, & relaxativæ voluntatis antecedentis. En mihi hactenus nihil opponis, quod in caput tuum non retorqueam sub eadem forma arguendi.

20. Quid tu deinde? Urgebis tandem me, & insuperabiliter quidem. Ais scilicet, penitus repugnare legem, seu voluntatem Dei consequentem, cui ultimum conscientiæ dictamen, & operatio ex illo eliciendа aliquomodo conformentur, si pendeant, ut à primo fundamento, ab opinione illa directa tenuiter tantùm probabili. Ratio evidens est; quia fieri non potest, ut voluntate tua reflexa, aut consequenti, Deus actionem aliquã approbet, aut præcipiat, nisi ex suppositione cognitionis, qua ipsa ab operante existimetur conformis voluntati divinæ antecedenti, atque primariæ, quam homo quærere per se tenetur ex toto corde, & ex tota mente; nisi fortè velimus, ut Deus approbet, aut præcipiat per suam voluntatem reflexam, quòd homo non intendat seriò, & per se agere juxta Dei voluntatem antecedẽtem, atque directam, sed potiùs voluntariè operetur id, quod ipse cognoscit divinæ voluntati antecedenti non conformari, aut saltem, quod ab eo præscindat; quod nemo no blasphemus potest asserere.

At ille, qui operatur ex vi alicujus opinionis directæ tenuiter tantùm probabilis, nequit existimare, operationem suam conformari voluntati divinæ antecedenti, ut primæ regulæ moralis honestatis, cùm videat, opinionem, quam assumit, ut regulam secundam, & objectivam operationis suæ, ei voluntati non conformari, sed eidem potiùs opponi. Ergo non potest Deus voluntate sua reflexa talem operationem approbare; alioquin approbaret, & vellet, ut divina voluntas absoluta, ac directa, scienter, & prudenter contemneretur, qua nulla potest major blasphemia cogitari. Ruit igitur tota artificiosa nostra structura, quæ tam infirmo fundamento innitatur. Convincor equidem.

21. Cæterùm quis non videat, eodem argumento te pariter debere convinci? Porrò opinio directè minùs probabilis (idem hìc, & ubique cum sua proportione dictum intelligatur, si opinio sit directè minùs tuta, & æquè probabilis, ne cum tædio Lectoris utranque semper exprimere cogamur): omnis, inquam, opinio minùs probabilis nunquàm ab operanti cognosci potest, ut regula objectiva conformis legi Dei, seu voluntati ipsius antecedenti, sed ut eidem potiùs oppositа, ut superius monstratum est, & vel ex ipsis terminis patet. Ergo non potest Deus ex talis cognitionis suppositione approbare, aut præcipere operationem ex ea opinione eliciendam, per voluntatem aliquam subsequentem; aliàs præciperet, aut approbaret, quod homo voluntatem, & legem suam antecedentem, ac primariam contemneret. Ergo repugnat, ut ea opinio fundare possit, aut principia reflexa, aut voluntatem Dei subsequentem, aut denique conscientiæ di-

dictamen ullum', quod sit recta operandi regula. Sanè discrimen omne (si quod reverà datur) inter utranque probabilitatem, est materiale omninò, atque adeò importunum ad rem præsentem, quandoquidem non facit, ut altera opinio præ altera habere possit cum prima regula conformitatem necessariam, sine qua opinio nulla rectam conscientiæ regulam potest fundare.

22. Est igitur distinctio illa duplicis voluntatis, seu legis Dei, antecedentis, & consequentis, quam Terillus statuit, velut indubitatam, cōmentum inauditum plurimis titulis absolutè repugnans, ut facilè posteà ostendemus: sed, quod ad præsens attinet, prorsùs inutile ad ipsius propositum, videlicet ad conformandam regulam objectivam, quam designat, cum prima regula moralis honestatis.

§. IV.

Explico luculentiùs, & confirmo discursum factum.

23. VOluntas sub his terminis concepta, aut explicata, *volo, seu placet mihi, ut homo in suis operationibus non attendat, nec quærat diligenter legem, seu voluntatem meam directam, & antecedentem, qua ipsi aliquid jubeo, aut prohibeo, nec illas tali legi seriò, & ex animo conformare procuret*: ista, inquam, voluntas proculdubio Deo est indigna, quippè quæ evidenter repugnet infinitæ sapientiæ, sanctitati, & rectitudini voluntatis ipsius. Certè pugnare apertè cum doctrina, quam Deus ipse in Scripturis suis non semel, sed frequenter nobis revelat, nemo Catholicus inficietur; nihil enim frequentius Scripturæ Sacræ nos docent, quàm debere nos semper ex tota mente, & ex toto corde, sicut Deum diligere, sic etiam voluntatem; seu legem ejus (utique antecedentem, ac directam) inquirere, scrutari, amare, meditari, facere, custodire, & custodire nimis, non declinare ab illa, neque ad dexteram, neque ad sinistram, & alia id genus.

24. Atqui voluntas hæc, *mihi placet, ut homo possit libere agere id, quod ipse cognoscit verosimilius esse, quod sit re ipsa contra voluntatem, & legem meam id sibi prohibentem*, eadem est, re ipsa, cum ea voluntate, nec nisi voce tenus ab illa differt: ergo utraque pariter repugnat Deo: ergo hæc voluntas etiam manifestè Deo repugnat. At hæc est lex, seu voluntas reflexa, quam Terillus statuit, tāquam regulam primam, cui in hypothesi nostra ultimum conscientiæ dictamen, & operatio ex illo elicienda, unicè conformari debeant, ac possint: ergo lex, seu voluntas consequens ac reflexa, quam invenit Terillus, fictitia omninò est, & Deo manifestè repugnans: ergo (quod tandem legitimè conficitur) illa opinio directè minùs probabilis nullum fundare potest dictamen ultimum, seu proximam conscientiæ regulam, quæ primæ regulæ conformetur: ergo non est regula recta. Cætera omnia evidentia sunt, & quæ neque negentur, neque negari possint à Recētioribus. Sola Minor primi discursus neganda ab ipsis est, si meliùs sapere nolint incipere.

25. Cæterùm ipsam quoque haud minùs evidentem esse, nullo negotio suaderi valet. Enim verò, qui judicans verosimilius esse, operationem suam esse re ipsa contra legem directam, & voluntatem Dei antecedentem, nihilominus illam exequitur, is proculdubio non attendit, ut debet, nec quærit diligenter legem directam Dei, nec illi se conformare desiderat, sed magis illam voluntariè contemnit. Quis porrò dicat, eum, qui voluntariè eligit medium aliquod, quod ipsemet agnoscit esse re ipsa magis connexum cum carentia alicujus finis, quàm cum ejusdem finis existentia, quærere nihilominus seriò, & ex

ani-

animo finem illum, & non potiùs carentiã ejus? Lux ipsa non est clara, si evidens hoc non sit. Et quidem alioqui, cur ille, qui operatur practicè dubius de suæ operationis honestate, peccat, atque contemnit legem Dei, ut est certa, & communis Theologorum sententia? Profectò non ob aliam rationem, nisi quia agit id, quod agnoscit non esse positivè conforme legi Dei, sed indifferens potiùs, ut sit contra, vel juxtâ legem. Ergo à fortiori peccat, & legem Dei apertè contemnit, qui agit id, quod videt verosimilius esse, quod sit contra, quàm juxtâ legem Dei, directam, & primariam.

Evidens ergo est, voluntatem, qua Deus sic agere permitteret, aut approbaret, esse prorsus eandem, nec nisi voce tenùs ab illa voluntate differre, qua vellet, aut permitteret, ut homo in suis operationibus non quærat diligenter legem suam, sed illam potiùs voluntariè contemnat. Patet igitur, legem, seu voluntatem Dei consequentem, quam P. Terillus invenit, esse figmentum prorsus inane, per quod proinde novi Probabilismi subtilis, ac mirabilis fabrica construi non possit, neque fulciri.

§. V.

Nostræ demonstrationis vividior declaratio.

26. HÆc, quamvis evidenter, &, ut ajunt, palmariè rem ostendant, illustrari adhuc possunt particulari exemplo, quo faciliùs ab omnibus percipiantur.

Ponamus opinionem directam faventem libertati contra legem minùs, aut æquè tantùm probabilem in sensu Probabilistarum: fac, eam esse opinionem, quæ docet, exercitium pingendi non vetari per legem diem festum colendi. Modò sic arguo: verosimilius est, hanc opinionem esse re ipsa falsam, & consequenter non conformari cum lege Dei primaria, ac directa; unde qui vellet illam amplecti non firmatam aliis principiis indirectis, atque reflexis, peccaret proculdubio, ut Probabilistæ fatentur. Sed quare proculdubio peccaret? Quia ponit (ait Terillus) actionem, quam videt esse verisimilius reipsa opponi legi directæ, seu voluntati antecedenti Dei; undè arguitur evidenter, ipsum non seriò quærere, & ex sincero corde, legem illam, sed voluntariè potiùs contemnere. Accipio libentissimè doctrinam istam veram, & sanam.

27. Tum ultrà pergo. Atqui per nulla principia reflexa fit, aut fieri potest, ut operans existimet, actionem suam conformari reipsa cum ea lege: ergo per nulla reflexa principia formare potest dictamen prudens (quin neque imprudens, si bene attendat) de rectitudine suæ operationis, adeòque nunquam illam potest licitè exequi. Reliqua probatione non egent. Minor subsumpta patet per se ipsam, nisi quis terminos non intelligat: nam principia omnia reflexa ex se, & ex mente Probabilistarum, ad id unicè tendunt, ut liceat absolutè, & omnibus inspectis, actionem illam ponere, nõ obstante quod innitatur opinioni directè minùs probabili; nullam tamen eidem conformitatem tribuunt cum lege antecedenti, seu directa, quia quæstionem directam ne attingunt quidem, nec aliquid enũtiant de illa, id ipsam præsupponunt examinatam, & minùs probabiliter decisam pro parte libertati favente; & omnia ex hac suppositione procedunt.

28. Alioqui dicat quis, ex principiis reflexis suaderi, vel concludi, exercitium pingendi, (quod, exempli gratia, posuimus) non esse servile re ipsa, adeòque nec prohibitum lege illa directa, quæ prohibet in festis exercitia servilia. Nemo certè id somniavit: nec de doctrinæ hujus veritate, vel leviter ambigere poterit, qui mediocriter penetret principia Probabilistarum, qui propterea non

dicunt(ut supra vidimus)opinionem directè minùs probabilem,aut actionem ex illa procedentem,conformari, aut re ipsa, aut in mente operantis, cum lege antecedenti, atque directa, sed unicè cum lege reflexa, ad quam ideò recurrunt, ut ultimum conscientiæ dictamen, & operatio ex illo procedens, cōformentur cum aliqua voluntate divina, atque adeò cum prima rectitudinis regula.

29. Ex his patet ad oculum, ut ajunt, eum, qui tali opinioni innixus voluerit pingere in die festo, si rogetur,an actio,quam exercere intendit, conformetur revera cum lege Dei directa, ac primaria? etiam si mille fecerit reflexiones, & infinitas reflexionum myriades, post omnes,velit, nolit, fateri tandem palàm debere se penitus nescire, immò esse sibi verosimilius, actionem suam verè, illi legi non conformari, sed eidem potiùs opponi; aut contingens omninò esse, & æquè verosimile,quod opponatur, si nempe opinio fuerit æquè probabilis. At, qui sic operatur, non quærit diligenter legem Dei, neque seriò desiderat actionem suam illi conformare, sed legem potiùs voluntariè contemnit, ut fatetur Terillus, & nemo sanæ mentis potest negare. Ergo quicumque sequitur opinionem directè minùs,aut æquè tantùm sibi probabilem, per nulla reflexa principia formare potest conscientiam rectam, adeòque nec honestè operari.

30. En ergo deceptionem nimis conspicuam Recentium Probabilistarum: en circulum vitiosum adeò per se patentem, ut sit admiratione, & stupore dignum, quod ab ipsis non deprehendatur. Nimirùm volunt ultimum conscientiæ dictamen, adeòque proximam conscientiæ regulam, rectam demum producere, & conformem regulæ primæ, per conformitatem ad regulam objectivam, atque remotam (nempè opinionem minùs probabilem) non concordātem cum prima regula, sed eidem potiùs oppositam: & hanc rursus conformem, & rectam demùm reddere volunt per principia reflexa, quæ, utpote eidem regulæ objectivæ conformia, nequeunt non discordare ab ipsa prima regula. Perinde ac si contendas, ultimum complementum, supremumque ædificii fastigium, rectum esse, ac conforme regulis artis, cùm tamen fatearis esse prorsus conforme, & exactum ad basim, seu primum fundamentum non rectum, sed vitiosum, & contrarium eisdem regulis: & rursus de hoc ipso fundamento affirmes esse rectum, & secundùm regulas artis, quia exactè correspondet fastigio, quod supponitur non esse rectum, quippe quod fatearis esse omninò conforme fundamento non recto.

31. Mirareris tu magnus Reflexista, si quempiam sic raciocinantem audires, ipsumque, vel jocari, vel delirare diceres. Sed vide quæso ratiocinium tuum,& ostende, si potes, aliquod, vel levissimum discrimen. An non palàm fateris, opinionem directè minùs probabilem secundùm se, ac seorsim à principiis reflexis, non conformari cum regula prima, ideſt, cum voluntate, seu lege Dei directa? Fateris utique, neque negari potest ex ipsa terminorum acceptione. An non principia tua reflexa, & ultimum conscientiæ dictamen, nihil aliud affirmant, aut intendunt, quàm opinionem illam licitè posse ad praxim deduci? Nihil aliud affirmant, aut intendunt. Quid verò est affirmare, opinionem directam licitè posse ad praxim deduci? Profectò nihil aliud (si non tantùm sonitum vocum, sed rem significatam attendas), quàm affirmare, opinionem illam esse regulam rectam objectivam, proindeque conformem cum prima regula. Utique, si reflexa principia tua affirmarent, licitum esse operari ex illa opinione,licèt contraria sit legi Dei, vel præscindendo ab eo, quod sit

jux-

juxta, vel contra legem, aut nihil id omninò curando, non modò falsa essent, sed etiam prava, & impia; hoc enim foret palàm affirmare nihil esse attendendam legem divinam, sed potiùs licitè contemni posse; qua nulla execrabilior blasphemia?

32. Tum sic: reflexa tua principia nihil aliud affirmant, aut intendunt, quàm opinionem illam directam esse regulam (utique remotam, non formalem, sed objectivam) rectam, atque conformem regulæ primæ, ideſt, legi divinæ antecedenti. At hoc est evidenter falsum, ut tu ipse fateris, & supponis, qui propterea recurris ad legem consequentem, ac reflexam: ergo reflexa principia tua sunt evidenter falsa, atque adeò non recta, utpote rectitudinem affirmantia de regula objectiva, quam supponis non esse rectam. Aliunde verò intendis eandem illam regulam objectivam reddere tandem rectam, & conformem regulæ primæ per illa eadem principia reflexa. Igitur principia reflexa, & ultimum conscientiæ dictamen vis conformare cum prima regula, per regulam remotam, & objectivam, non rectam, sed contrariam eidem primæ regulæ: & rursus hanc eandem regulam objectivam contendis esse rectam, & conformem regulæ primæ, propter conformitatem cum eisdem principiis, quæ nullatenus recta sunt, utpote quæ dependent omninò à regula objectiva non recta. Hoc verò quid est aliud, quàm supremum fastigium ædificii velle reddere rectum, & conforme regulis artis per exactam conformitatem cum primo fundamento ejusdem ædificii, quod fateris non esse rectum: & rursus de hoc ipso fundamento contendere, quod rectum sit, quia omninò conformatur cum illo fastigio non recto? Sanè ex parte materiæ longa distantia est: de cætero disparitas nulla.

§. VI.

Dilucida dictorum complexio, qua Recentiorum omnis præcluditur evasio.

33. Denique in re clarissima ne te diutiùs moremur, sed ut dicta paucis accipias, inquiramus à Reflexistis, utrum dictamen ultimum universale, quod post considerata omnia principia sua reflexa eliciunt tandem certum, & evidens de actionis eliciendæ honestate, nimirum, *licet agere secundum opinionem minùs tutam, & directè minus probabilem*, utrum, inquam, dictamen hoc affirmet honestatem operationis sine respectu ullo, aut attentione ad legem Dei primariam, ac directam; an cum respectu debito potiùs, & quærendo sincerè dictam divinam legem, ita ut ejus dictaminis sensus sit, *operationem illam esse honestam*, ideſt, *conformem legi divinæ antecedenti, atque directæ*? Primum sanè non dicent Recentiores, neque potest Catholicè affirmari, si nemo potest legem divinam honestè, & laudabiliter contemnere.

34. Secundum patet esse evidenter falsum; quia nemo eliciens operationem, de qua agnoscit, inspectis omnibus, verosimilius esse, quod sit re ipsa contra legem Dei antecedentem, atque directam, quærit seriò, & ex animo legem illam, nec judicare potest prudenter (quin neque ullo modo), operationem suam conformari re ipsa cum tali lege, ut demonstratum manet, & patet, vel ex terminis ipsis. Immò patet ad homines ex ipsa confessione Recentiorum; ideò nanque confugiunt ad reflexa principia, quia, si opinio directè minùs probabilis secundùm se inspiciatur, & seorsim ab illis, nec conformatur cum lege Dei, neque potest inferre operationem rectam, & conformem eidem legi: unde, si aliquis uteretur opinione prædicta nudè ac-

ceptâ, & non firmatâ per reflexa principia, palàm convinceretur, & evidenter, non quærere sincerè legem Dei, sed illam potiùs voluntariè contemnere. Quare? Nempè, quia videt, verosimilius esse, præfatam opinionem esse falsam, adeòque operationem juxta eam elicitam, fore reipsa contra legem Dei. Nonne hæc est ipsa Recentiorum doctrina? Nonne de nostræ sententiæ Auctoribus propterea sine termino conquerun-tur, quod siniſtrè intellexerint sententiam suam, quasi videlicet ipsi vellent, ut honestè quis operetur agendo juxta illam opinionem directam nudè sumptam, & non firmatam per principia sua reflexa? Lege, si vis, Terilli, vel duas saltem paginas, & mirum, si non deciès querelam istam repetitam invenias.

35. At, quidquid sit pro nunc, an principia reflexa operationem illam reddant tandem conformem alicui voluntati seu legi Dei reflexæ, ac consequenti, evidens saltem est, quod illam nullo modo reddere possint conformem voluntati, seu legi antecedenti, quia reflexa principia (de quibus modò est sermo) opinionem directè minùs probabilem non possunt facere reipsa veram, aut conformem suo objecto directo: quin immò (vide, quàm longè absint) supponunt, ipsam aut esse falsam, aut saltem esse verosimilius, quod sit falsa reipsa, & hac facta suppositione, affirmant, adhuc licitum esse uti opinione illa minùs probabili, ut subsistat principiis reflexis: ergo post omnia reflexa principia non potest operans non videre, verosimilius esse absolutè, & simpliciter, opinionem directam, quam amplectitur, esse reipsa falsam, & consequenter operationem suam reipsa contra legem Dei antecedentem, atque directam. Atqui sic operari est violare formaliter legem directam Dei, illamque voluntariè contemnere, ut ex se evidens est, & Probabilistæ non negant, cùm totus eorum conatus sit hoc inconveniens vitare: ergo per nulla reflexa principia fit, aut fieri potest, ut rectam quis conscientiam efformet secundùm illam opinionem directam.

36. Est ergo apertè vanus, & irritus totus Recentiorum conatus, si ædificium Probabilismi, quod tanto molimine adstruunt, fundari debeat per respectum, & ordinem ad legem Dei primariam, ac directam, tanquàm ad primam regulam rectitudinis ejus. Quomodo nanque poterit ædificium constare, si primus ipse lapis, quem ponunt, nempè opinio directè minùs probabilis, cui cætera omnia adstruuntur, jam discrepat ab ipsa rectitudinis regula? Perinde sanè est, ac si contendas, aliquod materiale ædificium rectum demum consurgere, & regulis artis conforme, cùm primus lapis, cui totum est innixum, & exactè commensuratum, rectus non sit, sed potiùs obliquus, & contra ipsas regulas artis.

37. Una est igitur via (certè non duæ) construendi ædificium rectum, aut saltem non obliquum formaliter, nimirum si absolvatur ab attentione omni, ac respectu ad prædictam legem primariam. Cùmque hoc fieri nequeat, si lex illa reipsa maneat (alioqui liceret ipsam contemnere, quod nemo Catholicus dicat), reliquum tandem est, ut lex illa de medio tollatur, ita ut in se non sit, nec ullam ex se habeat vim obligandi, quoties datur opinio probabilis contra ipsam.

§. VII.

Concluditur necessitas recursus Probabilistarum ad principium Terilli de insufficienti legis promulgatione.

38. Vidit hoc demum P. Terillus; & quia optimè noverat, vim intrinsecam legis, seu virtutem ipsius ad obligandum, constitui quoad substantiam per promulgationem legitimam, qua subditis in-

innotescere possit, ex hoc unicè capite legem antecedentem, atque directam Dei extinguendam omninò, atque removendam putavit semper, ac datur opinio probabilis etiam falsa pugnans pro libertate contra legem, quò locus tandem expeditus maneret pro constructione novi ædificii ad novam quamdam regulam exigendi, ut Probabilismus stabiliretur.

39. Docuit ergo primus, & sine Auctore (uno tantùm excepto Caramuele, qui jam prior id insinuaverat, ut propugnaret illud laxissimum suum dogma, jam à fortiori per Ecclesiam damnatum, de non certitudine legis): docuit, inquam, Terillus, & suadere pro viribus conatus est, legem in omni eventu, in quo existat opinio verè probabilis in sensu Probabilistarum, negans ejusdem legis obligationem, non esse sufficienter promulgatam, adeòque nec habere vim ullam obligandi, neque esse re ipsa legem, nisi purè Grammaticaliter, idest, quoad vocis sonitum tantùm.

Hinc consequenter docet, ultimum conscientiæ dictamen, seu, quod eòdem redit, proximam, ac formalem agendi regulam, & actionem ex illa procedentem, nec conformandam esse, nec comparandam ad legem illam antecedentem (quippe quæ lex non sit, nisi nomine tenùs), sed ad legem reflexam, consequentem, atque per accidens existentem in Deo, quam Terillus etiam invenit, & quam ex ipso expressimus ad hujus articuli initium.

40. En igitur arcanum, atque mirabile benignæ sententiæ *mysterium* palàm, & citra ænigmata revelatum. En unicum principium, in quod cætera omnia resolvantur, tanquam in fundamentum primum, & ultimum, cui Recentiores Probabilistæ immensam non verentur adstruere totius Ethicæ Christianæ molem, & æternæ salutis pondus. Porrò reliqua omnia principia, aut fundamenta, quibus innititur Probabilismus, non solùm in se ipsis nova etiam sunt, & impugnatu facillima, ut suis locis monstrandum est; sed, quòd ad præsens attinet, penitus inutilia, quippè quæ nullam possint efficaciam habere ad obrogandam prorsus, & tollendam de medio re ipsa, & quoad substantiam, legem primariam, & antecedentem. Hac vero lege perseverante, nullam omninò supereſse viam ad rectam conscientiam formandam supra opinionem aliquam minùs tutam, & simul æquè, aut minùs probabilem, abundè demonstratum, & satis clarè expositum à nobis est. O Deus meus, & Salvator meus! quantum miseri homines laboramus, ut fugere tutò possimus à te, vera nostrorum laborum requie! Sed *quò ibimus à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiemus*. Ex Psal. 138.

Videamus autem, quibus argumentis tantum istud principium, aut fundamenrum ante Terillum in Theologia inauditum (ut statim palàm faciemus) ab ipso Terillo statuatur.

ARTICULUS II.

Potissimum, aut unicum Probabilismi fundamentum de insufficienti legis promulgatione, quibus rationibus Terillus statuat?

41. VAlidissimas illas, ac planè invictas esse oporteret, ut principium tanti momenti, adeò præterea novum, atque difficile, apud viros cordatos, ac sapientes, utcumque stabilire sufficerent. Id Terillus, ut erat ingeniosus, & sagax, optimè agnovisse videtur, & ideò hoc argumentum, neque semel, aut iterum, neque obiter, aut segniter versat, sed in principium istud stabiliendum omnes simul doctrinæ, ac minimè vulgaris eruditionis conatus, totosque ingenii sui nervos intendit. At, ut ingenuè dicam, quod sentio, vix aliud quidquam in to-

toto suo gemino Opere inefficaciùs suadet, aut frigidiùs. Ea est argumenti difficultas. Tribus autem in locis de re ista disertè, & ex professo disputat, nempè q. 23. de consc. proba. à nu. 14.; 1. par. de Regu. mo. q. 2. nu. 45. & iterùm par. 2. q. 43. ubi statuta primùm sua sententia, argumenta Elizaldi, seu Celladei, adversus illam affert, & solvit.

42. Rationes verò, quas ubique producit, eædem ferè sunt. Pro quibus instituēdis advertit primùm, assertionem suam intelligendam esse universaliter de omni lege, divina scilicet, vel humana, naturali, vel positiva; nam eadem est ratio de omnibus, quod ad promulgationis necessitatem spectat, licèt modus ipsius promulgationis aliquatenus sit diversus pro ipsarum legum diversitate.

43. Advertit iterùm, perinde omninò esse in ordine ad præsentem difficultatem, sive opinio probabilis contra legem, neget ipsam legis substantiam, hoc est, legem existere, aut latam esse, sive neget modum ipsius, nimirùm extensionem ad hunc, aut illum casum particularem; nam etiam modus iste necessariò resolvitur in substantiam, hoc est, in voluntatem legislatoris volentis, aut nolentis casum illum comprehendere lege sua: voluntas autem legislatoris, quæ est tota vis, & anima legis, nullibi habere potest vim obligandi, nisi sit sufficienter promulgata.

44. His prænotatis, sic argumentatur. Quoties post omnia considerata, utrum lex aliqua lata fuerit, manet probabile apud omnes subditos, quòd nunquam legislator talem legem condere intenderit, licèt oppositum sit etiam probabile, lex non est sufficienter promulgata. Ratio est: quippè legis promulgatio debet esse cęremonia sensibilis, & usque adeò subditis manifesta, ut aliqui saltem eorum evidenter sciant, & legem latam, & tali ceremonia manifestatam fuisse. Immò esse debet adeò solemnis, certa, liquidaque ipsius notitia, ut magnam saltem subditorum partem latere nullo modo possit, nisi ad ea, quæ fiunt, culpabiliter ipsi nolint attendere. At in eventu nostræ quæstionis nullus subditus certò novit, quòd detur talis lex, aut quòd fuerit solemniter manifestata, quia doctissimi quique sciunt, probabile esse, quod legislator nunquam talem legem condiderit: igitur talis lex non est sufficienter promulgata. Hæc ratio ex æquo probat (inquit Terillus) de lege, tàm humana, quàm divina: apparet autem clariùs ipsius efficacia in lege humana.

45. Unde confirmat argumentum, primò: quia sæpè ipse legislator humanus nescit, an lege sua voluerit comprehendere aliquem casum determinatum: verbi gratia, dum prohibet opera servilia, nescit, an prohibere reipsa intenderit exercitium pingendi: ergo non potest ea voluntas esse lex prohibens exercitium pingendi. Patet consequentia; nam lex est essentialiter regula directiva subditi: nequit verò dirigere, nisi ut cognita. At non est satis cognita subdito, cùm neque ipsi legislatori ita cognita sit, ut affirmare possit, se voluisse prædictum exercitium prohibere. Ergo nequit lex illa subditos regulare, aut dirigere, atque adeò nec obligare, ut abstineant ab aliis exercitiis, quàm ab eis, quæ certò servilia sunt, vel ad summum ab eis, quæ non nisi imprudenter existimari possunt non servilia.

46. Confirmat secundò: prudens legislator humanus minimè ignorat, sensum legum suarum esse in multis casibus dubium, multosque se doctiores existimare, legem ad ea objecta non extendi. Igitur manifesta præsumptio est, ipsum objecta illa noluisse lege sua comprehendere; *nam si voluisset, id expressisset*: ergo dum non expressit sciens, & volens, censendus est noluisse. Ma-

xi-

ximè verò id valet, quia *favores sunt ampliandi, & odiosa restringenda*.

Quæ ratio eodem modo, immò à fortiori valet in legibus divinis; nam Deus, qui nihil ignorat, eò ipso quòd noluerit exprimere, evidenter præsumitur noluisse suis legibus comprehendere objecta omnia, de quibus sunt motiva probabilia ad affirmandum lege non comprehendi. *Hoc autem* (ait Terillus) *est totum, quod intendimus, illudque manifestissimè sequitur ex defectu promulgationis sufficientis, in quo fundatur dicta præsumptio*. Sed nota hìc obviter circulum Terilli, probantis præsumptionem manifestissimam ex defectu promulgationis; & rursus ex eadem presumptione, ipsum, quem hìc intendit, promulgationis defectum.

Terill. illa q.43. n. 19.

47. Præterea arguit pro eadem sententia à priori, ut ait ipse. Quotiès certò est probabile, non dari legem prohibentem rem aliquam, toties datur certa probabilitas, quòd Deus habeat voluntatem, seu legem æternam, qua permittit, & approbat liberum usum talis rei. Ponamus ex. g. utranque partem contradictionis esse æquè probabilem: in hoc casu si loquamur respectu communitatis, certum videtur, legem prohibentem talem rem, aut non existere, aut sufficienter non esse promulgatam. Ratio est; quia tantum affertur pro lege æterna permittente, quantum pro lege æterna obligante: ergo; vel neutra, vel utraque est sufficienter promulgata huic communitati. At utraque non potest esse: ergo neutra: ergo rectissimè dici potest, legem Dei prohibentem in hoc eventu non esse sufficienter promulgatam, nec aliam tunc existere reipsa in Deo, quam legem consequentem, & reflexam, qua permittit objectum illud ex prædicta suppositione, opinionis videlicet affirmantis, legem antecedentem non existere.

48. Huic argumento præmiserat Terillus illud, quo noster Cardinalis Sphortia aliquando convictus est, & quod deinde retractavisse P. Elizalde testatur, de quo nos alibi. Sed argumentum illud in primis non ducitur ex capite insufficientis promulgationis, atque adeò importunum est? Deinde est adeò fallax, ut vel Auctori suo non immeritò displicuerit. Videri potest Esparza in Append. par. 2. art. 147. ubi solidè, ac fortiter illud impugnans meritò affirmat, neminem illi fideri posse, quippè quod ducat in præcipitium, & innumera absurda probet.

Elizal. 1. p. de Rect. doct. mo. li. 3. q. 8. §. 1.

Hoc est in summa totum pondus rationum, quibus sententiam suam Terillus totidem pænè verbis suadet. Sed quia, licèt invitus, non potuit non videre, impares illas esse ad probandam doctrinam tanti momenti, adeò novam, ac destitutam graviorum Doctorum suffragio, quæ proinde, vel ex hoc capite, jure meritò despicienda foret, necessarium omninò duxit, ne videretur solus incedere, aliquod patrocinium ipsi conquirere, qualicumque colore, & undecumque posset haberi.

49. Sed quid invenit? Primùm D. Thomæ suffragium, *cui hæc doctrina* (inquit) *prorsus conformis est*. Itane, D. Thomæ? Omninò, inquit Terillus, quia M. Angelicus *q. 17. de verit. a. 3. corp. expressè docet, præceptum Superioris non obligare subditum, nisi sciatur*. Validum patrocinium! Affert deinde verba S. Doctoris. Sed nihil aliud continent, quàm, ut præceptum obliget, requiri notitiam ipsius, nisi quis culpâ suâ tali notitia careat. Ecce suffragium D. Angelici.

Terill. dict. q. 43. n. 6.

50. Vocat præterea in sui patrocinium Doctores omnes eos, qui docent, EpiKeiam, seu legis interpretationem, toties habere locum, quoties prudenter præsumi potest, quod legislator noluerit aliquid sub præcepto exigere. Atqui præsumptio ista semper datur, quoties pars minùs tuta est certò probabilis practicè. Igitur

tur omnes isti, inquit Terillus, nobiscum sunt : idest, omnes omninò, tàm antiqui, quàm Recentiores. Bellè!

51. Addo ego specialiter D.Eximium multò apparentiùs Terillo suffragantem; nam in 1.2.tr. 3.d. 12. sect.5. n. 7. sic pronuntiat, *Quandiù rationabiliter dubitatur, an lata sit (lex), non est sufficienter promulgata.* Et iterum sect.6.n.8.*Quãdiù est judicium probabile, quòd nulla sit lex prohibens, vel præcipiens actionem, talis lex non est sufficienter proposita, vel promulgata homini.* En totum conquisitum auctoritatis robur.

ARTICULUS III.

Quibusdam prænotatis, & statutis circa legis promulgationem ex receptis apud omnes principiis, exponitur sensus quæstionis à Recentioribus necessariò vel intentus, vel intendendus.

52. AD impugnandum,& expugnandum præjactum Terilli principium, tot, & tam clara suppetunt argumenta, ut ejus falsitatem non solùm evidenter demonstrent, sed magnam insuper admirationem ingenerent, quòd opposita veritas potuerit aliquando in quæstionem adduci. Interim tamen Terilli principium tanquam moraliter certum, & evidens à Recentioribus circumfertur. Certè Terillus ipse sic de illo pronuntiat, *ratio est adeò potens, & efficax, ut veritatem prorsus evincat.* Sed quia nostrorum argumentorum nihilominus vim præsentientes, promulgationis terminos passim confundunt, ut si aliud non possint, tenebras saltem vocum offundant, pauca circa rem istam apud Doctores omnes explorata, & extra omnem controversiam posita, stabilire priùs oportet, quibus proprius, ac liquidus promulgationis conceptus pateat, indeque proprius etiam, legitimusque sensus Recentiorum, quantumvis velint,latere non possit.

Terill. 2.p. de Regim.q. 53.n. 12.

§. I.

Conceptus proprius promulgationis legis, & duplex ipsius acceptio.

53. LEx, ut jam diximus,ex conceptu suo est regula humanarum actionum objectiva, & extrinseca, quæ proinde, ut dirigere, ac regulare subditos possit, proponi ipsis, & applicari debet per sui notitiam, & cognitionem. Potest verò considerari in ordine ad hunc finem, & effectum suum proprium, in actu primo proximo, vel remoto, seu, quod in idem redit, ut incompletè tantùm, inchoativè, imperfectè, ac vialiter se habens; vel potiùs, ut jam ultimò constituta,consumata,& perfecta in ratione legis actualis.

54. Lex in actu remoto ad regulandum, sive incompletè sumpta (quæ simpliciter dicitur lex in potentia, & in actu primo) est imperium,intentio, seu volũtas legislatoris, apud ipsũ adhuc existens, & nec dum subditis manifestata. At verò lex in actu primo proximo ad prædictũ effectum (quæ absolutè vocatur, & est revera lex in actu secundo, idest, completa in ratione legis) importat insuper intimationem, seu manifestationem subditis factam, quæ dicitur promulgatio legis, & juxta communissimam omnium sententiam complet, & constituit partialiter, essentialem legis conceptum, ideòque à D. Thoma communiter recepto exprimitur in ipsa quidditativa definitione legis; sic enim S. Doctor legem definit, *Ordinatio rationis in bonum commune ab eo,qui curam communitatis habet, promulgata.*

D. Tho. 1. 2.q. 90. a.4. ad 1.

55. Est autem promulgatio strictè sumpta publica quædam manifestatio, & intimatio legis in actu primo acceptæ,seu voluntatis legislatoris,facta ad communitatem,vel rempublicam subditorum,ea intentione, & fi-

& fine, ut firma, ac ſtabilis manens, ad ſingulorum notitiam veniat, cunctoſque dirigat, & obſtringat ad faciendum, vel non faciendum id, quod per legem ipſam præcipitur, aut prohibetur. Quare non tantùm ex conſuetudine apud omnes gentes recepta, aut ex communi Juris præſcripto, ſed ex ipſa natura rei, prædicta promulgatio requiritur in omni lege, ſaltem poſitiva. Nam de lege naturæ in ipſis cordis tabulis ſcripta, alia eſt ratio promulgationis, ut ex ſe ſatis conſtat, & ex dicendis etiam conſtabit.

56. Ratio autem eſt manifeſta: quia voluntas legislatoris, cùm ſit abſolutè contingens, & liberè ab ipſo concepta, atque adeò non poſſit in ſe ipſa cognoſci, nequit habere vim, aut efficaciam ullam ad dirigendum, & obligandũ ſubditos, proindeque nec legis rationem, quoadusque ſufficienter communitati manifeſtetur per aliquam ſolemnem cæremoniam (juxta formam, ac ritum cujuſvis gentis, aut reipublicæ proprium, qui multiplex, ac varius ſolet eſſe), ratione cujus perpetuitatem quamdam, & ſtabilitatem acquirat, ut moraliter poſſit tempore competenti devenire in ſingulorum ſubditorum notitiam. Utique lex humana eſt regula communis, & publica, ad quam ſenſibilis, & humana communitas debet ſe in operando conformare: ergo proponi debet ipſi communitati publico quodam, ac ſenſibili ſigno; neque enim poteſt per particularem, atque privatam propoſitionem cauſare effectum univerſalem à conditore legis intentum, qualis eſt obligare, & dirigere cõmunitatem ad operandum.

57. Audiatur in id ipsũ D. Thomas, ex propria ipſius legis ratione promulgationis neceſſitatem deducens: *Lex* (inquit) *imponitur aliis per modum regulæ, & menſuræ. Regula autem, & menſura imponitur per hoc quod applicatur his, quæ regulantur, & menſurantur. Unde ad hoc quòd lex virtutem obligandi obtineat, quod eſt proprium legis, oportet quòd ipſa applicetur hominibus, qui ſecundum eam regulari debent: talis autem applicatio fit per hoc quòd in notitiam eorum deducitur ex ipſa promulgatione. Unde promulgatio ipſa neceſſaria eſt ad hoc quod lex habeat (uam virtutem.* Hæc Angelicus Doctor.

D. Tho. ubi nuper in corp. arti.

58. Sed enim, ſicut lex publico aliquo ſigno manifeſtari debet communitati, quam reſpicit immediatè, ac directè, ſic minimè requiritur ad ſufficientem legis promulgationem, ut ſingulis perſonis ſigillatim manifeſtetur, aut in earum notitiam veniat, ut expreſsè deciditur cap. 1. de Poſtulat. Prælato. Ubi omnes id notant, non tanquam jure tantùm poſitivo præſcriptum, ſed ut ex jure ipſo naturæ, & proprio legis conceptu, conſequens. Porrò lex, prout diſtinguitur à particulari præcepto, per ſe immediatè reſpicit communitatem, ad quam proinde fieri debet manifeſtatio, & promulgatio ipſius, non autem ad perſonas ſingulas. Præterea hoc ſufficit ad firmandam legem, ipſamque ſufficienter ſtabiliendam, ut à ſingulis ſubditis ſciri poſſit, propriuſque ipſius ſenſus inveſtigari. Tandem particularis intimatio legis ad ſingulas perſonas communitatis, non ſolùm eſt difficilis, ſed etiam regulariter, & humano modo impoſſibilis, unde etiam lex ipſa impoſſibilis fieret in magnum reipublicæ damnum.

59. Itaque definita legislatoris voluntas, quemadmodum, ſi necdum manifeſtata eſt, & promulgata communitati, minimè habet rationem legis, neque vim ullam ab obligandum, ſed poteſt licitè non attendi, & impunè violari citra culpam, etiam ab eo, qui evidentem notitiam talis voluntatis haberet; ſic etiam ſemel poſita publica illa promulgatione, ſtatim intelligitur ultimò conſummata, ac perfecta in ratione legis actualis, adeòque cum plena virtute, & efficacia omnimoda ad obligan-

dum subditos omnes, etiam eos, ad quos notitia ipsius inculpabiliter nõdum pervenit, uti reipsa de facto obligat in actu primo, & quantum est ex se, reddens cunctis objectum legi contrarium illicitum, & malum absolutè, & per se loquendo, quamvis legis transgressio non imputetur ipsis ad culpam ob ignorantiam ejus involuntariam. *Illi* (inquit D. Thomas), *coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem observandam in quantum in eorum notitiam devenit per alios, vel devenire potest promulgatione facta.*

D. Tho. ibidem ad 2.

60. Id ipsum clarè constat ex Pontificiis Constitutionibus, in quibus ordinaria, & consueta clausula est, *Volumus quòd præsentes litteræ ad valvas Basilicarum, &c. affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent*. Patet igitur, legem per solemnem, ac publicam sui promulgationem plenè constitui in ratione legis habentis consummatam, perfectamque virtutem ad obligandum subditos omnes, etiam eos, ad quos notitia ipsius necdum pervenit.

61. Enim verò notitia particularis, quam subditus acquirit de lege promulgata communitati, nullo modo constituit, neque complet legis virtutem, sed eam præsupponit adæquatè, & perfectè constitutam. Solùm ergo requiritur ut applicatio quædam, approximatio, seu propositio actualis ipsius legis, ut possit ejus virtus actu influere intentionaliter, & moraliter, hoc est, cognoscentem dirigere, & obligare in actu secundo: quemadmodum in physicis virtus agentis adæquata, & completa in ratione virtutis, exigit nihilominus applicationem, & approximationem ad passum, ut agat in actu secundo. Solet quidem nonnunquam notitia ista vocari etiam legis promulgatio, latè, & impropriè accepta promulgationis voce. Sed, quidquid de hoc sit, certum est apud omnes, ipsam non constituere, adhuc inadæquatè, sed solùm applicare, & expedire actu, legis virtutem.

Hæc certa omninò sunt, & extra dubium omne constituta apud omnes Doctores, seu Theologos, seu Jurisconsultos.

§. II.

De qua igitur legis promulgatione vel loquantur Probabilistæ, vel loqui debeant, si opportunè loquantur?

62. JAm ergo Recentiorum assertio non procedit de posteriori, nempè lata, & impropria promulgatione legis, sed de priori illa publica, atque communi, quæ stricta, ac propria promulgatio est; id, quod Terillus sæpè palàm fatetur, sæpè etiã videtur meticulosè subterfugere, ut constat, vel ex ejus argumentis art. 2. productis. Cæterùm frustrà tergiversatur, & veritatis ictum declinare contendit; nam recursus ipsius ad legis nõ promulgationem, nisi in hoc sensu stricto procederet, inutilis evaderet ad ipsius intentum: immò non aliud foret, quàm circulus quidam vitiosus, & futilis petitio principii.

63. Sanè promulgatio non pressè, sed latè, ac impropriè usurpata pro notitia particulari, qua subditis lex innotescit, non constituit, ut vidimus, adhuc partialiter, legis essentiam, sed ipsam præsupponit adæquatè jam constitutam: ergo non potest lex deficere re ipsa, & quoad substantiam suam, ex defectu promulgationis in sensu improprio, ac lato usurpatæ. At, nisi lex reipsa, & quoad substantiam suam deficiat, Probabilismi moderni fabrica nulla ratione potest subsistere, ut demõstravimus art. 1. Igitur Recentiorum recursus ad legis non promulgationem, nisi hæc strictè accipiatur, inutilis omninò foret ad propugnandum Probabilismum.

64. Præterea totum dissidium no-

noſtrum cum Recentioribus Probabiliſtis circa controverſiam potiſſimam, in eo unicè vertitur; utrum quando lex nobis actu proponitur, aut intimatur, per opinionem æquè, vel magis veroſimilem, quàm ſit oppoſita, quæ favet libertati, & negat legis obligationem, ſit nobis ſatis cognita, & intimata, ita ut nos obliget in actu ſecundo? Ergo ſi Recentiores, dum id negant, quia lex in hac hypotheſi ſatis promulgata non eſt, promulgationem non propriam, ac ſtrictam, ſed latam, & impropriam loquantur, hoc eſt particularem legis notitiam, & propoſitionem actualem, circulum facient planè ridiculum, & apertè principium petent. Certè eorum diſcurſus, terminis explicatis, hunc faciet ſenſum: *lex in præfata hypotheſi non obligat ad ſui obſervationem, quia ſatis nobis non eſt propoſita: ideo verò propoſita ſatis non eſt, quia ſatis nobis non eſt propoſita.* Hic autem planè abſurdus, ac ridiculus circulus eſt.

Patet igitur, ſenſum præſentis controverſiæ, quem Terillus, & reliqui poſt ipſum Recentiores, vel intendunt, vel debent omninò intendere, niſi quæſtionem ſibi prorſus inutilem, immò verò ridiculam movere velint, procedere de promulgatione rigoroſè, ac ſtrictè accepta, quæ conſtituit partialiter eſſentiam legis, & ex cujus defectu lex deficit re ipſa, & nullam habet vim obligandi.

Quantum verò in hoc ſenſu aſſertio Recentiorum aliena ſit ab omni veritatis ſpecie, demonſtrare jam aggrediamur, quandoquidem, & hoc demonſtrandum à nobis ſit; quod certè ſatis miſerum eſt.

ARTICULUS IV.

Prætenſum Terilli principium de inſufficienti legis promulgatione in primis eſt apertè contra Theologos omnes, etiam contra ipſum Terillum: immò videtur eſſe manifeſtè contra Scripturam.

65. SUfficere profectò deberet, ut abſque alio examine prorsùs reijceretur, quod omni Doctorum ſuffragio deſtitutum penitus eſſet. Quale nanque eſſe poteſt in re tanta principium illud adeò in Theologia novum, & inauditum, ut à Terillo primitùs adinventum, neminem ante ipſum habeat Auctorem? Verùm non modò nullos, vel occultos, habet patronos, ſed etiam omnes, nemine dempto, adverſarios apertos ſuſtinet, etiam primum ipſius inventorem, ut ſit (quod dictu mirabile eſt) ingratus ab origine ſua, vel propriis parentibus error.

Et in primis Doctores omnes, qui benignam ſententiam reſpuunt, ideſt antiquos omnes ante Bartolomæum à Medina, & plurimos etiam poſt ipſum, non eſt opus commemorare. Quot verò ſint, & quanti: ſcilicet non meri Summiſtæ, ſive conſcientiæ caſuum Compilatores, aut Collectores, qui gregatim, ut ajunt, inſtar avium, & ovium alios ſequentes, communem opinionem ſua ſubſcriptione confirment, ſed Theologi Scholaſtici, & Doctores graves, ac docti, qui rem plerumque ex profeſſo tractaverint; quidquid in imperitum vulgus ſpargant vulgares quorumdam fabellæ, ſupra ſummatim diximus, & ſuo loco fusè monſtrabimus. De horum ergo mente cùm in preſenti dubium eſſe non poſſit, ad ipſos noſtros adverſarios veniamus. Supra controv. 4. a. 5. n. 51.

§. I.

Omnes etiam Probabilistæ memoratum principium improbant.

66. IGitur omnes, nemine dempto, Probabilistas Recētiores præfatum Terilli principium falsum supponere, & existimare, evidenter patet ex eo, quòd omnes passim doceant, ac supponant, eum, qui bona fide sequitur opinionem benignam, sive libertati faventem, si contingat esse in re falsam, peccare materialiter, & violare re ipsa legem Dei, quamvis violatio ista ipsi non imputetur ad culpam, vel ad pænam, propter defectum voluntarietatis. Id in omnium scriptis adeò est frequens, & obvium, ut ulteriori probatione non egeat. Immò, quod magis mirandum est, passim à Terillo docetur, ac velut exploratum supponitur extra cōtroversiam præsentem; quin etiam intra, ut statim videbimus.

Atqui, si lex, quæ prohibet objectum illud, non esset sufficienter promulgata, illud opus non foret materialiter malum, neque violatio alicujus legis; nam lex non sufficienter promulgata re vera non est lex, nec ullam ex se habet vim obligandi, aut reddendi objectum illicitum, ut constans est ex his, quæ prænotavimus de communi omnium sentētia, quæ non alterius magis, quàm ipsius Terilli, & Recentiorum interest, ut falsa non sit. Opus verò nullo modo prohibitum, nec impingens in legem aliquam, non est materialiter malum, neque imputari posset ad culpam, quamvis fieret cum plena cognitione, & advertentia ad omnes circunstantias, ut est evidens apud omnes. Igitur omnes etiam Probabilistæ, saltem extra præsentem controversiam, existimant, atque supponunt, tanquam rem prorsus certam, & nulli obnoxiam dubitationi, falsum omninò esse legem, contra quam datur opinio quantumcumque probabilis, hoc ipso satis promulgatam non esse.

67. Rursum: omnes Doctores, nullo dempto, tanquàm indubitabile supponunt, opinionem quamcumque, non solùm æquè, aut minùs, verùm etiam magis probabilem (in sensu scilicet Probabilistarum), quæ negat, aliquid esse illicitum, contingere absolutè posse, ut sit falsa re ipsa. Quis hoc neget? At opinio, quæ negat aliquid esse illicitum, nequit esse falsa reipsa, nisi quia existit lex verè talis, & veram habens obligandi virtutem, quæ objectum talis opinionis prohibeat, ut vel ex ipsis terminis patet. Igitur nemo est, qui non censeat, & ut indubitabile supponat, opinionem probabilem contra legem minimè obstare promulgationi ipsius, neque tollere ab ipsa veram rationem legis, adeòque neque veram vim obligandi.

68. Præterea omnes similiter, etiam Terillus ipse, passim docent, supponuntque, ut notorium, opinionem faventem libertati, si sit æquè, aut minùs probabilis (immò, licèt sit probabilior), non æquè tutam esse, materialiter saltim, ac oppositam libertati contrariam, quam proinde semper amplecti consultum est, & laudabilius, moraliter, ac per se loquendo. Hæc verò forent evidenter falsa, si verum esset Terilli principium, ut statim apparet consideranti, immò simpliciter concipienti.

69. Ulteriùs hæc assertio, *opinio affirmans, hoc licitum esse, sive nulla lege prohibitum, probabilis, & tuta est, sed probabilis quoque, aut etiam probabilior, opinio negans,* non modò vera est apud modernos Probabilistas, sed etiam frequentissima locutio, & à Terillo ipso ex professo universaliter propugnata, passimque velut certa suppositа. At si principium hoc de insufficienti legis promulgatione, quod Terillus intrudit,

ve-

verum esset, prædicta assertio foret evidenter falsa, & omni destituta fundamento. Est igitur manifestè falsum ex mente omnium Probabilistarum, & in primis Terilli ipsius.

Minor, quæ sola negari posset, innegabilis prorsus est; nam opinio, quæ negat, aliquid esse licitum ex vi alicujus legis sufficienter non promulgatæ, est evidenter falsa juxta omnes, adeòque nullo modo probabilis in sensu, quo loquuntur Auctores. Audi Terillum ipsum: *Ridiculum* (inquit) *esset, si suppositâ negatione sufficientis promulgationis de lege, adhuc ipsius obligatio quæreretur.* Ecce non solùm opinari absolutè, aut affirmare obligationem legis, cujus defectus promulgationis supponitur; sed, vel de illa quærere, aut dubitare, ridiculum censet Terillus. Atqui, si verum est ejusdem Terilli principium, quoties supponitur opinio probabilis negans legis obligationem, supponitur defectus promulgationis ejusdem legis, nam ex illa suppositione nulla est lex sufficienter promulgata, quæ objectum illud reddat illicitum, nec alia tunc existit in Deo, quàm lex consequens, & reflexa, qua Deus illud opus approbat, aut permittit, ut Terillus affirmat, & nititur probare, præsertim illa q. 43. 2. p. de Regu. mo. ergo opinio, quæ negat esse licitum, seu (quod in idem recidit) opinio affirmans legis obligationem, est evidenter falsa, immò verò ridicula, si verum est Terilli principium.

Terill. 1. p. de Regu. mo. q. 35. n. 38.

At assertio, quæ ponit opinionem ridiculam, aut evidenter falsam vel ut probabilem, aut probabiliorem opinione contraria verè probabili, est evidenter falsa, ut Terillus non inficiabitur: talis igitur esset assertio illa, si Terilli principium verum esset. Sed assertionem illam Probabilistæ omnes cum eodem Terillo mordicùs tenent, atque tuentur, ut evidenter veram, quippè quæ, vel involvit benignam ipsam Recentiorum sententiam, vel cum ea omninò connectitur. Patet igitur, omnes extra controversiam præsentem censere, atque supponere (& ante omnes Terillum ipsum) tanquam omninò certum, ac exploratum, falsum esse principium de insufficiēti legis promulgatione, quod Terillus sibi non constans, dura tamen coactus necessitate, intrudere modò conatur.

§. II.

Refelluntur Terilli solutiones.

70. ID, ut clariùs appareat, quàm necessarium Terillo visum sit novum istud principium suum ad benignam sententiam propugnandam, quantique illud sustinere constiterit, videamus, quid respondeat ad alia quædam argumenta similia petita ex his communibus Theologorum assertis, quæ ipse sibi objicit ex P. Michaele de Elizalde.

Terill. 2. p. de Regu. mo. q. 43. à nu 38.

Respondet ergo in primis, quòd si ex assertione sua legitimè inferatur, nullam dari re ipsa in eo eventu violationem divinæ legis, ne materialem quidem, neque esse laudabilius, aut de consilio saltem, sequi partem tutiorem; nihil propterea inferri contra sententiæ suæ veritatem, neque est, cur ipse de ejusmodi sequelis sit solicitus, aut illis immoretur repellendis.

71. En igitur Terillus, ut suam assertionem illibatam sustineat, nihili planè ducit ab omnibus Doctoribus, etiam Probabilistis, immò, & à se ipso deficere, admittendo, aut nihil curando, quod ex illa sequatur infallibiliter doctrina, cujus falsitatem, ut compertam, & evidentem passim Doctores omnes, etiam moderni ipsi Probabilistæ, & docent, & supponunt, & sæpè sepiùs Terillus ipse. Quid plura? Non hic diutiùs cum Terillo contendam. Habeat sibi profectò principium suum tanti comparatum, dummodo contra ipsum ultrò nobis relinquat certam, & inconcussam Doctorum om-

omnium auctoritatem, qua pro nunc satis contenti sumus.

72. Neque nos movet instantia, quam producit, in eventu, quo aliquis ageret contra legem invincibiliter ignoratam; procedit enim ex confusione, & æquivocatione terminorum. Porrò invincibilis ignorantia legis non tollit ejus promulgationem strictè talem, de qua nunc loquimur: quapropter in eventu illo re ipsa, & materialiter lex violaretur, ut omnes supponunt, & docent (quin, & Terillus ipse sibi repugnans, cujus verba mox afferemus): unde argumentum potiùs contra ipsum Terillum efficaciter retorquetur.

73. Verùm ecce Terillus meliùs secum recogitans, pœnitentiam agit statim, & repetit pretium solutum. Terill. ibi. n. 40. Respondet ergo iterum negãdo prædictas sequelas: quia toties, inquit, datur materialis legis transgressio, quoties re ipsa ponitur objectum vetitum à legislatore per legem sufficienter promulgatam determinatæ parti communitatis, quamvis illa, nec mihi, nec parti longè maximæ sit promulgata, seu legitimè notificata. Inutilem profectò pœnitentiam, quæ plura peccata multiplicat! Sanè responsio ista multipliciter sibi non constat, sed plurima involvit absurda.

74. In primis jam supponit absolutè in hypothesi assumpta legem, quæ sufficienter sit promulgata, & quæ ex se habeat vim obligandi, etiam eos, quibus contendit, satis promulgatam non esse. Id verò apertè implicatorium esse, manifestè constat ex dictis: & ut nõ esset, prorsus Terillinum principium destruit, totumque à fundamentis Probabilismi mirabile ædificium labefactat.

75. Deinde supponit apertè, promulgationem legis fieri posse pro una tantùm parte communitatis, & non pro omnibus illius personis, quas legislator intendit obligare; quod est apertissimè falsum, immò, & ex ipsis terminis implicatorium, ut patet ex conceptu promulgationis simpliciter, & strictè talis. Porrò voluntas legislatoris non est completa in ratione legis, neque ex se habet vim ullam obligandi quemquam, donec sit sufficienter promulgata communitati pro omnibus illis personis, quas legislator intendit obligare, ut est communis Doctorum sensus: ergo velle obligare personas aliquas, pro quibus lex non est communitati promulgata, perinde est, ac velle lege obligare eos, ad quos lex ipsa non extenditur, quod in ipsis terminis implicat.

76. Denique per hanc solutionẽ manifestè Terillus destruit idem ipsum, quod adstruit. Nam, si personæ illæ, quæ legem non noverunt, possunt illam violare materialiter: ergo lex, etiam respectu illarum, est verè, ac propriè lex, & habet veram vim obligandi, quod unicè Terillus negabat. Sequelam verò per se ipsam patentem affatim etiam supra monstravimus.

Frustra ergo Terillus sub caligine vocum latere nititur, promulgationis terminos passim confundens, ubi distinguere maximè oporteret; nam, quòd ad presens attinet, sufficit nobis, quòd negare non valeat si utilitatem aliquam capere velit ex prætenso suo principio, ipsum procedere de promulgatione strictè, ac simpliciter tali, qua nempè deficiente, lex quoad substantiam suam, & re ipsa deficiat. Hoc autem semel posito, Doctores omnes, etiam Probabilistas, immò, & se ipsum, contra se habet, ut clarè demonstratum relinquimus.

§. III.

Nec D. Thomæ auctoritas, nec alterius cujusquam Terillo suffragatur.

77. NE verò ea, quæ ab auctoritate pro se Terillus supra ad-

adducebat, hujus noſtræ doctrinæ veritati repugnare quiſquam exiſtimet, oſtendamus hic breviter (quod facillimum eſt), nec D. Thomam, nec alium quemquam Terilli aſſertioni favere.

Quid enim ſi Doctor Angelicus affirmet, Superioris, vel præceptum, vel legem, neminem obligare poſſe (ſcilicet in actu ſecundo), niſi applicetur ipſi per ſcientiam, aut notitiam ejusdem, vel præcepti, vel legis, aut niſi culpâ ſuâ ſubditus careat tali notitia; quod in illo articulo docet? Quis unquam hanc doctrinam vertit in dubium? Aut quid illa ad principium de inſufficienti legis promulgatione? Sanè mens D. Thomæ de re iſta interprete non eget, ut patebit inferiùs.

78. Quid item quod per Epikeiam caſus aliquis excipiendus ſit, quando prudenter exiſtimatur, voluntatem legislatoris ad eum caſum non ſe extendiſſe, quamvis id verba ſonare videantur, quod omnes communiter docent? Quid hoc cum legis non promulgatione? Aut quis doctrinam iſtam deſumit ex eo principio, quòd lex in eo eventu ſatis promulgata non ſit?

79. Quod verò ſpectat ad Doctorem Eximium, certum in primis eſt, ipſum in primo loco locutum fuiſſe in ſenſu multò magis reſtricto, & diverſo à Terilli ſenſu, ut patex ex verbis ipſius, quibus varios caſus recenſet, in quibus poteſt de lege dubitari. P. Sua. ubi ſup. *Primò* (inquit) *quia ſimpliciter dubitatur de tota lege quoad exercitium, id eſt, an lata ſit, nec ne?* Et tunc quidem affirmat, quòd, ſi rationabiliter dubitetur, lex non ſit ſufficienter promulgata. Hujuſmodi autem aſſertio (de cujus veritate non hìc diſputo) longè diverſa eſt à Terilli aſſertione.

Præterea, neque tunc promulgationem legis ſtrictè accipit, ſed latè pro applicatione, & privata notitia ipſius. Patet hoc manifeſtè ex his, quæ ſubjungit ibidem: *Secundò* (ait), *quamvis conſtet, legem eſſe latam, dubitari poteſt de ſenſu ejus*: & in hoc caſu docet, quòd, ſi fieri poteſt, ad Superiorem recurrendum ſit. Ergo cenſet apertè, quòd dùbium rationabile in his caſibus non impedit ſtrictam promulgationem legis, alias non niſi falsò, & abſurdè, doceret recurrendum ad Superiorem; nam legem ſufficienter non promulgatam neminem unquam obligare poſſe, certum, ac notum omnibus eſt.

In ſecundo autem loco evidentiùs adhuc apparet, ipſum promulgationem impropriè uſurpaviſſe, pro ipſa ſcilicet propoſitione, & particulari notitia, qua ſingulis lex applicatur, ut ejus verba clarè ſignificant. Videatur ipſe Doctor Eximius li. 3. de legibus c. 16. à nu. 3. ubi promulgationem ſtrictè acceptam, & quæ conſtituit eſſentiam legis, diſtinguit à divulgatione, ſive legis propoſitione per notitiam particularem, quæ latè, ac minùs propriè ſolet promulgatio appellari, & non conſtituit legis eſſentiam, ſed ipſam præſupponit adæquatè jam conſtitutam, ut ipſe, tum ibidem, tum etiam alibi, tanquam certum docet, ac probat, ex communi Doctorum ſenſu.

80. Demum quiſquis voluerit mentem Mag. Suarii circa licitum uſum moralium opinionum, per ſe ipſum plenè, ac planè cognoſcere, tantùm precor, ut legat attentè, atque ſincerè totum cap. 8. lib. 6. de legibus, & quàm fuerit aliena à benigno, quem vocant, Probabiliſmo (quidquid docuerit alibi, quod non diffitear, non tam ex proprio ſuo, quàm ex alieno ſenſu, jam tunc in Scholis frequenti) ita facilè, ac clarè deprehendet, ut niſi ſponte velit, dubitare non poſſit. Circa quæſtionem autem, de qua modò diſſerimus, neque ſi velit, poterit vel dubitare. Sed de mente tanti Doctoris ex profeſſo in 2. par. Nihil ergo præſidii Terillus invenit in Eximio Doctore

Videndus omninò P. Sua. li. 6. de leg c. 8.

ctore pro suo singulari principio. Ergo neminem habet suffragatorem, sed omnes omninò contrarios.

§. IV.

Videtur insuper idem principium doctrinæ sacræ manifestè adversari.

81. VErùm, quod pluris faciendum est, videtur etiam clarè Deum ipsum habere contrarium. Nam, ut præteream modò innumera Scripturæ testimonia, quibus sententia nostra suadetur, & quibus manifestè principiũ Terilli repugnat, Moyses nomine Dei sic ad Hebræum populum loquitur, *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram: & judicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit eo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus & docuerint te juxta legem ejus: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.* Deut. 17.

82. Hoc testimonium Doctor Angelicus cùm objecisset sibi ad probandum, præcepta legis Mosaicæ nõ fuisse convenienter tradita, ut argumentum solvat, hæc advertit: *Dupliciter aliquid potest esse ambiguum. Uno modo apud simplices, & ad hoc dubium tollendum mandatur Deut. 16. ut judices, & magistri constituerentur per singulas tribus ..... Alio modo contingit aliquid esse dubium, etiam apud peritos. Ideo ad hoc dubium tollendum cõstituit lex ut omnes recurrerent ad locum principalem à Deo electum, &c.* D. Tho. 1. 2. q. 105. a. 2. ad 7.

83. En ergo Deus in Scriptura sua à D. Thoma exposita ex communi interpretum mente (est enim sensus planus, & facilis) in conflictu opinionum, ac judiciorum hominum non vulgarium, sed magistrorum, ac peritorum, adeòque in dubiis de sensu legis valde prudentibus, & rationabilibus, præcipit, adhuc veritatem inquirere, propriumque legis sensum investigare. Igitur evidenter supponit, legem, nihil obstantibus ejusmodi opinionibus, ac dubiis, habere adhuc vim obligandi, atque adeò ex illis non argui, quòd nõ sit sufficienter promulgata; aliàs fatendum erit, Deum jussisse aliquid prorsus stultum, & impossibile, quod blasphemia foret asserere. Quid Terillus ad hæc adeò per se patentia, directèque contraria, & sententiæ benignæ, & capitali principio ejus? Ubi est nunc lex divina consequens, & reflexa, legis antecedentis, atque directæ relaxativa? Ubi præsumptio illa manifestissima, *si voluisset, id expressisset*, quæ pro divinis legibus maximè locum habet?

Apparet enim verò, principium hoc Terilli de insufficienti legis promulgatione, quod Recentiores invehere conantur, & cui totam imponunt Probabilismi molem, habere pro se quidem post Terilli adventum, Terillum unum, & ne integrum quidem, cùm oppositum sæpiùs teneat, ac doceat; contra se verò Deum, & homines contrarium nimis clarè docentes.

ARTICULUS V.

Ex Summorum Pontificum Decretis, quibus varii morales articuli damnantur, falsitas Terillini principii multipliciter demonstratur.

84. JAm à ratione sic angumentor primò. Vel aliquæ ex moralibus opinionibus à Summis Pontificibus damnatis, antequàm damnarentur, erant verè probabiles, vel secus? Hoc secundum Terillus quandoque insinuare videtur, cautè qui-

quidem, sed nimis inconsequenter ad Probabilismi principia. Quo enim fundamento Probabilistæ negare possunt, opinionem communem apud Theologos, qualis erat, exempli gratia, quæ docebat, præceptum communionis Paschalis impleri per sacrilegam Corporis Domini manducationem, quam opinionem nemo improbabilitatis arguebat, & quam rationibus magni momenti inniti credebatur communiter à viris tot, tam gravibus, tamque sapientibus, ideſt, ab omnibus ferè Theologis; vix enim erat ullus, maximè ex Recentioribus, qui non illam doceret, non solùm ut probabilem, sed ut veram, & certam: quo, inquam, fundamento negabunt, hanc opinionem juxta sua principia ante condemnationem fuisse verè probabilem, saltem æquè, vel minùs, quàm oppositam, quam vix jam aliquis audebat propugnare?

85. Sanè, si opinio illa, & si quæ aliæ ejusmodi erant, dicantur nunquam fuisse verè probabiles, difficillimè Recentiores sententiam suam deducent ad praxim. Quam enim precor tradent regulam certam (quin ne apparentem quidem) ad cognoscendam certò, & evidenter, uti requiritur in ipsorum principiis, moralium opinionum practicam probabilitatem? Legantur omnes illæ, non pauciores triginta, quas velut authenticos canones, post suam, & communem Recentioribus, latissimè propositam, & expositam per centum ferè paginas, definitionem opinionis probabilis, deducit tandem ipse Terillus, & non dico verosimiliter, sed ipsa luce clarius deprehendetur manifesta Terilli inconsequentia, si velit generaliter negare, aliquam opinionem damnatam, antequam damnaretur, fuisse verè probabilem in sensu Probabilistarum. Verùm hoc infra latiùs urgebimus, & retorsionem, quam aliqui moliuntur, evidentem, ut ipsi autumant, procedere ostendemus ex manifesta æquivocatione, & in intelligentia nostræ sententiæ.

Terill. q. 5. & 6. de cõsc. Proba.

86. Ideo absolutè Terillus ipse, ArsdeKin, Cardenas, & cæteri Recentiores communiter, passim docent, atque concedunt, aliquas ex damnatis opinionibus ante condemnationem fuisse verè probabiles. Quod equidem necessariò, ut diximus, & consequenter ab ipsis affirmatur: cæterùm absolutè falsum cum primis, & absurdissimum planè videtur. Quis enim quæso proferre audeat, doctrinam illam fuisse verè probabilem, ideſt, certam, ac tutam agendi regulam, quam Summus Dei Vicarius, & Catholicæ Ecclesiæ universalis Pastor, ac Doctor, per publicum Decretum declaravit nobis, scandalosam esse, atque omninò damnandam, tanquam noxiam, & pernitiosam animabus sibi commissis, sicut illam de facto propterea damnat, atque proscribit à tota Ecclesia, usum illius severissimè prohibens?

87. Quid igitur dicemus? Probabilistæ docent, & quidem necessariò, ac consequenter ad principia moderni Probabilismi sui, opinionem moralem, verbi gratia, supra propositam, aut aliam ei similem, antequàm condemnetur, esse verè probabilem, indeque rectam, tutam, & optimam agendi regulam. Summus Pontifex docet universam Ecclesiam, eam esse doctrinam malam, scandalosam, pernitiosam fidelium moribus, indignamque, quæ diutiùs toleretur: & his motus rationibus illam de facto damnat, ac prohibet. Vel ergo Summus Pontifex deceptus est, & nos omnes decepit, quod effutire nemo præsumat; vel Recentiores decepti sunt, adeòque opinio illa probabilis verè non erat, adhuc juxta sua principia, quod negare tenentur, & consequenter negant; vel, quod reliquum est, probabilitas vera, quam ipsi docent, & juxta quam probabilis asseritur, non est recta, sed noxia, atque damnabilis agendi regula. Eli-

gant ipsi modò ex tribus istis viam, quam malint, neque enim alia supereſt eligenda. Hoc argumentum demonſtrat abſolutè, & ut nobis videtur (neque timemus falli) nimis patenter, opinionis benignæ falſitatem, ut latiùs proſequemur lib. ſequenti, præcluſis evaſionibus, quæ poſſent cogitari.

88. Modò autem ad rem præſentem. Si verum eſſet Terilli principium, ea opinione extante, lex oppoſita non erat ſufficienter promulgata, cujus ſcilicet exiſtentiam, aut extenſionem ad illum caſum tot, tamque graves, ac ſapientes Doctores non ſolùm abſolutè non agnoſcebant, ſed firmiter potiùs negabant. At, ſi lex ſatis promulgata non erat, non niſi apertè falsò, & abſurdè Pontifex docuit, eam opinionem eſſe doctrinam noxiam, ac damnabilem; cur enim noxia eſſet, ſi nullam veram legem negabat? Eſt igitur principium Terilli, & Recentiorum, procul à Theologia abjiciendum, niſi velint Pontificis teſtimonium, ut falſum, & abſurdum damnare.

89. Argumentor ſecundò. Ponamus opinionem libertati faventem contra legem, verè, ac propriè probabilem in ſenſu Probabiliſtarum. En legem Dei extinctam, non ſatis promulgatam, & nullam ex ſe habentem vim obligandi. Fac, opinionem illam probabilem probabilitatem deperdere, ut facilè contingere poſſe, & ſepiùs de facto contingere Probabiliſtæ affirmant, Terilluſque ex profeſſo ſæpè docet, ac probat. En protinus lex Dei rediviva reſurgit, promulgatur, ſtabilitur, & plenam vim obligandi obtinet. Et, ſi milliès contingeret tranſitus opinionis illius à probabili, aut improbabili in improbabilem, aut probabilem, toties lex moreretur, reviviſceret, promulgaretur, depromulgaretur, vim obligandi amitteret, recuperaret, ac demum fieret in ictu oculi lex de non lege, & de lege legis carentia, nullo legislatore, vel condente, vel revocante. Denique, ſi ſubſiſtat Recentiorum principium de inſufficienti promulgatione legis, contra quam adeſt opinio probabilis, jugi, ac interminabili mortis, & vitæ viciſſitudine paſſim leges peribunt, & reviviſcent, ac velut nova poma per annos ferè ſingulos cadent, ac renaſcentur, ne mutientibus quidem legislatoribus, ſed ſolo Theologorum arbitrio. Quid abſurdius, aut falſius doceri poteſt? Eſt igitur manifeſtè falſum prætenſum Recentiorum principium.

90. Tertiò: principium illud, vel ubique valet, vel nullibi, ut, & Terillus expreſsè profitetur, & patet ex rationibus, quibus illud ſuadet. At non valet ubique, in legibus etiam humanis: ergo nullibi. Cætera conſtant. Minor quam ſolam poſſet negare Terillus, ſuadetur evidenter ex eiſdem Decretis Pontificiis. Ponamus opinionem gravium Doctorum negantem extenſionem alicujus legis humanæ, ſeu Canonicæ, ſeu civilis, irritantis contractum aliquem validum de jure naturæ, ad hunc caſum particularem; quæ opinio verè probabilis ſit in ſenſu Probabiliſtarum, æquè tamen, aut minùs, quàm opinio cõtraria. Certè, ſi lex hoc ipſo ſatis promulgata non ſit, revera non eſt lex, neque vim ullam, aut efficaciam habet ad irritandum illum contractum, ut eſt communis omnium doctrina, & ipſa Terilli ſententia. Ergo, ſi caſus ille deferatur ad tribunalia, judices poterunt, immò omninò debebunt pronuntiare contractum validum, atque adeò ferre ſententiam juxta opinionem illam minùs probabilem. Hanc conſequentiam nemo negare poteſt: conſequens autem eſt evidenter falſum, quippè quod continet ſecundum articulum ab Innocentio XI. damnatum.

AR-

ARTICULUS VI.

Falsitas ejusdem principii demonstratur ulteriùs universaliter, præclusis evasionibus Terilli.

91. SCilicet in omni lege divina, vel humana, positiva, vel naturali. Hoc ipso quod Doctores graves, ac docti probabiliter opinentur, legem, quæcumque sit, aut non dari, aut si absolutè detur, non extendi ad hunc casum particularem, per te lex sufficienter promulgata non est. Ergo, licèt contingat (ut posse certum est, & Terillus fatetur) aliquem evidenter demonstrare falsitatem illius opinionis, seu certò illam aliunde comperire, vel per revelationem, vel alio modo, adhuc tamen hic poterit contra prædictam legem tutò, & licitè agere. Sequelam istam longè absurdissimam negat Terillus universaliter; meritò quidem, sed valdè inconsequenter, & abjurando sua principia, ut facilè potest convinci.

92. Porrò sequelam esse evidentem, patet ex iis, que supra prænotavimus ex omnium Doctorum consensu circa legis promulgationem. Enim verò voluntas, qua legislator vult, ut hoc opus fiat, aut potiùs ut non fiat in his determinatis circunstantiis, nisi sit sufficienter communitati promulgata, revera non est lex, neque vim ullam habet ex se, aut efficaciam ad obligandum. At quoties datur opinio probabilis affirmans, voluntatem legislatoris non extendi ad prædictas circunstantias, per te voluntas illa satis promulgata non est. Ergo, licèt contingat, præfatam voluntatem esse mihi evidenter notam per aliquam privatam notitiam, adhuc impunè potero opus illud pro meo arbitrio ponere, vel omittere. Unde nanque peccabo, si nullam veram legem transgredior?

Sup. art. 3.

93. Sed reponit Terillus, quantum ad legem positivam spectat, eum, qui voluntatem legislatoris certò cognosceret, & evidèter, adhuc per privatam notitiam, nõ posse jam prudenter præsumere, legislatoris intentionem non fuisse, ut ipse obligaretur ad tale opus in illis circunstantiis; adeòque absolutè obligari præ cæteris carentibus tali notitia. Verùm hoc non est aliud, quàm sibi manifestè Terillum contradicere, & suam assertionem deserere.

94. Utique *lex est regula universalis pro tota republica, quæ nisi probetur sufficienter pro tota multitudine, pro nemine probatur. Itaque nulla probatio sufficienter convincit legem, nisi universalis apparentia, qua lex, aut certò innotescat, aut certè qua constet existentiam legis esse probabilem, & oppositum non esse probabile. Nihil infra hoc sufficienter probat legem pro communitate.* Verba Terilli sunt, quibus solutio hìc data contradicit adeò evidenter, ut manifestum fiat, quàm difficilia asserta Terillus sustinere cogatur, ut Probabilismum sustineat.

Terill r.p. de Regu. mo. q.2.nu. 69.

95. Contra igitur: scientia illa, seu certa notitia privata juxta Terillum minimè impedit, quominus in oppositum circunferatur opinio verè, ac propriè probabilis; neque enim hæc statim desinet verè probabilis esse in sẽsu Probabilistarum, eò quòd aliquis in cubili suo ipsius falsitatem certò comperiat, aliàs quis posset unquam certus esse de vera probabilitate illius opinionis, quam sequitur; quod tamen prorsus necessarium est secundùm Recentiores Probabilistas ad praxim licitam talis opinionis? Atqui juxta Terillum, eò ipso quòd adsit ea opinio probabilis, certum est, legem non esse satis promulgatam, atque adeò nec esse legem, neque habere vim ullam obligandi. Igitur omnes, adeòque & ipse, qui certam illam notitiam habet, non solùm præsumere possunt, sed etiam evidenter sciunt, nullam omninò esse legislatoris voluntatem, quæ ob-

ligare eos possit ad tale opus pro illis circunstantiis: ergo & ipse, sicut & reliqui, tutò, & licitè poterit pro suo libitu prædictum opus facere, vel omittere: ergo sequela à nobis deducta evidens prorsus est, & à Terillo necessariò ferenda, si velit suam assertionem tenere. At est non minùs evidenter absurda, ut Terillus ipse fatetur. Ergo.

96. Jam verò, quod ad legem naturæ attinet, ipsa (inquit Terillus) ita fertur pro tota humana republica, ut pariter respiciat primò, ac directè singulos hominum in particulari: quapropter singulis promulgari debet, uti reipsa de facto promulgatur per propriam cujuscumque cognitionem, per quam ipsi proponitur, & applicatur. Illi verò, qui certò comperiret, aliquid esse sibi per naturæ legem prohibitum, jam eò ipso sufficienter promulgaretur, proindeque non posset prudenter judicare, non esse voluntatem Dei, ut teneatur ad eam observandam, quamvis videat, oppositum existimari ab aliis certò probabile.

97. At contrà: nam in primis hic homo posset saltem consulere, & absolvere (si Confessarii munus exerceat) juxta opinionem illam aliis probabilem, licèt sibi evidenter falsam, atque adeò omninò improbabilem; quod ipsi Recentiores communiter, meritò concedere renuunt, tanquam apertè falsum, & absurdum. Sequela verò patet ex Terilli doctrina; quia lex respectu eorum, qui talem opinionem probabilem censerent, non esset sufficienter promulgata, adeòque lex non esset, neque haberet vim obligandi.

98. Præterea certum est, promulgationem legis naturæ (de qua sequenti articulo, quod satis sit) esse alterius rationis, admodumque diversam à reliquarum legum promulgatione, ut latè expositi, & solidè, ni fallor, ex communi sensu Doctorum in Tractatu de legibus, ubi perspicuè ostendi, dissidium, si quod sit inter Auctores, totum esse de solis vocibus, rem verò ipsam terminis aliis, atque aliis expositam, esse unam, & omnibus exploratam.

99. Cæterùm, quidquid sit de hoc, ut evasio Terilli omninò præcludatur, & falsitas principii, quod refellimus, citra omne dubium appareat, sufficit modò nobis, certum esse debere apud Terillum ipsum, & omnes, legem naturæ activè consideratam, & prout se tenet ex parte legislatoris, habetque veram rationem legis, & regulæ, ac mensuræ nostrorum actuum, (quidquid de voce promulgationis sit) intelligi perfectè, ultimò, & adæquatè constitutam pro priori ad notitiam particularem, qua singulis personis actu proponitur, & independenter ab illa, adeòque cum plena virtute, & efficacia omnimoda ad obligandum omnes, & reddendum objecta sua absolutè prohibita, vel præcepta: quamvis eadem lex passivè, ut ita dicam, considerata, & prout existit in ipso homine, *sicut in regulato, ac mensurato* (ut loquitur Doctor Angelicus), importet insuper notitiam sui omninò necessariam, ut in actu secundo regulet, mensuret, ac liget; sive notitia hæc dicenda sit promulgatio actualis, seu potiùs applicatio, & propositio legis, antecedenter ad ipsam propositionem sufficientissimè promulgatam promulgatione quadam æquivalenti, & eminenti, quæ citra omne dubium sufficiat ad firmandam voluntatem divinam, ipsamque stabiliendam, ac constituendam in ratione legis actualis, habentis plenam vim, efficaciamque consummatam ad dirigendum, & obligandum. Videatur D. Thomas ubi nuper. D. Tho. 1. 2. q. 91. a. 2. corp.

100. Hujus doctrinæ veritas adeò est constans, & evidens ex ipsa terminorum acceptione, ut probari minimè debeat. Enim verò mendacium, exempli gratia, antequàm actu ab homine cognoscatur, immò etsi per errorem invincibilem puta-

re-

retur malum non esse, per se, & in omni eventu malum est, & semper fugiendum: ergo est prohibitum naturæ lege pro priori ad actualem ejusdem legis naturalis notitiam: igitur pro priori lex illa est verè, ac propriè lex, & habet veram vim obligandi; quamvis, ut obliget in actu secundo, proponi debeat homini (sicut, & aliæ leges) per notitiam particularem.

Terill. 2. p. de Regu. mo. q. 43. n. 40.

101. Audi Terillum ipsum: *Evidens* (inquit) *est, hominem invincibiliter errantem circa legem naturæ, peccare materialiter, quia ponit rem, quæ verè prohibita est, etsi lex illa non sit sufficienter promulgata omnibus.* Assertio ista nemini non est evidens: sed, & evidens etiam Terilli contradictio, ut apparet ex dictis supra art. 4. §. 2. ubi contrariam assertionem tradebat. Verùm ibi ex principiis peculiaribus: hìc verò loquitur ex veris, & communibus, excepto, quod subjungit de defectu promulgationis, in quo nimis hallucinatur, ut patet etiam ex proximè dictis. Nunc ad præsens intentum concludamus: ergo verti in dubium non potest, Terillo etiam nobis consentiente, quin lex naturæ sit verè, ac propriè lex, habens veram vim obligandi, & reddendi objectum prohibitum, pro priori ad actualem ipsius legis propositionem, ut non de voce promulgationis inutiliter contendamus.

102. Tum sic: vel opinio probabilis contra naturæ legem, tollit ab ipsa promulgationem illam æquivalentem, aut eminentem (vel quo volueris nomine appellatam), qua constituitur, & consumatur in ratione legis perfectæ, & habentis vim obligandi pro priori ad actualem propositionem, seu notitiam privatam ipsius legis; vel non tollit? Si primum Terillus eligat, rem dicet evidenter falsam, & sibi ipsi insuper contradicet haud minùs evidenter. Sed præterea sequelam, quam negabat, ut manifestè absurdam, & à nemine tolerandam, necessariò admittere cogitur; nam si opinio probabilis ita legem extinguit, ut auferat ab ea totam vim obligandi: ergo jam omnes, adeòque, & ille qui voluntatem legislatoris evidenter notam haberet, tutò, & licitè poterunt agere contra illam, nisi velis, ut peccent nullam veram legem violando.

Si propterea secundum Terillus dixerit, verus est, sed sibi non constans, quippè qui palàm deserat principium suum, quod tanto molimine adstruit, & quo destructo, funditùs ruit tota benigni Probabilismi machina. Ergo, vel tenetur damnare, ut manifestè falsum, & absurdum principium suum de insufficienti legis promulgatione, quod est totius ædificii basis; vel tenetur concedere sequelam illam ipsi quoque absurdissimam, ex qua iterùm sequitur evidenter ejusdem sui principii falsitas. Est igitur principium Terilli nimis evidenter absurdum, & multis nominibus falsum.

ARTICULUS VII.

Elicitur ex dictis ratio à priori, qua convincitur demum ejusdem principii falsitas.

103. JAm igitur ex doctrina tradita circa proprium conceptum promulgationis, facilè nobis sit hujus novi principii à Terillo adinventi falsitatem nimis patētem ulteriùs etiam à priori concludere.

Scilicet promulgatio legis (loquimur modò de lege positiva, de naturali statim dicturi) simpliciter, & propriè accepta, & quæ virtutem legis consummatam, atque perfectam, juxta communem omnium sententiam, partialiter saltem constituit, est signum quoddam publicum, ac sensibile, quo voluntas legislatoris aliquid, aut vetantis, aut præcipientis, communitati manifestata comparat firmitatem quamdam, & stabilitatem sufficientem, ratione cujus possit in notitiam cun-

cto-

ctorum subditorum tempore competenti devenire, & ipsi possint etiam ejusdem voluntatis notitiam comparare, legitimumque sensum mentis, & intentionis legislatoris, si quod dubium inciderit, comperire. Hæc juxta omnes est, & natura, & necessitas, & munus adæquatum promulgationis legis, prout est publica quædam, & communis directio, & prout differt à directione, seu præcepto particulari.

Atqui solemnis ista, ac publica manifestatio voluntatis legislatoris antecedit privatam singulorum notitiam, & est omninò ab illa independens, licèt ordinetur ad illam (sicut causa antecedit, & independens est ab effectu, licèt sit in ordine ad ipsum), alioqui sufficienter promulgata non esset, nec constituta in ratione legis, donec singulis subditis innotuisset; quod est contra rationem, & cōtra expressam decisionem Juris, ut constat ex dictis superiùs. Sup. art.3. §.1. Igitur, nec deficere, nec impediri potest per hoc quod aliqui, vel multi subditorum, aut voluntatem illam ignorent, aut etiam opinentur contra ipsam, vel contra proprium ipsius sensum. Falsum igitur est, & contra receptissima principia prætensum principium Terilli. Totus discursus infallibilis est, quippè qui legitimè colligat ex præmissis certis, ac notis falsitatem prædicti principii de cunctis legibus positivis, de quibus ratiocinium procedebat.

104. Præterea de lege naturæ ejusdē etiam principii falsitas haud minùs evidenter convincitur. Porrò lex naturalis propriè, & activè sumpta, prout verè habet rationem legis, & regulæ objectivæ activè dirigentis, & obligantis, nihil est aliud (seclusis vocibus, & magna terminorum ambage, quibus à multis involvi solet), quàm divina voluntas æterna, constans, & immutabilis, prohibens necessariò, vel præcipiens, quidquid repugnat rectæ rationi, vel quod est absolutè necessarium ad vitam rationalem, seu moralem, honestè, ac laudabiliter instituendam.

105. Hujusmodi verò voluntas ob suam infinitam actualitatem, efficaciam, & eminentiam, per semetipsam habet absque ulteriori aliquo adminiculo omnimodam stabilitatem, & firmitatem eminentissimam, vi cujus actu possit subditis omnibus innotescere per sufficientem sui cognitionem, quam ipsa per se ingenerat, & imprimit ratione luminis naturalis, quod est significatio, irradiatio, & notificatio ipsius voluntatis divinæ prohibentis, aut imperantis, juxta Psalmistæ eloquium, *Multi dicunt: quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Psal.4.

106. Igitur voluntas divina, seclusa quavis alia intimatione, seu manifestatione externa, vel interna, & antecedenter ad ipsam habet eminentissimè ratione sui, quidquid lex positiva publicè, atque solemniter communitati promulgata. Quapropter non immeritò dici potest habere per se ipsam virtualem quamdam, aut eminentem promulgationem, vi cujus intelligitur perfectissimè cōstituta in ratione legis actualis habentis ex se omnimodam efficaciam, perfectamque virtutem, ad dirigendum, & obligandū actu; quamvis, ut in actu secundo dirigat, & obliget hominem, sit per se necessaria (ut in legibus aliis) actualis propositio, seu notitia, ipsius voluntatis divinæ. Quæ notitia, quia est indita ab ipsius legis Auctore ex vi voluntatis ejusdem, & aliunde per se loquendo est uniformis, & communis omnibus, vocari non incongruè potest, & solet, actualis, seu formalis, promulgatio legis naturæ. Immò dicitur etiam frequentissimè lex ipsa naturalis, nimirum non activè, ut jam diximus, sed solùm passivè usurpata, ideſt, prout existit in subditis, *sicut in regulatis, & mensuratis*, ut ajebat D. Angelicus. D. Tho. 1. 2. q. 91. a. 2. corp.

De-

107. Denique, quidquid sit de locutionum harum proprietate, id unum, quod intendimus, fixum, ac certum est apud omnes, voluntatem divinam nullo modo cōstitui, adhuc inadæquatè, in ratione legis perfectæ, & habentis ex se omnimodam vim obligandi, per hanc formalem promulgationem, sed antecedenter ad ipsam intelligi jam ultimò constitutam. Unde evidenter, & immediatè sequitur per nullam opinionem, aut ignorantiam hominum fieri posse, ut voluntas divina prohibens, aut præcipiens objecta per se turpia, vel honesta, amittat eam promulgationem, aut virtualem, aut eminentem, per quam habet efficaciam perfectam, atque virtutem plenam, & consummatam, ad semper, & ubique obligandum, ac dirigendum. Patet ergo, principium Recentiorum à Terillo primo adinventum, esse evidenter falsum in sensu, quem intendunt, aut intendere debent, tàm de lege naturæ, quàm de qualibet alia.

ARTICULUS VIII.

Solutis Terilli argumentis articulo secundo propositis, concluditur controversiæ assumptum.

HInc jam ad argumenta, quibus principium suum Terillus nitebatur ostendere, facilis apparet solutio.

§. I.

Ad primum argumentum, & utramque confirmationem.

108. AD primum ergo dicimus, per nullam opinionem, aut ignorantiam quorumdam, vel multorum fieri posse, ut lex non habeat promulgationem, qua constituitur in ratione legis, cùm ea sit, & prior, & omninò independens à notitia privata subditorum. Neque, quòd detur aliqua opinio verè, & propriè probabilis in sensu Recentiorum, negans legis obligationem, præbet fundamentum sufficiens, immò nec ullum prorsus, ut possit quis præsumere, nec evidenter, nec probabiliter, legem non esse satis promulgatam: nam circa legem, de qua evidens sit, & apud omnes subditos notorium, quod fuerit juxta morem sufficientissimè promulgata, possunt multa dubia excitari, & variæ opiniones emergere de proprio, atque legitimo illius sensu, aut de extensione ejus ad hunc, aut illum casum particularem, ut passim de facto cōtingit.

109. Nec ejusmodi dubia resolvuntur in ipsius legis substantiam (in quo Terillus errat apertè); nam voluntas legislatoris, quæ est ipsa substantia legis, eadem semper est formaliter loquendo, & quantum ad effectus morales, sive extendatur, sive non extendatur, ad hunc, aut illum casum particularem: & dubium solum est, an hoc objectum determinatum participet re ipsa, nec ne, rationem objecti præcepti, vel prohibiti per ipsam legem? Sicut, dum video animal à longè veniens, & dubito, an sit homo, dubium hoc non versatur circa substantiam, aut naturam hominis, sed unicè circa naturam particularem, & individuam illius animalis, quod video, an nimirum participet naturam, & substantiam hominis, de qua propriè, & formaliter loquendo nullum mihi dubium occurrit.

110. Profectò lex ex conceptu suo nō minùs respicit subditos, quos dirigit, quàm materiam ipsam, quam præcipit. Quis verò dicat, dubium occurrens de subjectione alicujus ad legem, vel etiam mutationem absolutam de subjectione in non subjectionem, resolvi in ipsam legis substantiam? Equidem mutationes, atque variationes hujusmodi, nimis frequenter accidere solent, & qui sub-

subditus erat, eximitur à subjectione, & vice versa; lex tamen eadem quoad substantiam, & moraliter invariata persistit.

111. In his ergo, atque in aliis dubiis similibus, nisi prudenter possim dubium resolvere, & probabiliter judicare juxta sensum veræ sententiæ, objectum non comprehendi lege, aut me non esse legi subjectum, teneor omninò legē servare; alioqui voluntariè expono me periculo proximo legem illam violandi, quod est, & legem ipsam, & legis Auctorem contemnere.

112. Utraque confirmatio argumenti valde importuna est ad intentum Terilli; neque enim probat, vel apparenter, insufficientem legis promulgationem, de qua solùm modò contendimus.

Præterea nihil absolutè probat pro ipsa benigna sententia, sed potiùs multa falsa, & absurda, ex quibus ejus falsitas deprehenditur. Porrò, quod legislator nesciat, aut dubitet, aut etiam positivè erret circa propriam naturam hujus objecti particularis, nihil omninò refert ad excusandos subditos, nisi prudenter ipsi, & judicio verè probabili existimare possint, objectum illud non habere reipsa rationem, aut naturam objecti, generaliter per ipsam legem vel prohibiti, vel præcepti. Aliàs, etsi evidenter oppositum ipsi cognoscerent, non tenerentur legem servare, eò quòd legislator id ipsum nesciat; quod tamen nec admittit Terillus, nec prudens ullus admittere potest.

113. Itaque legislator fortasse fallitur, aut nescit omninò, an hoc, vel illud opus determinatum, exempli gratia, exercitium pingendi, sit opus servile, nec ne: scit tamen indubitanter, se prohibuisse omne opus servile, adeòque exercitium pingendi, si reverà servile sit, quod ipse cōperire non debet. Sicut etiam per legem suam intendit obligare omnes subditos suos, dubius tamen, aut inscius, an hunc, aut illum hominem determinatè intenderit obligare, quia nescit, utrum subditus sit. Denique quis ignorat, Reges, aut alios Dominos, atque supremos legislatores, sæpè legibus suis multa præcipere, aut prohibere de consilio suorum Ministrorum circa varios contractus, aut negotia, quorum naturam ipsi prorsus ignorent? Anne propterea subditi non tenebuntur leges illas servare, aut earum sensum inquirere?

114. Ad subditos igitur attinet in ejusmodi dubiis investigare verum, atque legitimum sensum legis, sive extensionem, aut non extensionem ad hunc, vel illum casum particularem, indeque absolutè concludere teneri se, vel secus ad observandam legem, in illo eventu, per judicium verè probabile, quod sufficienti diligentia præmissa, difficilè absolutè non sit regulariter, ac per se loquendo. Quod si quando non possint dubium resolvere rationabiliter, debent omninò legem servare, nisi velint recurrere ad ipsius legis Auctorem, qui legem suam, vel interpretetur, vel dispenset, aut revocet, prout expedierit.

§. II.

Ad præsumptionem illam Terilli petitam ex defectu expressionis: ubi de tot noxiarum opinionum origine pauca, sed notabilia disseruntur.

115. SEd quid ad illam P. Terilli, vel argumentationem, vel præsumptionem, qua evidenter concludit, legislatorem objecta quæque dubia noluisse lege sua comprehendere: *nam si voluisset, id expressisset?* In primis retorquemus argumētum: *nam si noluisset, id non insinuasset*; & apparentius quidem.

116. Præterea discursus Terilli probat, objecta omnia verbis clarissimis lege non expressa certum esse, quòd lege non comprehendantur:

pro-

probat otiosa esse, quin & noxia reipublicæ tribunalia, in quibus dubia legum deciduntur: otiosum esse studium Theologiæ, immò & orationis studium pro voluntate Dei, & vera morum doctrina discenda: otiosos esse libros, & labores pro legibus humanis interpretandis, & à fortiori pro sacris litteris, & præceptis à Deo impositis: probat stultum esse recursum ad legislatorem in quovis dubio circa mentem ipsius; quem tamen omnes, quin & ipse Deus, semper commendant, & sæpè præcipiunt, & qui tantopere in Ecclesia viguit, maximè dum antiqua, & solida Theologia vigebat: probat licere judici in sententia ferenda uti opinione æquè, aut minùs probabili, haud secus, atque reliquis in quacumque materia; quod tamen constat esse damnatum. Probat demùm, ut alia prætereamus, omnem legem humanam esse impossibilem, moraliter saltem loquendo, aut certè ferè inutilem, & admodùm inefficacem; quis nanque legislator legem conderet, si omnia omninò dubia, quæ circa sensum ejus possunt occurrere, clarissimè deberet resolvere, alioquin à subditis excipienda?

117. Hæc omnia, & alia plurima falsa, & absurda, quæ sigillatim persequi prolixum foret, probat apertè, si quid probaret, evidens illa Terilli præsumptio, *si voluisset, id expressisset*, ut facilè intuenti constabit. Et cùm hæc omnia manifestè probet, affirmare Terillus non veretur probare manifestè suam sententiam. Idque adeò confidenter, ut quasi triumphum caneret adversùs leges, & legislatores, ita demum concludat: *In his ergo tribuant sibi legislatores, si sua imperia aliquando violari videant, cùm sufficienter non explicarint voluntatem suam, cui sufficienter explicatæ subditi paratissimi erant obedire*: quod, an satis cautè sit dictum, & cum pia affectione, & reverentia debita erga legislatores, & leges, lectori cogitandum relinquimus. Verùm hæc, & alia similia, non profectò Terilli, viri utique pii, ac sapientis, sed ingenium benigni sapiunt Probabilismi.

Terill. illa q. 23. de conscr. n. 25.

118. Est igitur inanis, & omni fundamento destituta argumentatio illa, seu præsumptio Terilli. Quòd enim legislator unum, aut plures casus particulares non satis clarè expresserit per verba legis, nullum præbet sufficiens fundamentum, ut possimus præsumere rationabiliter noluisse illos lege comprehendere. Porrò leges feruntur de actionibus humanis particularibus sub ratione communi acceptis, quæ propter circunstantias accidentales maximam varietatem, atque diversitatem suscipiunt: homines item sumus naturâ tardi ad intelligēdum, & quorum intellectus facillimè ignorent, ac dubitent, maximè circa ea, quæ nobis præcipiuntur contra sensus inclinationem, quare *vix potest diligentia humana adhiberi, qua vitentur dubia, quæ circa legum intelligentiam oriuntur*, ut sapienter observat Magnus Suarius. P. Sua. li. de legi. c. 11. n. 1.

119. Præterea, quamvis posset legislator omnes eventus particulares cognoscere, omnesque circunstantias eorum distinctissimè prævidere (quod tamen humanorum legislatorum sapientiam, ac prudentiam multùm excedit), non ideò lege sua exprimere distinctè deberet, alioqui legem cōderet propter suam prolixitatem multò magis confusam, & obscuram, & quæ multò majorem dubiis, & opinionibus circa expressiones ipsas, occasionem præberet. Quid faciet igitur legislator, ut legem suam tueatur indemnem, utque de sensu ipsius exorituras opiniones præcidat? Sanè debebit supra expressiones illas novas expressiones adjicere: cùmque supra expressiones novas adjectas novæ possint opiniones oriri, oportebit, ut sine fine expressiones supra expressiones, & expressionum expressiones adjiciat. Vel igitur fatendum

erit, leges esse, aut inutiles, aut impossibiles, vel omninò dicendum, esse prorsus inanem, & omni destitutam fundamento præsumptionem illam Terilli, *si voluisset, id expressisset*.

120. Sed audiamus communem omnium Magistrum, & Doctorem Ecclesiæ Angelicum, de re ista ratiocinantem: *Nullius* (inquit) *hominis sapientia tanta est, ut possit omnes singulares casus excogitare, & ideo non potest sufficienter per verba sua exprimere ea, quæ conveniunt ad finem intentum. Et, si posset legislator omnes casus considerare, non oporteret, ut omnes exprimeret propter confusionem vitandam: sed legem ferre deberet secundùm ea, quæ in pluribus accidunt.* D. Tho. 1. 2. q. 96. a. 6. ad 3.

121. Quid verò nobis agendum sit in his occurrentibus dubiis, an scilicet omnes casus hujusmodi excipere debeamus à lege, & tribuere legislatori, quòd imperium ejus violemus, cùm voluntatem suam sufficienter nō explicarit: loquatur idem Doctor Angelicus: *Dicendum, quod ille, qui sequitur intentionem legislatoris, non interpretetur legem simpliciter: sed in casu, in quo manifestum est per evidentiam documenti legislatorem aliud intendisse. Si enim dubium sit*, (observa verba hæc, & eorum energiam, ac connexionem) *debet, vel secundùm verba legis agere, vel Superiorem consulere*. Hæc est in hac quæstione, non dubia, sed clara, ac definita D. Thomæ sententia. D. Tho. ibid. ad 2.

122. Quam esse cunctis Theologis communem diserrè affirmat Eximius Doctor per hæc verba, quæ transcribere libet: *Quartò dicendum est de casu dubio, in quo judicari non potest probabiliter, an casus comprehendatur sub legis obligatione, nec ne. In quo sententia communis est, recurrendum esse ad Superiorem, si fieri possit, vel si non possit, servandam esse legem. Ita D. Thomas, Corradus, Cajetanus &c. Quæ sententia per se evidens est in casu patiente moram, ut consulatur Princeps; nam, si in casu tantùm formidoloso, & probabili hoc fieri debet, multò magis in casu dubio*. Hæc ibi præter alia Magnus Suarius. Et tamen nihil vulgariùs hodie, quàm ejus nomine, & auctoritate cohonestare modernum Probabilismum. Sed profectò in re tanta, in qua nimirum salus animæ vertitur, nemo vulgaritatibus fidere audeat, nisi fuerit ipse vulgaris, sed levis, sed imprudens, sed stupidus. P. Sua. li. 6. de legi. c. 8. n. 10.

123. Liceat ergo nobis mirari Probabilistas Recentiores, quibus Theologia sua, vel ex uno capite, non incipiat, vel displicere, vel saltem nimiùm esse suspecta, quòd tantum abeat in re tanti momenti à communi doctrina Theologorum, & à Theologia Doctoris Angelici, quam ipse absolutissimè, tanquam indubitatam, ac exploratam, consignat nobis agendi regulam: immò, quam verè non aliunde hausit, quàm ex ipso in exhausto, ac limpidissimo veritatis fonte, videlicet ex divino volumine; nam regula, quam hìc statuit D. Thomas, nihil abit ab illa, quam Deus ipse nobis præscribit Deut. 17. de qua nos diximus art. 4. & latiùs adhuc postea dicemus.

124. Non igitur *legislatores tribuere sibi debent, si sua imperia violari videant, quòd voluntatem suam sufficienter non explicarint*: sed hujus violationis, atque cōtemptus causam multò rectiùs, ac veriùs eò referent, quò illam retulit Alexander VII. supremus legislator Ecclesiæ, in illo celebri Decreto suo edito an. 1665. die Sept. 14. audiens *non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterùm suscitari, partim noviter prodire; & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò à simplicitate Evangelica, Sanctorumque PP. doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi se-* Alexand. VII. in Decreto edito an. 1665.

que-

querentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela &c.

125. Hæc enimverò, hæc vera causa est tantæ relaxationis, ac violationis, & divinarum, & humanarum legum, summa videlicet opinandi licentia, *per quam irrepsit modus opinandi alienus omninò à simplicitate Evangelica, Sanctorumque PP. doctrina in rebus ad conscientiam pertinentibus*. Hunc opinandi modum putamus quidem nos (in vi nempè argumenti, & consequentiæ) nec sine fundamentis pluribus, & urgentibus, complecti etiam modernum Probabilismum statuentem pro recta cõscientiæ regula usum cujuslibet opinionis, etiam æquè, aut minùs probabilis humanæ libertati faventis. Etenim ejusmodi dogma, maximè (ut nos censemus) summam illam fovet, & auget *luxuriantium ingeniorum licentiam*, pluri masque opiniones *Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes* sub generali ratione probat, universaliterque stabilit, ac per hoc illas contra legem armat in magnam animarum perniciem.

126. Porrò opiniones laxæ, & Christianis moribus noxiæ, nisi reflexo dogmate illo generaliter animarentur, vix uni, aut alteri nocere possent, cùm nemo posset ipsis in praxi uti, nisi qui veras illas, & tutas secundùm se, ac directè judicaret; qui certè pauci admodum essent. At verò dogma illud ejusmodi opiniones universaliter tutas, innoxias, & utiles ad praxim deprædicat, etiam respectu eorum, qui falsas illas judicant, aut saltem possunt prudenter judicare. Unde fit consequenter, ut Theologi benigni hujusæculi multò faciliùs leges quascunque intrepidè adoriantur novis contra ipsas inventis expositionibus, & opinionibus; indeque *summa illa luxuriantium ingeniorum licentia* in dies magis, magisque excrescit, facili scilicet spe concepta dilatandi salutis viam, & tollendi mundi peccata per novas suas opiniones probabiles: quo quid ad vulgi auram, ac benevolentiam captandam cogitari gloriosius potest, aut appetibilius hominibus?

127. An non sæpè de hoc tanto facinore identidem in Domino Recentiores gloriantur? An non seriò Caramuel Dianam suum appellat (horret calamus) *Agnum Dei, qui tollit peccata mundi*, eò quòd plurimis opinionibus suis, Theologis antiquioribus ignotis, totidem leges Dei aboleverit, totidemque mundi peccata frequenter iteranda sustulerit? Nec simpliciter tantùm id asserit Caramuel, &, ut ait ipse, *frequenter inculcat*; verùm & dici ab omnibus debere, nisi indocti, ac invidi sint: probat hoc ratiocinio totidem ejus verbis expresso: *Ingenium Dianæ, viri quidem doctissimi, veneror; ejus industria multas opiniones evasisse probabiles, quæ antea non erant, invidus sit, qui non affirmet. Si jam sunt probabiles, quæ antea non erant, jam non peccant, qui eas sequuntur, licèt ante peccaverint: ergo si ejusmodi peccata Diana sustulit, meritò dicetur esse Agnus Dei, qui abstulit peccata mundi.* Hoc serium Caramuelis ratiocinium. Rideres credo, Lector, si res esset ejusmodi, quæ risum ferret, & non sanguineas potiùs lacrymas postularet. Sed de his plura dabimus altero diè ridenda pariter, & lugenda.

Caram. in Proem. ad Theolog. Fundamen epist. ad Dianam ipsum.

128. Ajunt verò Terillus, & reliqui communiter Recentiores, se suo illo dogmate reflexo, idest, benignâ suâ sententiâ, nullas omninò laxas, aut pernicioſas opiniones probare, nec ullam facere opinandi licentiam, quæ moribus possit nocere: quia nimirum ipsi non docent, licitum esse ad praxim deducere quaslibet opiniones, etiam probabiles; sed tantummodò illas, quæ certò, ac practicè probabiles sunt, ideſt, quæ citra dubium gravi fundamento nitantur.

129. Scimus, & fatemur, Recentiores passim hæc verbis profite-

ri, ac testari. Sed enim, cùm videamus, hanc suam probabilitatem, quam pulchris, & peroptimis vocibus explicant, convenire reverà (ipsis etiam fatentibus) pluribus opinionibus à Summis Pontificibus postea damnatis, tanquam laxis, & pernicioſis; cùmque per illam velint, atque contendant, excipiendos ab omni lege quoscumque casus dubios, & qui verbis perspicuis, legibus ipsis non exprimantur: meritò nos contendimus, & propugnamus, hanc Recentiorum probabilitatem (quidquid ipsi voce reponant) esse re ipsa regulam illam, per quam Summus Pontifex dolet, *quod summa illa luxuriantium ingeniorum licentia in dies magis excreſcit; per quam irrepserit modus opinandi alienus omninò à simplicitate Evangelica, Sanctorumque PP. doctrina; quam denique, ſi pro recta regula fideles in praxi ſequantur, ingens eruptura ſit Christianæ vitæ corruptela.*

130. Certè non esse illam, quam Magister Angelicus cõsignat nobis, immò, quam Deus ipse in Scriptura sua nobis præfigit, sed eidem prorsus contrariam, facilè tibi constabit, si utranque inter se conferas. At regula consignata à Deo, & ex ipso, ab Angelico Magistro tradita, nõ potest esse aliena à simplicitate Evangelica. Vide igitur quid concludas de regula Probabilistarum. Sed de his, adhuc plura in decursu.

131. Hæc verò modò dicere coacti sumus, ut constet, quàm sit nulla, evidẽs illa Terilli præsumptio, *si voluisset, id expressisset*; quamque immeritò velit, ut tribuatur legislatoribus, *si sua imperia violari videant, eò quòd ſufficienter non explicarint voluntatem ſuam*. Quod certè constat P. Terillum neque satis consideratè, neque consequenter dixisse; sed manifestè potiùs sibi contradicendo. Utrique juxta ipsum nulla voluntas legislatoris sufficienter non explicata, habet rationem legis, aut imperii, nec aliquam imponit obligationem subditis: immò *manifestissima* præsumptio est, ipsum legislatorem noluisse voluntatem suam extendere ad ullum casum dubium, aut sufficienter lege non expressum, *nam ſi voluisset, id expressisset*. Quomodò ergo subditi legislatoris culpâ violare possunt ejus imperium, quod nullum est reipsa, Terillo judice, & ipsi nullum esse evidenter præsumunt? Hìc planè, ut sæpè aliàs, Terillus sui ipsius oblitus est.

§. III.

Ad argumentum alterum.

132. JAm ad argumentum secundum, quod à priori Terillus appellat, respondemus, per illas duas opiniones oppositas utrinque militantes minimè fieri, ne aliqua ex duabus illis legibus sufficienter sit promulgata; quia promulgatio simpliciter talis, de qua loquimur in præsenti, non pendet ab hujusmodi opinionibus, sed illas omninò præcedit, ut constat ex superiùs dictis. Solùm igitur sequitur, in ea hypothesi nobis non constare, sed dubium absolutè esse, quænam ex illis legibus determinatè existat in Deo: an nimirum voluntas, qua permittit, aut approbat, an potiùs voluntas opposita, qua reprobat, aut prohibet actionem illam; quarum altera reipsa non existit; nõ quia detur opinio, ipsius existentiam negans, sed quia nunquam à Deo concepta fuit; ideòque pariter non extitura, etiamsi nulla esset talis opinio. In dubio autem hujusmodi quid nobis sit faciendum, constat etiam ex dictis, & constabit ulteriùs ex dicendis.

133. Sed placet hìc subjungere in idipsum verba P. Vazquez egregia, qui scilicet, cùm statuisset certam, & communem doctrinam de publica, ac solemni promulgatione, quæ ipsius legis substantiam constituit, præ notitia particulari, quæ minimè constituit, sed supponit jam con-

constitutam, & solùm *aufert* (inquit) *legis ignorantiam ab intellectu subditorum*, hoc ex doctrina illa corollarium deducit.

Vasq. in 1. 2. d. 156. c. 2. n. 8.

Hinc autem sequitur manifestè, decipi eos, qui putant, eum, qui dubitat, an lex aliqua lata fuerit, & promulgata in curia, ea lege non teneri: eò quòd ipsi non satis promulgata censeatur. Falluntur igitur primùm in doctrina ipsa, siquidem in dubiis tutior est pars eligenda, & hæc regula in hoc casu vim habet, iuxta notata à nobis d. 65. c. 3. deinde in ratione decepti sunt, eò quòd, ut ex dictis constat, aliud est promulgatio, aliud autem est notitia legis; & quamvis is, qui dubitat de lege, non haberet notitiam sufficientem legis, ut ea teneretur, tamen non posset dici carere promulgatione legis, si reverà in curia promulgata fuisset, sed notitia sufficienti illius: verum, ut diximus, ea dubitatio satis est, ut ratione ejus tutiorem partem sequi debeat, sicut loco citato ostendimus. Hæc Vazquez; quibus magnam Terilli, Recentiorumque deceptionem, & occasionem ejus sapienter detegit, confusionem videlicet, & æquivocationem terminorum promulgationis latæ, & strictæ, quæ magnopere differunt inter se, & accuratè sunt distinguendæ.

§. IV.

Breviuscula synopsis Controversiæ.

134. ARcanum, ac mirabile mysterium subtilis structuræ Probabilismi, quod Reflexistæ tantopere commendant, clarè, ni fallimur, revelatum jam est. Immò per totam hanc controversiam traditæ doctrinæ soliditas, & principiorum firmitas, quibus innitimur, procul à nobis abigit omnem deceptionis timorem. Non enim intellectui, quamvis in hac mortalitatis ærumna undique tenebris circumfuso, ubilibet trepidare licebit.

Nempè totius fabricæ Reflexistarum basim, & unicum fundamentum, sine quo recens Probabilismus nulla ratione possit consistere, esse principium à Terillo adinventum de insufficienti legis promulgatione, rationibus perspicuis, atque patentibus per totum articulum primum clarissimè demonstratum est. Hujus verò principii falsitatem in sensu, quem intendunt, aut intendere debent Recentiores ad propugnandam sententiam suam, multiplici argumento, tùm ab auctoritate, tùm à ratione, per reliquos articulos adeò clarè convicimus, ut opposita veritas non tantùm evidenter patuerit, sed etiam magnam possit admirationem facere, quòd aliquando fuerit in quæstionem deducta.

Cùm igitur altera via, qua incedunt pauci alii Recentiores, nempè directi Probabilistæ, præclusa quoque maneat per totam præcedentem controversiam, nihil omninò poterit nobis obstare, quominus fundamentum sententiæ nostræ potissimum, & capitale, quod insinuavimus controversia quarta, urgere jam expeditè possimus. Si tamen priùs hìc de potissimo, unico, & capitali principio Recentiorum, cui totam adstruunt Ethicæ Christianæ molem, cum Bernardo doleamus, & exclamemus, *Quàm indignè tali fundamento talis structura committitur!* Et quis precor auderet Probabilismo fidere, si ipsius structuram probè agnosceret? Paucos opinor patronos haberet, præsertim ex Auctoribus præcipui nominis, qui ipsi planè incognito incautè suffragati sunt, si ad controversiam istam tractandam iterum nunc in mundum redirent.

Bern. ser. 82. in cant.

CON-

CONTROVERSIA SEPTIMA.

Fundamentum potissimum contra modernum Probabilismum instauratur ex dictis, & multipliciter explicatur.

1. INstauratur, inquam, ex dictis; quippè non semel in præcedentibus insinuatum à nobis est: quin immò, rectiùs dixerim, dilucidè satis expositum toto fere art. 1. proximè præcedentis controversiæ, ubi artificium Probabilismi diligentissimè speculati sumus, omnesque ipsius abditos, & intimos recessus perscrutati, totum, ut ita dixero, semel exenteravimus. Denique nimis clarè ibidem demonstratum est, nunquam fieri posse per aliqua principia reflexa, ut qui agit ex opinione directè sibi æquè, aut minùs probabili, operetur conformiter ad legem Dei antecedentem, atque directam (quam unicè agnoscit Theologia), adeòque neque licitè, aut honestè: nam legem illam velle de medio tollere ex promulgationis defectu, causam esse reverà non difficilem modò, sed omnimodis deploratam, satis, superque pariter demonstratum relinquimus. Hoc autem est potissimum fundamentum sententiæ nostræ, contra modernum Probabilismum.

Nihilominus tamen, quia fundamentum hoc, si satis penetretur, totam planè causam absolvit, & modernæ sententiæ Recentiorum nimis patenter falsitatem convincit: ut efficacia ejus, etiam minùs sagacibus, perspicua sit, operæ pretium nos facturos putavimus, si clariùs adhuc illud exposuerimus; quod sanè post eversa duo illa capitalia principia, quibus totus innititur Probabilismus juxta duplicem modum generalem, quo propugnatur à Recentioribus, multò faciliùs, & expeditiùs fiet. Ob eandem etiam rationem post nostrum hoc principium stabilitum, tria illa potissima Reflexistarum, de quibus supra mentionem fecimus, & quorum falsitatem, inanitatemque illo art. 1. satis ostendimus, iterùm nihilominus sigillatim ad exactius examen revocabimus, & fusiùs, Deo auspice, refellemus, per controversias proximè subsequentes.

ARTICULUS I.

Suppositis principiis capitalibus ad controversiam primam stabilitis, proponitur, & distinctiùs exponitur fundamentum potissimum sententiæ nostræ contra modernam Recentiorum sententiam.

§. I.

Resumitur eorum principiorum compendiaria quædam notitia.

2. OMnis actio nostra moralis, utpote ex suo genere defectibilis, ac contingens, ad hoc ut recta sit (idest, honesta, aut bona moraliter), oportet, ut subordinetur, commensuretur, ac conformetur cum aliqua mensura, seu regula rationis prorsus indefectibili, & essentialiter per se ipsam rectâ, quæ sit universalis, ac prima regula moralis honestatis. Regula verò hujusmodi est lex æterna, seu voluntas Dei, cui proinde omnis actio nostra, ut honesta, seu recta sit, conformari absolutè debet, alioqui non erit recta, sed obliqua, & mala moraliter.

3. Porrò actionem moralem voluntariam simpliciter, & sufficienter deliberatam, indifferentem tamen in individuo, non est opus consi-

ſiderare; tum quia abſolutè nulla eſt poſſibilis, ut nos putamus cum D. Thoma, (quæ eſt etiam communior Theologorum, immò, & expreſſa Theologorum Principis, ideſt, Auguſtini ſententia, ajentis, *Omne factum, ſi rectè factum non eſt, peccatum eſt*), tum quia ſi forte aliqua ſit poſſibilis, facilè ſit cum ſua proportione doctrinam traditam, & tradendam, ad eam quoquè actionem applicare, videlicet in ſenſu negativo, in quo ſolùm erit honeſta, quia in eo tantùm ſenſu conformis eſt, regulæ poſitivæ moralis honeſtatis.

Aug. li. de utilit. cred. c. 12.

4. Quoniam verò regula prima non poteſt per ſe ipſam menſurare immediatè, aut regulare actiones humanas, oportet, ut ad ipſas intentionaliter approximetur, & applicetur, per dictamen noſtræ rationis, quod dicitur communiter, & eſt, formalis, proxima, & immediata regula, per quam regula prima objectivè, & intrinſecè regulat, ac menſurat; primariò tamen, ac principaliter juxta notata ſæpè, & expoſita. Hoc verò dictamen rationis poteſt regulam primam (ideſt, legem æternam, ſeu voluntatem Dei) nobis proponere, & applicare, vel immediatè in ſe, vel in aliquo potiùs medio, aut ſigno creato, quod, ut cognitum, nobis voluntatem divinam ſufficienter oſtendat, ac manifeſtet, ut dum illam cognoſcimus ex imperio, ſeu lege Superioris humani, ex doctrina ſapientium, ex factis, aut exemplis Sanctorum. Unde patet, ſignum ejuſmodi eſſe etiam regulam noſtræ operationis, non formalem, ac proximam, ſed extrinſecam potiùs, & objectivam: non item primam, & independentem, ſed ſecundam, & primæ ſubordinatam.

5. De hac proinde regula, ſicut etiam de proxima, ac formali (quæ ſecunda item eſt abſolutè, & regulæ primæ ſubjecta) illud eſt certum, & in primis notandum, nempe, totam ipſarum rectitudinem, & bonitatem in ratione regulæ, conſiſtere in conformitate cum ipſa prima, ac ſuprema regula; quia per hanc ſolam conformitatem reddere poſſunt operationem noſtram conformem ipſi regulæ primæ, unde tota deſumitur primariò, ac principaliter, ipſius noſtræ operationis honeſtas. Hæc omnia ſunt principia à nobis ſtatuta in controverſia prima, tanquam totius Operis fundamenta immobilia, de quibus nemini liceat dubitare.

§. II.

Noſtrum argumentum proponitur.

6. EX his principiis facile argumẽtum noſtrum confícitur. Omnis ſecũda regula moralis actionis, ſive objectiva, ſive formalis, ut ſit recta (ideſt, verè regula), debet eſſe conformis poſitivè, ac formaliter primæ, ac ſupremæ regulæ honeſtatis moralis, nimirùm legi æternæ, ſeu voluntati Dei. At nulla opinio favens humanæ libertati contra legem, quæ ſit directè minùs operanti probabilis, conformis eſt formaliter, ac poſitivè regulæ primæ moralis honeſtatis. Ergo nulla ejuſmodi opinio eſt recta regula actionis moralis. Major, principium eſt, quod nequeat in quæſtionem vocari. Minor videtur evidens ex ipſa terminorum acceptione; nam opinio directè operanti minùs probabilis, judicatur ab ipſo, vel falſa, atque contraria legi Dei, ideſt, regulæ primæ, vel ſaltem judicatur veroſimilius eſſe, quòd ſit reipſa falſa, & contraria: nemo verò opinionem, quam falſam judicat, atque adeò contrariam primæ regulæ, vel quam judicat eſſe veroſimilius, reipſa falſam eſſe, & contrariam, poteſt ſimul, & ſemel judicare eidem primæ regulæ conformem, ut ex ipſis terminis patet: ergo nulla talis opinio poteſt eſſe conformis poſitivè, & formaliter (apud operantem ſcilicet) regulæ primæ moralis honeſtatis: ergo nec poteſt eſſe regula re-

recta : ergo nec licitè deduci ad praxim.

7. Hæc omnia per se ipsa prorsus evidentia videntur. Ulteriùs tamen, si fieri potest, declarantur, & confirmantur. Moralem opinionem conformem esse regulæ primæ, atque adeò regulam rectam, est id ipsum præscribere, ac dictare faciendum, quod ipsa prima regula dictat, atque præscribit. Quid alioqui? Sed opinio, quæ negat legis obligationem, si sit reipsa falsa, non dictat illud ipsum, quod dictat lex, idest regula prima; ideò enim est falsa, quia non id ipsum, sed oppositum dictat: ergo reipsa non est conformis regulæ primæ: ergo reipsa recta non est: ergo nec est formaliter recta, hoc est, in conscientia operantis, si nimirùm ab ipso cognoscatur ut falsa. Hæc per se patent.

8. Modò sic arguo: ergo opinio directè minùs probabilis operanti, nequit esse formaliter, sive in conscientia ipsius, conformis primæ regulæ, proindèque nec regula recta formaliter. Probatur consequentia: quia operans opinionem ejusmodi, vel judicat absolutè falsam, vel saltem potest proximè, si velit, judicare. Certè ut minimum censet verisimilius esse, quòd sit reipsa falsa, adeòque non conformis primæ regulæ, sed eidem potiùs contraria; alioqui amabò quid erit, aliquam opinionem existimari minùs probabilem? Atqui nemo, dum judicat, aliquam opinionem esse re ipsa falsam, vel saltem esse verisimilius, quòd sit falsa reipsa, potest simul, & semel judicare, eandem opinionem esse conformem regulæ primæ, alioqui judicaret esse veram re ipsa, & simul esse verosimilius, quòd re ipsa sit falsa, quæ sunt judicia palàm sibi contradicentia saltem virtualiter. Ergo nemo opinionem minùs sibi probabilem existimare potest conformem primæ regulæ, proindeque nec regulam rectam. Igitur nulla opinio minùs probabilis operanti, est regula formaliter recta: igitur nec est regula moralis honestatis.

§. III.

Exemplis explicatur, & illustratur.

9. REm nimis de se claram exemplis clariorem faciamus. Regula prima, seu mensura temporum, annorum nempè, dierum, vel horarum, est motus solis, sive sphæræ cælestis: artificialia vero horologia sunt regula, aut mensura secundaria, cujus rectitudo nimirùm tota consistit in conformitate, sive consensu cum prima regula, in eo scilicet quòd horologium disignet idem tempus, quod sphæra, vel solis, motus designat. Illud ergo horologium quod semper, & indefectibiliter conveniret cum sole in designando tempore, foret regula temporis secundaria optima omnium, atque rectissima: quod autem ferè semper, & ut in plurimum conveniret, licèt quandoque, aut rarò deficeret, esset regula ex suo genere maximè accedens ad rectitudinem, atque adeò moraliter, & quantum ad humanum convictum, diceretur regula recta. Illud demum, quo sæpè non conveniret, maximè, si frequenter, aut frequentiùs deficeret, nullo modo esset recta, sed regula deficiens, & prava,

10. Pone modò, quod aliquis, ut exerceat in tempore determinato, ac fixo, aliquod opus debitum ex præcepto, seu voto, statuat generaliter apud se sequi signum, aut sonitum hujus tertii horologii, cujus nimirum cursum irregularem, ac frequentiùs fallentem ab experientia cognitum habeat: is profectò ad agendum præfiget sibi regulam temporis non rectam, sed fallacem, ac pravam, quam scilicet videt non conformari cum prima regula, unde decernet generaliter agere ex regula, & reipsa, & formaliter mala. Pariter in eventibus particularibus, quoties

ties consuetum opus exerceat ad sonitum horologii prædicti, nullo alio expectato temporis signo, vel conjectura, toties homo ille operabitur ex regula formaliter prava, quam nimirum non potest judicare conformari cum prima temporis regula; signum nanque horologii sæpiùs, ac frequentiùs fallentis, verosimilius est, quod fallat re ipsa in quolibet eventu determinato.

11. Jam primum horologium comparatur judicio penitus evidenti, & absolutè certo, quod est agendi regula potiùs Angelica, quàm humana. Secundum refert judicium humanum quadam morali tantùm, atque adeò imperfecta rectitudine constans; quod tamen esse prudens, atque verè probabile ex suo genere, juxta sensum nostræ sententiæ, in suo proprio loco ostendemus, ubi consequenter monstrabimus adversus Jansenistas, & Tutioristas, qualiter sit sufficiens, rectaque agendi regula honestatis moralis.

12. Tandem tertium, & ultimum horologium respondet exactissimè opinioni probabili in sensu benignæ sententiæ absque ulla, vel minima, differentia formali. Porrò opinio directè minùs probabilis, est regula objectiva ex suo genere frequentiùs fallens, & deficiens à prima regula. Ergo, qui generaliter apud se statuit operari in eventibus sibi occurrentibus secundùm opinionem directè sibi minùs probabilem in sensu Probabilistarum, regulam objectivam sibi præfigit non conformem regulæ primæ, sed potiùs dissidentem ab ipsa, adeòque agere paratus est ex regula rationis sibi non recta, proindeque non recta formaliter. Hinc in eventu quolibet particulari homo iste operabitur secundùm regulam sibi non rectam, sed fallacem potiùs, ac pravam; nam unaquæque determinata opinio, si sit minùs probabilis operanti, hoc ipso sibi verosimilius est, quòd reipsa deficiat à consensu cum prima regula, atque adeò non potest eidem regulæ conformis judicari.

13. Id ipsum potest adhuc haud minùs clarè ob oculos cõstitui exemplo sortium, talorum, verbi gratia, aut alterius signi cujuslibet penitus contingentis, & incerti.

Ecce Petrus pertesus tantam in rebus omnibus moralium opinionum, ac judiciorum hominum varietatem, ut evolvendi libros, aut homines peritos cõsulendi laborem, ac molestiam semel declinet, statuit apud se de his non ampliùs esse solicitum, sed dubia quæque sibi occurrentia de licito, aut illicito, in posterum sorte decidere. Eligit ergo sibi numulum aliquem ex hac parte castello, ex parte opposita leone signatum, quales habemus in nostra Hispania. Incidit fortè dubium de honestate contractus, quem inire volebat, & productum numisma jacit in altum ea intentione, & lege, ut si cadens in terram, monstret castellum ex superiori parte, contractum ineat, si verò leonem ostenderit, abstineat omninò à contractu.

Erit ne quæso aliquis non insanus, qui Petrum sic agentem, impium, & sceleatum non pronuntiet; quippe qui floci faciat legem divinam, ipsamque nimis temerè contemnat? Non opinor. At quare precor? Res ipsa loquitur. Nimirum, quia ad agendum scienter eligit regulam objectivam indifferentem, ac prorsus absolutam à consensu cum prima regula, quam proinde non potest eidem primæ regulæ rationabiliter conformem judicare; nam, cùm ex se nullam omninò habeat determinationem ad regulam, sed contingentiam potiùs, & indifferentiam omnimodam, quòd in actu secundo regulæ conformetur, aut opponatur, non est prudentiæ, aut consilii opus, sed fortunæ potiùs, & casus: hæc est enim sortium natura, in quibus, ut Tullius ajebat, *temeritas, & casus, non ratio, & consilium valet.* Tull. de Divinat.

14. Abijciamus numisma, & re-

ponamus ipsius loco opinionem directam, & minùs tutam, & operanti ipsi minùs probabilem, immò etiam æquè probabilem, ut exemplum in nihilo dissideat. Certè hujusmodi opinio apud operantem ex illa, non minùs est indifferens ad legem, & non legem, atque adeò non minùs absoluta à consensu cum prima rectitudinis regula, quàm sors illa numismatis, immò magis, si opinio fuerit minùs probabilis. Ergo non magis cõformis est apud operantem ex illa, cum ipsa prima rectitudinis regula. Ergo non minùs temerè contemnit legem Dei, qui scienter eligit opinionem ejusmodi, ut regulam objectivam agendi, quàm Petrus eligens sortem numismatis.

Video, opinionem hominum, de qua modò, & numismatis sortem, quam exempli gratia produximus, magnopere differre naturâ suâ: at in ratione regulæ objectivæ opportunæ ad honestè agendum, nihilo magis differunt, quàm ulna lignea ab ulna, vel ærea, vel agentea, differat in ratione mensuræ. Porrò nihil prodesse Recẽtioribus recursum ad principia reflexa, ostensum est, & ostendetur adhuc.

ARTICULUS II.

Præcludit evasiones cogitabiles.

15. UTique verosimiles nullæ se mihi offerunt. Quia verò dicere, & cogitare multò ampliorem habet sphæram, erit, qui dicat, latum esse discrimen; nam, qui opinione utitur minùs sibi probabili in sensu benignæ sententiæ, adhibet diligentiam sufficientem ad inveniendam voluntatem divinam, quam tamen invenire non potest; non enim aliter Probabilistæ permittunt usum illius opinionis. At verò Petrus utens sorte numismatis (& eadem est ratio de utente signo tertii horologii) nullam diligentiam præmittit, sed merè casualiter agit, adeòque meritò censendus est temerè Dei legem contemnere. Sed hoc est cogitare, aut dicere, & nihil dicere, aut cogitare.

16. Contrà est primò: quia, juxta Recentiores, undecumque quis habeat opinionem probabilem (hoc est opinionem unius, aut aliquorum gravium Auctorum de improbabilitate non notatam, quamvis falsa communiter existimetur, juxta dicta superiùs ex Terillo) deobligantem à legis observantia, quam sanè poterit facillimè habere ex indice cujusvis Summæ vulgaris, vel ex aliorum dicto, aut narratione; absque ulteriori aliqua diligentia, & nihil omninò curando, an opinio prædicta sit re ipsa vera, vel falsa, potest intrepidè procedere ad opus, dummodò noverit conscientiam formare ex artificio sententiæ benignæ. Sup. contr. v. 3. a. 1.

Profectò in hoc eventu diligentia præmissa ab hoc Probabilista ad inveniendam divinam legem, & diligentia à Petro præmissa, parum, aut nihil inter se differunt: aliundè verò regula objectiva, qua utitur uterque, æquè absoluta est à consensu cum prima regula, æquèque indifferens in mente utriusque ad legem, vel non legem, nisi quòd fortè regula Probabilistæ magis determinetur ad non legem, si nimirùm opinio fuerit minus probabilis. Et tamen Petri actionem adeò exire diversam ab actione Probabilistæ, ut illa æternum ignem, hæc verò nihil mali, quin immò gloriam mereatur æternam? Mirum! sed nobis haud minus incredibile.

17. Contrà secundò: ponamus, Petrum multùm laborasse, & nihil facere prætermisisse ad inveniendam legem divinam, qua tamen non inventa, uti jactu numismatis ad resolvendum dubium. Rogo, an Petrus peccaret, & temerè legem contemneret? (& non agimus modò de peccato supestitionis, quod fortè posset intervenire) Nemo opinor negabit. Unde verò? Profectò non ex diligentiæ omissione, sed ex regula illa, quam

quam assumit, non conformi regulæ primæ. Atqui Probabilista eâdem prorsus regulâ utitur, & æquè ad primam regulam indifferenti, quin, & magis connexâ cum transgressione legis, si opinio minùs probabilis sit. Ergo non minùs peccat, nec minùs temerè legem contemnit, quidquid sit, an præmiserit aliquam diligentiam ad inveniendam legem.

18. Discrimen igitur assignatum, primùm est de subjecto non supponente, ut ajunt. Deinde, quamvis verè subsisteret, est prorsus importunum, ac inutile; quid enim facit ad honestè operandum, quòd, qui opinione utitur minùs sibi probabili, præmiserit quamcumque diligentiam ad inveniendam legem divinam, si post præmissam eam diligentiam nihil curat legem violare, quandoquidem voluntariè assumit pro regula objectiva operationis suæ, aliquid omninò contingens, & indifferenter se habens ad legem, & ad ejus carentiã, immò quãdoque magis cum legis carentia connexũ? Perinde sanè est, ac si in assumpta hypothesi magno labore, & cura Petrus quæsierit memoratum numisma, ut per ipsius jactum, & sortem decidat dubia sibi occurrentia circa legis obligationem.

19. Unde hinc rursus patet, hominem illum nullã reverà diligentiã præmittere pro invenienda lege divina, veram, ac seriam, sed apparentem tantùm, superficialem, & illusoriam. Enim verò, qui habet opinionem, vel minùs, vel æqualiter sibi probabilem, negantem legis obligationem, non habet potiùs legem divinam, permittentem scilicet, aut approbantem illam actionem, quàm carentiam ejusdem legis, sive legem oppositam prohibentem. Ergo, quòd attinet ad legis inventionem, non aliter se habet, ac Petrus post jactum numismatis; immò se habet pejùs, quoties opinionis assumptæ non est æqualis, sed minor probabilitas. Aliunde verò, illa opinione inventa, nullam ulteriùs diligentiam facit pro divina lege invenienda, nec facere tenetur in via Probabilistarum. Igitur nullam absolutè facit.

20. Utique diligentia, quæ tota sistit in aliquo quærendo, per quod, etiam inventum, non habeas potiùs legem, quàm non legem, nequit cum aliqua veritatis specie vocari diligentia seria, quin neque diligentia pro invenienda lege. Patet igitur, illum, qui in dubiis circa licitum, vel illicitum, utitur opinione probabili in sensu Theologiæ, non magis seriò quærere legem Dei, quàm Petrum, qui per sortem numismatis resolvat dubia eadem sibi occurrẽtia. Sed hæc statim latiùs urgebimus, & sæpiùs etiã in decursu inculcabimus.

21 At dicat iterùm alius quispiam: discrimen manifestum esse, quòd, qui utitur opinione probabili in sensu benignæ sententiæ, regulam sequitur objectivam rationalem, atque prudentem, videlicet, judicium absolutum, quo viri prudentes, ac docti, rationabiliter judicarunt, opus illud, de cujus honestate oppositæ opiniones feruntur, esse re ipsa honestum, & non contrarium legi divinæ; quod idem ipse operans, vel actu judicat, vel potest absolutè, si liberè voluerit, judicare. At verò Petrus utens sorte numismatis, utitur regulâ planè ineptâ, ac penitus irrationali, qua scilicet, nec ipse judicat, nec aliquis judicare potest, per illud opus dubiæ honestatis non violari re ipsa legem divinam. Verùm hoc etiam nihil est dicta multiplici ex capite.

22. Primò; quidquid de aliorum judicio sit, falsum est, ut quod maximè, quod operans judicio directo (de reflexo non agimus, nec opportunum est) judicare absolutè possit in hypothesi, quam versamus, opus esse re ipsa honestum, & non contrarium divinæ legi, ut tota controversia quinta luculenter est demonstratum.

Secundò: illud judicium, si possibile esset, non fore prudens, & rationale, sed verè imprudens, ac temerarium, ibidem demonstratum est ad finem articuli ultimi.

Tertiò præterea: quidquid de his sit, operans (ut nunc ponimus cum Reflexistis) non judicat judicio directo, opus, de quo deliberat, honestum esse, nec aliorum virorum prudentum, ac doctorum judicium sequitur, ut regulam formalem, aut remotam, aut proximam, per quam scilicet ipsis assentiat; sed ut regulam tantùm objectivam, censens nimirùm ipse, viros illos prudentes sic judicasse, cæterùm vel esse deceptos, vel saltem esse verosimilius, quòd re ipsa decepti sint. An non est hæc hypothesis, quam vertimus? Quid ergo aliò importunè distrahimur?

Tùm verò luce clariùs apparet, nullum prorsus esse discrimen, nisi penitus materiale. Porrò, qui utitur opinione probabili in sensu Probabilistarum, regulam sequitur objectivam penitus apud ipsum absolutam à consensu cum prima regula, quippe prorsus indifferentem ad legem prohibentem, aut approbantem, vel fortassis ad illam magis determinatam, si opinio scilicet fuerit minùs probabilis. Ergo non magis judicat, se agere conformiter ad legem Dei, quàm Petrus utens forte numismatis: ergo non magis quærit divinam legem: ergo non minùs temerè contemnit ipsam. Certè omne discrimen excogitabile perinde est materiale, ac importunum, ac sit in regulis purè materialibus, quod altera sit lignea, altera aurea.

Verùm hæc, quamvis adeò sint evidentia, quò magis adhuc, ac magis illustrentur, argumentum nostrum potissimum paulò aliter exponamus: fortassis clariùs, atque simpliciùs, atque adeò opportuniùs, ut, vel à minùs doctis (quod optaremus) ipsius vis faciliùs percipiatur.

ARTICULUS III.

Ex fidei Catholicæ dogmate, rationis quoque lumine evidenti, quo docemur, teneri nos voluntatem, & legem Dei seriò, ac diligenter inquirere, ut nostras illi conformemus actiones, iterùm demonstratur falsitas benignæ sententiæ.

23. ID esse fidei dogma præcipuum, atque nobilissimum, immò dogmatum omnium, quæ morum doctrinam concernunt, veluti animam, & spiritum, indeque universale, ac maximè attendendum totius honestatis moralis fundamentum, atque principium, nemo Catholicus inficietur. Utique leges omnes, atque præcepta, sive humana, sive divina, nisi communi dogmate isto animarentur, ac firmarentur, forent, velut cadavera absque ullo spiritu, aut vita, & (sicut alio sensu ajebat Apostolus de præceptis antiquis cæremonialibus) *infirma, & egena elementa*. Quid porrò convenientiæ, vel utilitatis haberet, Deum, & per se ipsum, & per Superiores humanos aliquid nobis prohibere, aut præcipere, nisi aliunde districtè generaliter imperaret omnia præcepta sua diligenter inquirere, & fideliter adimplere? Ad Galat. 4.

§. I.

Ostenditur præfatum principium esse fide, & ratione certum.

24. IDeò hanc veritatem tanti momenti, & scitu perquam dignissimam, non semel Deus, aut subobscurè, sed sæpissimè, ac signatissimè in Scripturis utriusque paginæ nobis ingeminat, ac commendat: *Non facietis . . . . singuli, quod sibi rectum videtur*: & rursus: *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas. Non sequantur cogitationes suas; sed me-* Deut. 12. Num. 15.

memores præceptorum Dei faciant ea.
Deut. 5. *Facite, quod præcepit Dominus Deus vester: non declinabitis, neque ad*
Deut. 26. *dexteram, neque ad sinistram. Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, ut facias mandata hæc, atque judicia, ut custodias, & impleas ex toto corde tuo,*
Eccle. 6. *& ex tota anima tua. Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis*
Ezech. 20. *illius maximè assiduus esto. In præ-*
Psal. 118. *ceptis meis ambulate. Tu mandasti*
Ecclesiast. 12. *mandata tua custodiri nimis. Deum time, & mandata ejus observa: hoc est*
Prov. 7. *enim omnis homo. Fili serva mandata mea, & vives: & legem meam quasi pupillam oculi tui: liga eam in digitis tuis, & scribe illam in tabulis cordis*
Math. 19. *tui. Si vis ad vitam ingredi, serva*
Matth. 28. *mandata. Docentes eos servare omnia,*
Ad Ephe. 5. *quæcumque mandavi vobis. Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes,*
1. Ad Thes. 5. *quæ sit voluntas Dei. Omnia autem probate: quod bonum est, tenete. Ab omni specie mala abstinete vos.*

25. Sed, ne diutiùs moremur in re notissima, sufficit, si vel unicus citatus Psalmus 118. quem quotidie in Officio legimus, attentâ mente, & oculis percurratur, ut manifestum sit, quàm indefesso studio, quantâ diligentiâ, ac labore incumbere omnes debeamus in procurandam divinarum legum cognitionē, & obedientiam; vix etenim in omnibus, ac singulis ejus versiculis (qui pauciores non sunt septuaginta sex supra centum), vix, inquam, aliud sonat divinus Psaltes, quàm *discere, cognoscere, intelligere, scire, meditari, perspicere, scrutari, custodire, considerare, non oblivisci, exquirere, diligere, in corde abscondere, servare, concupiscere, desiderare legem, vias, præcepta, testimonia, mandata, justificationes, semitas, disciplinam, veritatem, judicia, voluntatem, verba, sermones, æquitatem, justitiam, eloquia Dei.* Quorum omnium verborum tanta, tamque mirabili, atque pulcherrima varietate, ac dulcedine, quid agit Spiritus Sanctus, nisi ingratis cordibus hominum divinæ suæ voluntatis, ac legis, notitiam, desiderium, & amorem, & nostræ pariter obligationis memoriam nunquam abolendam inserere?

26. Eandem insuper veritatem ex severissimis comminationibus, atrocissimisque suppliciis, nec non ex promissionibus, & præmiis inenarrabilibus, quibus Deus movet, & urget ad observantiam suarum legum, & quibus plena Scriptura est, manifestè nobis ostendit.

27. Nec fide tantùm constat hæc veritas, verùm ratione etiam evidenter est demonstrabilis, immò, & ipso rationis lumine nota, quâdamque naturali cōceptione mortalium omnium mentibus insita.

Nam quis aliquando adeò rudis, ac barbarus inventus est, qui Numen, quod adorat, (qualecumque illud sit) non concipiat, ut aliquid potentissimum, excellentissimum, optimum, ac supremum? *Cum ille unus* (ait Augustinus) *cogitatur Deorum Deus, ab his etiam, qui alios, & suspicantur, & vocant, & colunt Deos, sive in Cælo, sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid, quo nihil melius sit, atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere.* Pergit deinde ostendere varias, atque stultissimas hominum opiniones de Deorum natura, & qualitate, ortas esse ex diversa uniuscujusque affectione, atque bonorum existimatione: post quæ tandem concludit sic, *Omnes tamen pro excellentia Dei certatim dimicant, nec quisquam inveniri potest, qui hoc credat esse, quo melius aliquid est.* Aug. li. 1. de Doctri. Christia. c. 7.

Atqui Deum ita concipere, est concipere ipsum, ut summè reverendum, timendum ab hominibus, & amandum; cui proinde, vel in re minima, displicendum minimè sit, sed ipsius potiùs voluntas in omnibus summè attendenda, omnesque ejusdem leges, ac directiones summo studio quærendæ, & observandæ. Evidens ergo est, & rationis lumine notum teneri nos in omnibus voluntatem, & legem Dei diligenter sem-

semper inquirere, & fideliter adimplere. Patet ergo, dogma præfixum, esse non modò fide divina certum, sed ipso etiam lumine naturali evidens, & notissimum apud omnes.

28. At dicat aliquis, frustrà nos tempus terere in ea veritate, vel ostendenda, vel inculcanda, de qua nemo ambigere potest, immò vix potest aliquis oblivisci. Sed qui sic sentiat, peregrinus sit, in nostra, quam versamus, controversia. Constabit illi ex Operis decursu (si nobiscum progredi velit), non esse aliquid ita necessarium. Interim, mihi crede, si hæc notissima veritas ab hominum memoria non longè abiret, vel, si mediocriter attenderetur, nemo Probabilismo fidem præberet. Quod nisi luce ipsa lucidius fecerimus, licet tibi, ut inutilem, laborem nostrum irridere, & contemnere.

§. II.

Conficitur demonstratio nostra contra modernum Probabilismum.

29. NEmo operatur licitè, aut honestè, nisi qui, quandocumque vult operari, diligenter, seriò, & ex animo inquirit voluntatem, & legem Dei, ut suam illi conformet actionem. At quisquis utitur opinione negante legis obligationem, & suæ libertati favente, quam ipsemet agnoscit æquè tantùm, aut etiam minùs probabilem, non inquirit seriò, & ex animo voluntatem, & legem Dei, nec eidem intendit operationem suam conformare. Ergo nec licitè, nec honestè operatur: ergo violat formaliter legem Dei, adeòque formaliter peccat. Utique consequentia est evidens. Major constat ex præfixo principio.

30. Minor ex dictis facilè demonstratur, aut potiùs multipliciter explicatur. Quisquis in ordine ad aliquem finem eligit medium, quod ipsemet agnoscit esse prorsus ineptum ad talis finis cõsecutionem, is profectò non quærit seriò, & ex animo finem illum, sed magis, vel irridet, vel cõtemnit. Quis id non videat? Ita verò se habet qui in hypothesi nostra utitur opinione minùs sibi probabili; etenim ejusmodi opinio potiùs habet avertere operantem à voluntate Dei, quàm ad ipsam illum perducere, cùm sit verosimilius, quòd talem opinionem sequendo transgrediatur re ipsa legem Dei, idque cognoscat operans ipse: medium autem hujusmodi, ineptum medium est apud ipsum ad assequendam voluntatem divinam: quin non ineptum modò, sed, & repugnans, & oppositum tali fini, ut ex ipsis terminis patet. Ergo, qui talem opinionem amplectitur non quærit seriò voluntatem Dei, sed magis illam fugit, atque voluntariò contemnit.

31. Explicatur ulteriùs, & confirmatur ex subjecta hypothesi. Titius laborans morbo quodam ignoto, cujus subito insultu corripi solet, nec leviter torqueri, absque aliquo tamen vitæ discrimine, magno pretio, & labore comparavit ex quodam celeberrimo Medico duas valdè prerioſas, nec minus efficaces medicinas, quarum altera, scilicet pro morbo illo præsentaneum remediũ est, altera non pro illo, sed pro alio morbo diverso, qui fortasse Titio imminebat, & in quem præsens morbus mutandus timebatur. Admonuit autem Medicus Titium, ac seriò protestatus est, ne fortè per errorem consueto suo morbo correptus postremam medicinam sumeret aliquando, alioqui sine mora infallibiliter periturus. Titius utranque simul coram multis aliis domesticis fideli famulo servandam tradit, & medicus discedit ab illo.

Eâdem Titius nocte consueto suo morbo corripitur, & medicinã, seu potionem suam, instanter sibi postulat afferri. Utranque famulus protinus offert, singulas singulis manibus tenens, ingenuè tamen domino fassus, se certò non scire, utra ex il-

illis sit potio salutaris, utra verò lethifera; se tamen credere, sinistram esse noxiam, & dexteram esse sumendam. Id ipsum alii denuò advenientes ex domesticis contestantur, quamvis alii non desint, qui oppositum affirment. Hæret Titius perplexus, & formidat, ne dum doloris quærit levamen, certam sibi mortem adsciscat. Famulus ille prudenter monet, ferendum dolorem tantisper, & consulendum interim Medicum, si fortè nondum loco discesserit, alioqui abstinendum ab utraque potione, nisi discrimen certò constiterit.

Sed Titius doloris impatiens arripit ex potionibus alteram; nec tamen dexteram, quam censebat, & ipse verosimiliùs esse tutam, & sanam, sed alteram, quę colore magis, vel odore sibi arridebat, & quæ gustui jucundior futura videbatur. Vix autem illam haurit intrepidus, cùm subitis impetitur mortis doloribus, & seram pœnitentiam cum anima pariter agit. Hæc est hypothesis, quã sub tot circunstantiis ideò prolixa narratione descripsimus, quia non hìc tantùm nobis, sed etiam alibi fortè deserviat.

32. Modò verò non quærimus directè, utrùm Titius peccaverit, aut imprudenter egerit, quod extra dubium est. Illud solùm inquirimus determinatè, quod immediatè facit ad rem nostram, & quod non minus est extra dubium: an scilicet Titius sincerè amaverit salutem, & vitam, eamque diligenter, & ex animo in eventu proposito quæsierit? Nullus erit, ut reor, qui quæstioni cunctetur respondere, cùm sit evidentissima pars negativa: ratio verò non alia, nisi quia Titius positus in magna illa perplexitate, liberè elegit medium, quod non magis, immò minùs habebat apud ipsum inferre, aut conservare sanitatem, & vitam, quàm illam perdere; quod est vitam contemnere, atque prodigere, per evidentem temeritatem.

33. Conveniamus jam Recentiores, in quorum benigna sententia non major diligentia, sed multò minor per se loquendo, necessaria est ad quærendam, & inveniendam aliquam opinionem, & minus tutam, & minus operanti probabilem, nec urgentior occasio ad aggrediendum tantum periculum, violandi scilicet legem Divinam, nec difficilior via ad illud declinandũ exigitur. Aliundè verò operans per illam opinionẽ, quam eligit, non minùs videt esse verosimile, aut pariter verosimiliùs, quòd violabit reipsa legẽ Dei, & ab ipsius voluntate recedet: ergo non magis illam sincerè amat, nec magis seriò, & ex corde quærit, quàm Titius amaverit vitam, illamve sincerè quæsiverit.

ARTICULUS IV.

Præcluduntur effugia: ubi directus etiam Probabilismus Recentiorum apertæ falsitatis denuò convincitur.

AD hæc adeò patentia non apparet, quid dici possit cum aliqua veritatis specie ex doctrina moderni Probabilismi, post eversum utrunque capitale utriusque viæ principium. Sed, ut nihil, quod posset utcumque cogitari, vel à minus intelligentibus, in re ista prætermittamus, ecce subiicimus effugia quædam, quæ posset aliquis invenire.

§. I.

Reflexistarum evasiones præclusæ.

34. PRimò ergò reponat quis vulgare Recentiorum effugiũ, quo pleraque argumenta nostra facillimè se solvere putant. Ajunt scilicet, dum ab exemplis medici, judicis, & similibus urgentur; disparitatem esse evidentem, &, ut ajunt, planè palmariam; etenim medici-

na

na exempli gratia, de cujus sanitate medicus habet æquè, aut minus probabilem opinionem, si reverà sit noxia, re ipsa nocet, & mortem præmaturat, vel absolutè infert ægroto, nihil obstante medici judicio, à quo non pendet effectus medicinæ. At verò opinio de honestate objecti, licèt directè minus probabilis, si ex illa formetur conscientia per artificium Probabilismi, nihil reverà nocere potest; nam esto falsam esse contingat, nihil reipsa sequitur, nisi legis violatio materialis duntaxat, & minimè operanti imputabilis, quæ nemini proinde reipsa nocet, nec prohibet, quominus operans prudenter operetur, & laudabiliter, atque adeò honestè formaliter. Ideò opinionem illam medici, & similes appellant improbabiles practicè, & probabiles purè speculativè: cæteras verò practicè probabiles.

35. Sed in primis doctrinam istam verè vulgarem, esse absolutè falsam, & apertè in se ipsa implicatoriam, quæque nullam producat disparitatem, sed apertissimè principium petat, ut reliqua præcipua fundamenta Probabilismi, & ex doctrina tradita sufficienter colligitur, & distinctiùs postea monstrabitur.

36. Et verò quisnam erit verè cordatus, qui non valdè miretur prudentiam istam, juxta quam diligentiùs cavendum est damnum temporale, quàm violare reipsa legem divinam, eò quòd Deus ex violatione ista nullum revera damnum patiatur? Sanè eodem discursu possent concludere, parum, aut nihil esse curandum, vel hostiam consecratam pedibus conculcare. Utique Christus Dominus nihil verè doleret, nec pateretur verum aliquod damnum, sed ab Angelis potiùs interim laudaretur cum ineffabili, ac plenissimo gaudio. Sed de his infra ubertim. Id duntaxat celeriter adnotasse modò sufficiat, ut videas quanti fiat voluntas Dei in principiis moderni Probabilismi.

37. Nunc, quòd ad præsens attinet, doctrinam Recentiorum esse importunam, & ex qua nullum valeant effugium querere pro nostro argumento solvendo, manifestè patet ex dictis. Porrò nos illud medicinæ exemplum, & innumera alia similia, ea intentione modò producimus, ut ostendamus, eum, qui utitur opinione æquè, vel minùs sibi probabili in sensu Probabilistarum, non amare sincerè, nec quærere voluntatem divinam, neque revera intendere seriò, & ex corde operationem suam cum illa conformare. At hoc exempla illa evidenter ostendunt, quidquid nunc sit de disparitate, aut distinctione vulgari Recentiorum, neque id ipsi negare possunt, nisi velint luci resistere. Nullum ergo opportunum doctrina illa præstat effugium pro nostro argumento solvendo.

38. Erit præterea fortè, qui dicat, exemplum illud nimiùm probare, atque adeò in nos etiam retorqueri; nam Titius in hypothesi facta, adhuc temerè ageret, neque sincerè quæreret sanitatem, & vitam, si medicinam alteram sumeret, quam nimirum censebat verosimiliùs esse salutarem. Hinc verò sequitur contra nos ipsos, nunquam licitum esse uti opinione aliqua minùs tuta, quamvis sit probabilior operanti.

39. Sed verò Recentiores concedant nobis, quod unicè intendimus, & quod negare, licèt vellent, non possunt, nempe, eum, qui utitur opinione quacumque minùs tuta, & æquè, aut minus sibi probabili, non quærere sincerè legem divinam, quod illo exemplo, & aliis evidenter convincitur, immò ex terminis ipsis evidens est; & nihil aliud modò curamus.

Certè argumentum nostrum, & exemplum productum cum doctrinam contineat non modò veram, sed evidentem ex acceptione ipsa terminorum, nihil absurdum potest le-

legitimè probare : quare quidquid ex illo potest deduci, vel non rectè deducitur, vel absurdum esse non potest. Non est verò hujus loci exponere accuratè, & exactè, quæ probabilitas opinionis sit regula sufficiens agendi, quod ad postremam partem per se spectat, & de quo haud pauca in decursu dicere, doctrinæ ipsius ordo nos coget, præsertim in postrema libri sequentis controversia, ubi rem istam satis de se difficilem, & arduam ex professo propemodùm exponimus, & medium designamus necessariò tenendum inter extrema omninò vitanda Probabilismi, & Tutiorismi, secundùm rectam prudentiæ legem; quæ pro conditione materiæ, & circunstantiis propriis actionis mensuram taxat diligentiæ adhibendæ in quærenda lege Divina, & cavendo erroris periculo, adeòque regulam agendi præscribit eandem in quacumq; materia formaliter, & quoad substantiam, cum aliquali tamen diversitate quoad modum, adeòque accidentali, & quasi materiali duntaxat secundùm propriam materiæ qualitatem. Vide, si placet, ibi dicenda : fortasse, Deo Auctore, rem non satis ab aliis elucidatam exponimus non prorsus ineptè.

§. II.

Præcluditur effugium ex Probabilismo directo.

Espar. 3. p. a. 191.

40. SED dicat tandem aliquis ex P. Esparza, hoc nostrum argumentum adversùs Reflexistas esse insolubile, & evidenter demonstrativum; non ita verò contra Probabilistas, quos directos supra appellavimus, qui scilicet sic docent formare conscientiam ex opinione aliqua directa antecedenter minùs probabili, ut illa debeat esse non tantùm objectivè in intellectu ipsius operantis, verùm etiam formaliter, ac subjectivè. Porrò, qui judicio directo determinatè judicat, quamvis ex fundamentis antecedenter sibi levioribus, objectum esse honestum reipsa, hoc ipso judicat absolutè, & simpliciter, actionem suam legi conformari, atque adeo spem bonam concipit assequendi reverà voluntatem Divinam, quamvis conjunctam cũ timore aliquo discedendi reipsa ab illa. Igitur non contemnit Divinam voluntatem, sed illam potiùs sincerè amat, & satis diligenter inquirit pro miseria, & caligine præsentis incolatus, quandoquidem non poneret talem actionem nisi absolutè crederet, & confideret, se nihil reverà facturum contra voluntatem Divinam.

41. Verùmtamen Esparza, & cæteri directi Probabilistæ, si qui reverà sunt (ego enim, qui scripto sententiam ejus doceat saltem expressè, vidi neminem præter ipsum) quiescere profectò deberent, dum pro suo principio Philosophico de indifferentia proxima intellectus ad opinandum æquè, aut minùs probabilia, cui unicè innituntur, urgentiora argumenta non produxerint, quibus de veritate principii oppositi à sæculis recepti, vel dubitare saltẽ possimus. Hoc, ut nos credimus, nunquam præstabunt, adeòque non jure repugnant, introducentes in hypothesi nostra per nimis falsam suppositionem, & jam abundè à nobis reprobatam, judicium absolutum, atque directum ipsius operantis, quo judicet, actionem suam reipsa non opponi Divinæ voluntati, sed conformari potiùs eidem.

42. Introducatur verò, si placet. Quid inde habebunt, quod ad præsens spectat? Profectò nihil : nam judiciũ illud foret imprudens, & irrationale, ut sæpè jam notavimus, & ostendimus, quare non aliquam spem bonam, sed præcipitem tantùm vanam, ac temerariam gignere posset, de voluntate Dei assequenda.

43. Utique, si momenta rationum,

num, quibus ex liberò voluntatis imperio intellectus inducitur ad judicandum actu, objectum esse re ipsa honestum, pro priori ad ipsum judicium non superant motiva partis oppositæ in intellectu ipsius operantis, sed vel æqualia sunt, vel leviora, non potest operans, nisi per insignem, & evidentem temeritatem, judicare in actu secundo, objectum esse reipsa honestum, & conforme divinæ voluntati. Quo enim fundamento? Planè nullo; nam fundamenta partis illius, inspectis etiam fundamentis contrariis, non magis connectuntur, sed forte minùs (quando nimirum leviora sunt) cum honestate objecti, quàm cum ipsius inhonestate. Quid verò potest esse magis imprudens, ac temerarium, quàm affirmare determinatè alteram partem contradictionis, absque motivo ullo, seu fundamento, quod illam ostendat præ altera?

44. An non foret insigniter imprudens Medicus, qui ex indiciis undique inspectis, non minùs apud se portendentibus mortem, quàm vitam, aut salutem ægroti, præsagiret determinatè, & affirmaret vitam futuram? Similiter Astronomus, qui ex indiciis similibus determinatè pluviam prædiceret, an non foret stultus, & temerarius? Non ne isti erubescerent, & exibilarentur, si internum suum judicium cum fundamento ejus cogerentur palàm ostendere?

45. Fingamus alioqui Astrologum sic discurrentem: *ego quidem deprehendo indicia plura secundùm se non levia, quæ pluviam portendant in crastinum: sed pariter deprehendo ex opposito indicia non leviora, aut etiam urgentiora, quæ portendant serenitatem. Ex his verò præsagio, & absolutè affirmo pluviam futuram.* Ecquis hominem istum prudentem dicat, & non potius vanissimum, ac ridiculum? Hoc verò quid est aliud, quàm explicare exactè præsagium ejus, & judicium determinatum, quod totum hunc discursum virtualiter saltem involvit? Sanè ipse, si vellet sincerè mentem suam aperire, totum hoc fateri deberet. Foret igitur vanum, adeòque temerarium, & imprudens, judicium hujus hominis in hypothesi dicta.

At nihil prorsus ab hoc judicio differt judicium operantis in hypothesi nostra, nisi ex parte tantùm materiæ, quæ ob gravitatem suam, & momentum eximium multò majorem imprudentiam argueret: ergo judicium illud determinatum, quo se tuetur P. Esparza, etsi fingamus esse possibile, prudens tamen esse non potest, adeòque nec fundare spem aliquam bonam de voluntate Dei assequenda, sed præcipitem tantùm, vanam, ac temerariam. Repete quæ tradidimus ad controversiam quintam art. ult. §. 2.

§. III.

Refellitur omninò ex argumento nostro directus Recentiorum Probabilismus.

46. Sed age, cum Esparza, & reliquis directis Probabilistis (si qui forte sunt præter ipsum) ut semel totam litem finiamus, perscrutemur intimiùs, ac subtiliùs speculemur hypothesim propositam, sub qua procedit argumentum nostrum.

Enim verò, qui videns æqualia, vel majora fundamenta ad judicandum, opus, de quo deliberat, esse verè prohibitum, & contrarium reipsa divinæ voluntati, ex libera sua electione nihilominus judicaret oppositum, is profectò non potest non videre, & rogatus fateri cogeretur, opus illud ex se, & inspecta naturâ ipsius, esse prorsus indifferens (quantum potest ipse cognoscere) ad voluntatem Dei, approbantem, vel prohibentem; aut etiam esse sibi verosimilius, quòd reipsa opponatur divinæ voluntati. Consequêter agnoscit, contingens esse, aut verosimilius,

lius, eum, qui tale opus exequi audeat, transgressurum de facto legem Dei, & acturum reipsa contra voluntatem divinam. Hoc loquendo de objecto secundùm se, & prout judicium ipsum procedit, omnemque voluntatis affectum, evidens est ex hypothesi ipsa.

47. Aliunde verò nemo non amens existimare potest, se per judicium suum nullo subnixum speciali motivo præter illa, quæ præcesserunt, aut per affectum suæ voluntatis, posse immutare objecti naturam, & facere, ut reipsa conforme sit divinæ voluntati antecedenti (reflexam isti Recentiores non fingunt) id, quod ex se conforme non erat, sed indifferens potiùs ad ipsam, aut verosimiliùs contrarium. Porrò alioqui, cùm judicium oppositum, pro suo libitu potuisset habere, potuisset etiam facere oppositum, quare credere posset, voluntatem suam reverà esse plusquàm Omnipotentem, quæ solo suo nutu, aut imperio variare posset rerum naturas, quod voluntas Omnipotens facere nequit.

48. Hinc verò quis non videat sequi evidenter, hominem istum, omnibus inspectis, non posse non absolutè cognoscere, & rogatum etiam fateri, se dum objectum illud amplectitur, indifferenter omninò se habere ad voluntatem, & legem Dei, aut esse etiam verosimilius, quòd transgrediatur re ipsa legem? Utique negare non potest, objectum pro priori ad judicium, verosimilius sibi, aut æquè verosimile apparuisse, quòd sit re ipsa malum, & contrarium divinæ legi. Aliunde verò evidens sibi est', judicium proprium suum, & propriæ suæ voluntatis imperium, nullum omninò fundamentum novum præcedentibus superaddere, ut objectū credatur esse re ipsa legi conforme. Ergo post omnia demum considerata nō potest non agnoscere, & fateri, verosimilius esse, aut æquè verosimile, se, dum amplectitur objectum illud, re ipsa transgredi legē Dei. Ad quid ergo deservit judiciū actuale, quod fingitur?

49. Dices fortasse, actuale judicium nullum novum motivum superaddere, ut objectum credatur esse reipsa honestum, & divinæ legi conforme; præstare tamen, ut præcedentia clariùs, atque vividiùs cognoscantur, indeque, ut detegatur major connexio ipsorum cum honestate objecti. Transmittimus doctrinam satis absolutè difficilem. Quàm verò sit inutilis ad propositum Recentiorum, facili negotio ostendetur.

50. Sanè connexio major fundamentorum antecedentium, quæ detegitur per judicium actuale, inerat ipsis pro priori ad jucidium, & hoc judicans ipse censere debet; nisi velis, ut intellectus variare possit rerum essentias, & facere connexas intrinsecè, quæ non erant ex se connexæ, quod foret insigne delirium. At eadem est ratio de fundamentis utriusque partis: ergo idem de utrisque necessariò credere debet. Certè per judicium oppositum, quod potuit homo ille liberè ferre, tantundem connexionis detexisset in fundamentis partis contrariæ, nimirum cum objecti turpitudine; non enim puto dicere audebunt, alterum judicium præ altero habere illam specialem energiam ad detegendam connexionem novam: ergo censere debet, hæc fundamenta non minorem ex se connexionem habere cum opposita parte, quàm habeant cum objecti honestate fundamenta, quibus movetur: ergo non potest existimare, altera fundamenta præ alteris habere in se majorem connexionem cum suo extremo determinato: ergo post omnia considerata necessariò videre debet, esse absolutè non minùs verosimile, quòd objectum sit in se turpe, quàm quòd honestum re ipsa sit: ergo, dum illud liberè amplectitur, non potest operans non videre, esse omninò contingens, & æquè verosimile, quòd transgrediatur re ipsa legem.

At, qui sic operatur, non quærit diligenter legem Dei, nec voluntatem ejus sincerè amat, sed illam parvipendit, expressèque contemnit, ut constat evidenter ex supra dictis, & Recentiores isti non negant, immò nobiscum facilè contra Reflexistas demonstrant. Ergo.

51. Patet ergo, recursum ad illam Philosophicam sententiam de indifferentia proxima intellectus ad opinandum æquè, vel minùs probabilia (licèt opinio illa Recentiorum, omnibus antiquioribus ignota, & moderno coæva Probabilismo gratis à nobis transmitteretur) esse prorsus inutilem, & importunum ad scopum præsentis controversiæ.

52. Et verò grandi nobis admiratione dignum existit, quod, cùm Esparza, vir inter Recentiores haud vulgariter doctus, & eruditus, ingenuè confiteatur, immò probet efficacissimè, nullum patere Reflixistis effugium, ne exiguam quidem *rimam* (ut ipse loquitur) ad vim insuperabilem nostræ demonstrationis declinandam; ipse tamen ab illis in re tanta non aliter discedat, quàm ex eo quòd velit, ut ille, cui placuerit eligere partem minùs probabilem, & minùs tutam, quamvis post factam debitam diligentiam ad inveniendam voluntatem divinam, inveniat non minora, aut etiam urgentiora fundamenta ad credendum, objectum esse malum, & contrarium reverâ eidem voluntati divinæ, pro solo suo libitu, & absque ulla peculiari ratione, determinatè judicet, objectum esse bonum, & non contrarium divinæ voluntati, cùm possit æquè facilè in eodem instanti, neque minùs prudenter, immò etiam faciliùs, ac prudentiùs, oppositum, si velit, judicare. Iste ne, precor, voluntatem divinam, & legem Dei sui in corde suo habere censeatur? Iste ne apud tribunal æterni Judicis verè, ac legitimè se tuebitur, secus verò, qui utitur opinione minùs probabili juxta principia Reflexistarum? Id verò nobis magna admiratione, & stupore dignum apparet.

Espar. par. 2.2.146.

ARTICULUS V.

Ergo Probabilistis nullum restat effugium absolutè.

Conclusio hæc ex hactenus dictis adeò spontè descendit, legitimèque sequitur, ut non sit opus multis illam ostendere, sed per brevem duntaxat reflexionem, & velut compendiariam dictorum recapitulationem.

§. I.

In hac, & præcedenti controversia traditæ doctrinæ synopsis.

53. Porrò, excluso directo Probabilismo, (de quo ex professo non ultra disputare, immò ne meminisse quidem oportet, cùm, & à nobis affatim rejectus, & ipsis etiam Probabilistis cæperit esse invisus): hac, inquam via omninò præclusa, unicum Recentiorum effugium, & refugium sunt principia reflexa supra directam probabilitatem suam, ad quæ proinde semper appellant, ut opinio directè minùs probabilis, quæ ex se (ut fatentur, ac per se constat) non est conformis regulæ primæ, adeòque neque rectæ conscientiæ regula, recta demum reddatur, & ipsi primæ regulæ conformis.

54. Principia autem reflexa omnium potissima, & ad quæ cætera revocantur, sunt tria illa supra memorata: nimirum, vulgatissimus ille discursus petitus ex lege prudentiæ, cui opinio omnis verè probabilis necessariò conformis est: possessio libertatis in dubiis probabilibus contra legem divinam: ac demùm tertium aliud, quod ex duobus sequitur, aut in eisdem potiùs imbibitur, de lege Dei reflexa, & consequenti, per quam Deus per accidens

(nem-

(nempè ex ſuppoſitione opinionis directæ, etiam minùs probabilis, libertati faventis contra legem directam, & per ſe) approbat, aut permittit illud ipſum, quod lege antecedenti, atque directa prohibebat, ac reprobabat, aut ſaltem erat veroſimilius, quòd reprobaret, aut prohiberet.

Cæterùm omnia hæc, non tam eſſe principia, quàm abſurdas, & claras principii petitiones, quæ probandum ſemper ſupponant, & nihil proinde concludant, luculentiſſimè demonſtratum eſt toto art. 1. proximè præcedentis controverſiæ, & eſt ſanè demonſtratu facillimum.

55. Enim verò principia omnia reflexa non poſſunt affirmare, aut intendere licitum uſum opinionis directæ operanti minùs probabilis, ſine reſpectu, & ordine debito, ad legem Dei primariam, ac directam, quam ſincerè, & ex toto corde quærere omnes ubique debent; alioqui non falſa tantùm, ſed, & impia, ac blaſphema eſſent. Per ſe ergo ſupponunt conformitatem illius opinionis cum lege antecedenti, atque directa, & omnia ex hac ſuppoſitione procedunt.

At ſuppoſitio iſta eſt evidenter falſa, & quæ neque probetur aliquando, neque ulla ratione probari poſſit, cùm ſit evidens, vel ex terminis ipſis, opinionem alicui minùs probabilem negantem legis obligationem, potiùs eſſe contrariam apud ipſum, quàm conformem eidem legi; quid enim aliud eſt aliquam opinionem ejuſmodi, eſſe alicui minùs probabilem? Terminos non intelligat neceſſe eſt, qui huic veritati repugnet. Ergo reflexa omnia Recentiorum principia ſupponunt id, quod unicè probandum erat, & quod eſt evidenter falſum, nimirùm opinionem directam operanti minùs probabilem, eſſe poſitivè conformem legi directæ, & antecedenti: ergo non aliud reverà ſunt, quàm vitioſæ, & abſurdæ petitiones principii: ergo nullam omninò conferre poſſunt opinioni directè minùs probabili conformitatem cum regula prima: ergo nulla opinio directè operanti minùs probabilis poteſt per aliqua reflexa principia conſtitui recta conſcientiæ regula.

56. Unicum ergo effugium reliquum eſt, quod certè videretur per ſe ipſum ab humano intellectu non cogitandum, videlicet legem ipſam divinam antecedentem, atque directam non tantùm impedire, vel utcumque ſuſpendere, aut enervare, ſed & omninò de medio tollere, ut ſic opinio illa minùs probabilis (quæ totius reflexi Probabiliſmi, omniumque reflexorum principiorum, baſis, & primum fundamentum eſt) penitus abſolvatur ab omni attentione, ac reſpectu, adeoque ab omni conformitate ad ipſam legem antecedentem; quandoquidem hac lege perſiſtente, nullo artificio, nulla reflexione, nullo demum molimine fieri poſſit, ut opinio directè operanti minùs probabilis, evadat poſitivè conformis regulæ primæ moralis honeſtatis, ideſt, eidem divinæ legi; quod tamen unicè neceſſarium eſt, ut ſit recta conſcientiæ regula.

57. Hoc cùm Terillus primus advertiſſet, intrepidè hanc provinciam aggreſſus eſt, Dei legem primariam, ac directam de medio tollere nixus, quòd non ſit ſufficienter promulgata, hoc ipſo quòd exiſtat contra illam opinio aliqua, etiam minùs probabilis, dummodò verè probabilis ſit in ſenſu Probabiliſtarum. Lex verò ſufficienter non promulgata, non eſt reipſa lex, niſi purè Grammaticaliter, (ideſt, ſolo nomine tenus), adeoque nullam vim ex ſe habet ad inducendam obligationem aliquam, ut fert Doctorum omnium communis, ac recepta ſententia.

58. Verumtamen hoc Terilli molimen adeò efficaciter repulſum eſt per totam controverſiam præcedentem, ut ſi oppoſita veritas, ante

Te-

Terillum nunquam in quæstionem adducta, evidenter non maneat demonstrata, nulla in Theologia nostra universa demonstrari aliquando possit. Quod an possimus jure confidere, te ipsum, Lector, judicem appellamus.

§. II.

Concluditur inevitabilis nostræ demonstrationis efficacia.

59. His verò constitutis, jam absque ullo obice procedit demonstratio nostra contra modernum Probabilismum.

Quisquis, dum operatur, non utitur regulâ rectâ, tàm objectivâ, quàm proximâ, sive formali, non operatur rectè, & honestè, sed turpiter potiùs, ac pravè; quod est principium nemini non exploratum. At quisquis utitur opinione quacumque, & minùs tutâ, & simul minùs sibi probabili, non utitur regulâ rectâ, neque objectivâ, neque formali; nam tota rectitudo cujuscumque secundæ regulæ sumitur ex conformitate cum prima regula rectitudinis, ideſt, cum voluntate, seu lege Dei: opinio verò illa operanti minùs probabilis, (quæ est regula objectiva operationis suæ) non est apud ipsum conformis voluntati, seu legi Dei, cùm sit sibi verosimilius, quòd falsa sit reipsa, adeòque eidem legi positivè contraria; unde fit consequenter, ut regula formalis, nimirum ultimum dictamen conscientiæ, quod nihil aliud dictat, quàm illam opinionem esse regulam rectam, & conformem divinæ legi, sit manifestè falsum, adeòque regula non conformis, sed eidem legi contraria. Patet igitur, eum, qui utitur opinione quacumque, & minùs tuta, & simul minùs sibi probabili, non agere rectè, & honestè, sed turpiter potiùs, ac pravè.

60. Vel aliter. Quicumque legem Dei ultrò, & voluntariè contemnit, proculdubio peccat formaliter. At quisquis operatur ex opinione aliqua minùs tuta, & minùs apud ipsum probabili, voluntariè contemnit legem Dei: igitur formaliter peccat. Suadetur Minor: quisquis per suam operationem non quærit legem Dei diligenter, seriò, & ex corde, is legem ipsam voluntariè contemnit, quod opinor nemo negabit. Sed quisquis operatur secundùm opinionem prædictam, non quærit legem Dei diligenter, seriò, & ex animo. Patet hoc: nam, qui agit id, quod, inspectis omnibus, verosimilius est apud ipsum, quòd sit re ipsa contra, quàm juxtà legem Dei, non quærit diligenter ipsam legem, neque seriò desiderat secundùm illam agere. At quisquis agit ex opinione illa, agit id, quod post omnes reflexiones, & considerationes possibiles, fateri, velit, nolit, tenetur, verosimilius apud se esse, quòd sit reipsa contra, quàm juxtà legem Dei; cùm non sit aliud ex terminis ipsis, præfatam opinionem esse sibi minùs probabilem, quàm esse sibi verosimilius, quòd sit falsa re ipsa, ac per hoc, id, quod agit ex illa, re ipsa contra legem Dei: ergo, qui agit ex opinione illa, non quærit legem Dei diligenter, seriò, & ex corde: ergo contemnit illam voluntariè, adeòque formaliter peccat.

61. Hæc de lege divina antecedenti, sive directa; quam omnes quærere per se tenemur juxta principium fide divina, & rationis lumine notum, intelligenda sunt, ut nemo negat. Et, quamvis per se ipsa nimis patentia sint, explicari adhuc possunt, & illustrari exemplo sortium, horologii nō recti, & ejusdem generis aliis. Utique, qui per istas, & alias id generis regulas secundarias, & objectivas, vellet actiones suas regulare, non quæreret sincerè legem Dei, sed magis illam impiè contemnere, & irridere meritò censeretur. Non ob aliam rationem, nisi quia

ex

ex se sunt prorsus indifferentes, & non magis connexæ cum lege ipsa, quàm cum ipsius legis carentia: unde, dum actu se ad agendum determinaret, non posset non videre esse omninò contingens, & æquè verisimile absolutè, quòd reipsa legem violaret, quàm quòd ageret juxta illam; quod est legem divinam nihili facere, adeòque voluntariè contemnere.

At quisquis utitur opinione quacumque, & minùs tuta, & sibi minùs probabili, regulâ utitur objectivâ non minùs apud ipsum, immò magis connexa cum transgressione reali legis, quàm cum ipsius adimpletione: quapropter (si per ipsam opinionem lex ipsa non deficiat reverà, ut non deficere jam supponimus plusquam evidenter ostensum), dum actu se ad agendum determinat, non potest non videre, etiam post omnes reflexiones possibiles, & rogatus etiam fatebitur, si nolit imprudenter mentiri, contingens prorsus esse, immò verosimilius, quòd per suam actionem transgrediatur re ipsa legem Dei. Ergo non illam sincerè amat, sed voluntariè potiùs contemnit.

62. Ad hæc, quæ fusiùs jam explicata sunt, & ostensa, non video (novit ille, qui scrutator est cordium) quid Recentiores Probabilistæ, non dico solidè, aut probabiliter, sed vel cum aliquali verosimilitudinis specie, reponere, aut opponere possint: omnia nanque ex principiis non incertis, abstrusis, subobscuris, aut difficilibus; sed firmis, communissimis, atque notissimis; nec item per remotas, aut difficiles consequentias, sed per valdè immediatas, obvias, ac faciles, velut sponte sua procedunt.

§. III.

Refelluntur superficiales, & vulgares quorundam solutiones.

63. Nihilominùs juvat, nonnihil adhuc his immorari, & quam non possint Probabilistæ nostræ demonstrationi parare solutionem, quæ solutio dici mereatur, productis etiam levibus, & inconsideratis quorumdam dictis, ob oculos tibi statuere. Porrò varios, tum doctos, tum indoctos, varia loquentes, & obloquentes, etiam passim licet audire; quorum attamen dicta, solutiones ego non dixero, sed magis nescio quid: quin immò opinor nec sciunt ipsi.

Ajunt nimirùm, non nisi falsò, & gratis à nobis supponi, ut honestè quis operetur, debere judicare determinatè, regulam objectivam, qua utitur, & actionem, quam elicit juxta ipsam, conformari reipsa positivè, & formaliter cum lege Dei primaria, ac directa; sed satis esse quod præcisivè tantùm, seu negativè, conformis judicetur. Præterea satis esse, quòd operans sequatur opinionem directam gravium Doctorum de actionis honestate, quam scilicet illi veram existimarunt, atque adeò conformem legi directæ, nihil ipse solicitus, an sit reipsa vera potiùs, quàm falsa. Item: opinio militans pro lege, licèt sit æquè, aut magis probabilis, poterit esse re ipsa falsa, sicut opinio, quæ favet libertati: cur ergo illa præferenda erit, & non potiùs utralibet pro libito amplectenda? Tandem, ut multa similia prætereamus, ecce inquiunt, in terminis præsentis cõtroversiæ utrinque sunt Auctores: utrique dubium illud particulare diligenter examinarunt, legem primariam Dei inquirentes: utrilibet reipsa falli potuerunt, & à lege Dei aberrare: utri sint falsi, certò saltem non novimus.

Quo-

Quonam igitur jure alteros alteris præferre debebo, & non quibus maluero, conformari mihi licebit?

64. Hæc, & alia quàmplura vulgaria dicta, quæ eò proferuntur confidentiùs, quò sunt, qui proferunt, imperitiores, in idem cuncta recidunt sub terminis paulò diversis. De cunctis verò nihil benignius generaliter censeri potest, quàm per nimiam tantummodò oscitantiam, ac vix ulli credibilem in considerationem proferri. Non enim aliter proferri possunt pro nostro argumento solvendo, si proferre prudenter nemo potest, licere legem Dei contemnere, & nihil omninò curare. Id verò palàm facere, prolixioris laboris certè non sit, quàm terminos ipsos exponere, & vocum, si quam habent apud loquentes, genuinam significationem oculis ipsorum objicere.

65. En ergo tibi, Probabilista meus, tuarum locutionum, aut solutionum (si placeat eas sic appellare) sensum immediatum, ac planum ob oculos tibi statuimus. Nempè argumentum nostrum nihil te urget, quia falsò, inquis, & gratis supponimus, quòd operans teneatur judicare, regulam objectivam, (idest, opinionem, quam sequitur), & actionem ex illa procedentem, conformari re ipsa positivè, ac formaliter, cum lege Dei primaria, ac directa: sufficit ei, si judicet conformari cum illa, negativè duntaxat, aut præcisivè.

66. Sed rogo te, quid est opinionem faventem libertati, atque adeò negantem legem Dei conformari re ipsa positivè cum ipsa lege? Dices opinor, si quidquam dicis, nihil aliud id esse, quàm opinionem illam esse reipsa veram: hoc est, verè non dari legem, seu voluntatem directam Dei prohibitivã talis actionis (quam nempè legem negat opinio illa), sed oppositam potiùs approbativam, aut saltem permissivam ejusdem. Rectè. Nunc perge mecum. Idem igitur est, quòd operans non debeat judicare, opinionem, qua utitur, & actionem, quàm elicit, conformari formaliter, ac positivè, cum voluntate directa Dei, sed negativè tantùm, aut præcisivè, ac quòd judicare nõ debeat, nullã dari reipsa volũtatem directam actionis suæ prohibitivam, potiùs quàm voluntatem approbativam, aut saltem permissivam ejusdem; sed posse ab hoc præscindere, & nihil omninò curare. Non dissenties opinor, si terminos tuos intelligis.

Ecce igitur tuæ locutionis, aut solutionis, sensus planus, ac proprius: *Operans, ut honestè operetur, judicare non debet determinatè, nullam dari reipsa voluntatem divinam prohibitivam actionis suæ, sed præscindere potest ab hoc, quòd detur, vel non detur reipsa, & nihil id attendere, seu curare.* Placet ne tibi quæso locutio tua sub vocibus istis expressa? Puto non placet. Tu verò seriò videris, an sub vocibus aliis placere debeat? vel an vocibus Deus sit deludendus.

67. Ipsissimus est sensus locutionum aliarum. Nempè opinionem faventem libertati, esse reipsa veram, aut falsam, & Auctores ipsius falli, aut non falli, nihil aliud significat, si quid significat, quàm dari, vel non dari legem Dei, seu voluntatem prohibitivam objecti, quam dari negat opinio illa. Ergo nihil curare, an opinio probabilis, quam sequeris, reipsa, & coram Deo, vera sit præ opposita militante pro lege; sed posse, pro tuo arbitratu, utramlibet earum amplecti, & conformari Auctoribus, quibus malis, non aliud est, quàm posse nihil curare, an detur, vel non detur voluntas Dei prohibens actionem, quam elicis. Non nisi voces tuas exponimus simplicissimè, atque planissimè: nec rem negare potes, si vocibus quidquam significas.

Omnium ergo tuarum locutionum, aut solutionum, unus omninò, & ipsissimus sensus est: nempè, *ut honestè quis operetur, nihil debet esse so-*

ſolicitus, nec ullo modo curare tenetur, an detur, an non detur re ipſâ, lex, aut voluntas Dei, prohibens actionem, quam elicit; ſed ab hoc licitè præſcindere poteſt. Unde argumentum noſtrum oppoſitum ſtatuens, tanquam principium fide, & ratione certum, fallax omninò, & contemnendum eſt.

68. Quæſo te, poſſunt iſta ab aliquo proferri, qui aliqua pietate, aut prudentia, immò vel ſola ratione utatur? Negabis incunctanter, & meritò, ſi non inadvertenter profe-rantur. Attamen proferuntur paſſim, ut noſti, & ſecuriſſimè, & confidentiſſimè, & à non paucis, ſaltem acumine, & ingenio non deſtitutis: quin immò, & à quibuſdam alioqui doctis, verbis quidem ſono diverſis, idem tamen, ut vides, ſignificantibus. Quid ita? rogas. O quanta, & qualia nobis ad hanc quæſtionem tuam reponenda ſe offerunt, quæ tamen locus, tempuſque non ferant! Dicemus plurima in poſtrema parte. Immò in hac ipſa, multa ſæpè dicendi opportunior veniet occaſio.

CONTROVERSIA OCTAVA.

Examinatur denuò accuratiùs, & refellitur multipliciter, celebre principium reflexum de prudenti electione opinionis minùs probabilis, quo Recentiores ſententiam ſuam patenter à priori demonſtrare ſe jactant.

1. QUamvis omnium omninò reflexorum argumentorum, ſeu principiorum, quibus Probabiliſtæ ſuam ſententiam ſuadere nituntur, ſignanter verò trium illorum, quæ ſunt inter omnia potiſſima, manifeſta fallacia, & nullitas ſatis à nobis oſtenſa ſit per neceſſariam eorum connexionem cum illo capitali principio de inſufficienti legis promulgatione, cujus falſitatem inſignem adeò evidenter demonſtratam relinquimus: tamen, ut veritas noſtræ ſententiæ, longiùs fugatis nebulis reflexionum inanium, quibus ubique impediri ſolet, placidior cunctis, & illuſtrior affulgeat, utquè liquidiùs pariter conſtet, qualis ſit ſententia benigna, & quibus innitatur principiis; tria illa ſuperiùs memorata, quæ ab ipſis Recentioribus potiſſima cenſentur, & quæ argumentis noſtris fidentiſſimè opponunt, operæ pretium duximus iterùm ad examen ſeorſim revocare eodem illo ordine, quo ibidem ſunt à nobis adducta, & eorum inanitatem paulò diligentiùs exponere. Id verò ex jam præmiſſis haud magnoperè nobis operoſum exiſtet, neque prolixam ſibi diſputationem depoſcet; etſi non curſim agendum nobis ſit.

Sup. controv. 6. toto art. 1.

Ibi. §. 2.

Primum igitur illud, quod ex prudentiæ lege depromitur hac controverſia tractandum eſt.

ARTICULUS I.

Proponitur Terilli verbis principium illud Probabiliſtarum, & qualiter in duplici conſcientiæ ſtatu ab ipſis propugnetur, exponitur.

2. TErillus igitur fidentiſſimè, ſic arguit pro benigna ſententia. *Omnis doctrina certò probabilis, etiam in contradictione partis oppoſitæ probabilioris, eſt doctrina certò prudens. Ergo, qui cuivis doctrinæ certò probabili ſe accommodat, prudenter agit. Ergo certò non peccat; qui enim prudenter operatur, & ideò ſic operatur, quia reflexè cognoſcit ſe*

Terill. de conſc. proba. q. 23. n. 133.

prudenter agere, procul dubio non peccat. Subdit verò immediatè: *Hac ratione omnes benignæ sententiæ Auctores utuntur, tanquàm valido, & irrefragabili argumento, quale reverà est, ad stabiliendam suam sententiam.* Hactenus ille.

3. Quàm verè autem Terillus affirmet, omnes Auctores benignæ sententiæ uti hoc argumento, tanquàm irrefragabili, facilè constat ex libris eorum, in quibus alii *principium certissimum*, alii *ex terminis notam veritatem*, alii *apertissimam demonstrationem*, alii *commune Theologorum dogma*, & id generis alia memoratum principium dicunt. Immò, si paucos admodum Recentiores exceperis, qui controversiam nostram ex professo tractarūt, vix apud reliquos, maximè Summistas, argumentum aliud invenias præter rationem illam his terminis conceptam: *Qui sequitur opinionem probabilem, prudenter operatur: qui prudenter operatur, non peccat: ergo qui sequitur opinionem probabilem non peccat.* Majorem verò intelligūt de quavis opinione verè probabili in sensu suo, scilicet, estò sit minùs tuta, & operanti ipsi minùs probabilis. Præmissas dicunt certas, & evidentes: discursum infallibilem, & ideò nihil ultrà morandum. Adhuc tamen (Deo sint gratiæ) principiū istud suum infallibile, divinæ fidei dogma nondum dixere: quare jure non poterunt hæreseos saltem notam nobis inurere, si fidem illi firmiter denegemus.

4. Loquimur autem modò cum Recētioribus unicè de opinione non propria, sed aliena; tum quia judicium præstitum objecto antecedenter æquè, aut minùs probabili, est absolutè, & omninò impossibile; tum quia licèt non esset, nec foret prudens, nec deservire ullo modo posset ad conscientiam ritè formandam, ut hìc supponimus, & constat manifestè ex iis, quibus directum Probabilismum semel, & iterùm expugnavimus.

5. Opinio verò aliena minùs probabilis operanti, adhuc in ipsius conscientia duplicem potest habere statum. Vel enim illam actu judicat falsam, quatenus opinatur cum contrariis Auctoribus, partem oppositam esse veram; vel nihil actu judicat absolutè de ipsius veritate, vel falsitate, quia nihil opinatur circa objectum ipsum directum, sed omne potiùs judicium suspendit, licèt agnoscat, verosimilius esse, quòd objectum sit in se turpe, adeòque opinio illa re ipsa falsa.

6. Non nimis multi sunt Probabilistæ, qui circa hoc distinguant, aut expressè determinent, in quo duorum sensu loquantur. Tamen Valentia, Granados, Bressérus (qui tamen aliàs satis confusè, nec nimis consequenter loqui videtur) Palaus, Aversa, & alii nonnulli, expressè cavent, propriam opinionem directam deponendam omninò esse, aliquin actum iri contra conscientiam. Et hic videtur sensus communior, maximè apud modernos hujus temporis, qui licèt doceant, licitum esse agere contra propriam, atque probabiliorem opinionem, adeòque juxta alienam minùs probabilem, per opinionem propriam non intelligunt opinionem actualem, sed habitualem, quam videlicet operans habuit antecedenter, aut poterat habere, etiam quando operatur; illam tamen actu non habet, quia liberè suspendit omne judicium circa objectum directum, ut rectam possit conscientiam formare.

Valent. to. 3. d. 5 1. p. 4. vers. *Altero modo*, Granados in 1. 2. controv. 2. tr. 12. d. 4. s. 3. n. 30. Bresse. li. 4. c. 13. n. 137. Pala. to. 1. tr. 1. d. 2. n. 4. Aver. 1. 2. d. 14. s. 8. conclu. 1.

Quin immò vidi multos Probabilismi sui satis amantes (quamvis non ita nimis intelligentes), qui tamen iniquissimè ferrent, nec sine ingenti horrore possent audire, quod aliquis conscientiam formare valeat juxta directam opinionem aliorum de bonitate morali objecti, quam opinionem ipse judicet actu falsam.

7. Nihilominus tamen non desunt plures, neque vulgaris notæ Probabilistæ, qui non renuant admit-

mittere, immò affirment etiam expresse, licitum esse agere contra opinionem propriam tutiorem, & probabiliorem, etiam actu perseverantem, adeòque juxta aliorum opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, quam quis actu judicat falsam. Ita docent cõceptis verbis Vazquez, Azor, Oviedo, Mendo cum aliis, licèt nõ ita clarè rem explicantibus.

Vazq. 1. 2. d. 62. c. 4. n. 14. Azor. li. 2 instit. mo. 12. c. 17. q. 7. Ovie. 1. 2. tr. 5. controv. 3 p. 2. n. 17. Mẽdo State. opinio. benig. d. 13. q. 15. n. 198.

8. Eundem sensum tenet sine dubio Terillus q. 30. de Consc. proba. assert. 2. n. 9. & 10. ubi disertè affirmat, ac probat, licitum esse agere contra judicium proprium actuale antecedens, atque directum de inhonestate objecti: quod idem assert. 5. & 6. de consulente asserit, & consequenter. Quem verò sensum habeat judicium illud proprium juxta eundem Terillum, exponemus inferiùs ex verbis ejus. Neque contra hoc facit, quod assert. 3. ponit, & probat, *Simpliciter loquendo nulli unquam licet operari contra sententiam propriam*; hìc enim per propriam sentẽtiam intelligit judicium ultimum, & reflexum, ideſt, conscientiam ipsam, contra quam certum est nunquam operari licere, adeòque otiosum illud probare. Hanc eandem doctrinam repetit, & latè propugnat 1. p. de Regu. mo. q. 22. per totam.

Terill. illa q. 30. de consc.

9. Notat verò Terillus in ipso quæstionis ingressu, cujus titulus est, *Utrum liceat operari contra propriam sententiam, aut contra eam consilium dare?* Notat, inquam, quæstionem parvi momenti esse, per hæc verba, quæ transcribere libuit: *Plures putant quæstionem hanc summi esse momenti; verùm pro praxi ejus resolutio parum refert; nam in rebus obscuris unusquisque suspendere potest judicium ulli parti affixum. Ergo, licèt peccatum esset agere contra propriam sententiam actu existentem, facillimum esset se à peccati periculo eximere, quia suspendendo actuale judicium de veritate objecti, quod habitualiter habetur pro vero, formari posset conscientia per principia reflexa de absoluta ejus honestate; atque ita posset operans à peccato excusari. Ita*, hoc est operantem procedere compressis ciliis, seu tegminibus oculorum, ne det aditum luci, qua videat actu legis Dei violationem. Denique, nolendo intelligere, ut bene agat. Hæc est ars se facillimè à peccati periculo eximendi. Immò prætermittendi, & contemnendi legem divinam; attamen laudabiliter, & honestè. Verùm de arte istâ citò, & clarè dicemus, Deo favẽte.

10. Fateor quidem & ego, quæstionem absolutè exigui, vel nullius momenti esse; utrumvis enim dixeris, idem est artificium, eademque constantia, aut firmitas ipsius, in ordine ad formandam conscientiam rectam, ut paulò post ostendendum est. Placuit tamen utrunque Recentiorum sensum distinguere, quia procul dubio sẽsus posterior plusculum, saltem ad speciem, præsefert horroris, & difficultatis, nonnihilque vividiùs ponit ob oculos falsitatem Probabilismi, & benignæ Theologiæ Recentiorum.

ARTICULUS II.

Prætensa demonstratio Recentiorum non nisi inane sophisma est, & insignis hallucinatio.

EAm sanè non unico, sed multiplici vitio laborare haud difficile sit ostendere.

§. I.

Conclusionem probandam non probat, sed absurdè supponit.

11. ET in primis quis, precor, si terminos intelligat, & absque omni affectus præjudicio ad illam contemplandam accedat, non statim mirabitur artificium ipsius, nisi prorsus ignoret, etiam naturalem Dialecticam?

Nempè ad hanc conclusionem demonstrandam, *qui sequitur opinionem minùs tutam, & simul minùs sibi probabilem, licitè agit, seu* (quod eòdem redit) *non peccat, sed honestè operatur*, quæ est in propriis terminis benigna Recentiorum sententia, quam costanter negamus, & cujus evidentem falsitatem multipliciter demonstrare nos credimus, statuitur, ut evidens principium, *Omnis opinio certò probabilis, etiam in contradictione tutioris, & probabilioris, est certò prudens*: vel aliis vocibus idem ipsum significantibus: *Qui sequitur opinionem minùs tutam, etiam minùs sibi probabilem, prudenter operatur*. Sed rogo vos, quodnam est hoc principium? Quænam est certitudo, aut evidentia ejus? Est ne certius, aut notius conclusione, quam ex eo deducitis, aut differt in aliquo ab illa, ut qui conclusionem negaverit, principium illud negare non audeat? Quid ergo vestram ipsam conclusionem, quam, ut falsam negamus, & abjicimus, pro principio nobis obtruditis, ut nos ad ipsam admittendam cogatis? Præclaram certè nobis opponitis demonstrationem.

12. Nobis, inquiunt, idem omninò est, aliquam opinionem esse alicui certò probabilem, etiamsi minùs probabilis sit, ac esse eidem certò prudentem. Fatemur: sicut vobis idem omninò est agere ex opinione minùs tuta, & operanti certò, licèt minùs probabili, ac agere honestè, ac prudenter. Verùm quid inde? Quid hæc ad nos, quibus utrunque, cùm sit unum, & idem, pariter falsum est, & ideò eâdem facilitate pariter utrunque negamus? Unde nobis, amabò, cõclusionem vestram suadetis? Videlicet ex eo, quòd propositio illa, quæ nihil differt à vestra conclusione, & quam non aliunde probatis, vobis sit principium certissimum. Bellissimè! Erit vobis discursus vester syllogismus demonstrativus, & si velitis, veritas ex terminis nota: nobis verò vanissimus paralogismus, & nimis frivola argumentatio.

13. Sed nos, reponunt, propositionem illam aliunde etiam probamus. Unde precor? Scilicet ex eo, quòd quælibet opinio verè probabilis, etiam in conspectu contrariæ tutioris, & probabilioris (nam de hac semper loquimur) sit conformis rectæ rationi, innitatur motivo gravi, fundamento non levi, non contemnendo, gravis ponderis, gravis momenti. Audivimus quidem vos ita passim loquentes, atque ratiocinantes: sed nihil his movemur ad assentiendum vobis. Et verò quid moveamur, cùm eos omnes discursus vestros non nisi circulos vitiosos censeamus? Nimirùm omnia hæc æquè prorsus ignota, æquè incerta, æquè falsa, æquè inpersuasibilia nobis sunt, ac conclusio ipsa vestra, & ideò omnia non secus, ac cõclusionem ipsam, à qua non differunt, nisi vocibus, incunctanter omnes negamus.

14. Verum ecce principiũ, quod nemo, inquiunt, jure negaverit, & in quod omnia illa solidè resolvantur. Nempè omnis opinio, cui viri sapientes, & graves, aut absolutè præbere possunt, aut etiam præbent de facto assensum, probabilis procul dubio est, & prudenter à quolibet eligi potest, ut non semel docet Philosophus: immò esse expressam Augustini sententiam, & communem omnium consensum, tàm peritorum, quàm imperitorum, constat ex dictis controv. 3. art. præsertim 2. ubi nu. 3. ejusdem Augustini dedimus verba. At hujusmodi est quæcumque opinio, etiam minus probabilis in sensu Probabilistarum; non enim ut probabilem admittunt ipsi, nisi opinionem illam duntaxat, cui plures viri graves, atque sapientes, vel ut minimùm unus, absolutè præbere possunt, aut de facto præbent assensum. Ergo omnis opinio verè probabilis in sensu Probabilistarum, est absolutè verè probabilis: ergo est verè prudens: ergo

Arist. 1. Topic. c. 1. 2. Ethi. c. 6. & aliàs sæpè.

Aug. supra adductus l. de utilitat. cred. c. 12.

go est recta operandi regula. Quid evidentiùs? Quid solidius isto discursu? Sed sustine tantisper, oro te, & videbis adeò patenter, ut quasi manibus possis contrectare, quantum valeant in regno Probabilismi æquivocationes palpabiles, quas tamen ut patentes demonstrationes sine examine ullo suscipere debeamus.

§. II.

Appellatio ad sapientes, & prudentes, in quam tandem resolvunt Probabilistæ communem suam demonstrationem, nimis absurda, & importuna est sub terminis, quibus interponitur, totaque per omnia contraria Augustino, & certissimæ doctrinæ ejus.

15. ENim verò non unico, sed multiplici titulo. Primùm enim appellationem ad viros sapientes, & graves, generalem, atque confusam, qualis hic interponitur, esse absurdissimam, & quæ mille probet errores nulli Catholico tolerandos, per totam illam controversiam tertiam dilucidè nimis ostendimus. Immò, & restrictam conditionibus illis, quas aliqui ei adhibent, nulla ratione sustineri posse, quippè quæ multa inferat prorsus absurda, & intoleranda, ibidem quoque monstratum est.

16. Præterea satis nobis mirabile videtur, quod adeò facilè Probabilistæ obvios ubique habeant viros prudentes, atque sapientes, quorum auctoritati sibi indulgenti tutò se committere possint; vix enim ulla est, aut ne vix quidem, quæstio moralis, in qua non sit opinio benigna (idest, quæ liberet ab onere legis) inter ipsos Probabilistas communiter probata, ac recepta, tanquàm verè, & certò probabilis, utique per respectum ad assensum prudentium, ac sapientium, vel possibilem, vel actualem, ad quem demum appellant, ut in illum resolvant benignam suam probabilitatem.

17. Certè Augustinus ipse, quando immanibus illis dubitationum fluctibus jactatus, quales latè describit, tum in libris suarum Confessionum, & in libris contra Academicos, tum in aureo illo libro de Utilitate credendi, quem postea scripsit ad Honoratum, apud se tandem aliquando concluſit, non aliam sibi viam ad veritatem inveniendam restare, quàm quærere prudentes, & sapientes, quorum auctoritati fidere posset, *Nihil* (inquit) *nobis restare amodò vides* (Honorate) *quàdiù stulti fumus, si nobis vita optima, & religiosa cordi est, nisi, ut quæramus sapientes, quibus obtemperando dominationem stultitiæ, neque ita multum sentire, dum inest nobis, & evadere aliquando possimus*: quando Augustinus, inquam, huc venit, hinc rursus quasi è portu iterum in altum jactatus incidit in ingentem, ac fermè insuperabilem difficultatem, de inventione videlicet sapientis, prout ipsemet exponit sequenti cap: *Hinc rursus* (inquit) *oritur difficillima quæstio* (immanem paulò inferiùs illam appellat), *quonam enim modo stulti sapientem invenire poterimus?* Aug. de utilit. cred. cap. 11.

18. Videlicet, supponit S. Doctor, omnes, qui inquirunt aliquam veritatem, quandiù illam inquirunt, esse stultos, seu ignorantes, seque, & amicum suum Honoratum (quæ mira ipsius modestia est) inter hujusmodi recensere non pudet: agnoscit autem maximam, & immanem difficultatem in inveniendis viris sapientibus, à quibus possint veritatem doceri. Quis verò non agnoscat, si prorsus hominem non ignoret?

19. Audi modò Bernardum (eundem Augustinum mox auditurus) difficultatem istam plangentem: *Væ* (inquit) *nostro generi ab imperfectione sua! Vix in multitudine hominum unum reperias in utraque gratia consummatum*, nempè bonitate, & sapientia, quæ ad rectè consulendum, atque docendum in materia morum, requiritur. Subjicitque post pauca: Bern. epist. 42.

Pul-

Pulchrè quoque per alium quendam sapientem, cum sine consilio nihil agendum consulat (divina sapientia), *virorum tamen consilii intuens paucitatem, ita loquitur*: Multi sint tibi amici: unus autem sit tibi consiliarius de mille: *Unus, inquit, de mille*. Hæc Bernardus. Eccle. 6.

20. Sed beati Probabilistæ, quibus nullo discrimine, nullo labore, nulla difficultate, turmatim, ultrò etiam occurrunt viri prudentes, atque sapientes, quorum auctoritate, eâque irrefragabili, opiniones morales passim obviæ humanæ libertati faventes reddantur verè, ac certò probabiles, indeque earum usus certò, & infallibiliter honestus, liberque, vel à minimo periculo, aberrandi à via salutis. Adeò felicia sunt tempora nostra præ temporibus Augustini, & Bernardi.

21. At unde precor tantam Augustinus in eo ipso, quod moderni Theologi adeò sibi proclive, facileque experiuntur, difficultatem expertus est? Non opinor ingenii Augustiniani hebetudinem causabuntur, neque suam sagacitatem, industriam, aut prudentiam exquisitam præferre audebunt Augustini prudentiæ, industriæ, vel sagacitati. Unde ergo discrimen tantum? Profectò non aliunde, quàm ex summa doctrinæ oppositione, & principiorum contrarietate, quibus ipse Augustinus innitebatur, & Recentiores modò innituntur, ut jam exponimus luculenter, utraque inter se cõferendo.

§. III.

Prosecutio ejusdem propositi, & collatio doctrinæ communis Recentiorum ad doctrinam Augustinianam.

22. IGitur Augustinus supponebat in primis, totam quantam sapientium auctoritatem in rationem tandem resolvi, qua nobis persuadeamus rationabiliter, ipsos vera docere; quod est principium luminе naturæ notum; alioqui sapientia ipsorum quid prodesset quærentibus adinventionem veritatis? Sanè non aliter se haberet ad ipsam, ac musica ad ædificandum. Hinc Augustinus ipse universaliter asserebat, tantum, & nihil plus Auctori cuilibet esse deferendum, *quantum meriti* (inquit) *ad faciendam fidem habere perceperis*. Aug. epist. 112. c. 1.

23. Hinc rursus ad Hieronymum idem Augustinus ajebat. *Ego solis iis Scripturæ libris, qui jam Canonici dicuntur, didici hunc honorem deferre, ut nullum eorum Auctorum scribendo aliquid erraſse firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideò verum putem, quia illi ita sentiunt; sed quia mihi per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreant, persuadere potuerunt*. Hæc Augustinus, qui de se ipso hoc idem consequenter docet: *Neminem velim* (inquit) *ita amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit*. Subditque opportunè, & acutè: *Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum esse demonstrem. Talis ego sum in scriptis aliorum: tales volo esse intellectores meos*, inquit epist. 111. ubi eandem doctrinam repetit. Epist. 19. De bono persever. c. 21. Epist. 111.

24. Notent hæc Recentiores, & desinant, si placet (saltem propter se ipsos) per æquivocationes indigestas, ac futiles, quæ risum faciant viris cordatis, sententiæ nostræ invidiam apud vulgus creare velle, quasi nos nimis multùm deferamus proprio judicio, eò quod constanter doceamus, nullius opinionem Auctoris, quantunvis sapientissimi, licere alicui amplecti, nisi quam ipse veram esse putaverit. Quid alioqui? Dictum cujuslibet absque examine aliquo suscipiemus? Et hæc vera docilitas, hæc prudentia, hic verus amor veritatis est? Et ubi est illa doctrina Dei toties in Scripturis ab ipso nobis tra-

tradita, ut attendamus à falsis Prophetis, & à doctrina Magistrorum fallacium, ut non credamus omni spiritui, neque circumferamur omni vento doctrinæ, ut omnia diligenter probemus, ac dijudicemus, & alia id generis propè innumera?

25. Quid hæc, precor, significant? Pudor est, quod viri alioqui Theologi, & docti, res tantas, & tam serias adeò superficialiter cogitent, & loquantur. Quis est mediocris intellectus homo, qui facilè non noverit, vel ex solis vulgaribus libris spiritualibus, quid sit judicium proprium, à quo, tanquam à peste, immò ut ab ipso diabolo, fugiendum nobis sit, sicut à nostra propria voluntate? An non hæc est, quæ infernum adimplet, ut nemo ignorat, vel ex celebri illa, & vulgatissima sententia Bernardi? Concludat ergo quis, non debere nos facere, vel omittere, quod voluntate nostra velimus, vel omittere, vel facere, ne nostram propriam voluntatem sequamur, quod est damnabile, atque mortiferum; sicut Recentiores concludunt non nos debere fugere, vel amplecti, quod judicio nostri intellectus malum, aut bonum esse judicemus, ne proprium nostrum judicium sequamur; sed ex judicio potiùs alieno, quod nos non approbemus judicio nostro, bonum, aut malum nobis amplectendum esse, aut fugiendum.

26. Ex quo debebunt insuper, & quidem evidenter concludere, quòd alienum judicium, neque probabile, debeamus, aut possimus, judicare judicio nostro; aliàs jam proprium judicium sequeremur, quod est superbum, atque damnabile. Non ergo sequi possumus, nisi quod falsum esse censeamus. Immò nec hoc, sed illud, de quo nihil censeamus. Nisi intellectum fortè commodatum ab aliquo acceperimus, quo semper judicemus, & nunquam proprio judicio utamur. Sed intellectum nobis commodare poterit nemo, quia nemo proprium intellectum habebit, ne fiat superbus, & pereat. Nugæ sunt istæ planè indignissimæ ab omni seria Theologia alienæ. Et tamen nugis istis non pauci Recentiores seriò oppugnare Theologiam nostram, & apud vulgus diffamare non cessant.

27. Cæterùm audiant saltem Bernardum veræ docilitatis, veræque prudentiæ magistrum: *Utilis* (inquit) *est frater, qui tibi loquitur, sapiens est, religiosus, ac timens Deum: plus dico, Angelus est, & Angelus lucis: etiam sic cave tibi, ne audias, unde lædaris. Nec personam tibi velim suspectam esse, sed linguam, præsertim in sermocinatione communi. Bona quidem columbæ simplicitas, sed in hac parte quoque serpentis astutiam non omittas. MARIA, ne Angelicum quidem verbum sine discussione præteriens, cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Abeant nunc Recentiores, & Augustinum, Bernardumque, immò & Matrem ipsam Sapientiæ, accusent apud vulgus, si placet, de æstimatione proprii judicii, eò quòd nos docuerint verbis, & factis, nihil unquam ab aliquo suscipiendum, quantuncunque sancto, ac sapiente (exceptis Scriptoribus Canonicis, aliisque legitimam auctoritatem habentibus), nisi, quod discussione præmissa, verum esse compererimus. Bern. serm. de tripl. cust. anim. lingu. & cord.

28. Igitur ex præmissa doctrina, quam sæpè aliàs Augustinus inculcat, tanquam omninò certum concludebat, Auctores de re aliqua dissentientes, & invicem sibi contrarios, sapientes nobis esse non posse, nimirum in re illa, de qua dissentiunt. Id Augustinus continenter ad ea, quibus summam difficultatem sapientes inveniendi proposuit, affirmat per hæc verba: *Cum hoc nomen* (id est sapientis), *tametsi nemo ferè audeat palàm, plerique tamen ex obliquo sibi vendicent; cum de rebus ipsis, quarum cognitione constat sapientia, inter se ita dissentiant, ut aut nullum eorum, aut certum unum, necesse sit esse sapientem.* Quia videlicet illi, qui contraria affirmant, aut Aug. illo cap. 12. de utilit. cred.

do-

docent, utrique errare possunt re ipsa, utrique autem verum docere non possunt, sed alterutros saltem, falli necesse est, nisi nos Dialectica fallit.

29. Ii verò, qui falluntur, non sunt sapientes in re illa, de qua falluntur; nisi fortè sunt aliqui, apud quos error sapientia sit, quibus consequenter non erit aliqua stultitia possibilis, quo nihil posset stultius cogitari. Interim ergo, dum nobis non constiterit, utri dissidentium fallantur, neutros habere possumus ut sapientes, quia de neutris determinatè, quòd à *verò* re ipsa *non abhorreant*, prudenter nobis persuadere possumus.

30. Hæc enim verò principia sunt, quibus Augustinus persuasus, immanem illam, quam ipse ostendit, experiebatur difficultatem inveniendi sapientes, & prudentes, quibus tutò fidere posset. At verò Recentiores Probabilistæ, praxi saltem, & facto ipso principia extremè opposita supponunt, unde mirum non est, si nullam experiantur, sed oppositam potius facilitatem. *Praxi*, inquam, *& facto*: nam alioqui principia, quæ Augustinus supponit, traditque, adeò sunt evidentia; ut nemo videatur futurus, qui, si maturè ad illa reflectat, eorum veritatem negare, quin neque in dubium vertere possit. Sed enim Recentiores ex benigna sua sententia sic loquuntur communiter; eas passim statuunt assertiones, eas ubique conclusiones deducunt, supponuntque, ut communes, & certas, quæ præfatis principiis evidenter repugnent, & necessariò opposita supponant.

31. In primis enim, licèt abstractè, & speculativè quasi loquendo, Probabilistæ cavere soleant, Auctores illos, quorum auctoritate morales opiniones reddantur verè, & practicè probabiles, debere esse non vulgares homines, neque de trivio Scriptorum, ut ajunt; sed viros sapientes, ac probos, quique in rebus, & Ethicis, & Theologis, diù sint strenuè versati: aliunde verò, licèt primi generis inveniri quàm plurimos hoc nostro sæculo non diffiteantur (immò, & *innumerabiles* inveniri Terillus ipse testatur, & dolet in prologo ad Tractatum de Consc. proba. cujus sensum, & verba, quæ maximè è re sunt, alibi producemus): licèt hæc, inquam, sæpè Probabilistæ quique doctiores spontè sua fateantur, ut doceant, cùm datâ operâ hoc argumentum versant; nihilominus tamen, si in omnibus, ac singulis dubiis particularibus occurrentibus stylum communissimum, & praxim ipsorum attendas, comperies, quòd vix aliquem, aut ne vix quidem aliquando excipiant, sed quotquot inveneri potuerunt, sine ullo discrimine ubique proferantur, & referantur ad opiniones benignas comprobandas, etiam puri Summistæ, etiam meri Compilatores, quorum aliqui credo, nec auderent, nec possent, edere Commentarios, etiam simplices, in Dialecticam Aristotelis, quin fortè nec Dialecticam didicerunt.

32. Rursus Probabilistæ Auctoribus, quos referunt pro suis opinionibus suadendis, adeò liberaliter deferunt, ut quamvis illi sententiam suam nullo testimonio Scripturæ, nulla Sanctorum Patrum auctoritate, nulla efficaci ratione ostendant; quin, licèt falsa communiter habeatur, ut ajebat supra Terillus, cujus verba distincta dedimus; licèt rationes contra se habeat, quæ absolutè insolubiles mihi videantur, ut affirmabat Rhodes ibidem, & affirmant alii non pauci, neque vulgaris notæ Probabilistæ, licèt non ex professo rem tractando sententiam illam doceant, sed *perfunctoriè*, & aliud agendo, ut Joannes Sancius ibidem asserebat: licèt, inquam, hujusmodi sententiam tradant, illam attamen reddant certò probabilem, adeòque rectam, tutam, & infallibilem regulam honestatis. Sup. controv. 3. a. 1.

33. Denique Recentiores Proba-

babiliſtas nihil prorſus morari, quòd Auctoribus, quos producunt ad ſuas opiniones comprobandas, totidem alii, aut etiam multò plures, non inferioris notæ, ſed quandoque melioris, in illa ipſa quæſtione repugnent, patet non modò ex praxi communiſſima (ſcribendi videlicet, aut docendi), ſed etiam ex communibus eorum aſſertionibus, quas velut certas paſſim propugnant.

34. Hæc autem omnia, & alia ſimilia communi ſtylo, & praxi recepta apud neotericos Probabiliſtas, quæque velut legitima conſectaria ad ſuam benignam ſententiam (uti reverà ſunt) ubique proferuntur ab ipſis, & acerrimè propugnantur, Auguſtinianæ doctrinæ præſuppoſitæ nimis evidentiùs repugnant, quàm ut à nobis egeat oſtendi: unde neceſſe pariter eſt, ut principia extremè contraria principiis, quæ Auguſtinus & tradebat, & ſupponebat, vel involvant, vel præſupponant.

35. Sed enim Auguſtini principia (præterquàmquòd Auguſtini ſunt) procul dubio ſunt evidentia, & quæ negari poſſint à nemine, niſi qui fortè terminos non intelligat.

Patet ergo vulgarem Recentiorum appellationem ad judicium ſapientum, ac prudentum, in quod tandem reſolvunt totam doctrinam ſuam de prudenti electione opinionis minùs probabilis in terminis noſtræ quæſtionis, valde importunam, & inutilem eſſe ad protegẽdam cauſam Probabiliſmi, quippe quæ multis titulis abſurda nimis ſit, multamque involvat falſam doctrinam Auguſtino, & doctrinæ ejus apud omnes certiſſimæ, per omnia repugnantem.

§. IV.

Demonſtratur ulteriùs præfata appellationis abſurditas in terminis præſentis controverſiæ.

36. AUctores, in quorum judicium, vel poſſibile, vel actuale, ſuam tandem Probabiliſtæ probabilitatem reſolvunt, non debere ſupponi verè ſapientes, ac prudentes, ne quidem abſolutè magna ex parte, nullos verò in quæſtionibus particularibus, in quibus appellatur ad ipſorum judicium, conſtat, tum ex præmiſſis Auguſtini principiis, tum ex doctrina, & praxi communi ipſorum Probabiliſtarum. Porrò ejuſmodi hominum auctoritas non poteſt reſolvi in rationem, qua quis ſibi perſuadeat ipſos vera docere; neque enim habent ſufficiens meritum, ut poſſint per ſe ipſos fidem facere de abſoluta rei veritate, neque ſententiam ſuam ita defendunt, ut alii ſibi, vel plures, vel doctiores in re illa non contradicant. Non ergo conſtat neque ſupponi debet, aut poteſt eorum vera ſapientia, & prudentia, ut patet ex doctrina, & principiis productis ab Auguſtino.

37. Verùm age, ut abſurditas præfatæ appellationis Recentiorum, evidentiùs adhuc appareat, largiamur ipſis gratis, Auctores illos, de quibus loquimur, eſſe verè ſapientes, ac prudentes non tantùm abſolutè (hoc eſt, inſpectâ eorum peritiâ ſecundùm ſe, & abſtractâ ab hac, vel illa ipſorum opinione particulari) verùm etiam pro aliis determinatis dubiis, in quibus appellatur ad ipſorum auctoritatem. Adhuc tamen in terminis præcipuæ controverſiæ, quam verſamus, ſub quibus appellatio interponitur, non ſolùm eſt abſurda, & importuna, ſed quæ neque credibilis, neque poſſibilis videretur, ſi dubitari poſſet de ipſius exiſtentia. Immò credimus, neminem, qui terminos intelligat, & conſideret, poſſe illam corde uſurpare, ſed ore duntaxat, & vocibus, quibus alios velit decipere.

38. Enim verò, qui ſequitur aliquam opinionem, quam ipſemet agnoſcit minùs probabilẽ, & quam, vel actu judicat falſam, vel ſaltem poteſt, ſi velit, judicare, conſequenter, vel judicat, vel judicare poteſt,

eos omnes Auctores (quicumque demùm sint), qui talem opinionem, aut docuerunt, aut docent, aut deinceps docebunt, falli reipsa, & dicere malum bonum, vel vice versa. An non est hæc hypothesis, sub qua cum Recentioribus disputamus, & in qua dicunt ipsi, præfatam opinionem esse verè probabilem operanti propter auctoritatem eorum hominum (utique gravium, atque sapientium), qui ipsam, vel docuerunt, vel possunt aliquando docere?

Quid verò absurdius cogitari potest, quàm sapientes eos appellare, quos tu ipse in re illa, de qua ipsos appellas judicas actu, seu (quod tantundem est) potes, si velis, judicare prudenter, non sapuisse re ipsa, sed errasse? Hoc precor quid est aliud, quàm adhibere testes dormientes, judice illo ipso, qui adhibet? Vel, ut significantiùs dixerimus, quid aliud est (si res secundùm se attendatur) quàm de industria fingere velle, & alios studiosè decipere?

39. Alioqui non aliud adire volo, quàm tuæ ipsius conscientiæ tribunal, nec alium, quàm te ipsum judicem appellare. Dic obsecro, an non credis, eos ipsos Auctores, quos allegas, licèt alioqui graves, ac sapientes, in ipsa tamen tua quæstione re ipsa desipuisse, & errasse? Credis utique actu, aut, quod perinde est, credere potes; hæc est enim hypothesis, quam versamus. Tu verò eos, qui desipiunt, & errant, putas esse verè sapientes in illa ipsa peculiari quæstione, in qua errant, atque desipiunt? Non audebis opinor affirmare, nisi fortè sunt idem apud te error, & veritas, sapiens, & desipiens. Jam ergo tu te ipsum in tua causa judica, & nobis precamur edisfere, quid intendere possis, cùm ejusmodi Auctores, tanquam verè sapientes, producis, & allegas? Contingat quidem non infrequenter, ut quis in sui favorem producat inscius testes, qui re ipsa fallantur: at testes, quos re ipsa falli crediderit, nemo sanè producat, nisi qui velit studiosè decipere.

§. V.

Vulgaris Recentiorum discursus, quo appellationem suam ad Sapientes instaurant.

40. SEd audiamus clamores recentium Probabilistarum. Viri, in quorum judicium nostram, inquiunt, resolvimus probabilitatem, sapientes sunt, & graves absolutè, & simpliciter. Bene: de hoc non nihil jam nos diximus; & sine ullius injuria credimus, non omnes esse illos, de quibus dicit Deus, *Multitudo... Sapientium sanitas est orbis terrarum*, & rursus, *lingua sapientium sanitas est*. Sed, quod ad præsens attinet, sint per nos sapientissimi, atque gravissimi, non pauci, non plerique, non plurimi; sed omnes, nullo excepto, quos allegatis. Jam ultrà pergite: quid inde concluditis? Illi, inquiunt, viri sapientes quæstionem istam particularem (& eadem est ratio de reliquis) diligenter examinarunt, & utriusque partis momenta seriò, atque maturè librarunt: tum verò illam opinionem benignam, quam nos minùs probabilem, aut falsam judicamus, ut veram absolutè, docuerunt: fortè etiam ad praxim deduxerunt: certè potuerunt ab absolutè deducere; cur enim homo sapiens, & prudens exequi aliquando non possit, quod post maturam deliberationem, & diligens examen veritatis, existimat honestum, & nulla sibi lege prohibitum? Sap. 6. Prov. 12.

Quis porrò viros istos, & peritos, & probos, hoc modo se gessisse non credat? Quis reprehendere audeat? Quis non vereatur de imprudentia notare eorum, seu judicium, seu factum, nisi sit nimiùm temerarius, & audax? Certè oportebit homines plures apud omnes piissimos, ac prudentissimos frequentis

im-

imprudentiæ, atque improbitatis damnare, quod nemo pius audire possit, nemo non impudens proferre. Ergo quilibet potest, quin & debet omninò prudenter judicare, eorum opinionem esse verè prudentem, atque adeò verè probabilem.

41. Vulgaris hic discursus sanè mirabilis (ut statim ostendimus) mirum est quantum Recentioribus placeat, maximè verò maximè imperitis, qui verba omnia sine examine accipiunt, quando ipsis sonant ad placitum. Illum non modò proferunt tanquàm certissimum, ac penitus irrefragabilem; sed & vehementer succensent, obstupent, & scandalizantur, si quempiam videant ipsi repugnare.

Sed ecce nucem frangimus, & latentem nucleum exerimus, ne quis inani verborum sonitu à rerum veritate moveatur.

§. VI.

Retorquetur in primis in Recentiores vulgaris ipsorum discursus.

42. Aug. li. 5. de Musi. qui habetur to. 1. SApienter olim protulit Augustinus, *Tanta est vis consuetudinis, ut ea inveterata, si falsa opinione genita est, nihil sit inimicius veritati*. Ejus etiam vim maximam, & in primis timendam, mirificè describit Philosophus 2. Met. c. ult. ubi D. Angelicus subtiliter rationem investigat, ac reddit. Vividisimè itidem Bernardus, & alii etiam nimis frequenter. Bern. l. 1. de Consid. statim ab init.

Sed, si sapientum deesset auctoritas, id nos luculentissimè, vel experientia sola doceret. Nullibi verò magis, quàm in moderno Probabilismo, ubi, cùm consuetudini accedant jura humanæ libertatis, quam homines communiter adeò perditè amant, & insuper tutissimæ benignitatis prætextus, sit funiculus triplex, qui difficilè rumpitur. Sed verò præ his omnibus, & supra omnia *Veritas Domini manet in æternum*. Psal. 116. Porrò præfatum Recentiorum discursum hæc tantùm præjudicia veritatis tam altè persuadere potuisse, quippè qui nihil aliud contineat præter egregiam æquivocationem, sit sanè demonstratu facillimum.

43. Id, ut perspicuum fiat, in primis retorquemus argumentum. Quid enim dicent Probabilistæ de totidem, aut pluribus viris non minùs, aut fortasse magis gravibus, ac sapientibus, qui post maturam etiam deliberationem, & diligens veritatis examen, opinionem oppositam ut absolutè veram docuerunt, & benignam, ut falsam reprobaverunt? An non & isti Auctores sapientes absolutè sunt? Cur ergo in illa particulari quæstione apud operantem non sint? Nunquid quia non benignè opinati sunt, sed pro lege Dei stetere? Immò sunt etiam, inquiunt, sapientes, & prudentes haud secus quàm Auctores partis benignæ. Sed hoc esse possibile Augustinus, ut vidimus, constanter negat: & quidem ex principio evidenti, quòd alterutri necessariò fallantur. At, qui falluntur, non sunt sapientes, nisi error sapientia sit. *Deus enim est veritas* (inquit ipse Augustinus), *nec ullo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat*. Aug. ibid. paulo inferius.

Cùm igitur incertum sit operanti, utri ipsorum fallantur in re illa determinatè, erit eidem pariter incertum, utri ipsorum sapientes sint. Immò erit sibi verosimilius, aut etiam absolutè verum, quòd Auctores benigni in subjecta materia non sint sapientes, quia vel judicat actu, vel saltem potest proximè judicare, eos falli re ipsa in illa quæstione directa. Ubinam ergo sunt sapientes illi, quorum auctoritate, ac judicio, ea opinio benigna minùs probabilis operanti, verè, ac certò probabilis ipsi redditur, ac per hoc recta operandi regula?

44. Præterea urgentur Probabilistæ. Ponamus, aliquos, aut etiam plu-

plurimos Auctores sapientes, & graves, docere opinionem benignam tenuiter tantùm probabilem, aut etiam omninò improbabilem, quod facilè posse contingere, & frequens experientia probat, & Terillus ipse supponit. *Non solùm* (inquit) *plures, sed unus vir doctrina, ac pietate præstans, si de novo in dubium vocet probabilitatem cujusvis sententiæ, etsi communissimæ, & profiteatur, se novis, magnisque rationibus ductum id facere, sua auctoritate efficit, ne illa opinio sit amplius certò probabilis quoad nos.* Et rursus: *Quoties viri graves magna probitatis, & peritiæ fama celebres novis magni momenti rationibus contra communem sententiam insurgunt, illamque improbabilitatis arguunt, illa per hoc ipsum, quoad nos perdit probabilitatem suam.* Has Terilli assertiones ideo produximus, non solùm, ut appareat, quàm obvia sit, ac facilis hypothesis assumpta; verùm etiam ut obviter Lector advertat, quo loco Recentiores, Auctores nostros, nostramque sententiam reponant, qui post asserta ista apud ipsos communia, suam passim appellant, atque supponunt non probabilem tantùm, sed etiam absolutè certam, & evidentem. Ea est temperies styli Recentiorum. Sed patientur, ut alios Judices appellemus.

Teril. q. 6. de consc. n. 24.

Idem Terill. 1. p. de Regu. mo. q. 16. n. 15.

45. In hac ergo Terilli hypothesi inquiro à Recentioribus, quare non possit operans opinionem illam communem, aut communissimam gravium Doctorum judicare certò probabilem, adeòque rectam agendi regulam? An non potest, & debet prudenter judicare, Doctores illos graves, aut aliquos saltem eorum post sufficientem deliberationem, & diligens veritatis examen, opinionem illam benignam, ut absolutè veram tenuisse? fortè etiam ad praxim deduxisse? Quid alioqui? Viros quàmplurimos piissimos, ac prudentissimos, hoc modo se gessisse nō credat? Eos ne audeat impudenter notare, vel de temeritate in judicando, vel de improbitate in agendo? Quis audiat? Quis sustineat? Quilibet ergo poterit, quin & debebit, ipsorum opinionem judicare verè prudentem, atque adeò verè probabilem.

46. Hic jam Recentiores expecto. Respondebunt opinor, cætera vera esse, sed consequentiam nullam, & consequens omninò negandum. Quare? Quia licèt illi graves, & sapientes Auctores nullo modo peccaverint, neque docendo opinionem illam, neque eandem ad praxim fortasse deducendo (ut piè credi potest, ac debet), eò quòd, sufficienti diligentia præmissa, illam putaverint absolutè veram non temerè, sed inculpabiliter, quamvis ut homines decepti sint; nos tamen, quibus aliter ipsorum opinio proponitur, aliter possumus, ac debemus, quantum ad nos spectat, de illa judicare: unde non illam possumus judicare prudentem, subindeque nec nobis verè probabilem. Porrò ipsi post diligentem veritatis inquisitionem, censuerunt opinionis illius fundamenta esse reipsa gravia, adeòque, & ipsam veram absolutè, & (ut supponimus) inculpatè censuerunt. Nos verò ex aliis novis fundamentis jam oppositum judicamus: quid ergo mirum, si opinio illa, quæ non eundem habet, sed diversum omninò (immò, & oppositum) in conscientiis nostris statum ab illo, quem habebat in conscientiis talium Auctorum nobis nō sit probabilis, estò probabilis ipsis fuerit? Nihil profectò rationabilius; quin immò nihil aliud verè reponi potest. Sed quæso, cur tantundem reponere non liceat ad certissimum illum, prorsusque intemerandum Recentiorum discursum?

§. VII.

Ergo præfati discursus Recentiorum nulla est vis, sed insignis æquivocatio.

47. EN igitur Probabilistarum æquivocationē palmarem adeò

adeò de se visibilem, ac pinguem, ut mirum planè sit, quòd acutissimorum hominum aciem fugere aliquando potuerit.

Videlicet ex eo, quòd aliquis, aut aliqui viri sapientes opinati sint absolutè post diligens veritatis examen, objectum aliquod esse honestum, sive nulla lege prohibitum, arguunt Probabilistæ infallibiliter, si superis placet, ejusmodi opinionem esse prudentem, atque adeò verè probabilem (practicè nimirum, ac proximè) respectu singulorum, & omnium, qui talem opinionem actu non habent; quin, & respectu eorum, qui oppositum actu opinantur, aut opinari proximè possunt: quo nihil evidentiùs repugnat legibus rectæ argumentationis. Quis alioqui nesciat, si Logicam omninò non nesciat, ab uno ad aliud particulare, vel à particulari ad universale, non valere argumentum, ne quidem materialiter, si materia contingens sit, qualem esse in præsenti dubium non est? Quantò ergo importuniùs, & ineptiùs, ducetur argumentum affirmativum ab aliquo particulari ad aliud, vel ad omnia, in materia non simili, sed omninò contraria?

48. Ecce tibi argumentum recentium Probabilistarum: *Hoc objectum est proximè visibile respectu Titii habentis oculos expeditos, & intentos: igitur proximè visibile est respectu Caii cæci, & aliorum omnium cæcorum, aut habẽtium oculos clausos.* Quis non rideret hominem sic arguentem, aut potiùs sic ridiculè delirantem? At arguendi formam in utroque discursu esse prorsus eandem, nimis evidens est.

49. Nam, sicut objectum fit proximè visibile respectu Titii per hoc quòd Titius habeat potentiam expeditam ad videndum in proportionata distantia, & objecti visibilis specie instructam; ita etiam objectum est proximè probabile respectu Petri viri sapientis ex hoc precisè, quòd intellectus ejus aliquas inveniat rationes, quæ post præmissam congruam diligentiam appareant ipsi graves, & efficaces ad ipsius objecti veritatem suadendam. Rursus, sicut in Titio dispositio illa ad videndum, non necessaria est, sed contingens, & quæ fortasse in Cajo, aut cæteris hominibus non reperiatur eadem, sed opposita potiùs; sic etiam dispositio, quæ reperitur in intellectu Petri ad opinandum objectum illud, contingens prorsus est, & quæ in aliis hominibus facilè possit non reperiri, aut etiam reperiri contraria. Quis id neget?

Ergo, sicut ineptè, & ridiculè arguitur, objectum esse Cajo, aut reliquis hominibus visibile, ex eo quòd visibile sit Titio; multò autem ineptiùs argueretur, si in Cajo, vel in aliis supponatur contraria dispositio: ita similiter ex eo, quòd objectum, vel judicium de ipso opinativum fuerit Petro probabile, aut aliis sapientibus viris, ineptissimè arguetur esse probabile respectu aliorum, in quorum intellectibus alia longè diversa, immò, & contraria dispositio invenitur. Patet igitur, eandem esse formam, eandemque fallaciam utriusque discursus, vel potiùs utriusque paralogismi.

50. Itaque Recentiores Probabilistæ insigniter decepti sunt, dum probabilitatem opinionis moralis comminiscuntur adeò absolutam, communem, atque generalem, ut talis sit relatè ad singulos, & omnes intellectus; cùm tamen probabilitas practica, sufficiensque ad conscientiam ritè instituendam, sit ex natura sua relativa, restricta, atque determinata ad aliquem, aut aliquos intellectus particulares habentes illam dispositionem specialem, & contingentem circa objectum ipsius opinionis probabilis.

Sanè vix reperiatur judicium aliquod adeò clarum, & evidens, ut tale sit relatè ad omnem intellectum pro hoc misero statu nostræ mortalitatis, in quo vix aliquod invenire sit prin-

principium usque adeò per se notum, ut nemo ipsi repugnet aliquando, cum *nulla sit fatuitas sine patrono*, ut habet vulgaris paremia; quantò igitur minùs judicium aliquod incertum, & obscurum, quale est judicium omne purè probabile, ac opinativum, simili privilegio gaudere poterit, ut omnibus, & ubique probetur? Omne ergo judicium merè probabile per se, & naturâ suâ est relativum, atque restrictum ad aliquem, aut aliquos intellectus determinatos. Unde ex eo, quòd sit alicui intellectui probabile, non nisi ineptissimè arguitur esse verè probabile respectu singulorum, & omnium intellectuum: multò autem ineptiùs respectu eorum, in quibus reperitur dispositio contraria.

51. At nemo, cui judicium de suæ operationis honestate probabile verè non est, licitè potest illud amplecti, ut est omnibus in confesso. Perperam ergo inducitur à Recentioribus probabilitas practica, sufficiensque ad honestè operandum, opinionis minùs probabilis, ex hoc quòd illa probata sit, aut etiam in praxim deducta, ab aliquo, aut à multis viris absolutè sapientibus.

Patet ergo, quàm sit inanis Recentiorum discursus, quàmque importunè passim appellent ad judicium sapientum, ac prudentum, ut suam probabilitatem cum vera prudentia connectant.

§. VIII.

Amovetur objectio.

52. AT dicat quis: quid igitur Antiprobabilistæ recentiores distinguere solēt frequenter moralem probabilitatem in absolutam, & relativam, ut & nos ipsi supra distinximus, si probabilitatem absolutam modò refellimus, & insectamur?

Resp. distinctionem illam minimè obstare doctrinæ modo traditæ, sed optimè cum illa congruere. Nam, ut opinio in aliquo sensu dicatur absolutè probabilis, sufficit, quòd habeat pro se rationes aliquas absolutè non leves, contra quas nihil certum, aut convincens appareat, & propter quas ut vera probari possit, aut etiam de facto probetur aliquibus sapientibus viris citra temeritatis, aut imprudentiæ notam, licèt ab aliis reprobetur ut falsa. Denique opinio hujusmodi iis, quibus non probatur, non erit relativè probabilis; *Id, quod meritò visum est* (inquit Esparza) *principium per se notum Augustino propterea exclamanti lib. de Utilit. cred. c. si benè memini* 11. (fideliter), Quomodo est illud, quod sequuntur, si non probatur probabile? *Nempè illi, cui non probatur, & à quo judicatur probari non debere?* Illis verò, quibus probatur, erit relativè probabilis; quod equidem, & eâdem ratione, & ex ipsis terminis patet. Espar. Append. par. 2. 145.

53. At, ut opinio aliqua dicatur absolutè probabilis, sufficit, quòd sit talis intuitu aliquorum, quamvis respectu aliorum sit improbabilis; ut enim absolutè improbabilis sit, nemini debet esse probabilis, improbabilitas nanque absoluta omnem omninò negat probabilitatem. Quod explicari potest eodem illo exemplo, quod paulò ante producebamus. Certè, ut objectum aliquod sit absolutè proximè visibile, sufficit, quod re ipsa tale sit aliquibus ad videndum paratis, nec dicitur absolutè invisibile, ex eo, quòd non possit videri ab aliis. His ergo à quibus videri non potest, erit relativè invisibile invisibilitate cohærēte cum absoluta ipsius visibilitate. Idem ergo dicendum ob eandem rationem de opinionis moralis improbabilitate relativa, & absoluta ejusdem probabilitate. Unde tandem concludes, moralem opinionem esse improbabilem relativè, & simul absolutè probabilem, nihil aliud esse reipsa, quàm probabilem esse aliquibus, aliquibus verò improbabilem.

54. Hæc autem probabilitas absolu-

ſoluta, quam nos tribuimus opinioni morali, non eſt ea, quam modò Recentiores intendunt, & quam nos hic, & ubique negamus: neque ſe ſola ſufficiens eſt ad rectam conſcientiam formandam. Utique probabilitas, quam nos damus, & abſolutam dici non abnuimus, non eſt ſic abſoluta, univerſalis, & illimitata, ut ſit talis relatè ad omnes, & ad ſingulos intellectus: immò verò, vel ſemper, vel ſæpiſſimè ſaltem, invenitur conjuncta cum relativa improbabilitate, ſcilicet in omnibus illis, quibus opinio oppoſita apparet æquè, aut magis veroſimilis. Ii verò, quibus aliqua opinio (minus tuta videlicet) apparet relativè improbabilis, licèt probabilis abſolutè ſit (quia nimirum aliis probatur), non poſſunt eâ licitè uti, ut cunctis debet eſſe exploratum.

55. At verò recentiores Probabiliſtæ cuilibet opinioni probabili, eò ipſo quod talis ſit relatè ad aliquos viros ſapientes, ac probos, attribuunt probabilitatem adeò abſolutam, & illimitatam, ut ſit talis reſpectu omnium, ita ut nemini debeat eſſe improbabilis, etiam illis, à quibus falſa putatur, aut poteſt proximè falſa putari. Quo fit, inquiunt, ut poſſit quilibet eâ uti, cùm cuilibet fas ſit uti opinione ſibi verè probabili.

Hanc probabilitatem abſolutã, vel nunquam, vel rariſſimè, abſolutè loquendo, cadere in opinionem merè probabilem; in hypotheſi verò noſtræ quæſtionis eſſe prorſus fictitiam, & quæ diſcurſu æquivocatione, atque multiplici fallaciâ pleno à Recentioribus adſtruatur, affatim demonſtratum relinquimus, & uberiùs ſtatim demonſtrabimus.

Patet ergo, quæ ſit probabilitas abſoluta, quam ex communi ſenſu tradidimus, & ea quam à Recentioribus cõfictam efficaciter refutamus.

ARTICULUS III.

Eadem Recentiorum vulgaris demonſtratio, in opinione propria, contra quam formatur conſcientia per artificium Probabiliſmi, nullum permittit ſenſum, niſi nimis abſurdum, aut repugnantem.

56. ANtequam principium reflexum, & argumentum irrefragabile recẽtium Probabiliſtarum, ex principiis à nobis ſtabilitis nullo negotio tandem refellamus, juvat ejuſdem ſenſum legitimum intimiùs adhùc eviſcerare, ut plures, & ingentes, quas involvit, abſurditates clariùs detegamus. Ponimus autem modò quòd conſcientia formetur ex opinione minùs probabili contra tutiorem, & probabiliorem ſubjectivè, & actu exiſtentem in intellectu ipſius operantis, juxta poſtremum ſenſum Reflexiſtarum, quem plures Recentiores cum Terillo defendunt, prout expoſuimus art. 1., hic enim ſenſus clariùs, & faciliùs abſurditatem prodit, ut ibidem advertimus. Ex illo tamen facilè mox conſtabit abſurditas nõ minor alterius ſenſus, quem priori loco expoſuimus. Cærerùm duos adhuc in hac hypotheſi poteſt opinio propria ſenſus habere, non vocibus duntaxat, ſed re ipſa diverſos, alterum categorematicum, ſive abſolutum, alterum hypotheticum, aut virtualiter ſaltem conditionatum, reſtrictum, & ſecundùm quid, quem ſuo loco clarè exponemus.

§. I.

Prior ſenſus apertam contradictionem involvit.

57. SEnſus ſcilicet abſolutus, ſive categoricus eſt, ut qui operatur contra opinionem ſibi magis probabilem, & magis tutam actu perſeverantem in intellectu ipſius, judicet actu, omnibus inſpectis, & un-

undecunque considerátis, contractum, verbi gratia, esse usurarium, & consequenter non esse licitum; & simul sibi licere contrahere propter oppositam opinionem probabilem. At sensum hunc involvere contradictionem evidentem, vel ex ipsis terminis patet, & demonstrari facilè potest:

58. Enim verò judicium particulare discrepare non potest ab universali judicio, nisi utriusque objectum diversum sit, alioqui posset quis idem objectum simul affirmare, & negare, quod est evidens contradictio. Ratio facilis est ex principiis Dialecticis: nam quisquis per judicium universale aliquid affirmat, aut negat de multis, vel de omnibus individuis sub communi ratione acceptis, id ipsum affirmat, aut negat de omnibus, & singulis determinatè, quæ in illa ratione includuntur: unde enuntiatio hæc *omnis homo peccat*, habet descensum istum determinatum, *ergo Petrus peccat, Joannes peccat*, & sic de reliquis, ut est in Dialectica notũ. Ergo, qui retinet assertionem illam cõmunem, & universalem, de nullo homine determinato poterit negare quòd peccet, aliàs de eodem numero homine id ipsum affirmaret, & negaret.

59. Tum sic: quisquis affirmat, contractum aliquem sub certis circunstantiis generali ratione acceptis, usurarium esse, & illicitum, perinde omninò est, ac si judicet, vel affirmet, *contractus hic illicitus est Petro, Joanni, Antonio, Paulo, Francisco*, & sic de cæteris, nullo excepto: ergo, si simul neget esse illicitum Joanni, exempli gratia, seu, quod eòdem redit, affirmet esse licitum; simul, & semel affirmat, & negat, eundem omninò contractum esse illicitum Joanni, sive, quod idem, affirmat esse licitum, & illicitum.

Tum ultrà. Qui absolutè, & omnibus inspectis, adeòque inspecta etiam opinione contraria, & tota ejusdem probabilitate, judicat probabiliter, contractum esse illicitum, judicat esse illicitum, adhuc inspecta opinione illa, comparativè ad omnes, & singulos, adeòque, & ad se ipsum determinatè. Ergo, si simul judicat, licitum esse propter oppositam opinionem probabilem, simul, & semel judicat, licitum, & illicitum sibi esse sub eisdem omninò circunstantiis; quod est evidens cõtradictio.

60. Apponamus exemplum magis determinatum. Joannes Theologiæ Doctor, & pictoriæ non imperitus, postquam omnia consideravit, inspecta etiam opinione contraria nonnullorum gravium Auctorum, affirmat absolutè, *non licet pingere in die festo*: deinde innitens eidem opinioni (supponimus, non alium titulum esse) per principia Reflexistarum concludit, *mihi licet pingere in die festo*: hic profectò tenebitur duas contradictorias simul concedere: nam prior propositio habet sensum universalem, idest, *non licet Petro, non Paulo, non Francisco, non mihi, & sic de reliquis, atque adeò nemini licet*: ergo si affirmet simul, *mihi pingere licet*, enuntiare simul tenetur, *nemini licet, & mihi licet*, quæ sunt apertè contradictoriæ.

Ob eandem rationem duas contrarias concedere tenebitur; si enim judicat sibi licere propter oppositam opinionem probabilem, judicare tenetur propter eundem titulum licere Petro, Paulo, Antonio, Francisco, & sic de reliquis, atque adeò licere omnibus: ergo judicare tenetur, *omnibus licet, nemini licet*, quæ sunt enuntiationes contrariæ.

61. Evidens ergo est, priorem sensum principii Recentiorum, nimirum categoricum, & absolutum, manifestam involvere implicationem in hypothesi, qua procedimus, in sententia videlicet Reflexistarum, qui cum Terillo docent formare conscientiam contra opinionem propriam, etiam actu perseverantem, de inhonestate propriæ operationis.

Vi-

Videri potest P. Thomas Sanchez li. 1. in Decal. c. 9. n. 3: & 2. de Matrim. d. 41. n. 5. ubi demonstat facilè, & clarè ex communi sensu Doctorum, judicium generale (quod vocat speculativum) nullibi debere, nec posse, discrepare à particulari (quod ipse appellat unicè judicium practicum) nisi varietur aliqua circunstantia, quæ nempè reperiatur in unius objecto, & in objecto alterius non reperiatur. Eandem etiam in eâdem hypothesi utriusque judicii necessàriam concordiam, ut exploratam, & indubitabilem, egregiè P. Vazquez ostendit, uti revera est apud omnes, qui penitus Dialecticâ non ignorant.

§ II.

Posterior sensus ejusdem principii ineptus admodùm, & absurdus est.

62. Assertio hæc procedit, ut monuimus, sub eâdem hypothesi, & juxta eundem modum formandi conscientiam ex opinione minùs probabili, nempè contra opinionem tutiorem simul, & probabiliorem actualiter perseverantem. Sensus verò posterior principii Recentiorum, seu potiùs opinionis, contra quam ex illo principio formari posse conscientiam docent, erit in hac hypothesi saltem virtualiter hypotheticus, restrictus, & secundùm quid.

63. Judicium itaque, quoquis, dum operatur, opinatur actualiter, *non licet, verbi gratia, pingere in die festo*, si foret absolutum, non permitteret secum judicium alterum, quo quis actu concluderet, licere sibi pingere in festo, ut proximè demonstrabamus. Oportet ergo, ut aliqua ratione conditionatum sit, aut restrictum, ita ut affirmet non de toto objecto, vel de objecto, prout subest omnibus circunstantiis, etiam extrinsecis; sed de ipso directè, ac secundùm se inspecto, & præscindendo à circunstantia extrinseca opinionis probabilis oppositæ, ipsius honestatem affirmantis.

Denique sensus memorati judicii erit, *inspecta solùm ratione, & præscindendo ab auctoritate, non licet pingere in die festo*, vel, *non liceret pingere in die festo, nisi Doctores graves oppositum docerent probabiliter.* Et ita exponit sensum hujus judicii, & reflexi principii Recentiorum, Terillus ubi supra allegatus: alii autem exponere non curaverunt, sed confusè locuti sunt. Sup. a. 1.

64. Cæterùm sensum istum nimis absurdum esse, & ineptum, haud difficulter ostendi possit. Profectò universaliter, & in quavis materia hic modus opinandi ridiculus videtur, ac nugatorius. Nemo enim in dubiis sibi occurrentibus, nisi puerilitèr ludere velit, determinatum judicium profert nō attendens ad omnia fundamenta, quæ sibi undique proponuntur, sed ad aliqua tantùm eorum. Sanè intellectus est judex veritatis, quam velut finem proprium ubique quærit: unde omnia, quæ sibi undecunque objiciuntur pro veritate, vel falsitate, attendit, & considerat tanquam judex in suo tribunali, antequàm definitam sentētiam ferat.

Sicut igitur judex in foro externo, qui pro altera parte sententiam ferret non attendens ad omnia, quæ utrinque sibi allegata sunt, sed ad aliqua tantùm eorum: deinde verò ad omnia respiciens, pro oppositā parte absolutam ferret sentētiam, nugari, & ineptire meritò censeretur; haud secus de intellectu sentiendum est, si per sua judicia non absolutas prius, sed quasi dimidiatas sententias ferat, eò quòd nolit respicere ad omnia, etiam actu sibi occurrentia: postea verò absolutè oppositum enuntiet, inspectis omnibus fundamentis.

65. Est autem multò absurdior, & ineptior restrictus hic opinandi modus in quæstionibus practicis, præcipuè verò in rebus moralibus, ubi

quæstiones omnes, atque dubiorum resolutiones propter operandum quæruntur, & propter honestè operandum, aliàs foret inutilis, & importunus labor, inspectâ materiæ naturâ. Aristo. 2. Ethi. c. 2. *Cùm autem* (ait Philosophus) *præsens tractatio* (ethica nimirùm) *non contemplationis sit, ut cæteræ, gratiâ* (*non enim ut sciamus quidnam sit virtus, sed ut efficiamur boni, consideramus; nam nulla ipsius esset utilitas*), *de actibus quonam modo sint agendi, considerare necesse est.*

66. Quid verò, precor, refert ad honestè operandum, sive ut boni efficiamur per morales operationes, quòd hoc, aut illud liceat ex hoc, vel illo capite, si omnibus inspectis, absolutè non licet? Aut vice versa, quid facit ad honestam operationem opinari, quòd aliquid non liceat ex hac, aut ex illa ratione, si post omnia considerata concludo tandem mihi licere? Certè opiniones illæ restrictæ, ac dimidiatæ neminem unquam ad agendum dirigunt. Sunt ergo inutiles, ac nugatoriæ, præsertim in rebus moralibus, adeòque ab omnibus proiciendæ. Tull. in Horten. *Facessant igitur* (ajebat Tullius), *qui docere nihil possunt, quo meliùs, sapientiùsque vivamus.*

67. Præterea non hunc esse re ipsa nostrarum opinionum moralium sensum, modus ipse communis loquendi, & scribendi videtur manifestè convincere. Nam Doctores quique, præsertim sapientiores, & graviores, dum tractant, & resolvunt dubia moralia, de quibus variæ utrinque opiniones feruntur, non loquuntur restrictè, aut hypothetic è, sed categoricè, & absolutè dicunt, *hoc licet, id non licet, hoc opus est honestum, illud turpe, hic contractus est Simoniacus, illicitus, injustus, usurarius; ille verò justus, honestus, nulla malitia infectus*, & sic de aliis.

Atqui, si sensus mentalium opinionum non foret absolutus, aut de objecto simpliciter, & omnibus consideratis, sed restrictus duntaxat, & de *secundùm quid*, non deberent sic loqui, quin neque possent licitè; nam locutiones illæ fallaces essent, immò forent mendaces, quippè quæ aliud significarent ab eo, quod mente concipitur: ergo non sic interiùs opinantur, qui absolutè dicunt exteriùs, aliquid esse licitum, aut illicitum. At modum hunc loquendi, & scribendi frequentissimum esse notorium est: ergo sensus communis moralium opinionum non est restrictus, sed absolutus.

§. III.

Refellitur solutio Terilli.

68. REpones ex Terillo, sensum verborum in hac materia quanvis absolutus videatur, accipiendum esse hypotheticè, & cum debita restrictione, nempè de objecto secundùm se, & præscindendo à circunstantia extrinseca opinionis probabilis oppositæ. Ratio est: nam Auctores, de quibus constat tenere sententiam benignam, si, quando dicunt, aliquid esse licitum, quod tamen videre alios negare, sensum absolutum intenderent, apertè contradicerent sibi ipsis, quod præsumendum minimè est de viris doctis, atque prudentibus. Nullum ergo argumentum fieri potest pro assertione nostra ex communi modo loquendi, licèt quoad sonum vocum absolutus videatur. Porrò voces significant secundùm intentionem loquentis, & ideò verba non sunt curanda, quando de intentione constiterit. Terill. t. p. de Regu. mo q. 22. n. 4.

69. At contrà est primò: quia non semper ac fuerint ex parte oppositâ Doctores alii, etiam plures, & graves docentes, aliquid esse licitum, opinio ipsorum probabilis censetur, sufficiensque ad reddendum objectum licitum, adhuc in via Probabilistarum, ut satis patet ex his, quæ diximus, præsertim controv. 3. Immò nullam omninò præscribi posse regulam ex principiis moderni Probabiliſmi, nisi mirum in modum per-

perplexam, & ancipitem, ad discernendam opinionum moralium firmam, ac certam probabilitatem, patet ex ibi dictis, & ex posteà dicendis clariùs patebit. Unde igitur nobis constare poterit de intentione Doctorum dicentium absolutè, aliquid esse illicitum, quanvis videant, id ipsum ab aliis tanquam licitum defendi, nisi expresè fateantur, eorum opinionem esse probabilem; quod tamen plerunque non dicunt?

70. Contrà secundò: nam, licèt id expresè faterentur, adhuc maneret dubitandi locus, num intelligi vellent de relativa, num de absoluta probabilitate. Sanè neminem posse, si satis supra terminos reflectat, opinionem (præsertim, quam falsam judicat) appellare probabilem, relativè ad omnes, & singulos, neque ratione illius objectum, quod alioqui judicat turpe, existimare licitum omnibus, abundè constat ex doctrina tradita per totum superiorem articulum, præsertim §. 5. & 6. Hinc multos, & graviores, etiam ex Recentioribus qui recenseri solent pro Probabilismo moderno, alienos fuisse ab illius sensu; & ex dictis colligitur non obscurè, & in secunda parte ex professo palàm faciemus.

71. Certè, vel ex hoc uno constare debet, quod alioqui totus labor, & opera, omnesque ipsorum resolutiones morales, pro dirigendis hominum conscientiis inutiles omninò, ac vix non ridiculæ forent. Rogo enim quid faciat ad directionem moralem hominum disputare longam quæstionem, multisque, ac validis argumentis propugnare, & ostendere sententiam negativam de alicujus contractus honestate, si, vel in ipso disputationis ingressu, vel ad finem tandem ipsius pronunties, opinionem affirmativam, quam tantis reprobas, esse verè probabilem, & sensus hujus assertionis sit, esse ita probabilem, ut prædictum contractum reddat simpliciter omnibus licitum, adeòque sensum tuæ opinionis, quam adeò operosè firmasti, non esse categoricum, & absolutum, sed restrictum, & hypotheticum, hoc est, de objecto secundùm se, & non consideratâ opinione contraria, qua redditur simpliciter licitum respectu singulorum, & omnium?

Profectò labor tuus atramentum, & chartam, & quod majoris dispendii est, pretiosum tempus frustrà consumpsit, nec quidquam tandem contulit ad directionem meam præter plurima verba inania, ac delusoria: idque (quod est mirabile) ex directa tua intentione. Nempè, denuntias mihi verbis expressis, & absolutis, cõtractum esse iniquum; vis tamen, ut intelligam licitum mihi esse. Quid ineptius? Quid potest absurdius cogitari? Atqui non decet ita sentire de viris doctis, atque prudẽtibus. Igitur censendi non sunt opinari restrictè, aut hypotheticè, dum dicunt aliquid esse illicitum, etiam quando expresè fatentur, contrariam opinionem esse probabilem. Igitur non loquuntur de probabilitate relativa, vel absoluta, in sensu, quem intendunt Recentiores, sed juxta sensum, quem exposuimus §. 6. præcedentis articuli.

§. IV.

Modus iste loquendi, & opinandi, ingentia producit absurda, totamque in re morali Christianam Veritatem, ac sinceritatem corrumpit.

72. COntrà denique tertiò, & urgentiùs: etiam si sensus Theologorum moralium in suis opinionibus internis, *de secundùm quid*, & restrictus, non foret adeò, ut minimùm, dubius, sed qui posset utcumque conjectari ex aliis diversis indiciis, tolerandum adhuc non esset, quòd ita loquerentur, ut de facto loquuntur, nimirùm absolutis, & expressis verbis docentes, aliquid esse licitum, aut illicitum. Patet; nam alioqui quæ non sequetur rerum con-

fusio, si liceat modus iste loquendi, & opinandi? Sanè nullum errorem, nullum delirium, nullam stultitiam, nullam denique hæresim, aut blasphemiam, non liceret cuique proferre, scribere, vel propugnare, verbis expressis, & absolutis. Attende quæso te.

73. Ecce prodit in medium Doctor pius, & gravis apud omnes Catholicissimus, &, qui, si placet, etiam in ipso suæ disputationis ingressu expresè profiteatur, se nihil credere, vel docere, crediturumve unquam, aut docturum, contra sensum Catholicæ Matris Ecclesiæ, aut sacrorum ejus Doctorum. Hic, semel hac præmissa protestatione, jam in decursu poterit intrepidè, ac impunè affirmare quid quid libuerit, verbis simplicibus, & absolutis. Unde, si occurrat loqui de Incarnatione Verbi Divini, poterit illam rotundè negare, opinando mentaliter de objecto illo secundùm se, ac restrictè, præscindendo videlicet à divina revelatione, & prout subest præcisè rationi naturali: poterit cum eadem restrictione, & in eodem sensu negare Trinitatem absolutè, affirmare, quòd Angeli non existant, aut saltem, quòd incertum id sit, vel quòd, si existant, fuerint ab æterno: poterit item, quando occasio se dederit, negare eodem modo Purgatorium, universalis judicii diem, Indulgentias, & alia quæque dogmata, quæ, vel ex Fidei revelatione, vel ex communi Fidelium sensu, vel ex SS. Patrum auctoritate in Ecclesia Catholica recepta sunt, opinando videlicet in his omnibus, restrictim, dimidiatè, & de objecto secundùm se, sive attenta præcisè ratione naturali, & non divina revelatione, traditione, aut Sanctorum auctoritate.

74. Quis dicat, hunc loquendi, aut scribendi modum, tolerandum esse in Ecclesia, vel Doctorem prædictum jure posse à nobis exigere, ut memoratas ejus assertiones, quantunvis absolutas quoad verba, restrictim accipiamus, aut dimidiatè, & non absolutè quoad sensum? Nullus opinor ita desipiat: nam stylus ejusmodi neque magistros decet, etiam artium mechanicarum, nec doctrinalis est, sed captiosus, nec utilis, sed aptus ad decipiendas animas innocentes, neque Christianam sapit sinceritatem, sed magis hujus mundi sapientiam, cujus est *sensum verbis velare, & cor machinationibus tegere*, ut ajebat Magnus Gregorius, id artificii genus procul esse à vera sapiētia, contestamus. Greg. Mag li. 10. Moral. c. 16.

75. Nullibi verò magis requiritur, sicut doctrinæ puritas, sic etiam & verborum sinceritas, quàm in dubiis moralibus decidendis, ubi errores non theorici, aut exigui momenti, sed practici omnes sunt, diligentissimèque cavendi. Quid porrò absurdius, aut pernicioſius moribus, quàm ut Doctor moralis responsa sua præbeat instar Delphici Oraculi verbis adeò ænigmaticis, ac perplexis, ut cogat, vel legentes, vel consulentes, uti discursibus, ac conjecturis ad proprium ejus sensum venandum? Quid verò, si absolutis verbis affirmet, quòd non ipse absolutè, sed restrictè duntaxat opinatur? Certè, nisi qui id ipsum in ipsa responsione disertè protestetur, & exprimat, non docere videbitur, sed deludere, immò studiosè fallere velle.

76. Denique quæro abs te, nunquid hoc sit *ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loqui*, ut loquendum Christianis, atque docendum, verbo, & exemplo suo, Apostolus nos docet; an potiùs, ut ibidem ipse ait, *adulterare verbum Dei*? O via benigni Probabilismi! quātum differs à via veritatis, adeòque ab omnibus viis Domini, quæ universæ quidem benignitas, sed & veritas simul sunt, *Universæ viæ Domini misericordia, & veritas*. Jam verò benignitas illa, quæ procul est ab omni Dei via, procul sit etiam necesse est ab omni vera benignitate. 2. ad Corinth c. 2. Psal. 22.

At,

77. At, modum hunc loquendi, & ſcribendi apud morales Theologos, etiam Probabiliſtas, uſitatiſſimum ſemper fuiſſe, & cõmuni praxi receptum, notorium eſt ex ipſorum libris, ut oſtendi à nobis non debeat. Ergo non eſt credibile, eorum opiniones eſſe reſtrictas, aut hypotheticas, ſed abſolutas potiùs, & de objecto prout ſubeſt omnibus circunſtantiis, etiam diverſis Doctorum opinionibus. Cur alioqui doctis, ac prudentibus viris modum opinandi tribuamus, & ex ſe valdè ineptum, ac abſurdum, & repugnantem ipſorum verbis, indeque fallacem, ac noxium? Enim verò non debent Recentiores cum tanta gravium Doctorum injuria ſuæ doctrinæ patrocinium quærere.

78. Conſtat igitur, ſenſum opinionum *de ſecundùm quid*, & reſtrictum, in rebus præſertim moralibus, neque rationi, neque prudentiæ, neque recto, ac connaturali opinandi modo congruere. Id, quod à poſteriori ex praxi ipſa, & ex uſu communi apud Doctores, etiam modernos Probabiliſtas, videtur ſatis clarè convinci.

Ex quibus omnibus licet nobis concludere, ſenſum opinionis actualis, contra quam formatur conſcientia ex reflexo principio Recentiorum, ſi non ſit categoricus, & abſolutus, ſed reſtrictus, aut hypotheticus, legitimum non eſſe, ſed ineptum, abſurdum, prorſuſque irregularem, adeòque ab omnibus repellendum. Aliunde verò ſenſum abſolutum implicatorium eſſe jam conſtitit. Nullum igitur ſenſum in eo eventu opinio propria poteſt habere, præterquàm, vel abſurdum, vel repugnantem, adeòque nullum abſolutè tenendum.

§. V.

Concluditur abſurditas alterius ſenſus.

79. IDeſt, quando ſuſpenditur judicium proprium de inhoneſtate objecti, ad formandam conſciẽtiam ex opinione aliena operanti minùs probabili, juxta priorem modum, quo Recentiores docent formare conſcientiam ex ſuo principio reflexo.

Hunc ergo ſenſum propriæ opinionis eſſe re ipſa haud minùs abſurdum, ex dictis etiam ſatis apparet. Porrò artificium hoc, ſeu modum formandi conſcientiam, unicè differt à præcedenti, per id quòd operans, dum operatur, licèt poſſit prudenter (utique ex fundamentis ſibi gravioribus) judicare, ſi velit, objectum, quod amplectitur, eſſe re ipſa turpe, & divina lege prohibitum; tamen ut poſſit uti opinione contraria apud ipſum minùs probabili, voluntariè, ac de induſtria, proprium judicium cohibet, nihil enuntiando de objecto ſecundùm ſe, ac directè conſiderato, ne per ejuſmodi judicium directum impediatur judicium practicum, quo poſſit tandem abſolutè concludere ex reflexo principio Recẽtiorum licere ſibi amplecti memoratum objectum, prout affirmat opinio ſibi minùs probabilis. Et hoc eſt artificium Probabiliſmi, jam hodie prævalens apud Recentiores, & magnificis verbis ab ipſis commendatum, quo janua cæli panditur hominibus, & quo abſolutè *facillimum eſt à peccati periculo ſe eximere*, ut ajebat ſupra Terillus. Terill. adduct. ſupra art. 1. §. 1.

80. At quis non videat, artificium hoc non eſſe veræ prudentiæ opus, ſed artis cavillandi cum Deo? Porrò ignorantia legis voluntaria, quam videlicet quis facilè poſſet, & debebat cognoſcere, moraliter, & æquivalenter eſt notitia, & ſcientia legis ipſius, ut conſtat ex Jure Cano-

Cap. ultim. dist. 37. & cap. *Cum inhibitio* de clandestin. desponsat. c. 2. D. Iusti. M.

nonico, & probat optimè D. Justinus in explicatione quæstionum Gentium respons. 140. ex illo Joan. 7. *Et me scitis, & unde sim, scitis: id-est, scire* (inquit), *& cognoscere potestis; nam de facto illi ignorabant Christum*, Quare ignorantia hujusmodi excusare neminem potest à transgressione legis volutaria simpliciter.

81. Multò verò minùs excusat, dum ideò quis ignorat, quia ex consilio, & de industria avertit oculos ab ipsa lege, & à malitia actionis ipsi contrariæ, ut non ab illa abstinere cogatur. Hæc utique ignorantia planè affectata est, adeòque dolo, & fallaciâ plena, unde meritò in Jure sæpè appellatur dolus. Denique artificium hujusmodi non aliud videtur ab illo, quod Deus per Psalmistam detestatur, ac reprobat in homine impio, ac doloso, *Verba oris ejus* (inquit) *iniquitas, & dolus: noluit intelligere, ut benè ageret*: ideſt, *ut malè ageret, & scientiam benè vivendi contempsit*, ut V. C. Bellarminus exponit.

Psal. 35.

Bellarm. ibi.

82. Adde, quòd hic in hypothesi nostra affectat quidem legis ignorantiam, re tamen ipsa legem non ignorat; quia, licèt nolit actu judicare, legem prohibentem existere; actu tamen agnoscit verosimilius esse, quòd existat re ipsa: hæc autem est sufficiens, & abundans notitia legis, ut ipsius trangressio dicatur, & sit voluntaria, ut cernitur in eo, qui operatur cum dubio practico. Sed hoc post pauca.

83. Nunc verò, quòd spectat ad sensum opinionis, contra quam formatur conscientia ex illo principio reflexo, patet nõ evacuari absurditatem ejus per voluntariam suspensionem judicii circa quæstionem ipsam directam. Enim verò in hypothesi, de qua agimus, licèt operans opinionem directam tutiorem, & probabiliorem non faciat sibi propriam per actualem ejus assensum, quia de industria suspendit omne judicium determinatum circa objectum ipsum directum; nihilominus tamen, cùm actu judicet, opinionem illam tutiorem esse re ipsa probabiliorem, consequenter non potest actu non judicare, verosimilius esse, quòd objectum re ipsa sit inhonestum, & contrarium legi divinæ. In hoc autem judicio eadem est absurditas, ac in judicio actuali determinato de inhonestate objecti directi; quia pariter non potest sensum ullum habere, nisi vel nimis ineptum, & absurdum, vel certè repugnantem omninò, & absolutè cõtradicentem ultimo conscientiæ dictamini.

84. Suadetur eodem discursu. Vel judicium, quo judicas, verosimilius esse, quod objectum re ipsa turpe sit, est categoricum, & absolutum, hoc est, de objecto adæquatè sumpto, prout subest omnibus circunstantiis suis, sive intrinsecis, sive extrinsecis; vel est potiùs quasi hypotheticum, *de secundùm quid*, ac restrictum, ideſt, de objecto secundùm se, & non prout subest opinioni Doctorum tuentium, etsi minùs probabiliter, ipsum non esse turpe, nec divina lege prohibitum? Posteriorem hunc sensum esse importunum, contra consuetum modum opinandi, ac loquendi, etiam graviorum Probabilistarum, indeque valde ineptum, irregularem, & absurdum, ostensum est §. præcedenti. Sensum verò priorem non esse absurdum tantùm, sed etiam repugnantem, apertamque involventem contradictionem, saltem virtualem, ex dictis etiam clarè colligitur.

85. Equidem duo hæc absoluta judicia, *verosimilius est, objectum hoc esse re ipsa contra legem Dei, adeòque illicitum, & inhonestum: objectum hoc non est re ipsa illicitum, nec alicui legi contrarium*, apertè sibi invicem contradicentia sunt, saltem virtualiter, atque adeò non minùs mutuò sibi incomposibilia, quàm duo illa sibi expresè, atque formaliter contradictoria, de quibus egimus §. 1.

etc-

etenim contradictio virtualis non minorem inducit, aut ſupponit incompoſsibilitatem extremorum, abſolutamque repugnantiam, quàm expreſſa, & formalis contradictio, nec aliud intelligimus per virtualem contradictionem, ut conſtat ex principiis metaphyſicis. Quòd verò duo illa judicia contradictoria virtualiter ſint, per totam controverſiam quintam demonſtratum à nobis eſt, & Terillus ipſe non negat, quin ex profeſſo docet, & probat; quanvis apertè ſibi contradicens, ut ibidem oſtenſum eſt, productis verbis ipſius Terilli, quibus utranque affirmat contradictionis partem in Opere primo, & ſecundo.

Supra controv. 5. art. 8.

86. Immò verò, etſi operans ſuſpenderet actuale judicium (quod tamen ſæpè facere non poterit) circa majorem probabilitatem opinionis tutioris, contra quam vult formare conſcientiam, & ſolùm apprehenderet ſimpliciter, veroſimilius eſſe, inſpectis omnibus, quòd objectum re ipſa ſit inhoneſtum, adhuc non poſſet per ullam reflexionem formare ultimum conſcientiæ dictamen de abſoluta honeſtate objecti; quia non modò judicium abſolutum, verùm etiam ſimplex apprehenſio majoris, aut æqualis veroſimilitudinis unius partis contradictionis, impedit eſſentialiter judicium de veritate partis oppoſitæ, ut ibidem oſtenſum eſt cõtra directos Probabiliſtas, & deinceps ſupponimus cum Reflexiſtis, prout admonuimus ad controverſiæ initium.

87. Patet igitur, ſenſum propriæ opinionis, contra quam formatur conſcientia ex reflexo principio Recentiorum, pariter eſſe abſurdum, aut repugnantem, etiam quando ſuſpenditur omne actuale judicium de inhoneſtate objecti, juxta priorem ſenſum, modumve formandi conſcientiam, quem Reflexiſtæ docent, niſi quòd modus iſte noviſsimè rejectus doloſum (ſed fruſtraneum) ſuperaddat conatum affectandi ignorantiam legis, & avertendi oculos à luce veritatis ſibi objectæ. Uterque igitur ſenſus, ſeu modus formandi conſcientiam ex reflexo principio Recentiorum, apertam repugnantiam, vel abſurditatem præſefert.

Unde tandem concludere facilè liceat, principium illud in opinione propria, contra quam docet formare conſcientiam, nullum non repugnantem, vel abſurdum ſenſum permittere, quo præſentis articuli ſcopus ſpectabat.

ARTICULUS IV.

Ex principiis jam ſtatutis evidenter tandem, & facilè concluditur abſurditas, & falſitas inſignis, prætenſæ Recentiorum demonſtrationis à priori *pro moderno Probabiliſmo.*

88. SCilicet non ideò in hac demonſtratione refellẽda tandiù morati ſumus, quòd falſitas ipſius, & abſurditas nimia, ſtatim evidenter non appareat ex capitalibus fundamentis, ſeu principiis à nobis ſtabilitis. Sed principium adeò ſpecioſum, cuique tantopere plauditur, & fiditur, evolvere diligentiùs oportuit, ne quem poſſet deinceps ſpecies ejus, vel turbare aliquatenus, vel decipere. Utique veritas dives eſt, ac copioſa, & cui plurima ſuppetant argumenta, quibus errores ſibi contrarios diſiicere multipliciter poſſit. Jam ergo reflectamus ſupra doctrinam à nobis ſtatutam, & minimè timemus, ne cui fortè videamur exceſſiſſe, dum præfati principii Recentiorum abſurditatem, falſitatemque, nimiam diximus, & inſignem.

§. I.

Falſitas, & abſurditas ejus principii juxta ſecundum ſenſum, ſeu modum formandi conſcientiam ex Probabiliſmo reflexo.

89. NImirum contra propriam opinionem tutiorem, & ope-

operanti ipsi probabiliorem, actu existentem in intellectu ipsius, adeòque juxta alienam opinionem directam, quam ipse reputat actu falsam. Sed quis precor exemplò luce ipsa clariùs non videat, agentem ex ejusmodi conscientiæ non quærere sincerè legem directam Dei, sed illam potiùs irridere, ac contemnere?

Non hìc longis discursibus opus sit: res ipsa loquitur. Ecce sensum legitimum, & statum, quem habet operantis conscientia, fidelibus verbis expressum: *Ego quidem existimo, contractum hunc, quem inire volo, esse re ipsa injustum per se, & divina lege prohibitum: sed quia video nonnullos graves Auctores, quos tamen ego decipi judico, docentes, illum licitum esse, licitum mihi absolutè est hujusmodi contractum inire.* Peto modò abs te, Lector, per Deum immortalem, an qui sic operatur, quærat seriò, & ex animo legem Dei, ut suam illi conformet actionem? Legem, inquam, divinam directam, & antecedentem hominum opiniones, & sensa? Non pium, non sincerum, non sapientem: iniquissimum hominum, & mortalium stolidissimum, si qua tamen ratione utatur, judicem appellare licebit.

90. Sed verbis vividioribus, si fieri possit, reddamus eundem ipsissimum sensum: *Ego per hanc actionem re ipsa violo legem Dei, & facio contra ipsius voluntatem, quam actionem istam mihi prohibet severissimè, sub pœna scilicet mortis æternæ: quia tamen viri graves, ac docti oppositum affirmant (falsò, ut existimo), licitum mihi absolutè est, & ideo volo actionem istam exequi.* Horrebit hìc non ambigo, omnis Probabilista, omnis Catholicus, omnis homo. Neque enim fore credimus hominem verè hominem, qui audeat affirmare, vel concedere, conscientiam, quam expressimus, esse rectam, aut eum, qui operatur secundùm illam, prudenter, & honestè operari. Sed voces sono tantùm differentes audientes quidem possunt confundere: variare non possunt objecta.

Intende amabò te, candide Lector, & manibus errorem tenebis. Eò videlicet jam devenimus, ubi non facilè reflexionum, tenebræ veritatis lucem abscondant. Non de rebus abstructis, aut inexplicabilibus, sermo vertitur. Conferamus voces cum vocibus, & excipiant legitimè Probabilistæ, si quid protulerimus, quod diffiteri possint.

91. Petrus post diligentem rei discussionem (id enim damus) opinaturum pluribus, ac peritioribus, contractum, quem intendit inire, usurarium esse re ipsa: quia tamen videt, alios, quorũ opinio probabilis habetur, oppositũ tenere, contractum init retinens actu suam opinionem, in hunc modum formans conscientiã ex reflexo principio Reeentiorum: *Omnibus, atque adeò mihi, agere licet ex directa opinione legi contraria, & meæ libertati indulgente, dummodò certò probabilis sit, & licèt ego contrariam teneam: sed opinio, quæ docet, contractum sub his circunstantiis usurarium non esse, sed potiùs licitum, licèt mihi sit falsa, est opinio certò probabilis: igitur licet mihi secundum illam agere, atque adeò inire hunc contractum, ideòque placet ipsum inire.*

92. Exponamus nunc sensum, & statum conscientiæ Petri. Ipse judicat actu, contractum à se initum naturâ suâ, & secundùm se inspectum, usurarium esse re ipsa: ergo judicat actu, esse re ipsa illicitum: ergo judicat actu esse re ipsa contra legem Dei, & sanctam voluntatem ipsius: ergo judicat actu, se, dum contractum init, violare legem Dei, & agere re ipsa contra voluntatem divinam: ergo dum init, sic apud se dicit, *Ego per hunc contractum, quem ineo, re ipsa violo legem Dei, & ago contra voluntatem ipsius, quam hunc contractum mihi severissimè prohibet, sub pœna scilicet damnationis æternæ: sed quia viri graves, ac docti probabili-*

ter

ter docent (falsò me judice) contractum istum licitum esse, & non contrarium legi divinæ, & mihi licet agere secundùm opinionem legi contrariam, & meæ libertati faventem, etiam, quam actu judico falsam, licet mihi absolutè contractum hunc inire, ideòque ipsum inire volo.

93. Dispiciant modò, & quærant quid hìc excipiant Probabilistæ. Nullam profectò inveniant propositionem non evidentem ex ipsa terminorum acceptione, nisi amovere velint, & tollere de medio re ipsa, & quoad substantiam, legem antecedentem, atque directam Dei, quasi non sufficienter promulgatam, ne Petrus videat, dum operatur, se violare re ipsa legem istam, neque ad ipsam teneatur operationem suam conformare. Hoc principum de legis insufficienti promulgatione, quoties datur opinio, etiam minùs probabilis, negans ipsius legis obligationem, (quod certè videretur non cogitandum) Terillus totis viribus, ut jam vidimus, adstruere molitus est inevitabili necessitate compulsus, ne tota machina novi Probabilismi nullo fundamento consisteret. Sed quàm inefficaciter, quàm sine fundamento, sine patrono, sine consequentia, demonstratum jam manet, ultra quàm foret opus, per totam controversiam sextam: quare nullum omninò Probabilistis, vel apparens effugium patet.

94. Porrò, principio illo non subsistente, & lege Dei primaria, seu directa, in hypothesi nostra verè perseverante, aut re ipsa non deficiente, protinùs evidenter apparet, Petrum in data hypothesi, dum init memoratum contractum, non posse, vel invitum, non videre, se per actionem illam violare, atque contemnere legem Dei, atque adeò formaliter peccare. Nisi velis, ut judicet, contractum usurarium, & injustum esse re ipsa, & non esse re ipsa illicitum, ac turpem; aut turpem, & illicitum esse, nec tamen esse contra legem Dei; aut se re ipsa agere contra legem, nec tamen ideò legem ipsam violare; aut denique se violare legem, & tamen non peccare formaliter: ex quibus si quis aliquid desiperet, non refellendus esset, sed miserandus.

95. Jam ergo, prudens Lector, contemplare tandem attentè rectissimam conscientiam Petri nostri ex tenebrosa reflexionum caligine ad lucem veritatis productam. Nempè ex reflexo principio Recentiorum, inspectis omnibus, concludit tandem sic, *licet mihi hunc contractum in his circunstantiis inire*, & quiescere jubetur à Recentioribus, quippè cui nihil ultrà timendum sit. Sed perge, Petre, mecum, & adde, quod negare non potes, & quod tua ipsius conscientia, te licèt invito, reclamat: *atqui contractum hunc in his circunstantiis inire (scilicet, quem judico usurarium esse re ipsa) est violare formaliter legem Dei: violare autem formaliter Dei legem est peccare formaliter: igitur licet mihi formaliter peccare.* At, cui peccare licet, nihil non licet: cui verò licent omnia, peccare nequit. Jam ergo, Petre, factus es impeccabilis ex nimia peccandi licentia. Quiesce ergo: quid ultrà times? O monstra!

§. II.

Nihilò minor est, quin & multò major videtur, absurditas, & falsitas memorati principii, juxta alteram viam Recentiorum, seu modum formandi conscientiam.

96. ID est, contra opinionem operanti probabiliorem, adeòque propriam, sed tamen non actualem, de inhonestate objecti intrinseca, ac directa; ac per hoc juxtà alienam opinionèm de ejusdem objecti honestate operanti minùs probabilem, quam scilicet posset falsam judicare, si vellet; sed ut rectam conscientiam formare possit ex reflexo Probabilismo, omne actuale judicium imme-

diatum circa objectum ipsum directum liberè, ac de industria suspēdit.

Hæc est altera via Reflexistarum ad controversiæ initium primo loco proposita, quæ jam hodie communior inter ipsos videtur, & per quam horror alterius viæ, quam proximè præclusimus, maximus, & asperrimus, mitigari quadantenus videatur. Reverà tamen non ita esse, sed potius viam istam Recentiorum haud secus esse horridam, & absurdam; immò fortasse magis, quàm alteram, ex eisdem nostris principiis facillimum sit demonstratu.

Sed juvat illam prius vividis lineamentis depositam dare politissimo penicillo illius (heu!) nobis immaturè, nimisque alieno tempore desiderati, eximii planè viri, P. Ægidii Estrix, pietate, acumine, eruditione, facundiaque mirabili satis noti, qui in quodam suo Scripto (an magis pulchro, quàm docto, nescias), quod superiori anno 93. de controversia quadam nostræ simillima Summo Pontifici Innocentio XII., necnon Eminentissimis DD. Cardinalibus S.R.E. legendum edidit, sententiam Probabilistarum, quam benignam appellant ipsi, suis propriis coloribus sic expresit.

97. *Homo Deum timens, & non tàm doctus, quàm bono præditus intellectu, invitatur ad ineundum contractum, qui ipsi suspectus est de vitio usuræ, ac Simoniæ: de hoc igitur inquirit pro captu suo, expendens momenta rationum, ut potest, consulens Doctores &c. Comperit, Doctores multò plures damnare contractum, & horum rationes ipsi videntur fortiores. judicat igitur & ipse, contractum esse usurarium, aut Simoniacum, adeòque renuit contrahere.*

Theologus benignus ipsi dicit: quid times? An nescis septem esse Doctorum opinionem, quòd contractus non sit Simoniacus? Scio, inquit ille; sed viginti Doctores dicunt esse Simoniacum, & horum rationes videntur mihi validiores. Nihil refert, ait Theologus, quia licet tibi sequi opinionem minùs probabilem. Ait ille: etiam ne opinionem, quam judico esse falsam? Etiam, inquit Theologus, modò nitaris probabilitate opinionis contrariæ, quamvis minore. Ego ne, inquit ille, ut ineam contractum, quem judico esse Simoniacum? Non est, cur timeas, ait Theologus: quia illud tuum judicium nascitur ex principiis directis de contractu secundùm se, cum quo benè consistit aliud judicium ex principiis reflexis de licito contractu, ut substat probabilitati, quamvis minori. Ille verò: ego reflexiones illas non novi, nec curo nosse: nimis certum habeo, non esse mihi licitum contractum, quem judico esse Simoniacum.

Age, age, inquit Theologus, eximam omnem scrupulum. Illud tuum judicium, cùm sit opinativum, est tibi liberum: illud igitur suspende tantisper, dum absolvis contractum. Sed ille: quæso, quid hoc me juvabit, si rationem, & auctoritatem pro Simonia contractus clarè videam prævalere? Ad hæc Theologus: ad plenam, ait, securitatem tãtisper etiam animum averte à consideratione rationis, & auctoritatis, intentus in solam probabilitatem opinionis contrariæ: quid facilius? Abrumpo hoc filum, ne satyra scripta videatur. Verùm sic est res, si objiciatur oculis sine fuco.

Hæc Pater acutissimus, in prælaudato Scripto, quæ, cùm sint fidelissima, ac mera expressio sententiæ benignæ, sufficiens tamen sunt, nimisque efficax ejusdem impugnatio. Cui verò eadem satyra videbuntur, is benignam sententiam, & artificium ejus, judicio suo accusat, ac damnat: alioqui ostendat petimus, quid in præmissis verbis per impostluram, aut calumniam dicatur?

98. Equidem per se ipsum incredibile apparet, è duobus hominibus idem opus, & in eisdem circunstantiis facientibus, alterum legem Dei contemnere, ac violare præ altero, ex eo tantùm quòd hic præ illo à consilio, & de industria su-

ſuſpendat actuale judicium, quo judicare poterat, opus ſuum eſſe re ipſa legi contrarium; cùm tamen eadem omninò motiva, eaſdemque rationes habeat, atque cognoſcat, quas alter habet ad ita judicandum.

Immò doloſa hæc oculorum averſio à luce veritatis ſibi obſervante videtur clarè operantem oſtendere pejùs affectum erga legem Dei, multòque impenſiùs ad peccandum propenſum. Ecqua nanque deterior affectio cordis erga Deum, & ejus legem, quàm hominis, qui ab illa, & à notitia ipſius, ita ſibi timet, & cavet, ut ab ipſius legis ignorantia, & cotemptu, timere ſibi, & cavere debebat? Profectò longè is abeſt, ut cum Propheta oret, *Da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua*, & cum eodem rurſus exultabundus cantet, *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos .... judicia Domini vera juſtificata in ſemetipſa. Deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel, & favum.* Non ergo poteſt operans excuſari à violatione formali legis per voluntariam illam judicii, ſtudioſamque ſuſpenſionem; ſed potiùs multò pejùs operari videtur, quàm alter, qui judicium non ſuſpendit, ut notabamus præced. art. §. 5. n. 2. & 3.

Pſal. 118.

Pſal. 18.

99. Porrò, quòd abſolutè violet formaliter legem Dei antecedētem, atque directam, atque adeò peccet formaliter, per evidentem conſequentiam colligitur ex principiis ſuperiùs ſtabilitis. Etenim quiſquis videns, veroſimilius eſſe, operationem ſuam non conformari cum ipſa lege, ſed eidem potiùs opponi, nihilominus illam exequitur, proculdubio non quærit ſeriò, & ex animo, cōformitatem ſuæ operationis cum prima regula moralis honeſtatis, ideſt, cum ipſa lege, ſeu voluntate Dei, nec Deum ipſum, & ejus voluntatem ſincero corde amat, ſed magis voluntariè contemnit: quod ex terminis ipſis videtur evidens, & luculentè demōſtratum relinquimus per totam præcedentem controverſiam, ubi multis exemplis horologii, ſortium, & aliis, ob oculos id conſtituimus. At quiſquis operatur ex directa opinione minùs tuta, & ſimul minùs ſibi probabili, quanvis ſuſpendat actuale judicium, quo poſſet ipſam facilè, ſi vellet, judicare, agit id, quod agnoſcit veroſimilius eſſe, quòd ſit re ipſa contra legem Dei antecedentem, atque directam: ergo non quærit illam ſincero corde, ſed voluntariè violat, & contemnit: igitur prudenter non agit, ſed turpiter, ac imprudenter.

100. Ecce igitur nudam ab omni reflexionum involucro conſcientiam hominis operantis ex artificio Probabiliſmi, juxta viam, quam hic obſtruimus: *Sive contractum hunc Deus per legem ſuam prohibeat, ſive non prohibeat, tanquam illicitum, & uſurarium; immò etſi mihi veroſimilius ſit, Deum de facto prohibere illum ſub pœna damnationis æternæ: cùm tamen viri graves, ac docti (quorum ego opinionem veram non cenſeo, ſed potiùs falſam eſſe veroſimilius puto) probabiliter doceant oppoſitum, & mihi liceat agere ſecundùm opinionem minùs tutam, etiam mihi minùs probabilem, licitum mihi abſolutè eſt hujuſmodi contractum inire.* Sed licet nobis addere, atque ſubſumere: *At inire contractum, de quo veroſimilius ſit operanti eſſe re ipſa contra legem Dei, eſt legem ipſam ſeriò non quærere, ſed violare potiùs formaliter, atque voluntariè contemnere: legem verò divinam contemnere, ac violare formaliter, nefas eſt, & formale peccatum: ergo abſolutè licet formaliter peccare.*

Tu verò, Lector, diligenter conſidera, quid in toto diſcurſu Probabiliſtæ negare poſſint, rejecto ſemel illo ſuo principio de inſufficienti legis promulgatione? Vide, an conſcientia hominis operantis ex reflexo artificio Probabiliſmi, verè pia ſit, & Chriſtiana? Ac demum, an di-

ctamen absolutum, quod ex reflexo principio Recẽtiorum legitimè tandem concluditur, sit verè prudens, atque Catholicum?

§. III.

Concluditur multò major absurditas hujus communis viæ Reflexistarum.

101. PAtet igitur, liberam suspensionem judicii de inhonestate objecti intrinseca, ac directa, nihil operantem juvare ad formandam rectam conscientiam, quia nullatenus impedit divinæ legis notitiam sufficientem ad ipsam violandam formaliter. Præterea, estò impediret, non ideo excusaret à culpa; quia talis ignorantia non foret inculpabilis, sed voluntaria, immò directè volita, studiosèque procurata: ignorantia verò hujus indolis peccatum non excusat, quin nec diminuit, sed augere potiùs videtur. Denique, ut sapienter Bernardus, *Frustrà sibi de infirmitate, vel ignorantia blandiuntur, qui ut liberiùs peccent, libenter infirmantur, vel ignorant.*

Bern. de Gradi. humilit. c. 2.

102. Audiatur S. Thomas: *Contingit autem quandoque, quòd talis ignorantia directè, & per se est voluntaria, sicut cùm aliquis sua sponte nescit aliquid, ut liberiùs peccet: & talis ignorantia videtur augere voluntarium, & peccatum: ex intensione enim voluntatis ad peccandum provenit quòd aliquis vult subire ignorantiæ damnum, propter libertatem peccandi.* Id verò intelligi necessariò debet, non de ignorantia secundùm se precisè, & formaliter considerata; sed de ipsa prout volita, seu voluntaria, ut inducta videlicet directè per illum intensiorem, propensioremque affectum ad peccandum. Nam alioqui ignorantia formaliter accepta, cùm sit mera scientiæ privatio, nunquam formaliter, & ratione sui, voluntarium augere potest, sed potiùs aliquo modo semper diminuit: cæterùm scientiæ defectus compensatur, ut diximus, cum excessu per intensiorem voluntatem peccandi.

D. Tho. 1. 2. q. 76. a. 4. corp.

103. Ex quibus clarè demùm apparet, modum hunc formandi cõscientiam ex reflexo principio Recentiorum, quantunvis primo aspectu tolerabilior, & minùs absurdus videatur, multò tamen esse pejorem, multòque absurdiorem re ipsa, quàm modum alterum priùs rejectum. Ratio verò patet ex dictis: nam ille, qui, ut utatur opinione directa minus sibi probabili de bonitate suæ operationis, liberè cohibet actuale judicium de falsitate ejusdem opinionis, & (quod eòdem redit) de intrinseca malitia operationis suæ; in primis non sincerè, sed fraudulenter potiùs se habet adversus legem Dei, affectando nempè de industria, & procurando ignorantiam ejus, ut contra illam liberiùs agat: aliunde verò infelix, & dolosus ille conatus irritus tandem est, nec assequitur, quod intendit, quandoquidem actuali deficiente judicio, non deficit propterea notitia actualis, quæ sufficere posset, ac deberet, ut abstineat ab illa operatione, quam proinde non ponit ex ignorantia, sed ex malitia potiùs, & contemptu divinæ legis.

104. Unde, qui ex simili conscientia operatur, ex una parte ostendit pravũ cor suum adversus Deum, & ejus legem, & intensiorem voluntatem peccandi, ut ajebat D. Angelicus, dum lumen veritatis studiosè declinat, *& non venit ad lucem, ut non arguãtur opera ejus*: ex alia verò, licèt invitus, impingit in lucem, quam odit, & scienter demum committit, quod ignoranter patrare cupiebat. Videtur igitur unus ex illis, de quibus Job, *Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis: & sic in tenebris, quasi in luce ambulant*: de quibus item olim Bernardus, *Quantos expertus sum agnita veritate tristiores, & ideò magis, quòd jam confugere ad ignorantiæ excusationem non liceret, scientes, & non facientes, quod veritas hortaretur.*

Ioan. 3.

Iob. 24.

Bern. serm. 47. in cant.

Con-

105. Concludamus ergo jam licet, utrunque ſenſum Probabiliſtarum, ſeu modum formandi conſcientiam ex ſuo reflexo principio, quod à priori vocant, & evidenter demonſtrativum pro benigna ſua ſententia, eſſe maximè abſurdum, & nimis evidenter falſum, quique conſcientiam generet non rectam, ſed iniquam omninò; atque adeò neminem poſſe prudenter, aut licitè agere ſecundùm opinionem minùs tutam, & ſimul minùs ſibi probabilem contra tutiorem, ac probabiliorem, ſeu illam operans actu retineat, ſeu liberè potiùs ſuſpendat.

§. IV.

Corollarium de Theologo conſulente, ſive aliis conſilium dante.

106. DE Theologis moralibus, Confeſſariis, & generaliter de Conſultoribus, ſeu Directoribus conſcientiarum, dum alios actu dirigunt ad uſum opinionum probabilium, ſatis conſequenter diſcurrunt, uno excepto, vel altero, Recentiores Probabiliſtæ, quando de hoc ex profeſſo diſputant, licèt aliàs, ob propriam conditionem principiorum Probabiliſmi, in multas nimis claras de hac eâdem re, inconſequentias ſæpè labantur, quas ſuis propriis locis adnotare non omittemus.

Ajunt videlicet ex eodem principio, unicuique licitum eſſe conſilium dare alteri ſecundùm opinionem minùs tutam, & conſilianti ipſi minùs probabilem, ſive quam judicat actu falſam, ſive quam poteſt, ſi velit, judicare; hìc enim Reflexiſtæ ſimiliter diviſi ſunt in duplicem viam, ac ſenſum, circa modum, quo debeat director formare conſcientiam, vel deponendo ſcilicet neceſſariò, vel etiam retinendo, dum actu dirigit, opinionem ſuam directam, contrariamque opinioni benignæ, cujus uſum conſulit alteri.

107. Cohæret procul dubio aſſertio iſta doctrinæ Probabiliſtarum de uſu licito opinionis benignæ, etiam minùs probabilis operanti; quod enim ſibi, & omnibus licitum quis prudenter exiſtimat, quare non poſſit aliis approbare, aut conſulere, ſub eiſdem omninò circunſtantiis? Immò, Probabiliſtam, ſi conſequentiam teneat, aliter non poſſe reſolvere dubia moralia ſibi propoſita, evidens prorſus eſt ex Probabiliſmi principiis; quomodo nanque poterit alteri denuntiare, ſeu intimare, abſolutam obligationem ſolvendi, aut reſtituendi, exempli gratia, ſi noverit eſſe opinionem, licèt ſibi minùs probabilem, quæ neget talem obligationem, & ipſe cenſeat abſolutè licitam ejuſmodi opinionis praxim? Sanè dum alii diceret, *reſtituere teneris*, egregiè mentiretur eidem, mendacio utique gravi, ac perniciоſo, atque adeò occidente animam.

108. Hinc (quod magnopere notandum eſt) ego nunquam capere potui praxim multorum hominum valdè doctorùm, ac timoratorum, qui cùm modernum Probabiliſmum ubique pugnaciſſimè doceant, & ſuſtinendum eſſe contendant; ipſi tamen, dum dubia particularia ſibi occurrentia, præſertim de re gravi, verbo, vel ſcripto reſolvunt, dum docent, dum ſcribunt, dum concionantur, paſſim denuntiant obligationem gravem, cùm probè ſciant non deeſſe opinionem, licèt æquè, vel minùs, verè tamen probabilem juxta ſenſum benigni Probabiliſmi, quæ neget talem obligationem. Id eſſe factum certum, atque notorium, vix ſit, qui neſciat; neque ſemel, aut iterùm per me ipſum expertus ſum, multoſque de ſe ipſis id palàm profitentes ſæpiùs audivi. Quid hìc verò dicendum, ignoret fortè quis.

109. Cæterùm factum iſtud efficaciſſimè apud me convincit, aliam eſſe rationem, & admodùm diſſimilem de docentibus, & utentibus in materia Probabiliſmi. Porrò, moder-

dernus Probabilissimus fallaci speciè benignitatis suæ multorum intellectus non vulgares, incautè tamen nimiùm præoccupatos plurimis veritatis præjudiciis, (de quibus supra nonnihil diximus, & in decursu multò plura dicemus) facillimè fallit, & obtinet, quòd ad assensum attinet quasi speculativum, & controversiâ istâ generaliter, & quasi abstractè consideratâ; quorum tamen conscientias timoratas, atque fideles, non ita facilè decipere potest, dum propiùs venitur ad praxim. Verùntamen viri isti prudentes, qui, quam incautè verbis docuerant, Probabilissimi praxim, factis retractant, hujus laudabilis praxis suæ, qua sibi prudentissimè consulunt, meminisse sanè deberent, dum verbis suis multos decipiunt non ita cautos in operando; qui scilicet plus verba, quàm eorum facta considerant, non quia majoris momenti sint, sed quia magis sibi placentia. Verùm de hoc in secunda parte latiùs à nobis agendum est.

110. Nunc, quod spectat ad assertionem, qua Probabilistæ communiter principium suum reflexum, quod proximè impugnavimus, consequenter, ut diximus, extendunt ad consulentes, ac dirigentes; nobis, qui praxim Probabilissimi totis judicii viribus illicitam absolutè censemus, & dicti principii reflexi, quo Recentiores illam à priori suadent, absurditatem, & falsitatem maximam adeò patenter jam demonstravimus, opus item non erit dictis aliquid addere, aut argumenta nova producere ad assertionem istam, & extensionem ejus principii efficaciter confutandam. Sufficit igitur doctrinam nostram huc etiam breviter applicare, ut extensionis hujus, doctrinæ Recentiorum eadem falsitas, & absurditas statim evidenter appareat.

111. Sanè, si mihi non licet agere secundùm opinionem minùs tutam, quam judico minùs probabilem, sive retineam actu contrariam opinionem, sivè illam prò libitu deponam, consequens planè est, ut neque id liceat aliis suadere, quid enim aliud foret, quàm positivè illos ad peccandum inducere, quod nũquam potest licitum esse? Neque reflexio ulla prodesse mihi potest in ordine ad consilium potiùs præbendum, quàm in ordine ad meam operationem. Alioqui cur mihi appellare non licet pro operatione mea ad prudentiam aliorum, qui opinionem illam benignam minùs probabilem tradiderunt? Certè, quia nequeo illos prudentes judicare in illa re, de qua delibero, licèt absolutè prudentes, cùm vel judicem actu, ipsos deceptos esse re ipsa, vel saltem esse verosimilius, quod re ipsa decepti sint: neque fieri potest per reflexionem ullam, ut prudenter mihi persuadeam licere mihi agere, quòd existimo esse re ipsa contra legem Dei, vel saltem esse verosimilius, quòd re ipsa sit contra legem, alioqui judicarem prudenter licitum mihi esse peccare, quod est error in Fide longè absurdissimus, & in terminis ipsis implicatorius.

At hæc eadem probant, per nullam reflexionem fieri posse, ut qui consulit alteri usum illius opinionis benignæ, quam credit esse minùs probabilem, rectam conscientiam formet; quia nunquam potest prudenter judicare, licitum sibi esse suadere aliis id, quod suadens existimat esse re ipsa contra legem Dei, aut saltem esse verosimilius, quod re ipsa sit contra legem; aliàs prudenter crederet, licitum esse sibi inducere ad violandam legem divinam, quod nemo prudens dicere audeat.

112. Neque refert, quòd is, qui consilium accipit, aliter possit formare conscientiam secundùm illam opinionem benignam, quam potest ipse putare veram, & forsan inculpatè, propter auctoritatem Doctorum, qui tanquam veram illam docuerunt: etenim id in primis contingens est, & omninò per accidens.

Aliun-

Aliunde verò nihil prodesse potest ad consulentem ipsum excusandum; quia nemo potest licite cuiquam consulere id, quod ipse cognoscit esse malum secundùm se, & contra legem Dei prohibentem, quanvis simul cognoscat fieri posse, ut qui consilium accipit, exculetur à culpa, immò etsi certò sciret excusandum; alioqui liceret suadere rustico usum cujuslibet opinionis quantuncunque improbabilis, aut erroneæ, contra fidem, aut contra mores, quod nullus Theologus audeat affirmare.

113. Verum age, ne pluribus opus sit, conscientiam consulentis, aut dirigentis, secundùm opinionem minùs tutam, & simul minùs sibi probabilem, jam *contra faciem suam statuamus*. Placet autem illam non meis, sed Terilli verbis exprimere, qui exemplum affert de Theologo opinante, octo uncias pro serotina refectiuncula nō esse moderatam, sed nimiam quantitatem, & quæ absolutè jejunium frangat.

Sic verò docet formare conscientiam ex artificio Probabilismi reflexi: *Scias, me ex rationibus directis existimare, quantitatem hanc esse nimiam, adeòque ita esse dispositum, ut nisi aliud formem judicium, peccaturus sim, si stante hoc judicio, octo uncias comedam: nihilominus tu non teneris te juxta meam opinionem gubernare, sed potes aliis viris doctissimis fidem dare, illorumque sententiam tuta conscientia sequi, qui dicunt, octo uncias non esse quantitatem nimiam. Adeas ergo talem, & ab illo pete, ille enim expressè tenet, id licitum esse. Et ego ipse scio, te tutum fore in conscientia, si dubium deponas, & propter illorum auctoritatem, & rationes judices, id tibi licere. Consulo ergo, ut illis potius, quàm mihi credas in hac re.* Subjungitque post pauca sequenti num. *Et sanè hæc veritas adeò patens est, ut non videam quomodo quis rationabiliter possit eam in dubium revocare.* Ita Terillus totidem verbis.

Teril. q. 30. de cōscien. proba. n. 17.

114. Glossemus verba hæc prodigiosa, vel, ut aptiùs loquamur, sensum horum verborum aliis vocibus sono tantùm diversis fideliter reddamus: *Ego quidem existimo, eum, qui ad octo uncias jejunii refectiunculam extendit, violare re ipsa jejunium: sed quia sunt alii multi Doctores, qui docent (falsò, ut judico) non violare, licitum tibi absolutè est eam quantitatem comedere, & ideò tibi consulo, ut illis potiùs credas, & quantitatem illam, si placet, absque ullo scrupulo comedas.* Accipe id ipsum rursus significantiùs: *Ego judico, te, si quantitatem illā comederis, re ipsa peccaturum contra legem jejunii: quia tamen alii (quos decipi credo) negant, te non peccaturum, licet tibi absolutè eam quantitatem comedere, & ideo tibi consulo, ut non mihi, sed illis credas, & quantitatem illam, si placeat, sine ullo scrupulo comedas.* Idest, *consulo tibi, ut facias id, quod si feceris, judico, te peccaturum; nec mihi credas verum dicenti, sed aliis potiùs, qui falsò dicunt, te nullatenus peccaturum.* Hæc omnia, excluso illo capitali principio de insufficienti legis promulgatione, ex ipsis terminis evidentia esse, manifestè constat ex dictis. Quàm verò sanum, pium, & honestum cōsilium sit, quàm prudens, recta, ac tuta conscientia consulentis, aut dirigentis, judicio Lectoris relinquimus.

115. Et tamen *hæc est veritas adeò patens, ut nemo possit rationabiliter eam in dubium revocare*: hæc est via salutis suavissima, rectissima, tutissima, prudentiâ, discretione, benignitate plena, & Ecclesiæ Dei utilissima, quippe quæ tollit mundi peccata. Hæc nimirum est via, quam qui docent (ait quidam Recentior) *perfecta suadent; suadent enim opinionem benignam, quæ, & vera est, adeòque intellectum ornat, & valde utilis voluntati, quia plurima peccandi pericula suavissimè arcet.* His quidem omnibus, & innumeris aliis magnificis, & gloriosis encomiis opi-

opinionem suam benignam passim Recentiores commendant, populoque ultrà modum jucundam, & maximè optabilem faciunt.

Cæterum suæ benignæ sententiæ, sibi ipsis, & populo quantum voluerint, Recentiores blandiantur. Interim nos facilius credemus, hanc viam operandi, consulendi, atque dirigendi, esse illam, de qua per Isaiam Dominus, *Populе meus* (inquit), *qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant*. Item: *Et erunt, qui beatificant populum istum, seducentes: & qui beatificantur, præcipitati*. Quam aliis verbis Dominus in Evangelio expressit, *Cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

Isa. c. 3.

Idem c. 9.

Math. 15.

Haud tamen ideò dicimus, aut credimus, Probabilistas velle studiosè decipere, aut per fictitiæ pacis fallacem promissionem populorum auram captare. Absit, ut hoc de viris usqueadeò piis, ac probis, vel suspicari, nobis veniat in mentem. Immò facilè credimus, eorum zelum esse Christianum, & intentionem piam, ac bonam. Solùm ergo contendimus, & ostendimus (ne cui lethalis error improvisus obrepat per speciem tutissimæ benignitatis), & eos, qui benignam sententiam docent, quanvis nolentes, nimiùm esse deceptos, & eos, qui incautè suscipiunt, miserè quoque decipi contra suarum animarum salutem. Doctrinam igitur (quod ad nos attinet), nullam verò personam determinatam judicamus.

ARTICULUS V.

Synopsis Controversiæ.

116. LOngiùs omninò, quàm initio credidimus, controversiam istam protraximus: fortasse tamen non inutiliter, licèt ad refellēdum celebrem Recentiorum Prudentissimum brevior sufficeret disputatio. Accipe igitur summam universæ doctrinæ traditæ, ut illam, cùm libuerit, compendio possis ob oculos tibi statuere.

Dupliciter juxta Recentiores formari potest recta conscientia secundùm opinionem minùs tutam æquè, aut minùs probabilem operanti: nempè, vel contra propriam opinionem actu etiam perseverantem, qua quis directè judicat, objectum, quod amplectitur, esse malum secundùm se, & lege directa prohibitum; quod docent aliqui: vel potiùs suspendendo omne actuale judicium circa objectum ipsum directum; qui jam videtur sensus communior apud neotericos Probabilistas, quorum non pauci priorem sensum vehementer etiam exhorrent.

117. Utrique verò omnes sic à priori arguunt: *Quisquis operatur prudenter, licitè, & honestè operatur: sed qui opinionem sequitur verè probabilem, etiamsi minùs operanti probabilem, operatur prudenter: igitur licitè, & honestè operatur*. Hoc argumentum ipsi omnimodis irrefragabile, ac demonstrativum appellant, quippè quod rectè colligat sententiam suam ex Præmissis omninò certis, & evidentibus, immò ex terminis ipsis, si Deo placet, notis. Cæterùm esse inane sophisma innumeris fallaciis, & æquivocationibus plenum, adeò per se conspicuis, ut ne sophisma quidem dici mereatur, demonstratum est multipliciter, & nimis evidenter, ut autumo.

118. In primis apparet statim defectus argumentationis, in qua conclusio ipsa Recentiorum assumitur, ut evidens Præmissa, ad ipsam conclusionem demonstrandam. Constitit insuper appellationem ad sapientes, atque prudentes, in quam resolvitur præfata demōstratio, confusè, & generaliter acceptam, esse nimis absurdam, & importunam, quæque mille probet errores. Quid enim si sapientes, & prudentes docuissent opinionem improbabilem, aut etiam manifestum errorem? Non

ne

ne sapientes absolutè fuerunt Origenes, Tertullianus, & alii? Nunquid ad illorum sapientiam nobis appellare licebit, ut eorum errores amplectamur?

119. Præterea viros illos, quos appellant, licèt alioqui doctos, & graves, in quæstionibus tamen, in quibus appellatur ad ipsorum sapientiam, multis nominibus non esse sapientes, quibus nos tutò committere possimus, ex doctrina Augustini egregia, & principiis certissimis ab eo traditis, quibus extremè opponitur tota Recentiorum doctrina, luculenter monstratum est.

120. Tum ultrà, in terminis præsentis controversiæ non solùm verè sapientes non sunt, sed neque credi potest, futurum, qui ad ipsorum appellet auctoritatem, nisi qui terminos ipsius hypothesis, vel non consideret, vel prorsus non intelligat. Quid nanque censeat operans de contrariis Auctoribus æquè, aut magis doctis, ac gravibus? Cur non etiam sapientes sunt? Ajunt, etiam esse sapientes. Sed alterutri saltem necessariò falluntur: qui verò fallitur, in eo, in quo fallitur, sapiens non est, nisi error sapientia est. Jam, si utrique non sunt sapientes, & incertum est in re illa, utrì determinatè sapientes sint, illi apud operantem determinatè, ac certò sapientes erunt, de quibus ipse credit, vel quod sint decepti re ipsa, vel saltem esse verosimilius, quòd re ipsa decepti sint? Nemo non stultus desipiat. Dicere id quidem ore quis poterit: credere verò corde non poterit, qui verborum sensum intelligat.

121. Hinc patet, quàm è vulgi superficialitate sit clamor ille magnus, quo etiam injuria prætenditur, si de his, aut illis Auctoribus, qui aliquam opinionem benignam ut absolutè veram docuerunt, dicatur in ea re non fuisse sapientes, aut prudentes, neque ipsam eorum opinionem verè probabilem, & in praxim tutam. Quid, inquiunt, tantus Doctor (semper enim sunt maximi, qui benignè opinati sunt, iidem ipsi floc faciendi, si contra libertatem humanam, & pro lege Dei stetissent) peccavisse censendus erit, dum opinionem istam benignam publicè docuit, & ad praxim fortè deduxit? Ecce palpabilem æquivocationē, quam proinde miramur, homines acutissimos nō videre. Quasi videlicet idem omninò foret aliquam opinionem visam fuisse alicui Doctori, vel etiam multis, probabilem, aut veram, & esse mihi, & omnibus verè probabilem. Sed neque idem est errasse, ac peccavisse, cùm potuerit error esse inculpatus.

122. Fallūtur ergo egregiè Probabilistæ, & nimis apertè falluntur, dum probabilitatem respectivam cujusvis opinionis benignæ extendere volunt ad omnes: &, quod est mirabilius, etiam ad illos, in quorum intellectibus opinio illa habet statum longè diversum, immò etiam prorsus contrarium; quæ est argumentatio verè mirabilis: nempè, *hæc, vel illa opinio est probabilis Petro viro sapienti, quia veram illam absolutè reputat, aut saltem verosimiliorem: ergo & est verè probabilis Joanni, qui putat illam absolutè falsam, aut saltem minus verosimilem*. Quid ineptius? Hanc tamen esse ipsissimam adversariorum argumentationem, patet ex ipsis controversiæ terminis, & affatim à nobis ostensum est.

123. Ostendimus præterea, demonstrativum illud Recentiorum principium esse usque adeò absurdum, & fallax, ut in propria opinione, contra quam formatur conscientia, nullum prorsus sensum permittat, nisi vel absolutè repugnantem, vel planè irregularem, & absurdum: nam, vel operans judicat absolutè, & omnibus inspectis circunstātiis, tam intrinsecis, quàm extrinsecis, objectum, quod amplectitur ex aliena opinione, esse re ipsa illicitum, aut saltem esse verosimilius, quòd re ipsa illicitum sit; & sensus iste contra-

dictoriè opponitur ultimo conscientiæ dictamini de honestate ipsius objecti, adeòque absolutè repugnat: vel non judicat absolutè, sed restrictè, & quasi hypotheticè, hoc est, objectum secundùm se, & inspecta ipsius naturâ, illicitum videri, adeòque fore absolutè illicitum, nisi probabilis aliorum opinio illicitum esse negaret; & ejusmodi sensus, præsertim in quæstionibus moralibus, & practicis, ineptus valde est, ac penitùs irregularis contra modum, & praxim loquendi, & opinandi communissimam omnibus, etiam Probabilistis, contra veracitatem, & sinceritatem Christianam, & qui, si semel liceat, nihil non cuilibet affirmare licebit, vel contra ipsa dogmata Fidei, verbis expressis, & absolutis, quo nihil potest absurdius cogitari.

124. Denique (quod addere oportet, & est magnopere considerandum) sensus iste restrictus, ac dimidiatus, multò pejor videtur ob circunstantias suas jam insinuatas, quàm sensus opinionis damnatæ, quæ amphibologias, & mentis restricti ones, licitas adstruebat ex quavis causa juxta, ac rationabili. Et tamen ad hunc sensum recurrere tenentur, & de facto recurrunt Recentiores, si sustinere velint principium suum reflexum demonstrativum, & irrefragabile.

125. Tandem principium istud tot in se involvens æquivocationes, fallacias, & absurditates, nullo planè negotio ex principiis à nobis stabilitis, evidentis convincitur falsitatis. Nempè, secluso illo dogmate capitali de insufficienti legis promulgatione, & lege Dei primaria, ac directa, immobili re ipsa persistente in hypothesi nostræ controversiæ, si quis ex eo Recentiorum principio conscientiam contra propriam opinionem actu perseverantem formare velit, non potest non scienter contemnere, & violare formaliter legem ipsam; sic enim apud semetipsum necessariò dicere debet: *Ego quidem existimo, me violare re ipsa legem Dei per contractum istum, quem ineo: quia tamen alii oppositum probabiliter docent, (falsò tamen, ut censeo) licitum mihi absolutè est hujusmodi contractum inire*: Idest, *licet mihi peccare* (quid enim aliud est violare legem?), *quia multi dicunt mihi licere, quos tamen ego judico falli*. Dictamen verò hoc non solùm impium, ac blasphemum est, sed etiam evidenter falsum, immò in terminis ipsis implicatorium, cuique propterea mente nemo assentiatur.

126. Quòd si operans pro libitu suo suspendat omne judicium directum de contractu secundùm se, ut operari possit ex opinione aliena benigna, minùs tamen sibi probabili (juxta alteram viam, seu modum formandi conscientiam Recentioribus communiorem), non modò nihil proficit, sed etiam multò magis absurditatem auget, & pejorem format conscientiam, si pejor possit absolutè formari: quia ex una parte affectat, & de industria procurat ignorantiam divinæ legis, ut contra illam liberiùs agat, unde perversum prodit cordis affectum, & intensiorem voluntatem peccandi, ut ajebat Doctor Angelicus; ex altera verò re ipsa non assequitur, quod intendit, sed prava ignorandi voluntas conjungitur, licèt invita, cum sufficienti notitia legis, quam proinde non ignoranter, sed scienter tandem contemnit.

127. En igitur conscientiam sic operantis, qualis reverà est coram illo, *cui nuda, & aperta sunt omnia, & quem conscientiæ secreta non fallunt*, ut Ambrosius quondam ajebat: *Possum quidem prudenter, sed nolo judicare, contractum istum esse usurarium, & contrarium re ipsa legi divinæ: sed quia graves Auctores docent oppositum (quos tamen verum dicere non credo, sed decipi re ipsa, verosimilius est), sive contrarius sit, sive secus, immò, etsi video verosimilius esse,* Ambr. in cap. 2. Luc. li. 2.

esse, quod re ipsa contrarius sit, licitum mihi est contractum hunc inire, & ideò ipsum inire volo. Nunc tu vide, & considera, quanti faciat legem divinam, qui cum ejusmodi conscientia operatur.

128. Atque hoc est, benevole Lector, argumentum potissimum, & à priori, quo benignam suam sententiam Recentiores mundo suadent, quodque, si eorum libros evolvas, haud secus celebratum, & liberaliter commendatum invenias, ac si principium foret per se notum, cui nullus intellectus dissentiri aliquando posset; tale nanque ab aliquibus signanter prædicatur; ab aliis *argumentum irrefragabile*; ab aliis *veritas ex terminis nota*; ab aliis *Theologorum dogma commune*; ab aliis *evidens demonstratio, quæ conclusionem inferat, metaphysicè etiam infallibilem*; ab aliis *fundamentum inimpugnabile*, & alii passim similia loquuntur. Verùmtamen hæc omnia ridenda forent, nisi animas perderent, & fletum potiùs, quàm risum postularent. Nemo tamen opinor facilè in posterùm decipiatur, si totam istam controversiam perlegerit, & bellum non indixerit veritati.

Utinam tamen multi adhuc non sint (sic materiæ conditio timere facit) ex iis, de quibus Philo quondam ajebat, *Qui accepta semel quabiacunque dogmata obstinatè defendunt, sive probata, sive improbata, more causidicorum mercenariorum jus, & æquum negligentes*. Verùm qui sic erraverint in controversia ista, miserandi maximè sunt. *Utinam potiùs, quod in me est* (opto, & deprecor cum Ambrosio), *audire vellent, ut crederent: audire cum bona voluntate, & mansuetudine, ut verum quærentes, non veritatem impugnantes*.

Philo. in vit. Moys.

Ambro. li. de fid. c. 4.

CONTROVERSIA NONA.

Examinatur item, & accuratiùs denuò refellitur, reflexum alterum Recentiorum principium de possessione libertatis humanæ in omni eventu dubio de obligatione divinæ legis.

1. OPpositum principium, nempè in dubiis de licito, vel illicito, nunquam nobis licere deflectere ad partem benignam, aut libertati nostræ faventem, sed tutiorem semitam semper esse necessariò tenendam, credimus esse regulam generalem non semel, aut obscurè sacris Canonibus nobis consignatam, & ex ipsa æquitate naturali, seu naturæ jure desumptam. Id ex professo in secunda parte, ubi ex Jure Canonico argumenta desumpta exactè nobis discutienda sunt, fusiùs, atque distinctiùs palàm faciemus. Nihilominùs tamen Recentiores Probabilistæ regulam contrariam statuunt, ex ipso item Jure, ut arbitrantur, legitimè deductam, ex eo scilicet, quòd in omni dubio circa legis obligationem homo possideat libertatem suam, qua privari non debeat propter dubiam legis notitiam, cùm melior sit in dubiis possidentis conditio. Hoc est secundum Recentiorum principium, & fundamentum sui Probabilismi, ex tribus celebrioribus, quæ superiùs adduximus, & sigillatim examinanda suscepimus. Sed, ut patentior fiat legitimus sensus ipsius, utque efficaciùs possit à nobis impugnari, libuit priùs de dubio pauca disserere sub generali quadam ratione, & ex principiis Philosophiæ receptis; quæ pluribus etiam jam dictis, & adhuc in decursu dicendis, nonnihil lucis afferre poterunt, facilioremque intelligentiam præstare.

ARTICULUS I.

Natura propria dubii intellectualis sub generali ratione exponitur.

§. I.

Proponitur definitio dubii ex D. Thoma communiter recepta, & variis illationibus illustratur.

2. DUbium accipi potest, vel pro dubitatione, sive pro actu, quo dubitamus, vel pro objecto ipso dubitabili, idest, circa quod, vel de quo nobis dubitare contingit. Quanvis autem objecta naturâ suâ priora sint, & nostris actibus plerunque notoria, tamen actus, quoad aliquos saltem effectus, aut proprietates, quibus affecti sunt, faciliùs nobis innotescere solent, licèt perfecta demùm actuum notitia, non nisi objectis cognitis, habenda sit. Ideò placet ab actibus inchoare, quanquàm reverà cognitio ipsorum vix possit aliquo modo ab objectorum cognitione sejungi.

3. S. Thomas, dum versat quæstionem illam, quam ex Ambrosio Magister movet, *Utrum Christus, ut homo, dubitaverit?* dubium pro actu acceptum definit in corpore articuli, *Motum rationis supra utranque partem contradictionis cum formidine determinandi alteram*. Hæc verò *dubitatio* (subdit post pauca) *contingit ex defectu medii sufficientis ad veritatem inveniendam, & ideò contingit ex defectu scientiæ*. A qua S. Doctoris definitione parùm abeunt, aut nihil, vulgares aliæ, quæ frequentiùs circunferuntur, & à quibus propterea recensendis supersedemus. Ut verò tradita definitio faciliùs penetretur, & exponatur, operæ pretium sit varia quædam ex illà corollaria deducere, quibus dodoctrinam nobis necessariam colligere simul valeamus.

S. Tho. in 3. dist. 17. q. uni. a. 4.

4. Primò ergo deduces, motum rationis, quem dubitatio importat, esse intellectus actum, qui attingit pariter, & immediatè, utrunque extremum contradictionis, ut propositum per motiva diversa, & se se invicem oppugnantia, quorum quodlibet intellectum solicitat, & trahere conatur in suam partem per determinatum assensum; viribus tamen paribus, & ancipiti pugna, ut neutrum alteri sibi contrario notabiliter saltem prævaleat. Hinc fit, ut intellectus veritatem, quam quærit, invenire demùm non possit, indeque hærere violenter cogatur, haud secus, quàm si vinculo quodam implicaretur, & obstringeretur; contra quod dum annititur, atque conatur, cùm solvere non possit, impeditur ultrà procedere; hoc etenim exemplo utitur Aristoteles, *Intellectus hæsitatio* (inquit) *manifestum hoc de re facit. Quatenus enim dubitat, eatenus simile quiddam ligatis patitur: utroque nanque modo impossibile est ad ulteriora procedere*. Quod item repetit Ethi. 7. c. 2. Arist. 3. Met. c. 1.

5. Deduces secundò, intellectum, dum dubitat, vel per actum ipsum, quo dubitat, vel per alium priorem, qui sit illius causa, attingere aliquo modo, saltem confusè, ac indeterminatè, ut assequibilem, & invenibilem, veritatem ipsam, quam quærit, cujus scilicet amore movetur ad ipsam inquirēdam, & inveniendam. Porrò vis illa, quam intellectus patitur, dum dubitatione impeditur, nō potest non oriri ex desiderio aliquo, atque prævio conatu in veritatem; nam, qui in veritatem non nititur, vel quia nullatenus eam cognoscit, vel quia illam apprehendit ut impossibilem, nullam violentiam patitur, dum illam non assequitur. Ideò de rebus, quas omninò negligimus, vel quarum cognitionem,

aut

aut inutilem nobis, aut prorsus impossibilem reputamus, nihil sumus soliciti, neque molestiam aliquam, dum illas non cognoscimus, sentimus. At omnis amor noster, aut conatus in veritatem, supponit præviam aliquam notitiam ipsius veritatis, ut invenibilis, cùm nemo ad impossibile moveatur.

6. Unde deduces tertiò, dubitationem partim ex ignorantia, partim ex scientia procedere: & ideò verba illa S. Doctoris, *Dubitatio contingit ex defectu scientiæ*, intelligenda sunt de defectu scientiæ perfectæ, non verò de defectu omnis scientiæ, etiam in fieri, aut inchoatæ. Enim verò, qui rem, vel prorsus novit, vel prorsus ignorat, nihil de illa dubitat: ideò non aliquando dubitare, vel sapientissimorum, vel stultissimorum esse convincitur. Hinc Deus de re nulla dubitare unquam potest: Christum, etiam ut hominem nunquam dubitavisse, rectè Magister docuit in illo loco, D. Thomas, & Theologi communiter: homines item nimis fatui, aut stupidi, rarò, vel nunquam dubitant. Unde relinquitur, dubitare imperfectorum esse, at minimè ineptorum, sed benè proficientium in aliqua scientia, vel arte, si quidem benè, & cum ratione dubitent. Ex debita ergo, aut indebita scientiæ, & ignorantiæ, vel attemperatione, vel proportione, opportunè, aut ineptè, benè, vel malè dubitare contingit.

7. Deduces quartò, dubitare non esse sine ratione, quæ, prout fuerit levis, aut gravis, dubitationem causat, aut prudentem, aut imprudentem. Ratio patet ex dictis: quia dubitatio gignitur ex eo, quòd intellectui veritatem quærenti utrinque occurrant fundamenta, aut motiva, se se invicem oppugnantia, & quæ cursum ipsius in veritatem rectâ tendentis utrinque impediant, atque concludant, ut neutrâ viâ possit procedere, & dum ipse conatur expedire se à vinculo sibi opposito, resultat motus ille contentiosus, & pugnax, quo intellectus huc illuc agitatur, ac vertitur, jam illam, jam hanc partem considerans (seu simultanea sit utriusque partis inspectio, seu successiva, velocissima tamen, & moraliter non discernibilis), quia neutra placet ipsi, & ideò in neutra quiescere potest per determinatum assensum, ut ait Philosophus ubi nuper: *Ligatur enim mens, cùm manere quidem non vult, quia concluſio non placet: procedere autem non potest, quia rationem solvere nequit.* Aristot. Eth. 7. c. 3.

Hinc ergo fit, ut hærere cogatur, & utriusque partis assensum cohibere; non tamen sine quadam violentia, quia semper urget veritatis amor, qui si omninò cessaret, cessaret etiam motus, & conatus in ipsam veritatẽ, in quo formaliter dubitatio consistit, indeque & ipsa actualis dubitatio cessaret. Exemplum habes in nautica acu, aut horologii stylo magnete delibuto, ex cujus impressione habet polum appetere, quem quandiù invenire non datur, huc, illucque agitatur, & irrequieto motu cietur. Haud secus intellectus ex propria inclinatione movetur, & contendit in veritatem.

§. II.

Aliæ itidem illationes, quibus dubii natura amplius elucidatur.

8. DEduces item quintò, dubium quod negativum vulgariter appellant, in quo videlicet nulla apparet ratio pro alterutra parte contradictionis, ut circa arenarum, aut siderum, imparitatem, vel paritatem, non esse verè dubium, sed impropriè duntaxat, & abusivè, quodque ignorantia potiùs, vel nescientia dici mereatur. Porrò, ubi ratio nulla pro alterutra parte se se offert, veritas non proponitur, ut assequibilis; ergo nec intellectus poterit in ipsam moveri: ergo nec poterit de ipsa dubitare; neque enim du-

dubitatio est quælibet judicii suspensio, sed illa duntaxat, quæ oritur ex contrariarum rationum pugna, quam intellectus conatur quidem, superare tamen non potest, ideòque cogitur judicium suspendere. Quod patet primò ex ipsa dubii definitione: Præterea id clarè docuit Angelicus Magister ubi supra ad 2. dicens, *non omnis nescientia dubitationem causat: sed quando aliquis rationem ejus, quod quærit, & de quo contraria apparent, videre non potest.*

D. Tho. ubi sup. ad 2.

9. Insuper Aristoteles ubique id ipsum supponit, ac docet, nempè non solùm locis allegatis, sed etiam Elencho. 2. c. 7. ubi orationes dividit in faciles, atque difficiles, quas acutas etiam appellat. Exponit autem earum differentiam, & de posterioribus subdit, *Est autem acuta oratio, quæ dubitare maximè facit; mordet enim hæc maximè.* Et rursus, *Quapropter in syllogisticis, quando acutior oratio est, tantò magis inquirentem exercet.* E contra verò faciles orationes contemnendas esse pronuntiat, vel quia *inopinabilia*, aut *valde falsa* assumunt, vel quia non habent *de qua, & propter quam*, id est, nec rem, de qua, neque rationem, propter quam dubitetur. Non est igitur dubitare sine ratione aliqua monstrante utrinque veritatem objecti: ergo si nulla subsit, non dubitatio, sed ignorantia, aut mera nescientia est.

Aristot. Elencho. 2. c. 7.

10. Et quidem omnis dubitans, sicut inrerrogatus, de quo dubitet? respondebit, de hac, aut illa re; ita etiam rogatus, ob quam rationem dubitet? respondebit, ob hanc, vel illam, ut nemo prudens audebit respondere, ob nullam omninò rationem, alioqui rideretur; & non dubitare re verâ, sed delirare potiùs, aut somniare censebitur. Hoc ipsum probat communissima praxis; nemo nanque aliquando quæstionem ullam excitat, quin pro utraque parte rationem dubitandi subjiciat, vel certè auctoritatem, quæ sub rationis nomine comprehenditur, cùm tota resolvatur in rationem, ut constat ex superiùs dictis. Patet etiam ex familiaribus, atque privatis nostris decertationibus, sive altercationibus; nemo enim cum altero contendit, nisi ob rationem aliquam, quam alterius rationi objicit.

Sup. controv. præced. a. 2 §. 2.

11. Denique id ipsum patet, vel ex vocis ipsius etymologia: nam dubius dicitur quasi in bivio positus, is nempè, qui, dum sibi aliquo contendenti occurrunt duæ viæ contrariæ, quarum quævis seorsim recta videtur, inspecta tamen utraque simul, determinare nequit, quænam re ipsa sit, indeque anceps hærere cogitur, & neutram arripere audet. Nullus verò viator anceps hæret circa electionem viæ, pro cujus rectitudine nihil occurrit, sed incunctanter illam declinat. Nunquam ergo intellectus dubius est, nisi cùm aliquam veritatem quærenti pro utraque parte contradictionis contrariæ rationes apparent, ut ajebat Doctor Angelicus.

12. Deduces sextò, dubium acceptum pro objecto ipso, esse ambo extrema contradictionis intellectui proposita per rationes contrarias, quarum quælibet ipsum urget, & inclinat in suam partem: ipse verò cùm simul tantundem retrahatur ab una, quantum trahitur ab opposita parte, hærere tandem cogitur inter utranque medius, nec ad alterutram audet declinare. Simile quæri potest ex navi, quæ, si alligata funibus, ex utroque litore opposito æquali vi trahatur utrinque; necessariò subsistit in medio vado: vel aptiùs forsitan ex libra, aut statera, quæ si pondere æquali deprimatur utrinque simul, hæret in æquilibrio, neque descendit in alteram partem. De hoc dubio objectivo intelligenda est definitio vulgaris, quam adducit Silvester, Clavasius, & alii Summistæ ex Aristotele, & D. Thoma, nimirùm *contrariarum rationum æqualitas*; hoc enim in actum non quadrat, sed

Silve. verb. *dubium.*

in

in objectum ejus, ut patet.

13. Deduces septimò, dubietatem formaliter, & propriè sumptam esse affectionem propriam, modumque intrinsecum actus intellectus realiter ab illo indistinctum, uti sunt certitudo, evidentia, & aliæ similes proprietates. Equidem actus dubitandi per se, & ex proprio suo modo tendendi, habet ferri in objectum fomidolosè, ac vacillanter; connotat tamen insuper voluntatis formidinem ex illo naturaliter resultantem, à qua item extrinsecè formidolosus denominatur. Objectum verò dicitur dubium extrinsecè duntaxat, ac denominativè ab ipso actu; quia nullum est objectum à parte rei, & intrinsecè dubium, sed omnia sunt in se determinatæ, ac certæ naturæ, & talia cognoscuntur à Deo, qui unumquodque cognoscit, sicuti est in se: denominatur autem dubium extrinsecè, eò quòd terminet actum dubitantem, sicut, dum terminat, evidentem, aut certum, certum, aut evidens denominatur. Denique dubium complexè sumptum, & in concreto, ut ajunt, ex utroque simul consurgit, ex actu scilicet, & objecto, illo se habente per modum formæ, hoc verò adinstar partis materialis, determinabilis, ac subjectivæ, ut alibi de probabili diximus.

Sup. controv. 4. a. 1.

14. Unde deduces tandem octavò, rem esse dubiam, esse denominationem relativam ad dubitantem; quod benè notavit Terillus, licèt non consequenter ad doctrinam reflexi Probabilismi sui. Ratio patet ex dictis: nam si objectum per actum dubitantem, tanquam per formam unicam, constituitur dubium extrinsecè: ergo, ubicumque deficit actus dubitandi, deficiet necessariò denominatio: ergo respectu illius, qui de objecto non dubitet, illud non erit dubium, sed, vel prorsus nescitum, vel opinatum, vel etiam certum, si, vel nullam omninò, vel duntaxat opinativam, vel certam ejus notitiam habeat. Et quis audeat negare, posse idem objectum esse incertum, ac dubium respectu unius, & non dubium, sed certum respectu alterius?

Terill. 2. p. de Regu. mo. q. 50. n. 28.

15. Sed vide claram Terilli incōsequentiam, aliorumque Probabilistarum, qui contendunt, hoc ipso, quòd aliquod objectum sit probabile intuitu alicujus, aut aliquorum gravium virorum, esse etiam probabile respectu omnium, ac singulorum; immò, & illorum etiam, qui non probant, sed improbant objectum illud per actualem ejus dissensum. Vide, quæ supra diximus; ex quibus etiam facilè intelligere poteris, quomodo possit aliquid esse dubium in aliquo sensu absoluto (idest, verè, ac simpliciter), quin sit dubium propterea respectu omnium: nempè, quia, ut dubium simpliciter sit, satis est, si sit dubium relatè ad aliquos (saltem non imprudenter, aut irrationabiliter dubitantes), quanvis relatè ad alios, qui de illo non dubitant, non dubium, sed aut certum, aut ignotū omninò sit; quod exemplo objecti visibilis expositum ibidem habes, & est adeò de se conspicuum, ut sit mirabilis doctorum hominum tanta de re tam clara hallucinatio.

Controv. præced. a. 2. §. 5. & 6.

§. III.

Aliæ quædam de dubio expediuntur difficultates.

16. AD pleniorem de dubio cognitionem rogabis primò, qualis demùm sit actus ille, seu motus intellectus dubitantis? Resp. certum in primis esse, non esse intellectus judicium, quo utrunque simul contradictionis extremum, vel alterum eorum determinatè enuntiet: primum nanque imposſibile absolutè; secundum verò patet esse falsum ex ipsa dubii definitione; dubium enim importat suspensionem omnis judicii de utralibet determinata parte.

17. Certum præterea est, non esse

esse apprehensionem quancunque, qua intellectus scilicet utranque simul contradictionis partem apprehendat, aut simpliciter etiam inter se comparet; aliàs quoties simpliciter apprehẽdimus motiva Fidei nostræ, & simul errores contrarios, ac fundamenta ipsorum, propriè dubitaremus, adeòque peccaremus, cùm dubitatio in fide peccatum sit contra fidem ipsam. Hoc verò absurdum, & falsum est; quia sæpiùs inculpatè, quin etiam laudabiliter, non modò leviter apprehendimus, sed & attentè consideramus argumenta Calvini, vel alterius hæretici, ad illa detestanda, vel impugnanda, aut ex alio honesto motivo.

18. Insuper non videtur necessarium ad dubitandum judicium formale, & expressum, quo intellectus, quasi reflectens supra motiva utriusque partis, affirmet, ea esse insufficientia, & quorum neutrum assensum mereatur. Adest quidem plerunque, dum dubitamus, simile judicium: cæterùm quòd non possit aliquando dubium formale, ac proprium, ab illo separari, ut quidam docere videntur, id verò nobis non verum apparet.

Porrò, si aliquis apprehendat simpliciter motiva fidei nostræ non tanquam digna assensu, sed quasi incerta, aut non præponderantia erroribus contrariis, aut eorum motivis, ita ut voluntas minùs afficiatur ad prædicta fidei motiva, formidetque propterea, ac renuat illis assensum dare, is procul dubio, secluso quovis alio formali, & expresso judicio de incertitudine motivorum, vel antecedenter ad illud, contemneret divinam auctoritatem, & faceret injuriam fidei, contra quam proinde peccaret: sicuti faceret charitati injuriam, & peccaret in ipsam, qui bonitatem Dei apprehenderet, ut non præponderantem sensibilibus bonis sibi contrariis, quasi hæc in conspectu illius adhuc forent amore digna, & ex hac apprehensione suspenderet amorem Dei. Atqui peccatum illud contra fidem, non aliud esset, quàm peccatum dubitationis. Hæc igitur nõ exigit necessariò judicium formale, ac expressum de motivorum insufficientia.

19. Dicendum ergo nobis videtur, motum rationis, quem dubitatio importat, esse apprehensionem quandam specialis naturæ, & specialis modi tendendi, quæ fertur in utranque contradictionis partem, quasi per modum inquisitionis, aut interrogationis cujusdam, hoc, vel simili modo, *utra ex his vera? Num hæc? num illa? cur hæc? cur non opposita?* utranque scilicet inter se comparando velut insufficientem ad assensum, cum quadam intellectus vacillatione, ac diffidẽtia. Actus autem ejusmodi ex propria indole sua, & mordet intellectum, exercetque, ut ajebat Philosophus, quatenus acuit inquirendi studium, & aliunde instar vinculi facultatem ipsius ad assentiendum, vel dissentiendum ligat, quandiù pro alterutra parte nulla appareat ratio præponderans.

Hunc verò mentis motum, & intellectus dispositionem, consequitur plerunque judicium illud formale, ac expressum, quo intellectus enuntiat, *res est incerta*, aut *nihil mihi occurrit sufficiens veritatem suadere*, quod judicium consummat, perficitque dubium præcedens in esse talis; quin, & frequenter finit, ac terminat, quia post illud judicium determinatum solet omninò intellectus diffidere de assecutione quæsitæ veritatis, proindeque desistere ab actuali dubitatione.

20. Sit fortasse, qui velit, actum, aut motum dubitationis, quem exposuimus, non esse apprehensionem reverà, sed nec judicium, aut illationem; sed specialem intellectus actum à tribus memoratis diversum, cujusmodi nonnulli in Philosophia docent esse imperium intellectuale, interrogationem, & alias similis generis orationes. Id enim verò nobis

dif-

difficile videtur, & contrarium docuimus in Philosophia. Sed is non sum, qui litigare velim de quæstione, quæ nostri nec instituti est, nec momenti. Quilibet loquatur, ut volet, dummodò constet hic cujus naturæ sit motus ille, quòd attinet ad animi dubitantis dispositionem.

21. Rogabis secundò, dubitare an solius intellectus sit proprium? Resp. dubitare propriè, & sine metaphora, esse proprium solius intellectus, quia solus ille inquirit veritatem, in ipsamque movetur, ut in objectum proprium. Solet tamen hæc vox transferri ad appetitum, & voluntatem, quia in his etiam potentiis invenitur formido dubitationis propria. Immò verò formido propriè talis solius partis appetitivæ est, nec nisi impropriè pertinet ad intellectum, cujus nimirum fugam, recessumque ab objecto, vel falso, vel fallibili, propter vocum penuriam, formidinem vocamus. Potentia igitur appetitiva, quatenus formidat, aut timet difficultatem aliquam aggredi, aut malum aliquod sibi imminens, cujus cavendi non videt facultatem, impropriè, ac per metaphoram dicitur dubitare, ut docet S. Thomas ubi supra.

D. Tho. loco sup. allega. in corp. art.

22. Rogabis tertiò, utrum dubitare sit nobis voluntarium, ac liberum, eo nimirum genere libertatis, qua gaudent actus intellectus? Nec quæstio est de libertate indirecta; certum est enim, eum, qui dubitat, posse per se loquendo mentem aliò divertere, atque adeò non dubitare, quare in hoc sensu liberè dubitat. Quæstio ergo procedit de libertate proxima, ac directa, an scilicet possit intellectus ex libera electione voluntatis, vel suspendere omne judicium circa objectum incertum sibi utrinque propositum, vel assentiri alterutri contradictionis parti?

Ut respondeam, distingui debet triplex objecti status, seu propositio: nam vel primò proponitur rationibus utrinque paribus, ità ut neutra præmineat alteri perceptibiliter, aut notabiliter: vel secundò, ita ut altera notabiliter alteri præmineat: vel demùm tertiò, ita ut ex una parte adsit ratio sufficiens ad assensum, ex opposita verò nulla sufficiens.

23. Dico igitur primò: in hypothesi prima dubitare non esse nobis liberum, sed necessariũ potiùs utrinque, ut latè demonstravimus per totam controversiam quintam contra Probabilistas Recentiores ex communi sententia, tum antiquorum omnium cum Aristotele, & D. Thoma, tum etiam modernorum plurium, atque graviorum, quos ibi sigillatim recensuimus. Profectò hoc dubitare (quod est omnium propriissimum, ac strictissimum) est pati quoddam, ut ajebat Philosophus: pati verò non libertatem ullam, sed necessitatem significat.

Aristo. ubi sup. §. 1.

Dico secundò: dubitare in secũda hypothesi liberum nobis est ex altera parte duntaxat, ex parte scilicet præminenti, quia ex illa parte liberè potest dubium resolvi per determinatum assensum; ex parte verò opposita necessarium omninò ob contrariam rationem: quod à fortiori patet ex conclusione præcedenti.

Dico denique tertiò: dubitare similiter in tertia hypothesi liberum est ex illa tantùm parte, pro qua est ratio sufficiens ad assensum: ex parte verò altera non modò dubium liberum non est, sed neque dubium est, nisi ut summùm impropriè, ac negativè tantùm; quia intellectus non potest moveri in illam partem, cùm desit omne principium motus, nimirùm omnis ratio ostendens veritatem objecti. Utique juxta tritam Philosophi doctrinam, quam frequenter inculcat D. Angelicus, sicut finis se habet in voluntariis, sive moralibus, ita principium in speculabilibus: ergo quemadmodum, deficiente omni fine, voluntas non movetur, ita nec intellectus, si deficiat omne principium: dubium verò non

est, ubi nullus est motus intellectus, ut patet ex jam dictis, & ex præmissa dubii definitione.

24. Rogabis tandem quartò: si omne dubium resolvitur per assensum determinatum alterius partis contradictionis, quia non solùm importat motum rationis, sed etiam suspensionem omnis assẽsus ex præcedenti motu causatam, qui fit, ut opinio quæcunque, quæ juxta omnes assensus est alterius partis determinatæ, dicatur actus dubius, & pariter objectum opinabile dubium cõmuniter appelletur?

Resp. propriè, & strictè loquendo, neque judicium ullum opinativum, neque objectum ejus, ut tale, dubium vocari potest propter rationem ipsam insinuatam. Sed quia omnis opinio est actus de se incertus, atque formidolosus, in quo dubium strictum imitatur, ideo in latiori quadam, & minùs propria vocis acceptione dubius appellari consuevit, & consequenter objectum ejus solet etiam dubium vocari. Unde colliges dubium latè sumptum confundi cum incerto; strictè verò, ac propriè usurpatum, differre ab illo, ut speciem à genere, quia omne dubium incertum est, non autem vice versa.

25. Hæc de dubii natura pro quæstionis præsentis clariori decisione prolixiùs, & exactiùs prælibare voluimus, ut vel ex his dijudicet Lector, utrum hæc animi dispositio, status esse possit securitatis, & quietis, quem debet quærere operantis conscientia, ut licitè, & honestè operetur? Appellant Recẽtiores, scimus, ad familiares reflexiones suas subtiles, & artificiosas. At nullis credimus artificiis, nullis subtilitatibus, nullis reflexionibus fiet, ut motus ipse quies, aut via sit aliquando terminus. Prætereà tenebrosas reflexiones eorum sequenti controversia, licèt invitas, meridianam ad lucem proferemus, ut caligare ulteriùs neminem faciant, nisi fuerit ex illis, de quibus dictum est, *Et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*. Cum hujusmodi verò non disputamus, donec lucem saltem non oderint. Ioan. 3.

ARTICULUS II.

Prætensi Recentiorum principii sensus, auctoritas, & fundamenta.

PRincipium dico, ipsorum phrasi utens, regulam illam tritam hoc sæculo, & passim in quæstionibus moralibus, tanquam regulam Juris à Recentioribus allegatam, *In dubiis melior est conditio libertatis possidentis*.

§. I.

Regulæ sensus communior, ac legitimus apud juniores Probabilistas.

26. CErtum in primis apud omnes est, regulam non procedere de dubiis veris, ac proximè practicis, quando nimirum nullum adest principium ad resolvendum dubium de licito, aut illicito; etenim dubio isto perseverante, certò peccat, qui amplectitur partem libertati faventem, ut est communis, ac indubitata Theologorum omniũ sententia; quæ evidenter colligitur ex Scriptura, & tradita censetur ab Apostolo ajente, *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*: idest (ut sacri interpretes communiter exponunt) quidquid non fit ex dictamine propriæ conscientiæ dictantis, illud licitum esse, hoc ipso illicitum, & malum est. Patet etiam ex Ecclesiastico, *Qui amat periculum, in illo peribit*: nam, qui operatur dubius, an id, quod agit, turpe sit, vel honestum, amat procul dubio periculum operandi re ipsa turpiter, & contra legem, seu voluntatem Dei, indeque legem ipsam voluntariè contemnit, Ad Roma. 14. Eccle. 3.

nit, subindeque formaliter peccat.

27. Regula igitur Recentiorum procedit de dubiis quasi speculativis, hoc est, remotè tantùm, & non proximè dubiis. Ajunt videlicet; dubia illa remota (speculativa simpliciter appellant ipsi) rectè, ac prudenter resolvi posse ex privilegio præfatæ regulæ de possessione libertatis in dubiis, per dictamen proximè practicum, quo operans concludit, licitum sibi esse amplecti partem legi contrariam, & suæ libertati faventem, etiam dubio remoto perseverante.

28. Apponamus exemplum perspicuitatis gratia: dubitat quis, an aliquis contractus secundùm se, &, inspectâ naturâ ipsius, licitus sit, nec ne? Hoc dubium Recentiores appellant speculativum, quia non respicit proximè operationem singularem sub suis omnibus circunstantiis, sed remotè tantunmodò, & sub ratione quadam generali, de quo loquendi modo non nihil supra diximus, & litigare non est momenti. Dicunt ergo, operantem prudenter posse practicè concludere licere sibi inire contractum, non obstante illo dubio speculativo de ipsius turpitudine, vel honestate, ita videlicet formando conscientiam. *In dubio insuperabili circa legis obligationem nemo tenetur servare legem, sed potest licitè, quidquid libuerit, agere, quia prævalet libertatis possessio: at dubium est, an contractus iste sit re ipsa lege prohibitus: ergo non debeo ab ipso abstinere, sed possum licitè ipsum inire.* Ecce, inquiunt, dictamen ultimum, ac reflexum saltem moraliter certum, & evidens, quo practicè resolvitur dubium illud remotum, & speculativum, de honestate contractus secundùm se.

Sup. controv. 4. a. 1.

29. Sed enim verò propriè loquendo dubium remotum, sive speculativum, (quod vocant) ineptè, ac falsò dicitur dictamine illo resolvi, quin potiùs indecisum perseverat; sed dubium aliud proximum, ac practicum, quod ex dubio illo emergebat, an nempè liceat, omnibus inspectis, hìc, & nunc inire contractum, illo dubio remoto perseverante? Hoc est dubium, quod unicè resolvitur ex memorata regula Recentiorum.

Potest quidem dubium remotum juxtà Recentiorum plerosque resolvi etiam prudenter, quãdo pars utraque probabilis est, quia potest intellectus, ut censent ipsi, opinari, etiam partem minùs probabilem. Sed enim, quanvis verum id esset (quod demõstratum est esse falsum), nunquam tamen dubium remotum resolveretur per memoratam regulam, quæ nimirum reflexa est, adeòque nec affirmat, nec ostendit honestatem intrinsecam, ac directam contractus, de qua dubium remotum est, sed præscindit potiùs ab illa. At dubium illud resolvi nequit, nisi per principia ostẽdentia honestatem directam, ac intrinsecam, aut inhonestatem contractus; quia nullum dubium potest resolvi, nisi per inventionem veritatis, quam intellectus quærit, dum dubitat. Non ergo solvit prædicta regula, immò verò supponit dubium remotum de honestate contractus, vel ab ejusdem saltem resolutione præscindit.

30. Itaque, sive dubium remotum, aut speculativum, resolvatur, sive non resolvatur (quin, licet resolvatur pro lege contra libertatem, ut affirmãt plerique Probabilistæ), semper procedit regula possessionis, per ipsamque resolvitur secundùm Recentiores ultimum, & practicum dubium, quod ex dubio remoto pullulabat. Licèt enim judicium particulare (quod unicè practicum vocãt) non possit ab universali, sive speculativo, dissidere, quando non adest aliqua circunstantia specialis in ipso objecto particulari; attamen, quando adest, jure potest, ac debet ab illo discrepare. At in præsenti hypothesi concurrit, inquiunt, circunstantia specialis, nimirum ipsa regula de pos-

possessione libertatis in dubiis, quæ supra dubium illud speculativum reflectens fundat dictamen conscientiæ ultimum moraliter certum, & evidens de absoluta contractus honestate. Ergo poterit operans per regulam prædictam practicè, & ultimò apud se concludere certam, & absolutam honestatem contractus, etiam dubio remoto perseverante. Immò verò hoc significat determinatè regula Recentiorum in sensu stricto, ac proprio usurpata; nam, si dubium remotum solutum sit, non erit propriè, ac strictè dubium, sed impropriè, ac latè duntaxat, quatenus omne opinativum judicium ob suam propriam incertitudinem solemus etiam dubium appellare, ut ad finem articuli præcedentis notavimus.

31. Sed enim verò regulã suam non ita strictè Recentiores usurpant, sed latiùs, ut comprehendat (cum restrictione tamen statim insinuanda) omne incertum de licito, vel illicito, etiam dubium, quod solet negativum vulgariter appellari. Quare, dum nulla apparet, neque pro libertate, neque pro lege, ratio sufficiens secundùm se ad judicium determinatum, tunc etiam locum habet regula Recentiorum, ex illaque, ut contendunt, rectè concluditur dictamen practicum de honestate actionis, etiam prædicto dubio perseverante.

32. Fateor dubium hujusmodi frequens non erit, præsertim circa jus; tum quia rarò continget, ut nulla appareat ratio positiva, neque pro lege, neque pro libertate; tum quia ipse defectus omnis rationis post sufficientem diligentiam factam potest, & solet esse ratio sufficiens ad resolvendum dubium pro libertate; qui enim post adhibitam debitam diligentiam, nullam rationem pro lege invenit, prudenter potest (saltem plerunque) existimare, legem re ipsa non existere, adeòque opus illicitum non esse. Sed nihilominus pro comperto habeo, quòd ejusmodi dubium non solùm facti (quod facilius est), sed etiam juris præsertim humani, possit aliquando contingere, de quo modò non attinet disputare. De illo igitur, quandocunque contingat, procedit etiam juxta Recentiores regula possessionis libertatis humanæ.

33. Cæterùm non procedit (quæ est limitatio proximè indicata) in eventu, quo nulla apparet ratio pro libertate sufficiens ad probabilem assensum in sensu Probabilistarum, siquidem ex oppositio ratio aliqua sit, ob quam operans possit judicare, opus non esse licitum, seu legem prohibentem existere. Id, quod non rarò posse contingere, immò verò satis frequenter, videtur esse extra omne dubium; nam (ut eventus alios quamplurimos, qui cogitari possunt, omittam) testimonium unius hominis fide digni seriò affirmantis existentiam legis, aut præcepti particularis prohibentis aliquod opus, sufficiẽs fundamentum esse censetur, ut possit quis prudenter, ac probabiliter judicare, opus non esse licitum: sæpè verò continget, ut nulla occurrat ratio in contrarium.

In hoc ergo, & similibus eventibus regula Recentiorum locum non habet, ut jam ipsi communiter fatentur adversùs Caramuelem, & alios paucos, eò usque progressos intolerabilis laxitatis, ut pro conscientiæ regula adstruere non verentur legis non certitudinem: hoc est, docebant, objecta omnia, quæ certò, & evidenter non demonstrabantur prohibita, eò ipso licita esse, quia nullam legem aliter obligare censebant. Hoc pernicioſum dogma, quod sæpè Caramuel docuerat, & pro viribus propugnabat ex principiis reflexi Probabilismi, maximè in suo illo Apologemate jam damnato, aversãtur communiter Recentiores: & quidem jure merito, cùm multò laxius sit, & intolerabilius articulo damnato ab Innocentio XI. de tenui probabilitate, ut constare facilè po-

test

test utrunque inter se conferenti.

34. Unde tandem concluditur, regulam, seu principium Recentiorum de possessione libertatis in dubiis, generaliter quidem procedere de dubiis probabilibus utrinque, nec non de dubiis purè negativis, vel utrinque, vel saltem ex parte legis; sed non de dubiis purè negativis ex parte libertatis solius, idest, quando pro lege adest ratio sufficiens ad assensum, nulla verò pro libertate. Ita quidem, quòd attinet ad dubia Juris, Probabilistæ juniores communiter; nam circa dubia facti, ne moderniores quidem ita sibi consentiunt, ut multi ipsorum multas exceptiones non afferant, quas tamen sigillatim, hìc non exprimimus, quia opportuniùs mox tractabuntur, ubi contrariam regulam speciatim de dubiis facti, ex Decretis illustribus Juris Canonici iterùm statuimus, atque firmamus.

35. Illud omninò advertendum est, dubia omnia, pro quibus Recentiores prædictam suam regulam statuunt, debere dubia esse moraliter insuperabilia, ideſt, quæ, sufficienti diligentia præmissa, superari absolutè nequeant; alioqui, nisi priùs seria, ac sufficiens diligentia adhibeatur ad inveniendam legem, & resolvendum dubium de obligatione ipsius, nunquam habere locum præfatam Recentiorum assertionem, seu regulam, sed necessariò partem tutiorem de præcepto eligendam esse, expresse cavent ipsi, & nemo potest in dubium vertere, nisi quis fortè velit homines adeò liberos facere, ut nihil debeant, dum operantur, curare voluntatem, & legem Dei; quæ nimis impia foret, & stulta blasphemia.

§. II.

Regulæ Probabilistarum auctoritas quàm sit exigua.

36. SEd jam videamus, regula usque adeò difficilis ex ipsa terminorum apprehensione (quam tamen Recentiores more suo, & signanter Terillus passim appellant, *ut minimùm certam moraliter*) quanto munita sit suffragio Doctorum, quorum saltem debeamus auctoritati cedere, & nostrum judicium summittere. Teriil. q. 23. de conſt. n. 53. & alibi.

Et verò ipse Terillus palàm fatetur, *Scholam in hac parte divisam esse, aliis affirmantibus, aliis negantibus, titulum possessionis, ejusque privilegium extra materiam justitiæ extendi*. Mirum sit autem, si opinio, quæ negat, probabilis saltem non sit juxta principia Probabilistarum. Si verò sit probabilis, quomodo opinio affirmans poterit esse *ut minimùm certa moraliter* in via ipsorum Probabilistarum? Terillus utrunque connectat. Idem 2. p. de Regu. mo. q. 57 n. 1.

37. Cæterùm, si Terillus per *Scholam divisam* intelligat Scholam recentium Probabilistarum, non illi contradicimus: si verò intelligat absolutè Scholam, prout comprehendit omnes Doctores (quod ipsius locutio innuit), fallitur procul dubio, & fallit, si quidem per Scholæ divisionem significet sententias invicem sibi oppositas paris, aut ferè paris numeri Auctorum. Profectò P. Sanchez, qui Auctores pro sententia affirmativa (quam, & ipse propugnat) diligenter collegit, decem omninò numerat, ex quibus nemo ferè regulam Recentiorum admittit generaliter, & pro omni eventu, sed pro aliquo tantùm speciali, & circa dubium facti, non Juris, ut in dubio de voto emisso, de ætate requisita ad obligationem jejunii, & similibus aliis. Sanchez li. 1. Sum. c. 10. n. 36. & rursus l. 4. c. 1. n. 12.

38. Immò quidam ex illis, quos Sanchez affert, præsertim, qui vixerunt ante natum benignum Probabilismum, non loquuntur in sensu Recentiorum, sed nimis procul ab eo sunt; neque enim dubium accipiunt propriè, & strictè, sed latè, & impropriè, pro objecto, vel actu aliquo modo incerto, non tamen verè dubio positivè, vel negativè. Solùm

igi-

igitur docent, non esse necessarium ad honestè operandum judicium prorsus certum de rectitudine operationis, sed sufficere verè probabile, quo quis prudenter judicet, objectum esse re ipsa honestum, licèt nõ omni careat formidine, quam in latiori sensu, juxta superiùs dicta, dubietatem appellant, & quam velut scrupulum levis momenti prudenter operans contemnere possit. In ejusmodi dubiis rectè dixerunt, partem tutiorem non de præcepto, sed de consilio tantùm esse tenendam. Et hæc locutio, quanvis non sit stricta, satis tamen est usitata.

39. Cæterùm aliquando præterea non loquuntur de particularibus dubiis circa honestatem, vel turpitudinem actionis singularis, atque determinatæ; sed de variis statibus, sive vivendi modis, quorum alii præ aliis tutiores viæ sunt, ac certiores, ad salutem æternam consequendam. In his etiam meritò docent, esse tantùm consilium, non præceptum, eligere viam tutiorem. Hunc vero sensum patet ad rem præsentem esse importunum.

40. Audi in specimen duos graves Auctores, B. Antoninum scilicet, & Navarrum quos Recentiores confidentiùs solent, ac frequentiùs pro se allegare. Beatus igitur Antoninus, ubi allegatur à P. Sanchez, videlicet par. 1. Sum. tit. 3. c. 10. §. 10. regu. 6. pro scrupulosis, cum sibi contra illam opposuisset regulam ex Jure Canonico, *In dubiis tutior via est eligenda*; *propter quod* (inquit) *scrupulosus eligit viam rigidiorem*: reponit, *Sed ad hoc respondetur, quòd eligere viam tutiorem, consilii est, non præcepti: aliàs oporteret multos ingredi Religionem, in qua tutiùs vivitur, quàm in sæculo. Non ergo de necessitate oportet tutiorem eligere, quãdo etiam alia via potest eligi tuta. Sicut etiam diversæ viæ tendunt ad unam civitatem, licèt una tutior alia sit; sic ad civitatem cœlestem alius sic, alius sic vadit, & tutè: licèt aliquis tutiori modo.*

B. Antoninus.

41. Pergit deinde, & opponit iterùm: *Item quia dicitur Ecclesiasti.* 3. Qui amat periculum, peribit in illo: *hinc est quòd B. Thomas, & alii dicunt, quòd ille, qui agit id, de quo est dubium, utrum sit mortale, vel non? peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis. Cùm ergo in aliqua re morali sunt variæ, & contrariæ opiniones, ille, qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur se exponere periculo mortalis, quia in dubio; cum possit illa opinio esse falsa, & contraria vera.* Ad hanc difficultatem subjicit continenter: *Sed ad hoc respondetur, quòd utique ille, qui agit scienter id, de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiam si illud non esset mortale; sumendo propriè, & strictè dubitationem, videlicet, prout rationes sunt æquè ponderantes ad utranque partem, nec magis declinat quis ad unam, quàm ad aliam. Sed si dubitet leviter quis, & per modum scrupuli, sicut dubitat, & formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipsi sententiæ, quòd tamen formidat de oppositio: sic agendo contra tale dubium, non peccat; dum adhæret* (attende, Probabilista,) *opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis, quàm pro opposita opinione.*

42. Id ipsum postea repetit, & magis explicat regula quarta, quæ est de tuta opinionis electione, & quam ad finem illius paragraphi latiùs exponendam remiserat. Ait igitur, *Notandum, quòd cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundùm eam operari, excluso saltem scandalo: quæ scilicet pars habeat pro se notabiles Doctores: dummodò talis opinio non sit contra auctoritatem expressam Sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ: & quòd etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum; sed bonam sibi conscientiam, & credulitatem formet de eo, quod credit, tanquam*

quam de probabiliori parte. Et præcipuè quando quis adhibet diligentiam inquirendo, an liceat? nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad hoc quod sit illicitum. Hæc D. Antoninus, quæ quisquis legerit temperato animo, luce clariùs videbit, quàm procul sit per omnia à regula Probabiliſtarum.

43. Et sunt adhuc non nulli Recentiores, qui Sanctum hunc Doctorem adeò clarè locutum, atque distinctè, referant pro sua sententia. Non ne hoc est contentiosè disputare, & non sincerè veritatem inquirere? Cur saltem Eximio Doctori, V. P. Ludovico de Ponte, Vazquio, Sanchez, & aliis, quorum auctoritate maximè exultant, contradicere apertè non verentur? Cur veræ humilitatis, & docilitatis magistri (de quo tantoperè gloriantur) non submittunt judicium suum tantorum virorum judicio? Profectò cunctos illos B. Antoninum, tanquam patronum indubitatum nostræ sententiæ afferre, notorium est ex ipsorum libris. Verum hi magni viri nihil hic sunt, quia non favent moderno Probabilismo. Quæso te, est ne hoc vera, an placentia loquentes, Magistros querere? Hoc ne sincerum sapit veritatis amorem, an magis illum aurium pruritum, quem olim prædicebat Apostolus? Sed quid te morer? sapit exactè benignam Recentiorum Theologiam.

44. Neque à sententia, & regula Recentiorum minùs distat Navarrus allegatus à P. Sanchez inter decem illos Auctores, in cap. *Si quis autem* de Pœnitentia dist. 7. n. 34. ubi docet, regulam Juris de tutiori parte sequenda, regulariter non esse de præcepto. Porrò Navarrus ibi non loquitur sub terminis præsentis controversiæ, sed in altero sensu nuper expositio, in quo D. Antoninus etiam apertè loquebatur in prima parte illius sextæ regulæ. Alioqui de regula Recentiorum in sensu, quem propugnant, & intendunt, quid senserit Navarrus, ut ambigere nequeas, audi ipsum loquentem.

45. *Undecimò* (inquit) *infertur resolutio, non solùm illum peccare, qui in re* (nimirum dubia) *ad finem, vel mores pertinente, in qua Jure declaratum est, tutiorem partem eligendam esse, minùs tutam eligit, ut dictum est in corollario septimo: sed, & eum, qui in re adeò sibi dubia, ut neque probabili auctoritate credit, alteram partem esse veram, adhæret illi parti, de qua est dubium, an liceat: si saltem potest adhærere contrariæ securè; quia de illa non dubitatur, an liceat.* Probat deinde conclusionem suam primùm ex Scriptura: posteà à ratione, eandemque docere D. Thomam affirmat. Post quæ tandem addit hæc verba (notate, Recentiores si libet), *Quæ Thomæ conclusio à nemine non est recepta.* Quid amplius petitis? Navar. ibi num. 56.

46. Immò severius aliquid idem Navarrus tenere videtur, qui numero sequenti, postquàm præmiserat, *eum etiam peccare, qui facit aliquid, quod magis, vel æquè ab ipso putatur esse peccatum, quàm non esse*, quibus verbis modernum Probabilismum distinctissimè damnat, ac refellit: subjungit: *Immò, & qui facit aliquid, quod opinatur non esse peccatum; hoc est, magis inclinat in eam partem, quòd non sit peccatum, quàm in contrariam; cum formidine tamen, quòd altera pars sit vera: & ita non credit certò non esse peccatum.* Quibus verbis videtur ad honestè operandum exigere judicium prorsùs certum, & non opinativum, de rectitudine operationis, quod nimirum excludat omnem formidinem. Verumtamen re verà, ut ipsemet se exponit, non omnem opinionem generaliter excludit à conscientiæ regula; sed illam tantùm, quæ firma non sit, & quæ nimiam fundet formidinem; quem sensum plures alii graves Doctores, tum veteres, tum moderni, expresserunt, de quo nos multa libro sequenti. Hæc Navarrus, quod ad regulam attinet necessariò in dubiis Idem Navar. ibi n. 58.

te-

tenendam. Post hæc Probabilistæ recentissimi(nonnulli saltem) pergunt, & pergent Navarrum, ut, & alios similiter locutos, annumerare sibi. Quid faciemus? Veritatem ostendere nostrum est, cætera Deo, & tempori committenda.

47. In hoc eodem sensu, in quo D. Antoninus,& Navarrus loquûtur, locutus etiam censendus est, siquis alius ex antiquioribus regulæ Recentiorum suffragari videatur. Porrò in omnibus dubiis de licito, aut illicito, in quibus variæ sunt, & contrariæ opiniones, neminem posse partem minùs tutam, & suæ libertati faventem licitè deducere ad praxim, nisi, quæ fuerit parte contrariâ rationabilior, aut probabilior, communis est Doctorum antiquorum sententia, à qua ante annum 1578. nemo discessisse invenietur, ut alibi jam insinuavimus, & suo loco facilè palàm faciemus (Mercadum non moramur, in quodam suo Opusculo vulgari idiomate sub idem fere tempus, aut paulo ante, novo Probabilismo præludentem). Quid verò dici potest è diametro magis oppositum præfatæ regulæ Probabilistarum, & toti eorum Probabilismo? Nullus ergo ex antiquis, nisi fortè ad speciem tantùm,eidem suffragari censendus est.

48. Neque verò quisquam crediderit, regulam Recentiorum esse saltem coævam moderno suo Probabilismo, & quæ perpetuò, ac sine discordia, ipsis saltem placuerit Probabilistis. Sanè idem P. Sanchez pro sententia statuente contrariam regulam universaliter, & pro omni eventu, extra materiam saltem justitiæ Auctores numerat cum D. Angelico ut minimum ad triginta septem, in quibus plures sunt ex Primatibus,qui post natum Probabilismum eidem subscripsisse dicantur, & qui, ut indubitati patroni ipsius à Recentioribus proferuntur. Hoc nota, dum in loco designato districtè, & exactissimè excutiamus novi Probabilismi auctoritatem, cui Recentiores maximè innituntur.

Sanch. illo c. 10. num. item 10.

49. Quin immò P. Vazquez(cui similem alium vix proferant) cùm præsentem quæstionem his verbis instituisset, *An possit quis cum dubio juris habere rectum conscientiæ judicium?* animadvertit primùm (quod nos supra notavimus), quæstionem non procedere de dubio proximo, quod appellari solet practicè practicum, sed de dubio remoto, quod vocant speculativum. Ait præterea, nonnullos Recentiores, quos non alio nomine indigitat, affirmativam partem tenuisse. Post quæ sententiam suam ita pronuntiat: *Ego non solùm existimo absque controversia esse debere, quoties dubitatur, utrum sit lex aliqua, an non, & solum agitur de periculo peccandi, eligendam esse partem tutiorem, in qua peccatum esse non possit: sed etiam quando dubium est, utrum votum fuerit emissum, an non. Et sanè in priori casu, quando dubium est, utrùm lex lata fuerit, seu extet, an non, nullum hactenus ex Scriptoribus Scholasticis inveni, qui oppositum asserat.* Hactenus P. Vazquez, qui deinde nervosè probat, eandem prorsus esse rationem, immò certiorem esse regulam traditam, in omni dubio facti, propter Sacrorum Canonum decisiones, quas esse generales, & quæ jus novum minimè condant, sed ipsam æquitatem juris, atque rationis naturalis, præseferant, validis, & invictis argumentis ostendit, & nos, Deo favente, in secunda parte ostendemus. Vide in id ipsum verba P. Suarez, quæ transcripsimus suprà, & quibus hanc eandem assertionem Vazquetii, quoad primam saltem partem, docet esse communem, & evidentem.

Vazq. 1. 2. d. 65. c. 1.

Ibi c. 2.

Ibi c. 3.

Sua. adduc. sup. cõtrov. 6. a. 8. n. 122.

50. Itaque tota quanta auctoritas principii, sive regulæ Recentiorum de possessione libertatis in dubiis, quæ benignam sententiam reddit *ut minimum certam moraliter*, est consensus, & patrocinium juniorum Probabilistarum contra unanimem

sen-

sensum Doctorum antiquorum cum D. Thoma: quin etiam refragantibus non solùm cunctis Antiprobabilistis, sed etiam multis, iisque præcipuis, ex Probabilismi patronis.

Adde, quòd nec juniores Probabilistæ sibi ipsis consentiunt in statuenda regula sua: nam teste eodem Sanchez, *fatentur non semper in dubio fas esse partem minùs tutam sequi: nec tradunt regulam dictantem, quando liceat, & quando non.* Ea verò, quam ipse cum aliis tradit, nimirum quòd in dubiis illa pars possidere, & alteri prævalere censeatur, tam in interno, quàm externo foro, pro qua fuerit præsumptio in foro externo: hæc, inquam, regula P. Sanchez, præterquàmquòd ex se satis est perplexa, & ambigua, non congruit regulæ Recentiorum, sed illam vel cõfundere, vel omninò destruere potiùs videtur.

Sanch. illo nu. 10. circa med.

Ibi. n. 13.

Dispiciat modò precor, quisquis sincerè veritatem amat, quale possit esse principium ipso recenti Probabilismo recentius, multò minoris auctoritatis, quàm ipse, circa quod statuendum, & explicandum, ne ipsi quidem Recentiores conveniant: & mecum miretur, ac quærat, unde tantam habere certitudinem possit, ut benignam sententiam evidenter demonstret, ipsamque faciat Orbi Christiano *ut minimum certam moraliter*? Imprudens sit, ac levis, qui facilè moveatur certitudinibus Probabilismi, quæ plurimæ circunferuntur, & absque ullo examine à plurimis quoque acceptãtur.

§. III.

Fundamenta à ratione ejusdem regulæ, seu principii.

51. At magno saltem rationis pondere præfata regula munita est. Mirum profectò sit, si tot, tamque sapientibus Doctoribus, etiam ex ipsis Probabilistis, displicere potuerit aliquando regula adeò expedita pro tuendo moderno Probabilismo, & quæ magno præterea rationis pondere sit munita.

Quidquid igitur potest in favorem ipsius allegari cum aliquali veritatis specie, diligentissimè collegit Terillus, ubi semel, & iterùm regulam suam totis viribus urget, & ab oppositis impugnationibus latè vindicare conatur. Nos totâ summâ rationum Terilli, atque adeò cunctorum Recentiorum, nunc breviter propositâ, (sed fideliter) veluti pro ratione dubitandi, retorsiones ipsius, & solutiones ad argumenta nostra, per quæstionis decursum facilè, aut refellemus, aut præoccupabimus.

Terill. q. 23. de conf. à n. 42. & iterum. p. de Regu. mo. q. 57.

52. Præcipuum fundamentum Terilli, & Recentiorum desumitur à paritate ex possessionis titulo in materia justitiæ, qui juxta communissimam sententiam ita præponderat in utroque foro, ut in omnibus dubiis circa dominium rei, quam quis possidet, si facta diligentia, dubium adhuc persistat, licitè sibi retinere possit, neque debeat rem ipsam, aut partem ejus alteri tradere. At possessionis titulus non minùs favet humanæ libertati in materia aliarum virtutum, quàm in materia propria justitiæ: ergo nec minùs privilegium fundat, nec minùs juris possidenti tribuit. Cùm igitur in dubiis de obligatione legis homo possideat libertatem suam, non debet illam à se abdicare, ut legis oneri se subjiciat.

Assumptum verò probat Terillus: quia non minùs justitiam violat, qui retinet, invito domino, id, quod est alienum re ipsa, quàm religionem violet ex. g., qui non adimpiet votum validè, ac legitimè emissum. Aliunde verò obligatio justitiæ non minùs in conscientia urget, quàm urgeat obligatio religionis, alterius ve cujuslibet virtutis. Igitur, si justitia in dubio de rei proprietate possidentem non obligat ad rem tradendam, nec obligabit aliqua virtus, ut in dubio de legis obligatione homo se ipsum privet libertate, quam

possidet; nec ulla est cogitabilis ratio discriminis.

Esparr. tract. de act. huma. q. 23. a. 3.

53. Confirmat hoc, & explicat cum Esparza discursu, quem ad verbum libuit transcribere, quia verè mirabilis est, ideſt, verè non tolerabilis: Terill. illa q. 23. n. 46.

Evidens (inquit) *est, voluntatem esse sui juris, cæterasque potentias ipsi naturaliter esse ita subjectas, ut omnia, tam intra, quàm extra hominem, tam quoad rerum usum, quàm quoad potentiarum actus, naturali voluntatis dominio subjecta sint. Ratione hujus dominii voluntas, ex naturali suæ conditionis excellentia, est in plenissima possessione dominii circa ista omnia, nec ab ea deturbari debet, nisi pari evidentia constet, usum hujus dominii aliqua lege sibi restringi, quatenus aliquis subjectarum potentiarum actus legitimè prohibetur. Neque enim quisquam incertas juris certi limitationes, seu exceptiones tenetur admittere. Porrò leges omnes non solùm naturales, sed etiam positivæ, sunt quædam limitationes, & exceptiones juris, ac dominii, quod naturaliter competit homini circa inferiora omnia, tam intra, quàm extra hominem. Ergo donec pari certitudine constet, legem aliquam restringentem dominium naturale, ejusque usum, existere, non tenetur homo talem legem, admittere. Ecce regula illa juris*, in dubio melior est conditio possidentis, *non solùm ad æqualitatem, sed cum manifesto excessu, potiorem locum tenet in voluntate relatè ad omnem omninò materiam, quàm habet in materia justitiæ, quando nullum certum jus ad illam rem præcessit*. Ita Terillus totidem verbis, quæ sanè mirabile est, quod à viro docto, & cordato excidere aliquando potuerint.

Vides igitur, Lector, hìc expressam, & generaliter consignatam regulam conscientiæ laxiorem (certè non strictiorem) regulâ Caramuelis, de qua supra mentionem fecimus, & quam Terillus ipse, & Esparza alibi sæpiùs reprobare videntur: & Esparza quidem disertè

Sup. hoc eodem art. §. 1. n. 33.

longo se ab illa separat intervallo. Fortasse viri acuti, & scholastici vi consequentiæ eò abducti sunt, ut, vel à sua ipsorum doctrina, incauti, ac nolentes discesserint. Quidquid verò de hoc sit, regulam hìc obstrusam patet tolerandam non esse.

54. Arguit adhuc Terillus; & iterùm præcedentia confirmat. Ideò possessio prævalet in materia justitiæ, quia qui bona fide rem possidet, habet hoc ipso jus, ut tandiù illâ non spolietur, quandiù pro altero non affertur aliquid certiùs, quàm quod ipsi favet: *Alioquin* (inquit) *homo spoliaretur jure certo, ac re certò sua ob exceptionem incertam, quæ non magis alteri, quàm ipsi faveret*. Hoc verò ipso naturæ lumine iniquum, & absurdum est. At hæc ratio urget eodem modo in qualibet alia materia: nam homo possidet libertatem suam, & jus certum, ut illâ utatur in quolibet casu occurrenti per exercitium, quod sibi libeat, dummodò nihil ipsi opponatur, quod certò illi juri prævaleat. Atqui exceptiones dubiæ pro lege contra jus certum prævalere non possunt: ergo neque tenetur illas admittere, adeòque nec in dubio legem servare. *Hæc est* (inquit Terillus) *fundamentalis ratio, ad quam aliæ reduci posse videntur*. Porrò hæc nihil differt à præcedenti.

Terill. dict. q. 5. n. 5.

55. Nihilominus arguit ulteriùs ex materia propria obedientiæ: quia milites licitè possunt sequi Regem ducentem eos ad bellum, de cujus ipsi justitia dubitent, ut traditur expressè cap. *Quid culpatur* 23. q. 1. quod est desumptũ ex D. Augustino li. 22. contra Faustum c. 75. Et generaliter omnes subditi licitè possunt, immò tenentur, obedire præcepto Superioris in dubio de honestate rei præceptæ. Non ob aliam rationem, nisi quia Rex, & quilibet Superior possidet jus, ut sibi obediatur, quo non debet privari in dubio. Ergo non tantùm in materia justitiæ, sed etiam in materia obedientiæ,

& in

& in alia quavis materia, titulus poſſeſſionis prævalere debet in dubiis. Ergo, cùm homo in omnibus dubiis de licito, aut illicito in quavis materia occurrentibus, certò poſſideat libertatem ſuam; meritò poterit ex hoc titulo liberum ſe putare ab onere ſervandi legem.

56. Omitto aliud argumentum Terilli, quo probat poſſeſſionem libertatis debere in dubiis præponderare, eò quòd lex in dubio de obligatione ipſius neminem obliget: quia, pace ipſius, clarè principium petit, probans ſcilicet titulum poſſeſſionis debere in dubiis præponderare, ex eo quòd lex dubia non obliget; cùm tamen in præſenti propoſitum Terilli ſit probare, quòd lex dubia non obliget, eò quòd titulus poſſeſſionis in dubiis, contra legem prævaleat. Omitto item aliud de obligatione reddendi debitum in dubio de valore matrimonii, quæ Canonico Jure ſancita eſt; quia opportuniùs tractabitur, ubi Canones Sacros docentes regulam obſervandam in dubiis, diligenter examinabimus, ex illiſque præfatam regulam Recẽtiorum, totumque ipſorum Probabiliſmum apertæ falſitatis convincemus.

Hæc eſt ſumma rationum, quibus fulcitur aſſertio, aut regula juniorum Probabiliſtarum. Accipe jam fundamenta noſtra.

ARTICULUS III.

In primis regula Probabiliſtarum videtur manifeſtè Scripturæ Sacræ contraria.

57. ADduximus ſuperiùs verba Dei Deut. 17. quibus capitale principium de inſufficienti legis promulgatione, quod eſt totius Probabiliſmi baſis, apertæ falſitatis redarguebamus. Hoc unum teſtimonium divinum, ſi ſatis ponderetur, & attendatur, Probabiliſmum radicitùs convellit totamque fabricam Recentiorum ab ipſis fundamentis quatit, ac diruit: ideòque non ſemel aut iterum reſumendum à nobis eſt. Nunc verò quia ſignanter regulæ Recentiorum, quam impugnamus, adeòque, & ſententiæ benignæ, velut è diametro videtur oppoſitum, paulò accuratiùs illud exponere operæ pretium fore putavimus.

§. I

Deuteronomii Textus de regula in dubiis tenenda proponitur, & explicatur.

58. VErba igitur Domini Moyſis ore loquentis ad populum Iſraeliticum, hæc ſunt: *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, & lepram: & judicum intra portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad Sacerdotes, &c* quæ ſupra poſuimus, & hìc rurſum poſt pauca reponemus. Sed, ante quàm ulteriùs progrediamur, duo ſunt prænotanda, & ſupponenda, ut ex hoc loco tandem invictum argumentum conficiamus adverſus regulam Recentiorum, eorumque benignam ſententiam. Deut. 17.

59. Suppono igitur, & noto primò, divinam iſtam legem præcipientem recurſum ad locum ſuperiorem pro veritate cognoſcenda in dubiis, non eſſe intelligendam de dubiis occurrentibus in iis ſolùm, quæ pertinebant ad gubernationem politicam ſeu civilem illius populi, ut apud V. C. Bellarminum Brẽtium, & alii hæretici ſiniſtrè interpretantur. Porrò prædictæ legis diſpoſitionem univerſalem eſſe pro dubiis contingentibus in rebus Fidei, & Religionis, quin & pro dubiis etiam de ſenſu divinorum præceptorum in qualibet materia occurrentibus, multiplici patet ratione. Bellarm. li. 3. de verbo Dei c. 4.

60. Primò, quia dubitantes re-

currere jubentur ad Sacerdotes, ad quos potissimùm ex officio pertinet dubia non solùm de Religione, verùm de moribus expedire juxta illud, *Interroga Sacerdotes legem*, & rursus, *labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est*. Sanè discernere inter lepram, & lepram, ut is, qui verè leprosus esset, abstineret se à pluribus, & alia multa faceret, quæ lex illa divina præcipiebat, manifestè spectabat ad Religionem, & mores etiam proprios illorum hominum concernebat.

Agæi 2.

Malach. 2.

Levit. 13. & 14.

61. Secundò, quippè judices, quorum varias sententias, & opiniones jubet Deus deferri ad concilium supremum, cui præsidebat olim Sacerdos Summus, & Pontifex illius legis, iidem illi sunt, quos per eundem Moysen capite proximè antecedenti præceperat constitui, sive instituit, in cunctis Urbibus Hebræorum, quosque ipse Moyses ibidem *judices, & magistros* appellat; quoniam munus eorum non tantùm erat judicare populum, sed etiam & præcipuè docere, & exponere legem: ergo quando præcipitur in nostro Textu, ut ipsis dissidentibus, & in contrarias sententias abeuntibus, ascendatur ad locum, quem elegerit Dominus pro veritate certò cognoscenda, non solùm id oportebat fieri in dubiis de materia justitiæ, quasi per viam appellationis, verùm etiam in dubiis de religione, & generaliter in dubiis moralibus, sive de sensu legis divinæ. Porrò nemo tenetur per se loquendo appellare à sententia judicum inferiorum, quanvis injusta, & noxia sibi sit: nec credibile appareret, Deum, qui toties consulit nobis vincere in bono malum, injurias, & violentias patienter sustinendo, & abstinendo à litibus, & contentionibus, seriò præcipere in lege sua lites contentiosè fovere non acquiescendo sententiæ latæ, sed ad novum tribunal provocando. Præterquàm quòd expositio ista manifestè repugnat ipsius Textus verbis; nam varietas verborum, sive opinionum judicum inferiorum, intelligi congruè non valet de sententia juridica quanvis injustè lata.

62. Et verò Textus ipse clarè significat, recursum, quem præscribit, universalem esse pro notitia, & doctrina legis in qualibet materia comparanda, dum postquàm præscripsit recursum, ita generaliter subdit: *Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus*. Hinc Cajetanus: *Hic est textus* (inquit), *super quem fundatur regula, quòd in ambiguis, tam naturalis, quàm divini juris, ad summi spectat Sacerdotis officium interpretatio, seu declaratio: immò docere, & judicare authoritativè*.

Cajet. in eum locũ.

63. Tertiò constat hoc ipsum ex 2. Paralip. c. 19. ubi Rex optimus Josaphat utrunque genus judicum instaurasse juxta præscriptum legis, & denuò instituisse refertur: nimirum judices inferiores *in cunctis Civitatibus Juda*, & superiores in Hierusalem; ex quibus coalescebat supremũ illud Synagogæ Concilium, cujus caput, & præses erat Summus Sacerdos, de quo ibi, *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit*. Quid verò ad istos supremos Judices cum suo capite pertineret, ibidem etiam distinctè exprimitur: *Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in Urbibus suis, inter cognationem, & cognationem, ubicunque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus: ostendite eis, ut non peccent in Deum*. Patet ergo, dubia, & quæstiones, quæ generaliter occurrebant in quacunque materia moris, seu de sensu legitimo cujuslibet divini mandati, deferri solitas in Hierusalem ex præscripto legis divinæ ad Concilium supremum, & judicem sacrarum cõtroversiarum, ut per sentẽtiam suam illas definiens, certam veritatem doceret.

Paralip. 2. c. 19.

Ve-

64. Verùm quid plura? Nemo est Doctor Catholicus, qui ex hoc loco Deuteronomii irrefragabile argumentum non promat ad tuendam contra sectarios supremam potestatem, & infallibilem auctoritatem, Ecclesiæ, & Romani Pontificis, in definiendis omnibus controversiis circa doctrinam fidei, & morum, uti videre est apud Catholicos Controversistas Pighium, Canum, Valentiam, Titelmannum, & cæteros communiter. Vide eorum, si placet, facilè Principem V.C. Bellarminum, tum ubi supra, tum etiam li. 4. de Sum. Pontif. c. 1. Vide etiam Becanum in Analogia c. 11. q. 1. & 2. ubi hanc nostram suppositionem ex Scriptura facilè, & egregiè demonstrat, cunctasque sectariorũ evasiones revincit.

Evidens ergo sit, recursum ad supremam potestatem, quem lex Deutoronomii præcipiebat, non esse intelligendum pro dubiis in materia justitiæ, aut in rebus politicis tantummodò, ut frustrà sectarii contendunt, sed etiam generaliter pro dubiis occurrẽtibus circa doctrinam religionis, & morum: quod est primò notandum, & supponendum.

65. Alterum supponendum, & prænotandum est, dubia, de quibus loquitur prædicta lex divina, neutiquàm levia, aut vulgaria esse, sed potiùs gravia, & rationabilia, quæque viros prudentes, ac peritos in varias, & oppositas opiniones distraherent. Id constat manifestè ex textu ipso, ut notavit D. Angelicus: *Dupliciter* (inquit) *aliquid potest esse ambiguum. Uno modo apud simplices: & ad hoc dubium tollendum mandatur Deuteronomii 16. ut judices, & magistri constituerentur per singulas tribus, ut judicarent populum justo judicio. Alio modo contingit aliquid esse dubium, etiam apud peritos: ideò ad hoc dubium tollendum constituit lex, ut omnes recurrerent ad locum principalem à Deo electum, in quo & summus Sacerdos esset, qui determinaret dubia circa cæremonias divini cultus, &c.*

D. Tho. 1. 2. q. 105. a. 2. ad 7.

His verò præsuppositis, licet jam nostrum argumentum cõficere.

§ II.

Ex memorato textu divino regula extremè opposita regulæ Recentiorum elicitur.

66. EN ergo Deus ipse quæstionem, & hypothesim nostram vix non in propriis terminis, ut ajunt, sibi decidendam statuit: certè verbis clarissimè idem significantibus, quoad rei saltem propositæ difficultatem maximam, ut nemo potest jure negare: *Si difficile* (inquit), *& ambiguum apud te judicium esse perspexeris .... & judicum intra portas tuas videris verba variari*: id est, si circa sensum divinæ legis occurrat dubium aliquod non leve, sed difficilis decisionis, in quo expediendo, vel resolvendo variæ sint, ac discordes sententiæ peritorum, ac magistrorum. Quid precor differt hypothesis ista ab ea, quam versamus cum Recentioribus? Profectò nihil prorsus, nisi quòd fortè Deus terminis strictioribus utitur. Immò non fortè, sed procul dubio hypothesis divina strictior est; neque enim Recentiores tantum ubique exigunt, ut quæstionem instituant, & pro libertate resolvant ex artificio suarum reflexionum, ut patet ex superiùs dictis.

67. Jam ergo ad quæstionem propositam quid Deus respondeat, audiamus. *Surge* (ait), *& ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint; qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxtà legem ejus: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.* Ecce tibi Dei assertionem, & responsionem ad quæstionem propositam

Vi-

Vide oro te per salutem tuam, an sit eadem cum assertione, & responsione ad quæstionem eandem nostrorum Probabilistarum? Vide, inquam, an illi non extremè contraria sit?

68. Utique Recentiores Probabilistæ, quoties legis sensus est dubius, ita ut de ipsius obligatione variæ sint, & contrariæ opiniones Doctorum: quin immò quoties legis obligatio, vel non est absolutè certa, vel saltem non est unicè probabilis; toties indulgent securitatem conscientiæ, ita ut nemo teneatur legem servare, sed possit honestè, & prudenter citra omnem culpæ timorem partem minùs tutam amplecti, etiam quam actu judicat falsam, vel judicare potest, si velit: quia in dubiis prævalet possidentis conditio, & homo possidet libertatem suam ad faciendum quidquid libuerit; nec debet juris certi incertas exceptiones admittere. Ex hoc principio, inquiunt, quilibet potest, dum videt, viros graves negare legis obligationem, ac per hoc dubiam saltem illam efficere, concludere apud se ultimum dictamen conscientiæ de suæ operationis honestate *ut minimum moraliter certum*. Qui verò agit ex dictamine isto, honestè procul dubio operatur.

69. Sic quæstionem propositam resolvunt Recentiores Probabilistæ. At non sic Deus noster, *sapientiæ dux, & sapientium emendator*: sed *surge*, inquit, *& ascende ad locum, quem elegerit Dominus. Venieque ad Sacerdotes, & ad judicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis judicii veritatem.* Quid adhuc quæritur? Quid ultrà postulamus?

70. Rem stupore dignam! Nempè dubitant homines, & inquirunt, quid se facere oporteat, quoties sensum legis divinæ cognoscere certò non possunt, sed propter varias hominum opiniones dubii, ac perplexi manent de ipsius legis obligatione? Quæstio est sanè non levis, neque oscitanter examinanda, in qua scilicet vertitur non argenti, non auri, non temporalis regni possessio, non sæculi felicitas, non valetudo corporis, non denique vita mortalis, sed immortalis tota, ac sempiterna salus animarum. Respondent ad quæstionem hominum homines, utique quærentibus similes, & qui, licèt inviti, facilè falli, ac fallere possint: respondet item Deus, qui neque falli possit, neque fallere. Respondent, inquam, homines dubitanti, ac quærenti, quid se facere oporteat in dubiis circa sensum divinæ legis, quæ, factâ diligentiâ, superare non possit? *Tuta sunt omnia: nihil ultra quærendum: securus quiesce: quos malueris Doctores de dubio tuo dissentientes, sequere: denique facito quidquid tibi libuerit.* Respondit pridem Deus ad quæstionem eandem: *Surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus. Venieque ad Sacerdotes .... & ad judicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis* (ideſt, à me per ipsos), *qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint, &c.* En humanum responsum: en divinum oraculum.

71. Et post duplex istud responsum ad unam, & eandem quæstionem redditum: post latas duas istas sententias invicem sibi oppositas, & extremè inter se contrarias, alteram hominum, alteram Dei ipsius, contendunt homines numero satis multi, &, eorum saltem non pauci, pietate, ingenio, & sapientiâ insignes (non quod doceant, vel censeant, quod cogitare absit, sententiam ullam hominum sententiæ Dei præferri debere; sed quia istam non cogitant, aut non satis attendunt): contendunt, inquam, vehementissimè (quin & succensent sibi contradicentibus) sententiam hominum in quæstione tanta indubitanter esse tenendam: ideſt, regulam esse generalem, *ut minimum moraliter certam*, quòd in omnibus dubiis (juxta sensum expositum) de actionis honestate, vel turpitudine, nihil ultrà curandum sit,

sit, neque surgendum, neque quærendum, sed quidquid operanti libuerit, absque timore ullo faciendum. Sic res se habet: tu verò, Lector Christiane, videris, quid hìc facto opus sit. Nec pluribus videbatur agendum, sed usurpandum illud Augustini li. de moribus Ecclesiæ Catho. *Quare deinceps nemo ex me quærat sententiam; sed potiùs audiamus oracula, nostrasque ratiunculas divinis subjiciamus affatibus. Videamus, quomodo ipse Dominus .... nobis præceperit esse videndum.*

72. Nos ergo concludamus (ut credimus cum Deo glorioso) regulam generalem extremè oppositam regulæ Recentiorum: hoc est, in omni dubio de actionis honestate, nisi quis possit dubium resolvere prudenter, ac rationabiliter, ita ut directè judicet per judicium verè probabile (scilicet in sensu veræ sententiæ), actionem esse re ipsa honestam, & legi divinæ conformem; vel quærendam ulteriùs veritatem, vel si operandum sit, tutiorem semitam necessariò tenendam: ut verissimum sit, quod generaliter in hypothesi nostra inhæsitanter protulit subtilis juxta, ac pius, Doctor Scotus (ubique sanè pius, & acutus, sed in doctrina moris tradenda cautissimus, ac prudentissimus), qui, cùm sibi objecisset. *Multa in actibus humanis sunt dubia, utrum sint peccata mortalia, etiam suppositis omnibus doctrinis Doctorum, & Expositorum: Respondeo* (inquit) *non est dubia via salutis simpliciter, quia à talibus, tanquàm à periculosis, debet homo sibi cavere, & custodire se, ne homo, dum se exponit periculo, incidat in peccatum.* Hæc subtilis Scotus, à cujus mente per se clarissima tam procul abit commentator ipsius, quàm procul abit à veritate.

Scot. in 1. q. 2. fine.

Quid ad hoc argumentum planè convincens Recentiores dicturi sint, incertum nobis est: immò quid dici possit, non unicè ut dicatur, sed cum aliqua saltè probabilitatis specie, fateor ingenuè nihil nobis occurrit. Veruntamen, quod posset utcunque cogitari, refellere non omittemus.

§. III.

Solutio quædam argumenti nostri, quæ cogitari posset refellitur.

73. Dicat fortasse aliquis, præfata verba Domini per Moysen continere quidē præceptum non acquiescendi in dubiis judicum inferiorum, sive magistrorum sententiis, sed inquirendi ulteriùs veritatem à judice supremo controversiarum illius legis, nisi quis vellet sequi tutiorem partem: cæterùm præceptum hujusmodi fuisse proprium illius legis, nec fuisse de moralibus præceptis, sed de cæremonialibus, aut judicialibus, unde extendi non posse ad legem Evangelicam, sed spirasse potiùs censendum esse cum veteri ipsa lege, sicut, & alia plurima durissima, ac importabilia, quæ propria erant illius legis servitutis, atque timoris, & nihil ad nos attinet à Christo Domino libertate donatos.

74. Et confirmari ab absurdo posset efficacissimè, ut plures censeant; nam si pro quovis dubio de sensu legis, in quo variant Doctorum opiniones, recurrendum omnibus esset ad Ecclesiæ Catholicæ supremum Judicem, & Doctorem, non satis Christus Dominus providisset Ecclesiæ suæ, unicum tantùm ipsi præficiendo, vix enim unus, aut ne vix quidem, huic uni muneri adimplendo sufficeret. Et quid vis? (inquient) nunquid, quoties occurrit occasio, vel necessitas aliquid operandi, quod plures viri docti dicunt licitum esse, licèt totidem alii, aut etiam plures dicant esse illicitum, debeo actionem suspendere, & consulere Romanum Pontificem? Quis dicat? Quis non rideat, si audiat?

Quis

Quis potest tantum onus imponere Christianis contra communem praxim Ecclesiæ ?

Hanc argumenti nostri solutionem nulli viro cordato, aut non vulgari, credimus aliquando placituram. Sed quia vix aliquid cogitari potest, quod aliquando alicui non placeat, præsertim in materia, quam versamus, operæ pretium duximus non illam prætermittere.

75. Ergo ; quòd omni fundamento careat, facilè ostendi potest, vel ex eo, quòd nemo interpretum aliquando insinuaverit, memoratum præceptum fuisse proprium legis illius, ita ut cum illa evacuatum sit : sed omnes tanquam certum supposuerunt, legem illam divinam non aliud continere, quàm manifestationem, & expressionem æquitatis, & honestatis ipsius naturalis juris fundatam in studio propensiori, & diligentia necessariò adhibenda ad inveniendam legem, & voluntatem Dei.

76. Et quidem meritò nullus hucusque fuit, qui de hac veritate dubitaverit. Quis enim audeat dicere ; Deum in lege gratiæ minorem diligentiam exigere ab hominibus pro voluntate sua quærenda, & invenienda, quàm exigebat in lege veteri ? Quis credere possit filiis, quales nos sumus, concessum esse à Deo sponte subire periculum transgrediendi re ipsa præcepta Patris, & discedendi à voluntate ipsius ; quod tamen servis, quales fuerunt Judæi, severissimè fuit prohibitum ? Profectò, si sic loqui, aut sentire nos deceat, cùm modus, ac mensura amoris nostri, quem Deo debemus rependere, sit diligentia, & cura à nobis impendenda, ne quid unquàm faciamus, quod oculis ejus displicat, ipsiusve sanctissimæ voluntati repugnet, si minùs tandem curæ exigitur à nobis, minùs etiam amoris exigatur necesse sit. Jam ergo palàm affirmare licebit. Christianos minùs Deum diligere debere, quàm debuerint diligere Judæi. Et quem precor vere Christianum hæc, non dicam proterre, sed vel cogitare non pudeat ? *Præclaram alioqui* (ut cum Salviano loquar) *Passioni Christi reddimus vicissitudinem*. Præclarum libertatis privilegium ambimus : illud videlicet, quod negat Apostolus, *In libertatem vocati estis : tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis*. Hæc utique libertas nullis competit minùs, quàm verè liberis. Salvia. li. 6. de Provid. Ad Gala. 5.

77. Differt quidem à veteri lex nova (præter alia discrimina) in eo, quòd leviora, & multò pauciora præcepta à Deo sint imposita nobis, tanquàm filiis charissimis in Unigenito suo dilectis, quàm Judæis, ut servis duræ cervicis. Cæterùm privilegium libertatis Christianæ, & excellentiam Evangelicæ legis, velle ex eo desumere, quòd minorem nos, quàm Judæi debeamus adhibere conatum, minoremque subire laborem, ut nunquam recedamus à voluntate Dei, ipsius ve mandata violemus, nemo hucusque ita desipuit, qui non cum hæreticis saperet.

78. Non sic profectò sapiebat Apostolus, dum grandia illa protulit, ac terribilia verba : *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur : quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit* ? Sic Apostolus Christi, & Christianorum. Et sic item ipsemet Christus, distinguens ore suo divino populum suum Christianum à populo Hæbreorum, aliâ utique notâ, maximèque dissimili prætensæ libertatis privilegio : *Audistis* (inquit), *quia dictum est antiquis, &c. Ego autem dico vobis &c.* Abito nunc ; & aude palàm asserere, nobis ex privilegio libertatis Christianæ in dubiis circa sensum divinæ legis, concessum esse à Deo, quidquid libuerit facere : secus autem Judæis, quibus Ad Hebræ. 10. Matth. 5.

præ-

præceptum erat ulteriùs veritatem inquirere.

§. IV.

Ad confirmationem.

79. ADjuncta solutionis confirmatio doctrinam continet quoad substantiam suam absolutè gratissimam Probabilistis, & maximè junioribus, decantatissimam. Porrò nihil ipsis solemnius, quàm ex hoc loco nostram lacessere sententiam, & illam apud vulgus diffamare, quasi imponentem humeris hominum onus planè importabile, contra quam docet Dominus in Evangelio, *Jugum meum suave est, & onus meum leve*: & dilectus ejus discipulus, *Mandata ejus gravia non sunt*. Cæterùm locus iste communis nihil nos terret, & alibi tractabitur.

Matth. 11. 1. Joan. 5.

80. Nunc verò in primis dicimus, ut non nobiscum, sed cum Deo contendant, qui tam disertis verbis jubet in nostræ quæstionis hypothesi, ut non faciamus, quidquid libuerit, sed veritatem adhuc quæramus. Deus verò nemini debet rationem reddere de præceptis suis, sed omnis ratio nostra subjici debet voluntati ipsius, quæ supra omnem rationem est. Nisi contendant adhuc, præceptum illud ad Judæos tantùm, minimè verò ad nos pertinere; quod est amplecti solutionem rejectam, utique absurdam, & irrationabilem; & per quam jam concederent, Probabilismum, saltem aliquando severè fuisse à Deo proscriptum. Mirum sit autem, si modus operandi adeò connaturalis, utilis, tutus, rationalis, ac prudens, qualis à Recentioribus deprædicatur, prohiberi à Deo potuerit, neque fuisse mũdo coævus, & perpetuò cum eo perseverans, ut ipsi Recentiores alibi jactant.

81. Contendant insuper cum D. Thoma *à nemine non recepto*, ut ajebat supra Navarrus, & regulam tradente pro nostra hypothesi haud secus regulæ Recentiorum oppositam, ac lux est oppositа tenebris. Verba S. Doctoris partim dedimus alibi, & hìc iterùm dare integra non gravabimur. Nempè, dum quærit, *Utrum ei, qui subditur legi, liceat præter verba legis agere?* arguit secundo loco pro parte negativa: *Ad eum solum pertinet leges interpretari, cujus est condere leges: sed omnium subditorum legi non est leges condere: ergo eorum non est interpretari legislatoris intentionem, sed semper secundùm verba legis agere debent.* Cui argumento respondet: *Ad secundum dicendum, quòd ille, qui sequitur intentionem legislatoris, non interpretatur legem simpliciter: sed in casu, in quo manifestum est per evidentiam documenti, legislatorem aliud intendisse. Si enim dubium sit* (audi Probabilista) *debet, vel secundùm verba legis agere, vel superiorem consulere.* Id ipsum docet aliàs non minùs clarè: *Dicendum* (inquit) *quòd interpretatio locum habet in dubiis, in quibus non licet absque determinatione principis à verbis legis recedere: sed in manifestis non est opus interpretatione, sed excusatione.* Videndus itidem S. Doctor q. 147. a. 4. corp. ubi eandem sententiam repetit. Nunquid nos clariùs in quæstione præsenti Recentioribus cotradicimus? Notanda insuper est tota doctrina dicti articuli sexti, quam alibi fortè expendemus.

S. Tho 1. 2. q. 96. a. 6.

D. Tho. 2. 2. q. 120. a. 1. ad 3.

Sup. a. 2. §. 2.

82. Præterea Recentiorum Probabilismus non solùm mundo non est coævus, sed neque duo sæcula vidit, cùm ante annum 1578. nondum esset in lucem editus, ut est factum notorium in Ecclesia, nec diffitentur ipsi insigniores Probabilistæ, & nos præterea in secunda parte facilè sumus demonstraturi propter aliquos Recentiores, qui nihil non affirmant, & negant, ut Probabilismum non negent. Precamur ergo ut dicant Probabilistæ, quid fiebat ante id temporis? An non dubia de moribus tunc emergebant? An non unicus Doctor, atque Judex su-

premus sufficiebat Ecclesiæ Dei pro decidendis dubiis, quæ ad se deferebantur? Fortè tunc jugum Christi suave non erat, sed, à Probabilistis Recentioribus ad finem sæculorum suavitatem accepit. Nondum scilicet apparuerat novus ille *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, & quem non mundo Joannes Baptista, sed Joannes Caramuel demonstrat, affirmans eos verè felices, qui præ aliis Doctoribus *sequuntur ipsum quocunque ierit*. Nemini in re adeò seria adeò ridiculè nugari libeat; sed ut sapienter Augustinus ajebat, *Separatis nugis locorum communium, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione confligat*.

Caramuel. ubi adduct. sup. contov. 6.a.3. n. 127.

Aug. li. de util. cr. ed. c. 1.

83. Ad hæc, quid dicent Probabilistæ de Judice, & Ministro Sacramentorum, quibus non licet usus opinionis minùs probabilis? Nunquid his jugum Christi portabile non erit? Quare non vident, argumenta sua, quibus plausum vulgi aucupantur, vel nihil, vel damnatas opiniones probare, de quo latè in libro sequenti?

84. Dicimus ergo tandem, immensam opinionum moralium silvam, & frequentium dubiorum multitudinem, qua, quocunque nos vertimus, pænè obruimur, ut nihil ferè certò jam sit, vel honestum, vel inhonestum, esse fructum moderni Probabilismi, & quidem valdè proprium, ac naturalem. Patet hoc sufficienter à posteriori ex effectu ipso secuto. Quòd enim his postremis temporibus, quibus Probabilismus maximè invaluit, creverit sine termino moralium opinionum immoderata copia, nimiaque Theologorum opinandi licentia, mæror, & planctus Summorum Pontificum ignorare neminem sinit, & vel Terillus ipse largè dolet, ac deflet in proœmio ad Tractatum de Conscientia probabili, ubi seria, & gravi oratione id ipsum argumentum prosequitur. At novus hic effectus in doctrina morali, novâ habuerit causam necessum est: nulla verò se offert, nec facilè assignabitur præter modernum Probabilismum, maximè cùm hæc sit summopere proportionata ad ejusmodi effectum producēdum.

85. Nam, si semel intellectus potest ex libera electione voluntatis opinari, etiam illud, quod pro priori ad omnem assensum apparet sibi verosimiliùs falsum, & quidem honestè, ac prudenter, ita ut possit voluntas ejusmodi opinionem, etiam purè objectivè existentem in intellectu, amplecti tanquàm regulam operationis suæ tutam, ac rectam; quæ sunt principia Probabilismi: quis non videat, quàm lata porta opinionibus aperiatur? Sanè vix inveniatur falsitas aliqua adeò patens, ac manifesta, præsertim in rebus moralibus, ut paritatibus, & rationibus hinc inde studiosè quæsitis vestiri sic non possit, ut prudenter sit opinabilis. Quid utique prudenter intellectus non opinetur, si prudenti judicio nihil obstat major objecti similitudo cum falsitate, quàm cum veritate? Quid enim est in rebus non prorsus evidentibus, quales plerunque sunt actus morales, quod ex aliquo capite non falsum intellectui videatur? Alioqui veritas unde foret incerta?

Aliunde, cùm voluntas ex judiciis hujusmodi maximum capiat fructum commoditatis, & libertatis ad faciendum quidquid libuerit, periculum evidens est, ne sua, & intellectus libertate abutatur, facilè ipsum inclinando, ac movendo, ad opinandum quidquid occurrerit, maximè contra legis obligationem, & in favorem propriæ libertatis. Constat ergo, modernum Probabilismum naturâ suâ ferre, ut fructum sibi nimis connaturalem, maximam opinionum multitudinem, copiosamque moralium dubiorum segetem. Sed de hoc argumento non nihil supra dedimus, & multò plura dabimus postea.

86. At verò juxta veram, ac solidam Theologiam, quæ docet rectâ viâ

viâ unam veritatem inquirere, multò minorem utraque potentia in opinando licentiam habet, indeque multò rariùs aberret ab scopo necessum est per determinatum assensum. Equidem juxtà nostra principia, intellectus non potest hærere in via, nec detineri veritatis spectris, assentiendo videlicet ex aliquo voluntatis imperio objectis præferentibus speciem veri, si majorem præseferant, aut æqualem speciem falsi; *Una quippe veritas*, (inquit Chrysostomus) *nec in multas scinditur partes*. Quare non ita facilè continget nobis (attentis propriis nostris principiis), ut contra legem Dei opinemur, ejusque obligationem falsò negantes, dubiam veritatem reddamus: nam ex terminis ipsis multò rariùs eveniet, ut aberret à vero, & falsum pro vero amplectatur is, qui ex propria sua intentione unicè quærit verum reale, & diligenter intendit declinare quidquid est verum merè apparenter, quàm ille, qui verum inquirens non refugit amplecti per determinatum assensum, quod non minùs falsum, quàm verum, immò, & quod minùs verum, quàm falsum sibi apparet. Sanè iste reverà facto ipso attestante, non magis, immò minùs, quærit verum, quàm falsum: quare mirum non sit, si vel sæpè, vel sæpiùs falsum re ipsa teneat, & veritatis umbram amplectatur inanem. Enim verò, si quærens determinatè aurum ea firma intentione, ut nihil velit aliquando amplecti, quod aurum reale non sit, contingit tamen, ut per errorem nonnunquam aurichalcum teneat: quid fiet illi, qui indifferenter, vel aurum quærit, vel aurichalcum, & utrunlibet objectum appareat, æquè libenter illud amplectitur, immò, etsi appareat potiùs aurichalcum, quàm aurum?

Chrysost. Homil. 48. in Matth. c. 13.

87. Accidet quidem interdum etiam nobis (quæ nostra misera conditio est) ut etiam cùm directè unam veritatem inquirimus, nolentes *amplexemur nostra phantasmata* (ut quondam Augustinus lugebat). *Nam redeuntibus nobis ad investigandam veritatem, ipsa in itinere occurrunt, & nos transire non sinunt, nullis viribus, sed magnis insidiis latrocinantia, non intelligentibus, quàm latè pateat, quod dictum est, cavete à simulacris*: idest, à vanis veritatis spectris. Hinc fit, ut etiam in via nostra, nonnulla sit, nec modica, opinionum varietas, qua veritas moralis, quam inquirimus, interdùm ita dubia reddatur, ut inveniri à nobis non possit per judicium sufficiens ad honestè, ac prudenter operandum, videlicet per judicium certum certitudine quadam morali, quæ non est absoluta certitudo, sed recurrit cum vera, & nostra probabilitate. In hoc autem eventu, fatemur, locum habet præceptum naturale, ac divinum de veritate ulteriùs inquirenda, nisi velimus sequi tutiorem partem.

Aug. li. de vera Rel. g. c. 49.

88. Cæterùm dubia hujusmodi non frequenter emergent; nam veritas moralis, si sincerè quæratur, rarò continget, ut inveniri nequeat per judicium verè probabile; etenim (ut verissimè Chrysostomus) *Nihil veritate clarius, nihil simplicius, nisi maligni esse velimus*: & *fieri non potest* (Augustino spondēte) *quadam providentia divina, ut religiosis animis se ipsos, & Deum suum, idest, veritatem, piè, castè, & diligenter quærentibus inveniendi facultas desit*.

Chrysost. Homil. 51. in Ioan.

Aug. li. de Quantit. animæ c. 13.

89. Falsum est igitur, quòd sententia nostra imponat onus intolerabile, quia, omnibus inspectis, non nisi rarò accidet, ut secundùm nostra principia cogatur quis recurrere ad Summum Ecclesiæ Pastorem pro veritate morali invenienda. Utique, si quando contingat, ut factâ diligentiâ, adhuc nequeat dubium resolvi judicio jam exposito, nempe verè probabili, atque prudenti, rarissimè continget, ut quis non possit tutam viam tenere: nam ut supra ajebat Scotus, si quando veritas dubia est, *non est dubia via salutis*, quia

Sup. n. 72.

ut plurimum abstinere poterit ab extremo periculoso, & tutiorem partem amplecti; ex qua suppositione non tenebitur quærere dubii resolutionem, neque recurrere ad Ecclesiæ caput pro certa veritate discenda.

90. Denique, quòd non possis, cũ, omnibus inspectis, dubitas circa objectum directum, nec judicare potes judicio jam expositò, quid à te exigat voluntas Dei circa electionem talis objecti, facere, quidquid tibi libuerit; sed necessariò debeas, vel procurare adhuc certam veritatis notitiam (idest strictè, ac verè probabilem), vel amplecti partem tutiorem: hoc onus non nos tibi, non nostra, & vera Theologia imponit, sed lex tantummodò veræ charitatis, qua voluntatem, & legem Dei tui libito tuo præferrè teneris, adeòque proximum, ac morale periculum eidem legi repugnandi, cavere.

91. Hanc legem naturalem, & immutabilẽ ipso rationis lumine signatam denuò tibi Deus denuntiat Deuteronomii verbis jam expensis. Hanc Angelicus Doctor, & cuncti Theologi semper agnovere, nec quisquam ab illa te liberat præter nonnullos modernos Theologos, qui (nescimus qua facultate) privilegium amplissimum tibi indulgent memoratum periculum contemnendi, ex jure, nescio cujus possessionis naturalis arbitrii, seu libertatis, ad faciendum in dubiis de lege Dei, quidquid facere demùm tibi libuerit. Tu vide, an jure tibi jus verum aliquod competere possit contra jus illud naturale, ac divinum, quod satis firmiter stabilitum est, & firmiùs adhuc stabilietur.

ARTICULUS IV.

Suadetur à ratione communis, & nostra sententia, & fundamenta sententiæ contrariæ multipliciter enervantur.

QUamvis argumentum expensum ab auctoritate divina, prorsus evidenter, ut reor, sententiæ nostræ veritatem evincat: ut tamen planè constet, quàm benè ratio auctoritati congruat, juvat ex principiis Theologicis alia præterea agumenta dare, quibus obviter etiam profligemus fundamenta Terilli supra adducta pro regula Probabilistarum.

§. I.

Titulus possessionis prævalens in materia justitiæ nihil facit ad rem præsentem.

92. NOn est hìc animus disputare, an possessionis titulus in materia propria justitiæ generaliter debeat in dubiis prævalere, ut tenet communis sententia, quæ fortassè deberet aliquatenus saltem limitari, nec sine gravium Doctorum suffragio; fixum enim est nobis, ut aliàs denuntiavimus, quàm minimè posimus, divertere ab scopo nobis præfixo, nullamque admiscere quæstionem, cujus decisio necessaria non sit ad præcipuum nostrum propositum. Ultrò ergo supponimus cum Recentioribus communem hanc doctrinam absque ulla limitatione.

93. Illâ verò suppositâ, nobis absolutè non placet disparitas, quam reddunt Pater Elizalde, Mercorus, & alii nonnulli nostratum, ne possessionis titulus prævaleat in aliis materiis: nimirum, quòd possessio in materia propria justitiæ facit ad solutionem dubii speculativi, seu remoti, de dominio rei; nam quando

do quis in dubio rem possidet, eò ipso præsumi prudenter debet habere jus legitimum ad ipsam possidendam; nemo enim censetur aliter possidere cæpisse, nisi oppositum ostendatur. Hæc verò ratio non habet locum in materia aliarum virtutum.

Cæterùm hoc discrimen videtur nobis, vel omninò destruere regulam staturam, etiam pro materia justitiæ; vel saltem non sufficere ad negandam universaliter extensionem prædictæ regulæ ad aliam quancunque materiam. Ideò hanc solutionem rectè impugnat Terillus: sed minimè illâ indigemus, cùm habeamus certissima principia, in quæ sententiam nostram facilè, ac solidè resolvamus.

94. Equidem titulus possessionis non modò nihil facit ad rem nostram, sed, & valde mirabile nobis est, quod allegari ab aliquo possit pro quæstione præsenti decidenda. Ajunt Probabilistæ (Terillo referente), titulum possessionis generaliter æquè favere nobis contra Deum, ac Deo contra nos. Etiam ne, contra Deum favere nobis potest? Credibile certè non est. Quid ergo? Potest nobis possessio aliqua suffragari, ut ex illa possimus aliquando pro nostro aliquo jure Deo nostro litem intendere? Quid est precor hoc juris, aut unde tandem nobis advenit? Nunquid nos aliquid possidere unquam possumus, quod ita nostrum sit, ut non sit magis ipsius Dei? Alioqui quid nos omnes tam fortiter urget Apostolus: *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Nimirum quidquid sumus, quidquid possumus, quidquid vivimus, quidquid operamur, nunquid à Deo totum non habemus acceptum præter unum mendacium, & peccatum? Hoc quidem verè habemus à nobis; sed verò per rapinam (ut scitè dixit Anselmus), & iniquissimè Deo negando obsequia nostra mille titulis debita, & infinitè potiùs sua, quàm nostra.

Terill. q. 33. de cõsc. n. 48.

1. Ad Corinth. 4.

Anfel. li. de casu diabo. 2. 27. & 28.

95. At fortè postquàm aliquid à Deo accepimus, jam nostri juris solius est, & à divino dominio exceptum. Sed quis ita desipiat? Quis dicat, Deum à se abdicare supremum rei dominium, quam homini liberaliter donat, ut jam, vel illam, vel fructum ipsius, vendicare sibi non valeat? Alioqui impunè poterit homo rem illam Deo exigenti negare, & liberè de illa, prout libuerit sibi, disponere, etiam contra Dei voluntatem. Quid ni verò, si jam solius hominis ita propria est, ut ultra ad Deum nihil pertineat? Utique de re qualibet penitus sua, & ad neminem alium attinente quilibet potest liberè disponere, nullo expectato alterius consensu. Hoc enim verò jus nostrum est, quod nobis cõtra Deum vendicamus? Hæccine nostra libertas est, quam per favorem possessionis nostræ nobis cõtra Deum asserimus? Nimis profectò nostra jactamus: nimis nostri volumus esse. Sed verendum est nobis cum Deo contendentibus, ne fortè, dum nos nobis, & nostra pariter arrogamus, Dei nostri verè non simus, & nostri nobis nihil remaneat, præter illud dumtaxat, quod totum nostrum est, sed nihil est, injustitia videlicet, & peccatum.

96. Ne igitur velimus cum Deo judicio contendere: ne velimus extollere cornu nostrum, & loqui adversus Deum iniquitatem. Neque enim poterimus (ut Sanctus ille ait) *unum respondere pro mille*. Magis ergo cedamus Deo nostro humiliantes animas nostras sub ipsius potenti manu, & omnia jura nostra abjicientes, aut subjicientes divinæ voluntati, salutem nostram aliâ viâ quæramus, cum altero Sancto dicentes, *Nonne Deo subjecta erit anima mea? Ab ipso enim salutare meum.* Porrò (ut rectè Bernardus) *Totius humanitatis summa in eo evidenter consistere, si voluntas nostra divina (ut dignum est)*

Iob. c. 9.

Psal. 61.

Bern serm. de triplic. subject. nostræ volũt.

est) subjecta sit voluntati.

97. Audire videor Recentiores, ajentes (quod frequenter audivi), hæc omnia dicta esse concionatoriè, non scholasticè. Sed nunquid ideò vera non sunt? Aut veritas ideò vilescit, quòd ex Sanctis Dei Scripturis concionatoriè (ut inquis) doceatur? Sanè Prophetæ Domini concionatoriè nobis locuti sunt: quin, & Dominus ipse in Evangelio suo concionatoriè docet veritatem. Immò non aliàs magis, quàm in concionibus, sincerè veritas docenda esset; propter quod hodie conciones multæ (peccatis nostris id exigentibus) nihil minus sunt, quàm conciones. Puto argumentum nostrum nuper expensum concionatoriè, (si tibi placet) Theologis verè Theologis solidissimum est, & scholasticæ tuæ Theologiæ nimis apertè demonstrat falsitatem. Sed age, veritas nihil formidat, sed ubique vincit, & regnat. Agamus igitur scholasticè.

§. II.

Paritas ex materia propria justitiæ non modò Recentioribus nihil avet, sed & falsitatis apertæ eorum sententiam convincit.

98. HOc ut patenter, ac facilè ostendamus, conferamus utranque hypothesim, ut vim nostræ rationis nemo possit dissimulare.

Contendit fortè Petrus cum Joanne de proprietate, seu dominio fundi, quem bona fide Petrus hactenus possidebat. Utrinque allegantur rationes: sed adeò æqualis roboris, aut pænè æqualis, ut judicari nequeat determinatè, ad quem fundus spectet quoad proprietatem suam. In hoc dubio, pronuntiat communior Doctorum sententia, Petrus præferri debet, & fundus ipsi adjudicandus est; quia possessio fundi, qua gaudet, & qua Joannes est destitutus, magnam inducit inæqualitatem, indeque sufficienter dubium resolvit: sive quia jure ipso naturæ iniquum est, ut quis, quoad totum, vel quoad partem, spolietur re illa, quam bona fide possidet, ob incertas rationes juris alieni; sive (quod nobis verius videtur), quia jure positivo, & legitima consuetudine propter vitandas lites, & firmanda rerum dominia, prudenter sic constitutum est admodum consentaneè ad naturalis juris æquitatem. Hæc est hipothesis in materia justitiæ.

99. Ecce nunc hypothesis nostra. Dubito, an Deus mihi præcipiat, vel per se ipsum, vel per suam Ecclesiam (quod discrimen ad præsens nihil facit) jejunium, verbi gratia in hac die, in istis, vel illis circunstantiis? Et postquàm sufficientem diligentiam adhibui, assequi veritatem non possum, sed dubius semper maneo, utrum Deus re ipsa præcipiat mihi, an non, jejunare? In hac hypothesi, inquiunt Probabilistæ, quidquid sit de præcepto à parte rei, jejunare minimè teneor. Quare? Quia favet mihi titulus possessionis, qui in meæ libertatis favorem sufficienter resolvit dubium præcedens, utique certò, & indubitanter. Sed tene modum, & cautè procedamus: fortè titulus iste vanus est, si non sonitum vocum, sed attentè rem inspiciamus.

100. Nimirùm dubium est, an actus jejunandi (seu sit physicè actus, seu carentia, quod nihil facit ad rem moralem) sit tibi necessarius ex lege Dei, an potiùs liber sit ab omni legis obligatione? Quid precor in hoc dubio tu certò possides? Certè non actum ipsum, nec omissionem ejus, quæ necdum est, & fortè non erit. Possideo, inquis, libertatem meam, hoc est, jus certum, & meæ voluntatis dominium ad omittendum liberè actum. Liberè, & licitè? Non ais opinor: nam hoc est dubium ipsum, quod versamus. Reliquum ergo est, ut unicè jus habeas, & tuæ voluntatis dominium ad omittendum

dum liberè actum, sive licitè, sive illicitè. Hoc vero certum jus, & libertas, quæ reverà non est, nisi libertas physica ad peccandum, qua non cares, etiam dum agis contra præceptum certum, & evidens, quomodò dubium illud resolvat, & reddat tibi licitam omissionem jejunii, ostendas mihi vellem; ego nanque fateor ingenuè, non solum non intelligo, sed vix possum, vel cogitare.

101. Dicis cum Esparza, & Terillo: jus certum, quod voluntas possidet, & quod resolvit dubium objectum, non est libertas hæc peculiaris ad omittendum liberè actum in eventu dubii propositi; hæc enim nequit dici immediatè, ac per se libertas certa ad omittendum licitè actum, nisi per evidentem petitionem principii, ut statim apparet ex ipsis terminis. Illud ergo jus certum est naturale voluntatis dominium supra omnes suas actiones, & generalis libertas ejus ad ponēdum etiam honestè, aut saltem nō illicitè quemcunque actum, qui per legem divinam non ostendatur sibi prohibitus. Utique naturale dominium hoc, & generale jus voluntatis ad liberè operandum, fundat, & infert in casu dubio jus etiam certum, & particulare, ad agendum quidquid libuerit, etiam libertate morali, hoc est sine peccato (sic enim hic accipimus moralem libertatem); quia scilicet jus certum, quod possidet humana voluntas, limitari non debet, aut restringi in casu aliquo particulari per exceptionem dubiam, ideſt, per dubiam existentiam præcepti, cùm melior sit in dubio possidentis conditio. Sed nihil agis, nisi dicis, & loqueris: difficultatem verò non tangis.

102. Urgeo itaque, ut nostri vim argumenti nemo possit dissimulare. Naturale dominium voluntatis humanæ respectu suarum actionum, & ipsius libertas generalis ad operandum, non est jus certum immediatè, & per se ad agendum moraliter (hoceſt, liberè, & licitè) indefinitum, & illimitatum, sed in ordine solùm ad actus illos, quos neque constet esse prohibitos, nec dubitetur, an prohibiti sint, ut fateris, & paret necessariò fatendum esse: alioqui si supponas esse jus certum ad agendum moraliter, etiam pro casu dubio, de quo contendimus, apertè destruis argumentum tuum, & nimis clarè principium petis, supponis nanque conclusionem tuam, quam ex illo principio unicè probandam susceperas. At naturale voluntatis dominium, & generalis ejus libertas, sive jus certum ad agendum moraliter pro quolibet eventu non dubio, non potest fundare, aut inferre jus certum ad agendum moraliter pro eventu aliquo dubio: ergo voluntas pro hoc eventu nullum jus certum possidet ad agendum moraliter. Discursus est legitimus: Major est ipsa Recentiorum doctrina.

103. Probo Minorē, quanvis de se evidentem. Jus certum ad agendum moraliter in omnibus eventibus certis, ex ipsa terminorm acceptione inferre nequit jus certum ad agendum in eventibus dubiis: quo nihil evidentiùs. Nam ex aliquo jure, seu potestate morali, vel physica, ad agendum in uno eventu, nemo nisi stultissimè inferat similem potestatem ad agendum similiter in eventu non simili, sed omninò dissimili. Quis neget hoc, nisi totus desipiat? Quare Recentiorum discursus (ut utamur eadem paritate ex materia propria justitiæ) huic omninò similis est: Petrus habet jus certum universale ad disponendum liberè de rebus omnibus, quas certò, ac pacificè possidet: ergo habet jus certum ad disponendum etiam de rebus, quarum non habet certam, ac pacificam possessionem, sed potiùs litigiosam, ac dubiam. Quid ineptius hoc ratiocinio? Nemo sit non stultus, qui ex proposito antecedenti oppositum non rectè concludat. Nonne vides, solutionem intentam, totum-

tumque Recentiorum discursum, nihil esse re ipsa præter voces inanes? Videant igitur ipsi Recentiores, quid probet paritas possessionis ex materia propria justitiæ. Planè eorum sententiæ non modò nihil favet, sed penitùs illam evertit.

§. III.

Roboratur discursus noster, & tradita doctrina in altius principium resolvitur.

104. REdeamus jam licet ad principium nuper propositum, ut vel invitus videas, quàm sit verus, & infallibilis, discursus ille noster, quem concionatorium vocabas.

Jus voluntatis nostræ ad aliquid agendum, vel non agendum, ex cujus possessione Recentiores regulam suam concludere nituntur, nihil est aliud, ut ipsimet supponunt, quàm naturale ejusdem voluntatis dominium supra omnes suas actiones, & potentiarum sibi subjectarum. Atqui omne dominium volũtatis creatæ respectu suarum actionum supponit essentialiter in Deo dominium multò altius, & excellentius supra easdem actiones, & singulas earum: igitur supponit in ipso jus multò altius, & excellentius supra omnes, & singulas actiones ejusdem voluntatis creatæ, sive immediatè oriantur ab ipsa, sive medio ipsius imperio à potentiis sibi subjectis. Consequentiam negabit nemo: Major doctrinam continet ipsorum Recentiorum, & nihil ultrà. Minor verò puto nemo vertat in dubiũ, nisi quis ita insaniat, ut velit homini tribuere dominium absolutum, atque supremum respectu suarum actionum, & libertatem prorsus exemptam ab omni subjectione, ac subordinatione ad libertatem, & dominium Dei; quod esset homines facere nõ solùm liberos, ac dominos, sed sacrilegos, sed insanos, sed impios, sed blasphemos, sed æquales, vel etiam Deo suo majores.

105. Hinc verò protinùs evidenter apparet, quàm sit ab omni ratione alienum, velle, ut homo aliquando contra Deum prævaleat, ex vi juris, quod possidet, hoc est, dominii supra omnes suas actiones. Nã dominium quodlibet volũtatis creatæ, utpote Dei dominio absoluto, ac supremo in omnibus subordinatum, nullum licitum usum habere potest, nisi, quem Deus ipse, supremus Dominus, concesserit, aut saltem non prohibuerit: ergo quoties non constat de concessione, aut non prohibitione, voluntas nullum potest habere jus, neque potestatem moralem ad exercitium aliquod sui dominii: alioqui dominium voluntatis foret planè absolutum, & independens ab omni subordinatione ad supremum dominium Dei; quæ enim major independentia, quàm posse facere quidquid libeat, nullo expectato ipsius Dei consensu.

106. Rogas, cur non sufficiat, licèt de concesione, aut consensu non constet, quòd neque constet de prohibitione, aut positivo dissensu Dei? Rogo, quare non sufficit, ut Petrus uti possit rebus Pauli, quod de dissensu ipsius positivo non constet, quanvis nec constet de ipsius consensu? Nunquid Petrus in dubio isto de consensu, aut dissensu Pauli, si uteretur rebus ipsius, non ageret injustè?

107. Ageret, inquis, indubitanter. Sed exemplum est importunum, & ex quo nullum argumentum fiat. Immò paritas ista contra nos efficacissimè retorquetur. Nam propterea Petrus injustus esset in eventu proposito, quia nullum absolutè possidet jus, ut rebus Pauli utatur: è contra verò Paulus jus possidet, ut nec Petrus, nec alius utatur rebus suis, nisi Paulus ipse consentiat. Quid mirum igitur, si in dubio illo Paulus contra Petrum prævaleat, cùm melior sit in dubiis possidentis conditio?

tio? At in hypothesi, quam versamus, voluntas nostra possidet jus fundatum in dominio universali supra omnes nostras actiones, ut possit ponere quamcunque velit, dummodò à Deo non sit prohibita. Ergo quandiù non constet de divina prohibitione, jus voluntatis prævalere debet, ut possit illam liberè ponere: cur enim in hoc dubio non prævaleat conditio possidentis?

Nimis surdus, ut ajunt, esse solet ille, qui libenter non audit. Certè Probabilistæ sic in hac controversia defendere nitũtur dominium voluntatis humanæ, quasi qui prorsus obliviscantur absoluti dominii Dei. Clariùs igitur adhuc, si fieri possit, loquamur.

108. Non loquimur, ut prænonuimus, de voluntatis dominio purè physico, hoc est, de libertate ad aliquid agendum, sive licitè, sive illicitè, quanvis, & hoc dominium subordinatum sit, nec exerceri possit independenter à concursu Dei non solùm physico, verùm etiam morali positivo, vel permissivo.

Loquendo verò de dominio morali, hoc est, de libera potestate ad aliquid licitè agendum, dicant semel Probabilistæ, an voluntas humana possideat aliquod verum jus fundatum in dominio, seu generali supra omnes actus, seu peculiari supra unum ipsorum, supra quos omnes, & eorum singulos, Deus non habeat verum dominium multò altius, & excellentius, indeque multò excellentius jus in ipso dominio fundatum? Non audebunt opinor asfirmare. Quodnam est ergo jus, quod possidet humana voluntas, titulo cujus in dubio aliquo contra Deum ipsum prævaleat? Nempè jus imperfectum, jus inferius, jus limitatum, jus subordinatum, jus pendens essentialiter à consensu supremi Domini, contra jus perfectissimum, jus supremum, jus universalissimum, absolutissimũ penitus independens ab omni alio, & jus omne, ac dominium sibi subordinans: illud nimirùm jus voluntatis contra hoc jus divinum allegatur. Et tamen in hac lite, perpensis omnibus, pro voluntate humana deciditur, & fertur contra Deum sententia. Ænigmati simile est, & vix possemus credere, nisi Probabilismum versaremus, ubi nihil est incredibile. Quidquid verò de hoc sit, indubitanter credimus, & pronuntiamus, sententiam latam à Probabilistis, neque juri, neque æquitati, neque veritati congruere.

109. Sed revertamur ad exemplum productum (ut presioribus terminis id ipsum demonstremus), & hypothesim illam paulò aliter resumamus. Paulus scilicet, vel ex gratitudine, vel purè liberaliter concedit Petro facultatem amplissimam utendi rebus suis, aliquibus tantùm exceptis, retinens tamen sibi rerum omnium suarum jus absolutum, atque directum: occurrat Petro dubium circa rem aliquam determinatam, an sit ex illis, quas Paulus excepit, ita ut nec possit Paulum consulere, nec aliâ viâ dubium resolvere. Certè, si dubio isto perseverante, Petrus uteretur re illa, de cujus concessione, vel exceptione sibi non constat, procul dubio peccaret, & injustè se gereret contra Paulum, quod nemo puto negare audeat. Quare verò Petrus peccaret? Quia non habet jus aliquod ad usum rerum Pauli, nisi ex libero ipsius Pauli consensu: quapropter ubi dubius consensus est, non nisi dubium jus Petrus habere potest.

110. At cur Petro in hoc dubio non suffragatur jus illud certum, ac generale, quod habet ad utendum rebus aliis sibi concessis? Ridebis ad quæstionem ineptam. Et quidem meritò, cùm ratio per se pateat: nempè, quia si jus Petri resultat unicè ex consensu Pauli, sicut consensus generalis, ac certus pro usu aliarum rerum, nullum est argumentum sufficiens ad probandum consensum pro casu dubio, idem de jure dicen-

dum erit. Petrus igitur ageret ex jure dubio, subindeque sine dubio peccaret, & injuriam inferret Paulo. Quod verum etiam est juxta omnes, quanvis Paulus circa rem illam nullum certum jus posideret absolutum, atque directum.

111. Attende modò, & vide, an exemplum sit opportunum, & an sententiam nostram à fortiori, ut ajunt, suadeat? Scilicet humana voluntas nullum habere potest morale jus ad usum aliquem sui dominii, sive exercitium suæ libertatis, nisi sit concessum à Deo, tanquam à Domino supremo, & absoluto. Ubi ergo constiterit de concesione alicujus usus, vel exercitii propriæ libertatis, voluntas habet certum jus ad illud: ubi constiterit de prohibitione, voluntas certò non habet jus: ergo ubi dubium sit de concesione, vel prohibitione, non nisi dubium erit jus voluntatis. Qui verò auderet agere ex isto dubio jure, peccaret procul omni dubio, ut Probabilistæ non negant, nec aliquis potest negare.

112. Velle autem deducere jus certum ad agendum in casu dubio, ex generali jure, quod posidet voluntas ad alios actus sibi concessos, adeò importunum est, ut nihil magis, tum, quia ex terminis ipsis jus certum ad agendum ubicunque constiterit de concessione Domini absoluti, ac supremi, nequit fundare jus certum ad agendum, ubi concessio Domini nõ est certa, sed dubia; nam si jus constituitur per consensum alterius, impossibile est, ut jus sit alterius rationis, atque fuerit ipse consensus: unde quemadmodum ex consensu absoluto constituitur jus absolutum, ex consensu hypothetico jus hypotheticum, ex consensu non vero, sed nullo, vel fictitio, jus non verum, sed fictitium, aut nullum, ex consensu certo, jus certum, & sic de cæteris, si quæ aliæ sunt juris, atque consensus considerationes diversæ; sic etiam ex consensu dubio non nisi dubium jus constituatur necessum est: tum insuper, quia voluntas humana nullum habere potest supra suas actiones, aut aliquam earum, dominium, seu morale, seu physicum, seu generale, seu particulare, proindeque nec jus in dominio fundatum, quod non sit dependens à Deo, quodque non supponat in ipso, tanquam in absoluto, atque supremo Domino, jus, & dominium altius, & excellentius, cui dominium, & jus ipsius voluntatis humanæ, non modò prævalere non debeat, sed neque possit æquiparari: tum denique, quia Deus, etiam in casu dubio, de quo contendimus, in quo voluntas jus nullum certum possidet, non potest non habere jus certum, absolutum, atque directum, quidquid re ipsa sit de concessione, vel prohibitione illius actus particularis. Ubinam ergo est jus voluntatis, cujus certa possessio allegatur à Recentioribus, ut homo in dubiis contra Deum prævaleat? Apparet enim verò, quantum fallat sonitus vocum, quando voces sonant ad placitum.

Vides ne, quàm non timeat Theologia nostra rigorem, & stylum scholasticum, ad quem nos Recentiores provocabant?

§. IV.

Suadetur insuper sententia nostra ex generali obedientiæ lege, & retorquetur in Recentiores argumentum inde depromptum.

113. TErillus, ut probaret, titulum possessionis habere locum, etiam extra materiam propriam justitiæ, argumentum ducebat, ut suprà vidimus, ex generali obedientiæ lege, secundùm quam in dubiis de honestate, vel turpitudine rei, quæ sibi præcipitur, subditus obedire potest, ac debet; quia nimirum Superior possidet jus, ut sibi obediatur, quo non debet privari in dubiis. Ex hoc principio sanè verisi-

simo juxta Theologiam veram, & sanam, falsò vero, ut quòd maximè, juxta principia Theologiæ benignæ, (ut hìc, & alibi clarè ostendemus) arguebat Terillus, titulum possessionis in dubiis, habere locum, etiam in materia obedientiæ, atque extra materiam propriam justitiæ. Unde sibi legitimè videbatur concludere, titulum possessionis libertatis humanæ prævalere debere contra legem in eventu quocunque dubio.

114. Sed quàm sit irritus Terilli conatus, quàmque sine exceptione Probabilismus omni sanæ Theologiæ, certisque ejusdem principiis repugnet, hoc ejus argumentum satis ostendit; nihil enim potuit adduci magis contrarium Recentiorum sententiæ.

Nam in dubio proposito subditus possidet libertatem suam, & dominium suorum actuum, si Recentiorum voces quidquam significent, dum libertatis possessionem loquuntur. Rogamus ergo, cur possessio ista non prævalet in dubiis contra jus Superioris? Respondebunt, quia jus istius est jus naturâ suâ majus, atque præstantius subditi jure. Nempe jus illud fundatum est in ipsa superioritate, seu potestate gubernativa, adeòque est jus superius, & absolutum, subjiciens, ac subordinãs sibi jus subditi fundatum in libertate voluntatis subditi, inferioris, ac dependentis à voluntate ipsius Superioris. Quomodò ergo poterit subditi jus contra jus Superioris prævalere? Rectissimè.

115. Sed rogamus ulteriùs, an Deus sit Superior respectu hominis, & homo subditus respectu Dei? Id cùm negare Recentiores non possint, rursus ipsos rogamus, quo jure in dubiis de obligatione legis allegent possessionem libertatis humanæ, jusque in ea fundatum, ut homo semper contra Deum prævaleat? Nunquid jus hominis majus est adversus alium hominem, non sibi naturâ subjectum, sed cui ex munere Dei [illegible] entaliter, ac contingenter imperat, quàm jus ipsius Dei adversus creaturam naturâ suâ subditam sibi? Nunquid minorem Deo obedientiam, quàm ejus ministris debemus? Aut debemus ministris aliquam, nisi unicè propter Deum, à quo omnis potestas est?

§. V.

Præcluditur evasio, & promovetur idem propositum.

116. QUid Recẽtiores ad retorsionem istam adeò per se patentem? Dicant fortassè, ne nihil prorsus dicant: in dubio de honestate rei præceptæ subditum posse licitè obedire ob possessionem juris ex parte Superioris: cæterùm obedire non obstringi ob possessionem propriæ libertatis. Quo fit, ut argumentum ex una parte probet, titulum possessionis valere, etiam extra materiam propriam justitiæ, ex alia verò nihil præjudicet, sententiæ Recentiorum asserentium, titulum possessionis libertatis humanæ prævalere in omni materia. Hoc sanè expectabamus. Nihil rectius profectò, consequentiusque dici potest in via novi Probabilismi, sed nihil evidentius cõtra rationem, & contra rectas obedientiæ leges. Hanc denique Probabilistæ multi docent Christianum populum obedientiam, & docere tenentur quotquot voluerint esse Probabilistæ. Et tamen ex hoc capite nimis exultant, & quasi triumphabundi, contra sententiam nostram non verentur arguere vehementissimè ex obedientiæ lege.

117. Sed in primis Terillus, eo argumento utens ad suam sentẽtiam suadendam, uti non potest hac evasione ad retorsionem nostram declinandam, cùm sæpè expressè doceat, subditum in eventu proposito non solùm posse, verùm etiam teneri parere Superioris præcepto. Et quis id neget contra SS. Patres, & vitæ spi-

ritualis Magistros immò & contra lumen rationis, & omnis rectæ disciplinæ normam?

118. Ergo, quod nemo possit ea evasione uti, constat apertè, vel ex verbis ipsis, quæ in allegato capite, *Quid culpatur*, referuntur ex Augustino, ajente: *Ordo autem ille naturalis mortalium paci accōmodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas, atque consilium penes principes sit: exequendi autem jussa bellica ministerium milites debeant paci, salutique communi.* Et paucis interjectis, concludit: *Ergo & vir justus, si fortè etiam sub Rege, homine sacrilego militet, rectè possit, illo jubente, bellare civicæ pacis ordinem servās, cui, quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrùm sit, certum non est: ita ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Quibus verbis clarissimè Augustinus significat, in dubio de honestate præcepti subditum ita posse, ut simul etiam omninò debeat parere Superiori jubenti, acturum alioqui contra ordinem naturalem, ideſt, contra legem naturæ, & contra propriam subditi obligationem.

Aug. illo li. 22. contra Faust. c. 75.

119. Et verò ipso naturæ lumine implicatorium esse videtur, quòd subditus Superiori suo seriò, & strictè sibi præcipiēti ex una parte possit licitè, & honestè obedire, ex alia verò obedire non debeat, si quidem res præcepta (ut supponimus) limites subjectionis non excedat. Alioqui quid est hominē esse subditum alteri? Aut quænam demùm est illius voluntatis subjectio, quæ pro libitu suo potest in re præcepta à voluntate sui Superioris, cui posset licitè conformari, licitè quoque dissentire, si velit?

Sed de hac obedientia plus nimio voluntaria, quam ex moderno Probabilismo, & quæ omnem subjectionis debitum, ordinem, omnemque rectam disciplinam evertit, alibi sumus latiùs dicturi: ubi etiam, data opera, exponemus, qualiter in hypothesi dicta per veram subjectionem intellectus, & voluntatis rectam subditus possit, ac debeat formare conscientiam.

Patet igitur subditum in dubio de honestate rei præceptæ excusari non posse titulo possessionis libertatis ab obligatione parendi. Ergo nec potest homo ex hoc titulo excusari aliquando in dubiis ab onere servandi divinam legem. Ergo argumentum, quod Terillus depromere ex lege obedientiæ conatur, non modò nihil favet Probabilismo suo, sed eundem prorsus evertit.

§. VI.

Evasio item alia præcluditur.

120. Sed dicent iterùm Recentiores, etiam retentâ verâ, & certâ doctrinâ de obligatione subditi ad obediendum in eventu propositō, retorsionem intentam legitimam non esse, quia datur manifestum discrimen. Nempe, in exemplo adducto de subditi obedientia, præceptū Superioris non est dubium, sed constat potiùs de ipsius existentia, & solùm dubitatur de honestate rei, quæ præcipitur; unde possessio stat pro præcepto, proindeque prævalere debet. In hypothesi verò nostræ quæstionis existentia legis est dubia, & certa libertatis possessio, quæ propterea non potest non prævalere. Id voces sunt, & nihil præterea.

121. Contra igitur primò: ergo saltem dum constat de legis existentia, & solùm dubitatur de sensu legis, nimirùm de extensione ipsius ad hunc casum, aut illum particularem, libertatis possessio nihil valet, nec locum habet Recentiorum sententia. Hoc autem est destruere regulam suam, & quam docebant esse universalem ad omnia dubia de licito, aut illicito, restringere ad eventus raros, & paucos; rarò namque contingit, ut insuperabiliter dubitetur

tur de absoluta existentia legis, sed de sensu tantùm ipsius, aut extensione ad casum particularem. Quod verò Terillus ajebat, dubia ista resolvi in substantiam ipsius legis, hoc est, in dubium de existentia ejus, jam alibi monstravimus esse hallucinationem, & deceptionem nimis apertam, alioqui leges passim deficerent, & per singulos ferè dies substantialiter variarentur. Vide, quæ diximus controv. 6. art. 8. §. 1.

122. Contra secundò: quia discrimen productum à Recentioribus neutiquàm re ipsa subsistit, sed oppositum potiùs verum est. Nam præceptum re ipsa injustum nō est præceptum verè, sed unicè quoad sonitum vocis, neque vim ullam habet ad obligandum subditum in conscientia; nam quod D. Angelicus de legibus injustis sapienter dixit, *Hujusmodi* (nimirùm leges injustæ) *magis sunt violentiæ, quàm leges*, verum est etiam ob eandem rationem de particulari præcepto. Ergo subditus dubitans de honestate rei, quæ præcipitur, non potest pariter non dubitare de existentia ipsius præcepti, quod sit verè, & re ipsa tale. At verò, dum quis dubitat de sensu legis, non ideò dubitat de legis ipsius absoluta, ac vera existentia; immò verò supponit, legem esse rectam, & justam, & totum dubium unicè est, an aliquod objectum determinatum sit ipsius legis materia.

Exemplum sit: qui dubitat, an exigere in mutuo aliquid ultra sortem ex titulo lucri cessantis, licitum sit, an potiùs illicitum, non ideò dubitat de existentia legis damnantis justè, & sanctè omnem usurarium contractum; sed solùm dubitat an hujusmodi exactio usuraria re ipsa sit, adeòque lege illa verè damnata; & ejusdem rationis plerunque sunt dubia moralia, quæ frequenter occurrunt. Ergo, si quidquam valet Recentiorum doctrina, & principiū ab ipsis statutum, ex quo disparitatem petere intendunt, potiùs in nostra hypothesi, quàm in exemplo adducto de subditi obediētia, tenetur homo legi parere, & libertatem suam subjicere.

123. Contra denique tertiò: quia tota ratio, ob quam in dubio de honestate rei præceptæ subditus obedire tenetur, absolutè loquendo, & juxta veritatem, est legitima auctoritas Superioris, & potestas ipsius ad præcipiendum cui correspondet ex parte subditi debita voluntatis dependentia, & humilis ad parendum subjectio. Utique generalis lex obedientiæ, & ratio ipsa naturalis præscribit, ut voluntas superior, & absoluta, pluris ubique fiat, quàm voluntas inferior, ac subjecta, illa præsit, hæc subsit, illa præcedat, hæc subsequatur, illa prævaleat, hæc se submittat: id enim postulant jure suo, & humilis inferioris conditio, & propria Superioris excellentia; & omne contrarium dictamen est evidenter inordinatum, & contra lumen ipsum rationis.

124. Hinc fit, ut quoties subdito dubium sit, quid ferat Superioris voluntas, eò ipso liber non maneat (utique libertate morali) ad faciendum quidquid libuerit, sed potiùs debeat voluntatem propriam humiliter subjicere, & abnegare, ne quid fortè amplectatur, quod Superioris voluntati repugnet. Alioqui, si contempto periculo morali, ac proximo faciendi, quod re ipsa Superiori displiceat, subditus faciat, quod sibi placet, statim evidenter convincitur, pluris se facere voluntatem suam, quàm sui Superioris voluntatē, contra id, quod exigit obedientiæ lex, & debita Superiori subjectio: sicuti pluris facere convincitur utilitatem propriam, quàm amicitiam, qui lucrum temporale sibi quærit cum periculo proximo displicendi, aut nocendi amico: sicuti pluris etiam convincitur habere delectationē, quàm sanitatem, qui objectum delectabile non refugit amplecti cum contingentia omnimoda, & periculo pro-

xi-

ximo amittendi salutem corporis.

125. Itaque jus præcedens ex parte Superioris, ut sibi obediatur in dubiis, non fundatur in ipso actuali præcepto (de quo nimirùm pariter dubitatur, an re verà præceptum sit), sed præsupponitur potiùs ad ipsum, consistitque adæquatè in excellentia ipsa, & dignitate superioritatis, ratione cujus Superioris voluntas sic voluntati subditi præminet, ut hic non possit libertatem suam licitè, & honestè exercere, quoties periculum proximum est faciendi, quod re ipsa sit contra Superioris voluntatem. At hæc ratio æquè urget quandocunque quis dubitat de legis existentia, aut extensione; nisi quis fortè dicat, Deum legis Auctorem, naturâ suâ Dominum creaturarum omnium, infinitæ excellentiæ, & majestatis, non habere jus verum, ut voluntas ipsius tanti fiat ab homine, quanti fieri debet voluntas superioris humani præcipientis nomine Dei, quod nemo non blasphemus effutiat. Ergo nullum est dubium juxta hypothesim nostræ controversiæ, in quo jus Dei per se, vel per ministros suos præcipientis, prævalere non debeat absolutè juri libertatis humanæ. Ergo obligatio subditi ad obediendum in dubio de honestate rei præceptæ, non modò nihil favet sententiæ Recentiorum, sed illam funditus potiùs evertit.

Jam ergo concludamus nobis licet, titulum possessionis libertatis humanæ esse prorsus inanem, & aereum ad formandam in dubiis conscientiam rectam pro parte humanæ libertati favente; adeòque regulam generalem, quam Recentiores inde nobis obtrudunt, ut unum ex potissimis principiis, quod suam sententiam benignam reddat *ut minimum moraliter certam*, nullo fulcitam esse solido fundamento, sed esse potiùs manifestè contrariam juri naturali, ac divino, quæque obedientiam hominis ad Deum, omnemque rectum ordinem subjectionis evertat. Porrò argumenta omnia, quæ afferebat Terillus ad regulam suam suadendam, nihil prorsus momenti continere, sed meras, & inanes æquivocationes duntaxat, multipliciter manet ostensum.

ARTICULUS V.

Demonstratur denique falsitas ejusdem regulæ, seu principii, ex capitalibus fundamentis, & principiis à nobis stabilitis.

126. Quale absolutè sit secundum hoc Recentiorum principium ex tribus illis primis, ac maximis, quibus sententiam suam benignam evidenter mundo demonstrant, affatim, ut existimo, monstratum est, ad majorem tantummodò, atque multiplicem veræ doctrinæ manifestationem. Quod enim ipsum, ut & reliqua omnia ex principiis à nobis supra firmatis nullo negotio corruat statim, & ex jam dictis satis colligitur, & quàm facillimum demonstratu sit.

Utique non agit honestè, sed illicitè potiùs, ac turpiter, quisquis non quærit seriò, & ex corde regulam primam moralis honestatis, idest, legem ipsam directam, seu voluntatem antecendentem Dei, cui suam actionem conformet, ut sæpè dictum, & ostensum est. At quisquis agit dubius de intrinseca, ac directa honestate cõtractus, exempli gratia, minimè quærit seriò, & ex corde conformitatem actionis suæ cum prima regula moralis honestatis. Igitur non honestè, sed illicitè agit. Sola Minor ostendi postulat.

Ea verò constat apertè; nam, qui, dum operatur, videt esse prorsus contingens, sive etiam verosimilius, se violare re ipsa legem directam Dei, is profectò non quærit seriò, & ex corde actionis suæ conformitatem cum ipsa lege directa Dei; quod equidem per se ipsum clarissimum, ipsoque lumine rationis evi-

dens,

dens, multiplici prætercà exemplo superiùs demonstratum est. At quisquis agit dubius de intrinseca, ac directa honestate contractus in sensu exposito præsentis controversiæ, videt esse prorsus contingens, & in casu, quo agnoscit graviora fundamenta pro directa contractus inhonestate, videt esse verosimilius, se violare re ipsa legem primariam, ac directam Dei, ut per se ipsum patet, & sæpe etiam est demonstratum: ergo non quærit seriò, & ex corde conformitatem actionis suæ cum ipsa regula moralis honestatis, sive cum ipsa lege directa Dei. Hæc non vera tantummodò, sed prorsus etiam evidentia sunt.

127. Nunc vide inanem Recentiorum conatum obtrudentium reflexum principium suum de possessione libertatis in dubiis ad resolvendum practicè dubium de absoluta honestate actionis, pullulans ex dubio proposito de intrinseca contractus honestate, quod ipsi appellant speculativum. Vide, inquam, conatum impossibilem, & evidenter cum ratione pugnantem: quasi scilicet posset naturalis possessio libertatis præbere hominibus jus aliquod verum ad contemnendam legem divinam primariam, & antecedentem. Alioquin dicant quæsumus: nunquid principium istud reflexum de possessione humanæ libertatis, resolvit dubium illud directum, & speculativum, ut vocant, de intrinseca contractus honestate? Non resolvit fateantur, necessum est: immò verò supponit non resolutum, aut ab ejusdem saltem resolutione præscindit; hæc enim est hypothesis, quam versamus. Quin neque posse sub illis terminis præfatum dubium aliquando resolvi in favorem humanæ libertatis, nec, si resolveretur, quidquam prodesse ad rectam conscientiam formandam, latè jam supra demonstratum est. Sed hoc ad alias spectat controversias.

128. Modò sic accipe. Si dubium de contractus honestate directa, neque resolvitur per principium reflexum de possessione libertatis humanæ, neque aliunde supponitur resolutum: ergo fieri nequit per principium ejusmodi, ut qui operatur in illo dubio, non videat esse prorsus contingens, aut esse etiam verosimilius, se violare re ipsa legem directam, ac primariam Dei, ut patet, vel ex terminis ipsis; quid enim aliud est, directam honestatem contractus, quem exequitur, esse apud ipsum utrinque dubiam, aut etiam verisimiliorem intrinsecam inhonestatem? At, qui sic operatur, procul dubio violat sponte, contemnitque directam legem Dei. Ergo reflexum Recentiorum principium impedire neutiquam potest, quominùs, qui ex illo operatur, violet formaliter legem divinam, adeòque formaliter peccet.

129. En igitur conscientiam formatam per subtile artificiũ Probabilismi ex hoc reflexo principio Recentiorum de possessione libertatis in dubiis (utique certò, & evidenter rectam) ob oculos tibi statuimus. *Ego nescio, vel dubito, utrùm hic contractus, quem ineo, sit re ipsa inhonestus, & prohibitus lege Dei, aut etiam mihi verosimilius est, prohibitum esse re ipsa. Sed quia certo possideo libertatem, ad agendum quidquid libuerit, qua non debeo privari in dubiis, nec teneor certi juris incertas exceptiones admittere, licitum mihi absolutè est hujusmodi contractum inire.* Age modò: *Sed inire contractum, de quo nescio, vel dubito, utrum prohibitus re ipsa sit, est agere cum periculo proximo, & omnimoda contingentia transgrediendi re ipsa legem Dei: sic verò agere nihil est aliud, quàm contemnere voluntariè Deum ipsum, & legem ejus, adeòque peccare formaliter. Igitur absolutè licet mihi formaliter peccare per hunc actum, ex jure libertatis, quod possideo.* Vide conscientiam hominis evidenter tutam, ac rectam. Vide quam sit egregium;

cer-

certumque jus, quod moderni Probabilistæ asserunt, hominis contra Deum, ex reflexo principio suo de possessione libertatis in dubiis. Nolim ego certè hoc jus possidere, quod sui possessorem non verè sui dominum, sed verè facit peccati servum.

130. Hæc omnia ex dictis evidentia sunt, neque enim Recentioribus effugium aliquod reliquum est, nisi de medio tollere legem directam per novũ illud Terilli principium de insufficienti legis promulgatione; quod jam à nobis præclusum est. Utique, si lex illa divina non deficiat re ipsa & quoad substantiam suam, ut nullam de se habeat vim obligandi, principium hoc Probabilistarum de possessione libertatis in dubiis, sicut, & alia omnia, quæ proferunt, principia reflexa, nihil aliud posse concludere, quàm monstra hæc ingentia, quæ vidimus ex dictis hactenus, & ostensis, luculenter apparet.

Satiùs igitur fecerint viri longè acutissimi, atque prudentissimi (quales non paucos ex Recentioribus ultrò fatemur, ac reveremur), si molimine suo nimiùm difficili tandem aliquando relicto, amico nobis fœdere se se junxerint, & manus dederint veritati in magnam animarum salutem, & totius Ecclesiæ bonum. Quandiù verò restiterint, non possumus cum Augustino non obtestari: *Hoc vos quidem non sentitis: sed hæc sequuntur illa, quæ sentitis. Mutate ergo antecedentia, si vultis cavere sequentia.*

Aug. li. de adulteri. cõjug. c. 4.

ARTICULUS VI.

Synopsis Controversiæ.

131. ACcipe per breviculum totius controversiæ doctrinam.

In primis, vel ex ipsa, quam præmisimus dubii intellectualis notione, tota quæstionis hujus difficultas sufficienter videtur, vel expediri, vel certè præoccupari. Utique dubium est motus rationis contendentis in veritatem, ad quam pervenire non potest, & ideò suspendentis omne judicium determinatum de utraque parte contradictionis.

Hinc ad rem nostram: dubitatio moralis est conatus, & motus intellectus diligenter quærentis de actione aliqua voluntatem, & legem Dei, quam voluntati hominis ostendat per judicium determinatum, tanquam unicam viam, per quam honestè possit incedere: sed quia viam, quam quærit, invenire non potest, ideò perplexus hæret, nec quidquam audet enuntiare de illa. In hac verò intellectus perplexitate, ac trepidatione, dic quæso te, erit ne prudens conatus voluntatis nolentis imitari intellectum, & hærere simul cum ipso, sed, eo derelicto, contendentis ultrà procedere? Nam quo duce? Qua luce? An non progressus iste cæcus erit, ac temerarius, quippe cum evidenti, ac proximo periculo deserendi re ipsa viam rectam, idest, legem divinam antecedentem à quo seriò, & ex corde curare debet nunquam discedere?

132. Nihilominus tamen Recẽtiores Probabilistæ tanquam communem regulam nobis consignant, in dubiis de existentia, vel de sensu divinæ legis aliquid præcipientis, aut vetantis, quæ, diligentiâ factâ (sed quali diligentiâ, proh Deum!) vinci, seu resolvi non possint, integrum nobis esse, quidquid libuerit facere, quia homo possidet libertatem suam, qua privari non debeat, cùm melior sit in dubiis conditio possidentis. Et hoc dicunt esse principium è primis illis atque potissimis, quæ sententiam suam benignam reddat, *ut minimum moraliter certam.*

133. At quale est hoc principium, & unde ei certitudo tanta? Nunquid ex Sacræ paginæ testimoniis? Nec unum quidem Recentiores producunt, cùm nos interim multis alibi producendis, ideò in præsenti

pe-

pepercerimus, quod unicum à nobis expensum adeò perspicuè, & clarè Recentiorum principium destruat, & regulam contrariam statuat, ut nihil ultrà desideretur. An ex jure Canonico? Non aliunde efficaciùs stabilitur nostra sententia, ut nervosè demonstrat P. Vazquez, & suo loco nos demõstrabimus. Jam verò Theologorum auctoritas quàm sit exigua, luculenter ostendimus: tota nempè reducitur ad aliquos modernos Probabilistas, ne illos quidem sibi concordes, quibus repugnant plures, & graves ex eisdem Probabilistis præter Doctores reliquos, tum veteres, tum recentiores, cum communi, & Angelico Theologicæ Scholæ Magistro prætensam regulam Probabilistarum conceptis verbis non semel reprobante, & regulam contrariam, ut indubitatam, tradente.

134. Reliquum ergo erat, ut validissimis saltem rationibus, ac penitùs irrefragabilibus regulam suam Recentiores munirent. Sed nihil afferunt alicujus momenti. Immò argumenta omnia, quæ producunt, præterquàmquod ingentia probant absurda, adeò efficaciter in ipsos retorquẽtur, ut eorum sententiam non modò non suadeant, sed omninò potiùs evertant.

Utique titulum possessionis prævalentem in dubiis de materia propria justitiæ, non nisi nimis importunè, ac inaniter transferri ad possessionem libertatis humanæ, ut in dubiis de legis obligatione homo contra Deum prævaleat, facilè, & clarè monstratum est. Quid enim juris homo ex libertate sua adversus Deum allegare potest, dum dubitat, quid velit de ipso Deus? Nunquid omne dominium voluntatis humanæ, & jus inde resultans respectu suarum actionum, non supponit in Deo necessariò dominium multò altius, & excellentius supra easdem actiones, & singulas earum? An libertas, quam possidet ad agendum benè, vel malè, facit hominem liberum à subjectione Dei, ut possit jure facere, quidquid libuerit, non expectato consensu ipsius Dei absoluti, ac supremi Domini singularum, & omnium actionũ humanarum? Quis affirmare audeat? Si verò nihil homo jure facere potest independenter à consensu Dei, quomodò certus erit de jure agendi, si dubius sit de ipsius Dei consensu. Ex terminis ipsis repugnat.

135. Ostendimus hoc ipsum exemplo ab humanis accepto. En Petrus habet veram libertatem, & jus utendi rebus Franciſci, si Franciscus ipse consentiat: dubitat Petrus de consensu ejus, & solvere dubium non potest. Tum verò quid dicendum? Potest ne Petrus uti rebus Franciſci citrà veram ejus injuriam? Nemo sit, qui non neget inhæsitanter. At Petrus possidet libertatem suam, & melior est in dubiis conditio possidentis. Sed frivolum hoc est, & quod risum faciat audientibus. Exemplum verò jam applicatum est, & applicatione non eget. Nemo ergo mirabitur, si asseveranter dicimus titulum possessionis libertatis humanæ; adeò esse alienum, & importunum in terminis præsentis controversiæ, ut etiam incredibile videri posset, quòd in ullius mentem ascenderet. Verùm non potuit Probabilismus aliis fundamentis inniti.

136. Ostendimus preterea, discursum factum ab Esparza, & Terillo ex naturali dominio voluntatis supra omnes suas actiones, invehere in Ecclesiam, si quidquam valeat, conscientiæ regulam minimè tolerandam, & quæ regulam jam damnatam de tenui probabilitate, immò, & regulam olim à Caramuele invectam, sua superet laxitate. Tum insuper argumentum postremũ, quod ex lege obedientiæ debitæ Superioribus humanis Terillus conficiebat, clarè monstravimus, non modò non probare Recentiorum sententiam, sed nostram, & oppositam evidenter adstruere, nisi velint, ut Deus

minoris sit faciendus, quàm homo præcipiens nobis nomine ipsius Dei.

136. Tandem super hæc omnia ex principiis firmissimis à nobis præsuppositis, destructo pariter principio prodigioso de insufficienti legis promulgatione, quod est basis totius Probabilismi, regula Recentiorum, quam improbamus, illicò apparet evidenter falsa, nullo vel apparenti tergiversandi loco relicto. Nam dubium de intrinseca, atque directa actionis honestate, est dubium de existentia legis divinæ antecedentis, atque directæ, ut est apud omnes compertum. Ergo quisquis nō refugit cum simili dubio operari, sponte subit proximum periculum, & omnimodam contingentiā transgrediendi re ipsa legem Dei. Id verò non est quærere sincero corde legem ipsam divinam, sed illam potiùs irridere, ac contemnere, ut nemo negare audeat. Quid ergo potest operantem juvare recursus ad principium reflexum de possessione libertatis in dubio, nisi ut concludat veram libertatem honestè contemnendi legem Dei; qua conclusione nihil horribilius, nihil insaniâ, ac blasphemiâ plenius?

137. Nunc ergo vide, Lector, & attentè considera, quibus auctoritatis, rationisque momentis innitatur principium celeberrimum de possessione libertatis in dubiis, ex quo Neoterici Probabilistæ evidentem conficiunt demonstrationem, qua benignam suam sententiam reddat *ut minimum certam moraliter*, & nostram *improbabilem ab intrinseco*; ita enim loqui solent.

138. At hic fortè quærat aliquis, contra quam legem agat, qui operatur in dubio de intrinseca, ac directa actionis honestate? Nam quisquis peccat, violat aliquam legem: sæpè verò contingat, ut actio non sit mala re ipsa, adeòque, ut neque ulla particulari lege prohibeatur. Sed hoc non habet in hypothesi nostra specialem difficultatem, sed communem, & omnibus expediendam in eo, qui operatur in dubio practico, aut cum conscientia erronea vincibili, qui certò peccat in utroque casu. Quid ergo sit absolutè dicendum apparebit ex proxima Controversia, & alibi latiùs tractatur.

CONTROVERSIA DECIMA.

Lex Dei reflexa, aut consequens hominum opiniones, & sensa, ad quam Recentiores Probabilistæ recurrunt pro nostris argumentis solvendis, plurimis titulis fictitia, & impossibilis evidenter ostenditur.

1. HOc est tertium, & ultimum ex tribus memoratis celeberrimis benignæ sententiæ principiis, quod ex duobus aliis necessariò resultat; immò videtur ad ipsa præsupponi, aut in eisdem potiùs intimè includi, velut tota compago, aut anima Probabilismi. Id porrò evidens apud omnes est, hoc unum si deficiat, aut dissolvatur, totam artificiosam, atque mirabilem Probabilismi machinam dissolvi, & in fumum, & auras evanescere.

AR-

ARTICULUS I.

Lex illa gratis à Terillo conficta ex sua ipsa novitate refellitur: ubi ad reliqua etiam Probabiliſtarum principia fit generalis quædam, & notanda reflexio.

§. I.

Quid præfata lex ſit, & in quem finem adinventa?

2. Regula honeſtatis moralis, ut ſæpè jam notavimus, & expoſuimus, altera eſt objectiva, atque adeò extrinſeca nobis, & remotè ſe habens ad operationem moralem; altera verò intrinſeca, ac formalis, ſive proxima, ſive remota. Hæc attamen, ſi propriè, & rigoroſiùs loqui velimus, non regula ſimpliciter, ſed propoſitio tantùm, vel applicatio regulæ dici deberet. Sed quia jam uſus communis habet, ut & hæc regula abſolutè dicatur, ne detineamur vocali diſſidio, illam nos etiam regulam hucuſque diximus, & deinceps quoque dicemus.

3. Regula igitur objectiva ex proprio ſuo, ac peculiari munere habet inclinare, movere, atque dirigere ad operationem ſibi cōformem, adeòque rectam, ut propoſita ſcilicet, & applicata per cognitionem ipſius operantis; qui ſcilicet intendens in ipſam regulam, debet actionem ſuam ad illam conformare, & exigere, alioqui non rectè, ſed malè operaturus. Exemplum eſt ſimillimum in materiali regula, aut exemplari externo, quod artifex ſibi proponit, ut in ipſum intentus rectè operetur in externa materia, opus videlicet artificioſum conformando cum ipſa regula, aut exemplari ſibi propoſito.

4. Hæc cùm ſint certa, & omnibus comperta, nullus hucuſque noverat, vel cogitaverat regulam operandi reflexam, ſubſequentem, ac poſteriorem ad notitiam ipſius operantis de rectitudine operationis. Enim verò, cum regula ſit principium extrinſecum, mediâ notitiâ, aut cognitione ſui influens moraliter in operationem, perinde omninò videtur eſſe adſtruere regulam aliquam poſteriorem ad cognitionem, per quam operatio dirigitur, ac ſi quis ſtatueret aliquod principium, aut cauſam poſteriorem effectu, vel ipſius cauſalitate. Finge alioqui exemplar, aut regulam externam ſupponētem in mente artificis opus ipſum artificioſum jam conceptum, aut delineatum: ridiculum eſſet figmentum, quippè regula illa naturâ ſuâ foret inepta, ut moveret ad operis rectitudinem, adeòque nihil eſſet minùs, quàm regula,

5. Nihilominus tamen Terillus, cùm vel invitus non poſſet non videre, nullam moralem operationem procedentem ex opinione æquè, aut minùs probabili de ipſius honeſtate, evaſuram formaliter honeſtam, ſi nulla foret alia regula prima (ideſt, lex, aut voluntas Dei) præter illam, quæ noſtras opiniones præcedit, & diſponit de rebus ſecundùm ſe: nam actionis honeſtas tota deſumitur ex conformitate ad primam regulam honeſtatis moralis: opinio verò illa æquè, aut minùs probabilis operanti, fortè non applicat regulam primam, immò, ſi minùs probabilis eſt, veroſimilius eſt, quòd non applicet; unde, qui tali opinione utitur, judicare non poteſt, operationem ſuam eſſe conformem prædictæ regulæ, adeòque nec honeſtam formaliter: quo fit tandem, ut nunquam licitus ſit uſus opinionis directæ æquè, aut minùs probabilis operanti, indeque tota corruat Probabiliſmi fabrica.

6. Hæc, inquam, cùm Terillus non poſſet non videre (ſunt enim per

se ipsa evidentissima) novam, & incredibilem cogitavit cogitationem, qua labentem omnino Probabilismum iterùm asserere posset. Duas ergo distinxit leges, seu voluntates: alteram, quam omnes agnoscimus, disponentem de rebus secundùm se antecedenter ad judicia nostra, & independenter ab illis, quam ipse appellat legem primariam, directam, & antecedentem, atque per se existentem in Deo: alteram verò, quam vocat secundariam, reflexam, subsequentem, & non per se, sed per accidens tantùm existentem, quæ scilicet disponat de rebus non secundùm se inspectis, sed prout subsunt alicui accidẽtali circunstantiæ, etiam à Deo non intentæ, nec volitæ, nimirum ex suppositione alicujus judicii, vel opinionis nostræ probabilis, etiam si falsa re ipsa sit, & erret circa legem directam, dicendo malum bonum, aut bonum malum; immò, licèt opinio nostra non sit, nec in nostro intellectu subjectivè, sed in alio tantùm existat: quin insuper (quod omnem admirationem superat), etiam si opinio contraria, & vera existat actu in intellectu nostro. Nam ex suppositione opinionis ejusmodi, etiam alienæ, jam Deus secundùm Terillum revocat, ac relaxat legem suam directam, antecedentemque, & desinit præcipere, aut prohibere id ipsum, quod antecedenter præcipiebat, aut prohibebat: quin immò sæpè præcipit, aut prohibet oppositum, quoties scilicet hoc affirmat aliqua opinio probabilis, & falsa.

7. Legem hanc subsequentem, ac reflexam directæ, atque primariæ relaxativam non tantùm statuit Terillus pro casu, quo conscientia formata sit ex opinione aliqua re ipsa falsa, attamen verè, licèt minùs probabili in sensu benignæ sententiæ; sed etiam (quod horrendum dictu est, & in quo nemo, quem sciam ego, ausus est Terillo subscribere) universaliter, ac sine restrictione, pro omni eventu, quo conscientia formetur ex errore quocunque etiam vincibili, atque culpabili: *Universaliter loquendo* (inquit) *ultimum conscientiæ dictamen est verum, & evidens, etiam quando homo operatur ex mera ignorantia vincibili*. Ex qua generali assertione hanc conclusionem infert statim: *Voluntas conformis dictamini conscientiæ, etiam vincibiliter erroneæ, conformatur cum aliqua Dei voluntate, saltem per accidens obligante, aut consulente.* Et hanc ipsam doctrinam Terillus in utroque suo Opere non semel, aut iterùm tradit, sed passim repetit, & inculcat, ut valde commendabilem, ac necessariam pro suo propugnando Probabilismo.

Terill. de consc. proba. q. 17. n. 44.

Ibi n. 45.

8. Itaque secundùm Terillum, quoties Judæus, exempli gratia, obcæcatissimus, & obstinatissimus firmiter apud se concludit per summam pertinaciam, & impietatem, Christum fuisse blasphemum, ac seductorem, adeòque sibi meritò execrandum, hoc ipsius dictamen *est absolutè verum, & evidens*, & ex illius suppositione jam Deus ipsi consulit, aut jubet, ut Christum detestetur, atque contemnat. Et hæc doctrina (Terillo judice, & rectissimè quidem judicante) est non solùm conducens, sed, & penitus necessaria ad benignam sententiam sustinendam. Admiranda sanè Theologia, & Ecclesiæ Catholicæ penitus necessaria! O Deus meus, & Magister meus! Hæc est doctrina illa, quam nisi tu docuisses Ecclesiam tuam, illam per unum sæculum deseruisses? Ita jam docetur hodie, & auditur, & creditur ab innumeris! O tempora nostra infelicia!

Veruntamen hæc dogmata animadversione dignissima sufficiat modò leviter insinuasse, & ad proprium locum remittere; postulant enim serium, ac diligens examen, quod ad tertiam partem spectat, ubi benignæ Recentiorum Theologiæ hæc, & alia quàmplura consectaria si-

similia fusè, & exactè prosequenda sunt.

9. Nunc ergo legem, seu voluntatem Dei, consequentem, atque reflexam ideò in hypothesi controversiæ nostræ adstruere Terillus coactus est, ut præmittebamus, quia ejusmodi lege non posita, nequit operatio moralis conformari formaliter cum aliqua voluntate divina, proindeque nec esse recta formaliter; cujus rationem claram, & facilem, tum hic, tum alibi, sæpè reddidimus.

10. Hac verò lege, seu voluntate posita, jam optimè intelligitur, inquit Terillus, quomodo proxima conscientiæ regula, & actio ipsa per illam regulata, conformetur formaliter cum prima regula, nimirùm cum hac ipsa voluntate, seu lege Dei reflexa, & consequenti, quæ ex prædicta suppositione opinionis directè æquè, aut minùs probabilis, necessariò in Deo resultat; Deus enim ex illa suppositione statim approbat, indulget, aut consulit, ut bonum, & honestum moraliter, id ipsum, quod per legem directam antecedenter prohibebat, ut malum: & hæc ipsa voluntas consequens Dei non modò probabiliter, sed etiam evidenter cognoscitur ab operante, quippe qui certò, & evidenter novit ex principiis reflexi Probabilismi, omne opus, de cujus honestate directa, circunfertur aliqua opinio, etiam minùs probabilis operanti, esse prudenter, & honestè eligibile, adeòque placens Deo, & conforme cum aliqua divina voluntate.

Hæc est lex Dei reflexa non certè à Deo, sed à Terillo condita, & ideò ante Terillum hominibus semper abscondita, quæ utinam in lucem nunquam prodjisset. Erravi. Utinam prodjisset in lucem statim, ac infaustè concepta, atque sub densa reflexionum caligine à suo auctore genita est. Utique non vixisset, nec fefellisset.

§. II.

Lex Terilli reflexa nullo prorsus auctoritatis, rationisve momento subsistit, sed evidenter pugnat cum certa, atque communi Theologorum omnium doctrina.

11. ALioqui, si fallimur, aut fallimus, prodat Terillus nobis, aut Recentior alius pro ipso, vel unum saltem antiquum, aut modernum clari, aut obscuri nominis Theologum, qui memoratam legem existentem in Deo, non dico expresserit, vel affirmaverit, sed vel leviter quidem aliquando meminerit.

Porrò Terillus ipse nullũ omninò protulit: in quo laudanda quidem hominis ingenuitas, sed animositas, ut levissimè dixero, supra modum planè miranda. Ecquis enim non meritò formidaret in re tanti momenti, tantoque periculo plena, primus, ac sine duce, viam ingredi novam, & quæ nullius antea fuisset temerata vestigio?

12. At fortè dicat aliquis, Theologos Terillo priores, etiamsi non expresserint, aut affirmaverint legem reflexam Dei, nullibi tamen illam negasse, nec aliquid aliquando docuisse, quod cum illa stare non possit: quare implicitè saltem, & exercite, censeri debent illam approbasse, & ut notum principium supposuisse.

Sed hoc in primis gratis, ac sine ullo fundamento dicitur: nam vel silentium in re adeò obvia, & quæ in moralibus passim occurrat, satis ostendit, Theologos omnes præfatam legem non agnovisse, sed commentitiam omninò esse velut rem exploratam supposuisse; cur enim illam nunquam exprimerent, aut saltem leviter adumbrarent, ut passim exprimunt veram Dei legem omnibus notam, & exploratam?

13. Prætereà falsum est, ut quod maximè, Theologos Terillo anti-

quio-

quiores: immò, ut mirere magis, Theologos omnes, etiam posteriores (ne ipso quidem Terillo excepto) nihil unquàm docuisse, quod cum lege reflexa cohærere nō possit. Nam Theologos omnes antiquos, & modernos, etiam Terillum ipsum sui non memorem, passim supponere, atque docere, tanquam exploratum, ac certum, legem primariam, seu directam Dei, permanere re ipsa, & habere de se vim obligandi, non obstante, quòd detur aliqua opinio, quantuncunque probabilis, falsò negans ejusdem legis existentiam, vel extensionem, ostensum est controversia sexta, præsertim art. 4. argumentis multis, & claris, quæ iteranda modò non sunt. Et quis precor id potest non docere, aut de eo aliquando dubitare?

Hæc verò communis, ac certa Theologorum omnium doctrina utique non cohæret, sed evidenter pugnat cum lege reflexa Terilli, quando quidem lex ista, Terillo ipso expressè fatente, quin etiam ex professo probante, contradictoriè opponitur legi directæ circa eādem actionem, ideòque, dum altera existit, alteram repugnare necessum est. Patet ergo, reflexam Terilli legem neminem Theologorum suffragatorem, sed omnes, nullo excepto, adversarios habere præter Terillum ipsum, ejus auctorem, apertè tamen sibi contrarium, quique simul eandem & affirmet, & neget.

Teriil. q. 28. de cōsc. n. 13.

14. Sed scire jam cupies, quibus saltem rationibus Terillus tandem convictus sit, ut auderet invehere primus, ac sine exemplo, doctrinam usque adeò difficilem, & communi Theologiæ repugnantem? Vis, dicam breviter? Nullis omninò. Alioqui, si non tibi credibile videatur, nolo mihi violentam fidem adhibeas. Credes saltem opinor Terillo ipsi, postquam ipsum perlegeris, duobus præsertim in locis, ubi legem suam reflexam ex professo tradit, & explicat, nempè q. 11. de Consc. proba. n. 11. & q. 28. à n. 12. utrobique nanque reperies, Terillum nihil ultra morari, quam ut, propositā distinctione sua de duplici lege divina, per se, & per accidens existente, seu (quod eòdem redit) directâ, atque reflexâ (quas eadem alibi sæpè multis aliis nominibus supra jam expressis designat), terminos duntaxat exponat, & quid utraque sit, exemplo producto, declaret: & quasi rem dixisset per se notam, & de qua nemini dubitare liceret, statim pergit, admonito Lectore, *Hæc distinctio, utpote summi momenti omninò præ oculis est habenda.*

Terill. ibi illo n. 11.

15. Jam verò quis cordatus, & prudenter consulens sibi, recipere non timeat in negotio æternæ salutis; immò quis dubitet incunctanter absque ulteriori examine contemnere doctrinam adeò peregrinam, ac novam, omni destitutam suffragio, & nullis fulcitam rationibus, quin, & communi omnium Theologorum doctrinæ apertissimè repugnantem? Non hic multis est opus: res ipsa clamat. Profectò, si à doctrinis similibus cavere nobis non deberemus, frustrà nos admonuisse videretur Apostolus, dum denuntiavit, *Doctrinis variis, & peregrinis nolite adduci*: quid nanque per doctrinas peregrinas significare voluit, nisi (interprete Theophilacto) doctrinas *aberrantes ab schola, & quasi domicilio veritatis*? Quæ verò longiùs aberrare potest, quàm, quæ à communi omnium Theologia exorbitat?

Ad Hæbr. 13.

Theophilac. in eum locum.

§. III.

Reflexio generalis magnopere notanda ad principia moderni Probabilismi.

16. VErùm, quia tanta hæc novitatis acceptio, in quam incidimus, non est specialis, propriave nota doctrinæ istius, quam refellimus modò; sed generalis potiùs, atque communis aliis principiis

Pro-

Probabiliſmi, illis præcipuè, quæ à Recentioribus confidentiùs circunferuntur, tanquam fundamenta potiſſima, ac penitus irrefragabilia, ex quibus ſuam benignam ſententiam evidenter paſſim demonſtrent: operæ pretium ſit, hac occaſione data, parumper immorari per brevem aliquam digreſſionem, & generaliter aliquãdo reflectere ſupra novitatem ejuſmodi; eſt enim proculdubio valde notanda, & magnopere faciens ad præcipuum noſtrum propoſitum.

17. Potiſſima verò principia, quibus recens innititur Probabiliſmus, ea ſunt, quæ hucuſque digeſſimus, & diligenter examinavimus. Quàm ſint verò cuncta recentia, veterumque Doctorum deſtituta ſuffragio, immò etiam prorſus contraria principiis in Theologia receptiſſimis, ſuis in locis ſigillatim oſtendimus. Porrò nullum ipſorum anteceſſiſſe Probabiliſmum, ſed ſimul cum eodem, immò etiam poſt ipſum, omnia adinventa eſſe, etiam contradicentibus multis ex celebrioribus Probabiliſtis, demonſtrandum à nobis eſt argumentis, ac teſtimoniis penitùs irrefragabilibus.

18. Adde, quòd illud maximum principium principiorum de inſufficienti legis promulgatione, in quod cætera omnia reſolvuntur (ſicut, & hoc de lege reflexa, quod præ manibus nunc habemus) nunquam ante Terillum fuerat auditum, ſed potiùs doctrina contraria, tanquam omninò certa, & ultra omnem controverſiam poſita, à ſæculis habita eſt; &, quod eſt mirabilius, habetur etiam nunc, paſſimque extra illam quæſtionem traditur, & ſupponitur, etiam ab omnibus recentiſſimis Probabiliſtis, apertè ſibi, & ſæpè contradicentibus ex quadam, ut videtur, inevitabili neceſſitate, quam faciunt hinc ſtudium longè maximum benignæ ſententiæ tuendæ, illinc invicta virtus veritatis ipſo naturæ lumine notæ. Sed & Terillum ipſum ejus principii auctorem, & inventorem, etiam dum tractat quæſtionem ipſam, quam primus ipſe invexit, & diſputavit, in eandem apertam contradictionem impingere, ibidem etiam demonſtrandum eſt.

19. Invaluit fateor nimis Probabiliſmus apud homines à fine ſæculi ſexti decimi, quo natus eſt, quia nimiùm hominibus placuit, utpote ipſorum deſideriis maximè accommodatus, & pariter, quia illi, quibus diſplicuit, eundem apud ſe contempſerunt, & ipſi propterea reſiſtere à principio non curaverunt, neque alieno periculo, quantum oportuiſſet, timuerunt. Sed, quia poſſeſſio regni jure non parti rarò ſolet eſſe diuturna, & vix, aut, ne vix quidem, aliquando pacifica, cæperunt brevi inſurgere Theologi graves, & eruditi, qui latè dominantem probabiliſmũ, acerrimè inſectati ſunt, multis, ac validiſſimis argumentis, tum ab auctoritate, tùm à ratione falſitatem ipſius demonſtrantes.

20. Cùm igitur augeretur in dies numerus, & auctoritas inſectatorum Probabiliſmi, cùmque fortiſſimè Probabiliſtas urgerent, quòd leviter, & ultrò receſſiſſent à ſolida, & antiqua Theologia, ut doctrinam inveherent in re ſummi momenti non modò novam, ac inauditam, verùm etiam nimis infirmam, & nullis innitentem ſolidis Philoſophiæ, ac Theologiæ principiis, coacti demùm Probabiliſtæ ſunt in ſuam benignam ſententiam tandem aliquando reflectere: eam verò maturiùs, & attentiùs conſiderantes, invenerunt in regni ſolio vix alio jure, quàm vulgari quodam plauſu, & acclamatione ſedentem, prope modum inermem, caſuique pronam, & nullis undique ſibi imminentibus adverſariorum oppugnationibus parem.

21. Ut ergo Probabiliſmi ſui periculo de propinquo impendenti Recentiores pro viribus obviam irent, nihil nõ tentaveruut eorum quidam eruditiores, ac ſubtiliores, quo benignam ſuam ſententiam undique cõmu-

munirent, atque firmarent, contra imminentes tot, tantorumque adversariorum insurgentium insultus. Cæterùm, cùm in pagina Sacra, & in SS. Ecclesiæ Doctoribus, in antiquis, atque receptis solidæ Theologiæ principiis, nihil præsidii invenerint, toti se demùm ad ingenia sua, subtilitatesque converterunt, ut non nisi novum effingerent novæ benignitatis artificium, de quo verissimè dicere posses, *Factura artificium totum est*. Ose. 13.

22. Nam ex propriis ingeniis quid proferrent, nisi apparētes quasdam, inanesque ratiocinationes magnam præseferentes acuminis speciem, nihil tamen soliditatis? Quid nisi artificiosas, ac subtiles quasdam argutias labyrinthæis reflexionum nexibus difficiles, & implicatissimas, quibus de se conspicuam, veritatem absconderent? Denique quid producerent è penu suo homines, nisi mandata, & doctrinas hominum, quibus Dominus negat coli se velle, *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum*? Sapienter utique, vel Stoicus, de quibusdā similibus scriptis ajebat olim, *Quædam scripta clarum tantùm habent nomen: cætera exsanguia sunt. Instituunt, disputant, cavillantur; sed non faciunt animum, quia non habent.* Diceres, si licuisset legere, hodiernos Recentiorum libros legisse. Matth. 15. Sene. epist. 65.

23. Porrò argumenta, quæ produxerunt, alia non sunt, quàm ea, quorum potissima jam expendimus: reliqua verò levioris momenti mox etiam expendenda sunt; neque enim aliquid omittemus, quod pro benigna sententia faciat. Illa tamen Probabilistæ absque omni prorsus formidine, passim jactant, & efferunt, veluti principia certissima, ex quibus benignam sententiam facilè, & evidenter mundo demonstrent, evidentiâ non utique morali tantùm, sed physicâ, si superis placet, aut etiam juxta alios (nec paucos) metaphysicâ. Unde sententiam nostram (& consequenter quidem, quanvis alioqui nimis, & ultra omnem modum inconsequenter) neque probabilem dicere dignantur, illi præsertim, qui subtiliùs disputant, & sua intimiùs principia callent.

Cæterùm qualia re ipsa sint argumenta, & principia Recentiorum, & patere jam fecimus, & faciemus adhuc deinceps. Novitatem eorum modò notamus, quam satis etiam clarè ob oculos Lectoris constituimus. Porrò non fabulas temerè confictas, non inanes quosdam rumores, quorum plurimi passim sparguntur in vulgus, sed facta notoria narravimus; quæ prætereà in secunda parte latè, atque distinctissimè demonstraturi sumus, ut nemo, nisi nimis sponte inanibus fabellis decipiatur.

24. Ex novitate verò prædicta sic in præsenti arguere licet. Si error: vel modicus, in principiis, (ut Philosophus dixit, & ex illo non semel annotavit D. Angelicus) fit in consequentibus maximus, facilè quisque videat, qualis possit opinio esse, quam ex nullo principio antiquo, noto, certo, aut communi, sed ex principiis tantùm à se ipsis inventis post ipsam conclusionem susceptam, adeòque non prioribus, sed posterioribus conclusione ipsa, colligunt ipsius Auctores; quibus, id accidit, quod de quibusdam olim acutè observavit Bernardus, *Quidam prius judicant, & postea probant*: quasi qui jaceret fabricæ fundamenta post consummatam fabricam ipsam: miram sanè inveniret ædificandi artem, mirumque ædificium construeret. Aristot. de Cælo tex. 33. D. Tho. de Ente, & essen. init. & in opusc. de usur. c. 1. Bernar. epist. 192.

25. Accedit, quòd principia Probabiliſmi non solùm nova sunt, ipsoque posteriora, &, quod consequens est, antiquis omnibus firmis, atque receptis Theologiæ principiis adversa; sed neque sunt communia, ut ostendimus, vel ex ipsis Recentioribus Probabilistis, apud quos nec in ipsa conclusione, neque in ipsius sensu, neque in modo, quo

pro-

propugnatur, uniformis consensio est, sed magna, & mira dicendi varietas, ut satis constat, vel ex hactenus dictis, & ex dicendis postea manifestiùs constabit.

26. Quid igitur dicemus de benigna sententia Recentiorum post totum ipsorum laborem, post tot operosa molimina, post tot artificiosas, subtilesque inventiones excogitatas, ut illam undique communirent, adversus imminentes oppugnationes? Utique dicemus, quod diximus, nullos magis, quàm ipsos Recentiores sententiæ suæ nimiam falsitatem, debilitatem, & egestatem utcunque antea neglectam, ac latentem, conspicuam, ac patentem mundo fecisse.

27. Enim verò quid illâ opinione falsius, quam ipsius jurati, & longè studiosissimi patroni, post improbum studium, post longam, ac diuturnam inquisitionem, post nihil non tentatum, & inventum, ut eam pugnacissimè tueantur, & inexpugnabilem faciant, exerunt tandem mundo, suisque adversariis objiciunt, non ullis aliis vallatam argumentis, non aliis connexam principiis quàm novioribus, infirmioribus, minùs receptis, minùsque probatis, ac posterioribus opinione ipsa, atque adeò non illam inferentibus, sed magis ex eadem resultantibus? Quid illam potuit magis exauthorare, minùsque probabilem reddere, quàm hic suorum patronorum conatus adeò contentiosus, & irritus? Planè modernis Probabilistis id ipsum contigisse videtur, quod solet perhiberi de simia, quæ fætū ipsa tenellum suum, præ nimio, quo deperit amore, strictiùs amplexando præfocat. Judicem appellare licebit, vel imperitissimum quemque, ut in hac causa sententiam ferat.

28. Si verò nostram demum, Lector, expectes, audacter affirmare promptum est: si Recentiores multa fortissima, urgentissimaque argumenta, qualia nos solvere nescieremus, pro sententia sua invenissent, nunquam eidem acquieisceremus, quin nec dubitaremus illam incunctanter abjicere, memores Nazianzeni sententiæ verè Theologicæ, ac cedro dignæ, *Nobis satis est, quòd nemo ex his, qui divino numine afflati sunt, ex Patribus illis, & Magistris nostris, hanc sententiam hactenus, vel pronuntiaverit, vel pronuntiatam probaverit*. Nunc autem, cùm principia, & argumenta inventa à Recentioribus ea sint, quæ tibi exhibuimus, quod sit tandem judicium nostrum, judicare facilè potes. Nazianz. Orat. 2. de Theolog.

Hanc ex data occasione præmaturare placuit reflexionem valdè notandam de novitate fundamentorum, & principiorum novi Probabilismi, de qua postea dicendum uberiùs nobis est; est enim multò adhuc majori cõsideratione dignissima. Jam ergo regrediamur in viam nostram, à qua tantillùm digressi sumus.

ARTICULUS II.

Demonstratur ulteriùs, vel ex Terilli ipsius doctrina, ejusdem legis reflexæ implicatio.

29. OMittimus argumenta omnia, quibus nimis patenter ostensum est, legem directam Dei obligãtem ad aliquam actionem, vel ad omissionem ipsius, non ideò non existere re ipsa, aut non habere vim obligandi, quòd detur aliqua probabilis opinio (in sensu scilicet Probabilistarum) negans ejusdem legis obligationem: id, quod, Terillo ipso fatente, prorsus evertit legem istam reflexam. Hæc, inquam, argumenta prætermittimus; tum, quia repetere illa non decuit, cùm ibidem videri possint; tum, quia plurima suppetunt, quæ specialiter fictitiæ istius legis repugnantiam demonstrent. Sup. Controv. 6. per totam.

§. I.

Lex Terilli reflexa essentialiter pugnat cum lege Dei primaria, ac directa: idque in primis convincitur ex doctrina ipsius Terilli aperte sibi contradicentis.

30. POnamus legem istam reflexam approbantem, aut præcipientem actionem aliquam de se intrinsecè malam ex hypothesi erroris prorsus involuntarii, & invincibilis, sive, quod idem est juxta Recentiores, opinionis probabilis re ipsa falsæ asserentis, actionem illam honestam esse, aut etiam præceptam.

Sed, ut patentior discursus fiat, definitam demus hypothesim. Putat quis per errorem invincibilem, licitum sibi esse, vel etiam necessarium ex lege charitatis, pejerare, aut saltem mentiri, ad subveniendam proximo cõstituto in aliquo ingenti discrimine, quod aliter non possit evadere. In hoc eventu (quem Recentiores, sicut similes alios, passim supponunt esse possibilem, & qui non rarò quoque contingat; nos verò ponimus disputandi gratiâ) Deus, inquit Terillus, homini sic erranti jam ex hujus erroris suppositione consulit per legem reflexam, vel etiam jubet, ut mentiatur, aut pejeret.

31. Quare (quod est magnopere notandum), si in proposita hypothesi non detur alia lex, quàm reflexa, neque lex antecedens, sive directa Dei, extenditur ad has circunstantias, ut vult Terillus statim afferendus, verum est absolutè, mendacium, aut perjurium aliquãdo nullo modo esse illicitum, sed potius licitum, sanctum, & honestum, tam intrinsecè, quàm extrinsecè, tam materialiter, quàm formaliter, quippè quod nulla lege prohibetur à Deo, sed potiùs approbatur, aut præcipitur, per legem consequentem, aut reflexam, præter quam alia nulla circa objectum illud existit. Et hoc primum portentum est, quod nova lex Terilli trudit in mundum.

32. Cæterùm legem istam fictitiam esse, quippè quæ pugnet cum lege primaria, qua Deus generaliter mendacium prohibet, demonstratu sit plusquam facilè. Enim verò legem divinam mendacium generaliter prohibentem, esse de se restrictam, nec extendi re ipsa ad hunc casum particularem, in quo Deus reflexè mentiri jubeat, ex ipsa terminorum acceptione patentiùs est, quàm ut ostendi debeat: quid etenim evidentiùs repugnans, quàm Deum seriò, & quantum est ex se, velle, & nolle mendacium pro iisdem omninò circunstantiis?

33. Audi Terillum ipsum legem suam reflexam exponentem: *Deus* (inquit) *nullas in suis legibus ferendis præcisiones, aut confusiones admittit: Ponamus Petrum ex errore penitus invincibili existimare, se posse, aut etiam debere dimidiare confessionem suorum peccatorum: in hoc casu Petrus dimidians suam confessionem, nulli legi æternæ contrariatur, nec ullam vel materialiter transgreditur. Nulla enim datur lex æterna, quæ universim dicat,* nulli unquam liceat confessionem dimidiare, *quia Deus habet aliam legem æternam dicentem,* Petro hic, & nunc liceat suam confessionem dimidiare. *At hæ leges sunt contradictoriæ: ergo, cùm certum sit secundam existere, certum est primam non dari.* Ita ille de lege sua. Teril. de conſc. dict. q. 28. n. 13.

Vides, qua firmitate Terillus affirmet, ac probet, tanquam omninò certum, & exploratum, legem directam Dei aliquod opus malum universaliter prohibentem, non extendi re ipsa ad eventum particularem, in quo, errore supposito, idem opus consulitur, aut præcipitur, per legem subsequentem, ac reflexam? Patet ergo, ejusmodi legem pugnare omninò cum lege directa, siquidem hæc non possit non extendi ad prohibendum opus prædictum in eo eventu particulari.

Jam

34. Jam quod extendi debeat, & re ipsa extendatur, ostendamus in primis ex Terillo, qui sui prorsus immemor, & apertissimè sibi contradicens, id docet, non utcunque, sed tanquam evidens, ac prorsus innegabile, primò quidem universaliter de omni omninò lege, seu naturali, seu positiva. Deindè verò sermonem contrahens ad legem naturalem, sic ait: *Jam ergo evidens est hominem invincibiliter errantem circa legem naturæ, peccare materialiter, quia ponit rem, quæ verè prohibita est, etsi lex illa non sit sufficienter promulgata omnibus.* Rursus de lege etiam positiva in specie, sic cõtinenter subjicit: *Idem prorsus locum habet in lege positiva, quæ pro parvis communitatibus fertur; tales enim leges non aliter promulgari solent, quàm per hoc, quòd Superior illos in unum cogat, suamque voluntatem intimet: jam si aliquis fortè sit absens, nec alii postea rem gestam narrent, lex illa nõ est illi sufficienter promulgata, qui tamen materialiter peccabit contra legem verè latam, & aliis etiam sufficienter promulgatam.* Hìc Terillus non semel hallucinatur circa legis promulgationem, & sibi etiam apertè contradicit, ut constat ex alibi dictis. Sed, quod ad præsens attinet, vides, quàm clarè doceat id, quod suadere intendimus, contra se ipsum in loco jam expresso oppositum, tanquam certum, docentem.

Terill. 1. p. de Regu mo. q. 43. n. 40.

Ibi n. 41.

Sup. controv. 6. a. 3. & 4.

35. Præterea urgeamus exemplum illud de lege generaliter prohibente mendacium, in quo veritas ista clarior apparet, quanvis alioqui, ut rectè Terillus ipse docet, eadem ratio sit de cæteris quibuslibet legibus ad suam propriam materiam comparatis.

Igitur, quòd lex illa extendatur ad casum, quo quis invincibiliter circa mendacium erret (si talis casus possibilis sit), videtur certa, & communis sententia apud SS. Patres Ecclesiæ sæpè docentes universaliter, nullum prorsus mẽdacium aliquando licitum esse ex aliquo possibili fine, nec in aliquo eventu cogitabili. Maximè verò omnium Augustinus multus, ac frequens est, ut scitur, in hac veritate docenda, præsertim illis duobus libris *de mendacio*, & *contra mendacium*, quos li. 1. Retractat. c. ult. ipse Augustinus meminit, ac probat, ubi non tantùm ex Scripturis, sed multis etiam, iisque subtilibus, & acutissimis argumentis demonstrat, nullum esse posibile mendacium, quod non sit malum, & contra legem Dei. Unum solùm, vel alterum producam in specimen, ut manifestum fiat, quàm certam, & immobilem Augustinus veritatem istam censuerit.

36. Igitur postquàm latè recensuit diversa genera mendaciorum, & de singulis sigillatim ostendit fugienda esse tanquam peccata, concludit tandem sic: *Quisquis autem esse aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, decipiet se ipsum turpiter, cùm honestum se deceptorem arbitretur aliorum.*

Aug. li. de Mendac. c. 21.

37. Præterea ita subtiliter argumentatur: *Nihil aliud judicandus est dicere, qui dicit, aliqua justa esse mendacia, nisi aliqua justa esse peccata, ac per hoc aliqua justa esse, quæ injusta sunt. Quo quid absurdius dici potest? Undè enim est peccatum, nisi quia contrarium justitiæ est? Ea verò, quæ contra legem Dei sunt, justa esse non possunt. Dictum est autem Deo:* Lex tua veritas. *Ac per hoc, quod est contra veritatem, justum esse non potest. Quis autem dubitet contra veritatem esse omne mendacium? Nullum igitur justum potest esse mendacium.*

Lib. contra mendac. c. 16.

38. Accipe tandem, ut cætera præteream, egregium in id ipsum ratiocinium divino dignum Augustini ingenio: *Nemo* (inquit) *potest convincere aliquando esse mentiendum, nisi qui poterit ostendere, æternum aliquod bonum obtineri posse mẽdacio. Sed, cùm tantò quisque ab æternitate discedat, quantò à veritate discedit: qui autem mentitur, à veritate di-*

Lib. contra mendac. c. 7.

discedat: absurdissimum est dicere, discedendo inde, ad boni aliquid posse aliquem pervenire. Aut, si est aliquod bonum æternum, quod non complectatur veritas, non erit verum: & ideò nec bonum erit, quia falsum erit. Injuria fieret Augustini, sive doctrinæ, sive auctoritati, si quidpiam verbis ejus adderemus. Clariora sunt, quàm ut egeant interprete.

39. Eja pergite, Recentiores, & dicite, *mendacium non est malum ex terminis, non est peccatum ex conceptu suo, non est injustum quid, non est contrarium divinæ legi: immò verò mentiri aliquando licitum est, quin & valde laudabile, honestum, sanctum, Deo gratum, & placens, immò ab ipso Deo præceptum, æternaque beatitudine dignum, quoties nimirùm homines sic deliraverint, si quidem inculpatè, aut probabiliter.* O novam! o mirabilem Probabilistarum Theologiam! Quid igitur Augustinus asseruit, turpe esse docere, mendacium aliquod non esse peccatum? perinde esse dicere, *mendacium aliquod justum est*, ac si diceres, *aliquod peccatum est justum*? non magis esse certum, mendacium esse contra veritatem, quàm esse contra legem Dei? tam nō posse quem tendere per mendacium in beatitudinem, quàm tēdere non potest in veritatem? Hæc porrò frustrà, & falsò Augustinus docuisset, si Recentiores vera docerent.

40. Sed faceſſat auctoritas Augustini, quanvis alioqui summa inter homines. Nobis profectò Recentiorum doctrina infallibilibus Dei oraculis videtur manifestè contraria. Enim verò mendacium in Scripturis sanctis passim damnatur, ac prohibetur, verbis expressis, ac generalissimis, quæ nullam exceptionem patiantur, & in hoc semper sensu à SS. Ecclesiæ Doctoribus divina lex de mendacio fugiendo exposita, ac proposita nobis, immò & ipsius Ecclesiæ Catholicæ unanimi consensu recepta est.

41. Ita per omnem modum (inquiunt Probabilistæ), nisi quis per errorem invincibilem aliquādo crediderit, mendacium esse licitum, aut etiam à Deo præceptum; tunc enim jam mendacium non est prohibitum per legem Dei, immò verò præcipitur, aut saltem approbatur, per aliam ejus legem subsequentem ad hunc errorem.

42. Sed rogo cum Bernardo, *de quonam mihi Evangeliorum loco producitis istam exceptionem?* Utique glossa ista vestra est, non Ecclesiæ Catholicæ, non sacrorum ejus Doctorum, non Augustini, non Ambrosii, non Thomæ: postremò non ullius, vel infimæ notæ Doctoris, aut Scripturarum interpretis. Alioqui nobis producite, vel unum saltem, qui ante Terillum vestrum aliquando docuerit, aut insinuaverit, mendacium aliquod justum esse, & honestum materialiter etiam, ac intrinsecè; & ultrò nostram deceptionem fatebimur; aliàs verba volantia, quæ facillimè dantur, etiam facillimè contemnuntur. Bernar. Serm. 65. in cant.

43. Et cur amabò non prodeat alius, cui delirare placeat per similem licentiam, mendacium esse malum, & lege divina prohibitum, quando nocet alicui, vel quando non est utile, aut necessarium ad celandum secretum, vel ad aliud malum vitandum: si verò ad hoc deserviat, aut necessarium sit, mendacium neutiquam malum esse, sed laudabile potiùs, justum, ac sanctum, placens Deo, & ab ipso æternâ gloriâ remunerandum? An non delirum istum tanquam sacrilegum perversorem intemeratæ legis divinæ, & Scripturarum Sacrarum, omnes Catholici exploderemus? Annuet opinor omnis Catholicus. Sed unde precor? Quibus argumentis, si tot, tam generalia, tamque expressa Dei verba, quibus mendacium omne damnatur, si Sanctorum Doctorum communis expositio, si unanimis fidelium consensus, à quo ad id tempus nemo discesserat, non sufficiant ad con-

convincendum, legem prohibentem mendacium, extendi ad omne mendacium possibile, nec ullam aliquando pati exceptionem? Amoveo calamum pænè rubescentem; ecquem enim non pudeat his immorari? Hæc porrò inter Catholicos, non disputanda sunt, sed increpanda. Et placet adhuc Probabilismus?

44. Evidens ergo sit in Ecclesia Catholica, & ultra omnem controversiam positum, nullum esse mendacium possibile, vel cogitabile, quod non sit malum, & à Deo prohibitum ex quacunque suppositione. *Nullum justum mendacium: omne mendacium in omnibus est peccatum: omne, quod à veritate discordat, iniquitas est*, ait Bernardus, tot, tantisque expressionibus veritatem istam statuens, ut nullam unquam aliquis cogitare exceptionem audeat.

Bern. li. de modo bene vivē. serm. aut cap. 31.

45. Patet ergo, legem divinam antecedentem, atque directam universaliter prohibentem mendacium, necessariò extendi re ipsa ad omne mendacium possibile, atque adeò ad mendacium etiam, quod homo per errorem invincibilem judicat esse licitum, aut à Deo præceptum. At, si verum hoc est, fieri nequit, ut per legem reflexam, & consequentem errorem illum, Deus mendacium approbet, aut præcipiat, ut de se evidens est, & Terillus docet, ac probat: ergo lex reflexa Terilli cohærere nō potest cum lege Dei primaria, ac directa. Cùmque una sit, & eadem ratio, fatente ipso Terillo, de cæteris omnibus legibus ad propriam suam materiam comparatis, consequens tandem est, ut omnis lex reflexa, & consequens nostros errores, fictitia, & impossibilis evadat: idque ex doctrina Terilli ipsius, qui novi hujus partus, seu abortus Theologici, & parens simul est, & peremptor, ut, vel hoc saltem titulo, de Theologia benè mereatur.

§. II.

Duplicis objectionis Recentiorum nullitas breviter insinuatur, & utriusque difficultatis solutio in proprium locum expedienda remittitur.

46. Objicient Recentiores, hinc fieri, ut nulla sit possibilis actio procedens ex errore invincibili, quæ sit honesta, ac bona moraliter, absolutè videlicet, & positivè. Sequela autem, inquit Terillus, absurdissima est, & contra unanimem Theologorum consensum; nemo nanque invenitur ex iis, qui à centum annis scripserunt, qui neget, voluntatem concordantem rationi, sive conscientiæ erranti invincibiliter, esse laudabilem, & honestam moraliter. Quam sententiam affirmat docuisse sine dubio S. Thomam, eandemque latissimè Terillus ipse suadere conatur omni genere argumentorum, in quibus nescias, quid mirere magis, an importunitatem, & inefficaciam ipsorum, an confidentiam nimiam, qua efficaciam eorum, velut irrefragabilem Terillus commendat, & jactat.

Terill. 1. p. de Regu. mo. q. 3. per totam.

47. Verùm hæc difficultas huius loci non est, & ad postremam partem spectat, ubi diligenter tractabitur. Interim libentissimè concedimus sequelam, quæ certè non absurda, sed verissima est, & quæ doctrinam continet apprimè cōsentaneam solidæ, & antiquæ Theologiæ, de qua proinde nemo dubitasset, nisi in mundum venisset Probabilismus, cujus doctrina oppositа germen est simile quàm pluribus aliis ex hac nova radice pullulantibus. Et quid precor incredibilius ex ipsa terminorum acceptione, quàm quod opus malum re ipsa, & solùm per errorem ab homine bonum putatum placere Deo possit, & ab ipso bonum putari: qui scilicet, ut sapienter Bernardus, *Sapiens numularius est, immò ipsa sapientia, cui necesse habemus red-*

Bernar. serm. 2 de S. Andr. init.

reddere hunc obedientiæ numum: nec suscipiet eum, nisi & integer inveniatur, & sine aliqua falsitate?

48. Præterea, etiam in eo, quod Terillus affirmat de uniformi consensu Theologorum à centum saltem annis, in ea sua doctrina tradenda, fallitur manifestè, ut palàm in loco faciemus. Cæterùm turpiùs fallitur, & multò minùs excusabiliter, dum illam audet D. Thomæ appingere, circa cujus mentem clarissimam adeò crassè Terillus hallucinatus est, & adeò nulla data occasione, ut vix de viro docto, & sincerè docente videri credibile posset. Sanè Doctor Angelicus sententiam nostram non modò clarè, ac disertè docet, sed adeò certam illam existimavit, ut dixerit, quæstionem non intelligere, qui de hac veritate dubitaverit. Et planè mirabile est, quòd operatio aliqua, quæ conformis supponitur conscientiæ erroneæ, nimirum regulæ non rectæ, sed obliquæ, possit ab aliquo recta existimari, Sanè non crederetur, si factum sineret dubitare. Scimus, Recentiores ex suis principiis reflexis elicere dictamen rectum, ut ipsi ajunt, quod sit regula proxima operationis. Cæterùm hoc dictamen innititur omninò legi reflexæ, quæ quàm sit recta, statim videbis, & miraberis.

Sed de doctrina ista, quam objectio supponit, ubertim dicemus in loco, ubi facilè etiam ostendemus, Terillum manifestè deceptum per æquivocationem insignem circa mentem Angelici Doctoris, alios Probabilistas posteriores se decepisse. Lege interim precor Doctorem ipsum Sanctum, etsi sincerè legas, & attentè, haud verebor, ne fortè de mente ipsius, vel levissimè ambigas.

D. Tho. 1. 2. q. 19. a. 6.

Hæc pauca modò prælibanda fuerunt, ne quē fortassè titubare faceret ingens ille Terilli strepitus circa doctrinā §. præcedentis: quæ quidem adeò firma, ac solida est, ut se sola sufficiat ad refellendam sequelæ absurditatem, quam Recentiores nobis objiciunt; nihil enim absurdum inferri legitimè potest ex doctrina verissima, atque certissima, quam vel Terillus ipse coactus est docere, etiā contra se ipsum apertissimè sibi contradicentem.

49. Objicient iterùm Recentiores, fieri itidem ex doctrina nostra, ut conscientia erronea nō liget; nam, ut ait S. Thomas, *Secundùm hoc.. ligare conscientia dicitur, quod aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurrit.* Peccatum verò nemo incurrere potest, nisi violet aliquam legem: ergo, nisi adstruatur lex reflexa, per quam Deus præcipiat conscientiam erroneam implere, hæc neminem ligabit; quod tamen temerarium, ut minimum, aut fortè erroneum esset asserere.

D. Tho. q. 17. de veritat. a. 4. corp.

50. Hæc item difficultas communis est, & eòdem etiam spectat. Ostendemus autem ibidem, quomodò conscientia non liget, quoties erronea est, in vi alicujus veræ particularis legis præcipientis per accidens, ac reflexè, implere ipsam conscientiam erroneam; sed in vi legis universalis per se, & antecedenter prohibentis velle malum & Deum offendere, ac veram ejus legem contēnere, quod suo loco explicabimus.

51. Sanè D. Angelicus præmissis verbis continenter subjunxit, *Non autem hoc modo, quod aliquis implens, rectè faciat*, quibus apertè reprobat legem reflexam; etenim juxta ipsam, & ejus assertores, qui implet conscientiam erroneam (invincibilem saltem) non solùm excusatur, sed rectè facit. Hoc, quanvis sit verissimum, & in sana Theologia certum, fateor implexum est, & explicatu certè non facile. Videri interim possunt admodum R.P. Thyrsus, noster Præpositus Generalis, nec non PP. Palancus, & Munièssa sapienter, & acutè more suo difficultatem hanc enodantes, quanvis, ut verum fatear, majorem adhuc declarationē exposcat.

Ve-

52. Verùm quid hoc ad legem reflexam? An non conscientia erronea, etiam vincibilis, & culpabilis, ligat? Exponant ergo Recentiores, qua lege? Neque enim dici potest, Deum per legem suam præcipere blasphemias, & horrenda quæque flagitia, etiam in circunstantiis, in quibus vera sunt, & formalia peccata, & homines constituunt verè peccantes, si verè Deus noster sanctus est, *& non Deus volens iniquitatem.* Psal. 5.

53. Scio quidem Terillum hujus sequelæ horrore non territum tanti consequentiam feciſſe, tantique habuisse legem suam reflexam, ut etiam ad eventum erroris simpliciter culpabilis, ac voluntarii, non timuerit illam extẽdere, ut datis propriis ipsius verbis, superiùs adnotatum relinquimus. Sed hoc est mõstra quæque deglutire, ne unquam evomatur Probabilismus, qui certè si non aliter potest subsistere, ut Terillus existimat (& rectissimè), nimis ipsum amaverit necesse sit, qui non ab eo cum horrore discedat.

54. Sanè non modò quando scelera illa procedunt ex errore vincibili, & homini imputantur ad culpam, sed etiam dum procedunt ex errore invincibili, qui totam culpam formalem evacuet, horridum nobis est affirmare, Deum illa consulere, aut præcipere, & hominem, dum mentitur, aut pejerat agere juxta Dei voluntatem, quod esse prorsus indecens, repugnansque sanctitati divinæ, optimè demonstrat, & fusè, ex Scriptura, & Patribus potissimùm, insignis ille Theologus, ac planè eruditissimus, P. Montoja in tractatu de voluntate Dei.

55. Porrò nullum perjurium, aut mendacium ex suppositione quacunque Deum verum habet auctorem, sed magis illum, qui mendax est, & auctor scelerum omnium. Alioqui precor homo, quando jam sapit, & pristinum errorem dedisce, cur non gaudere poterit, ac delectari de suo perjurio, aut mendacio per errorem illum admisso? Cur non possit consulere, aut hortari, vel saltem optare, & gaudere, quòd alter pejeret, aut mentiatur, si credat ipsum ignoranter se gerere? Nunquid voluntas hominis purior, aut sanctior est, vel magis debet abhorrere à peccatis, quàm voluntas ipsa divina totius sanctitatis fons, totiusque puritatis origo? Hæc, & alia quàmplura, quæ ex lege Recentiorum reflexa sequũtur inevitabiliter, ab omni sana Theologia exorbitant, ut suo loco monstrandum est argumentis, sanè Theologicis.

§. III.

Duplex per occasionem Corollarium.

56. Hic ergo (ut obiter hoc adnotemus) displicet etiam doctissimus Mercorus, licèt alioqui nobis gratissimus, qui absolutè concedere videtur, licere Confessario aliquando conjuges ignorantes invincibiliter nullitatem conjugii sui, non solùm non monere de illa, verùm etiam inducere, & hortari ad conjugale debitum sibi reddendum, si ex nullitatis manifestatione aliquod majus malum timeatur. Merco. in Bas. Theomora. p. 1. a. 7.

57. Nos (quidquid modò de silentio sit, de quo fortassis altera die) doctrinam hanc probare non possumus, miramurque à Mercoro fuisse probatam. Nam, quod in se turpe, ac malum moraliter est, potest quidem ex aliqua suppositione licitè aliquando permitti; ex nulla verò, quæ malitiam non auferat, potest ab aliquo intendi, nec amari, aut in se ipso, aut in quocunque alio: nec voluntas ejusmodi Deum habere potest auctorem, cujus nempè sanctissima voluntas nunquam prosecutione fertur in malum, licèt illud sanctissimè permittat.

58. Ob eandem rationem, immò à fortiori, ut ajunt, displicet nobis, & vehementer, eorum Auctorum opinio, qui docuerunt, licitum esse

esse, homini ex se parato ad perpetrandum majus peccatum, consulere, ut non illud, sed minus aliud perpetret, si quidem aliter averti non possit ab iniquo illo proposito majoris peccati patrandi.

59. Haud credimus, Doctores, præsertim graves, & scholasticos, qui opinionem illam tenuerunt, egisse de consilio verè tali, nimirum practico, & inductivo ad committendum minùs peccatum, etiam ex fine majoris vitandi; sed de consilio purè speculativo, atque permissivo duntaxat: videlicet, ut liceat illi obstinato homini objicere, aut proponere, peccatum minùs, non eo fine, ut illud exequatur, sed unicè ut abstineat à peccato majori, quanvis consulens timeat, aut prævideat, fore ut alter committat minùs peccatum; tunc enim consulens nihil malum intendit, nec aliud sequitur ex illius consilio, quàm fuga majoris peccati: peccatum autem minùs unicè sequitur ex malitia peccantis; à consulente verò solùm permittitur ex rationabili, & honesta causa: unde absolutè consilium ejusmodi (si consilium dici mereatur) censeri debet honestum, ac laudadile.

60. Quidquid verò de hoc sit, (quod per se satis verosimile est) opinio illa in primo sensu accepta valdè displicet nobis, nec ab aliquo Theologo debet probari: quia ex nullo prorsus fine, quantunvis optimo, & honestissimo, amare licet, vel in se, vel in alio, ne dum procurare, aut intendere, vel minimum malum morale. Utique illa sententia, *Non est faciendum malum, ut veniat bonum*, de malo morali intellecta, est in moralibus principium plusquàm certum nullam omninò exceptionem admittens, & rationis lumine notum; quod enim malum moraliter est, nunquam potest honestè eligi ex fine aliquo cogitabili, aliàs esset moraliter malum, & bonum, indeque in ipsis terminis implicaret.

ARTICULUS III.

Eadem lex reflexa, & consequens nostros errores, alia item ratione ineluctabili, absurda, & impossibilis demonstratur.

61. POnimus legem istam Terilli novã, ut ab ipsomet ponitur, ita videlicet relaxativam legis directæ, & antecedentis, ut hæc reverà non extendatur ad prohibendam illam actionem, quæ per legem reflexam consulitur, aut imperatur; sed potiùs talis actio pro illo homine, & pro his circunstantiis, pro quibus reflexè præcipitur, re ipsa excepta sit à lege Dei primaria, ac directa, neque sit objectum ipsius. Ita debere adstrui legem reflexam, Terillus ipse, ut vidimus, & probat, & ut certum supponit. Et reverà non posse aliter fingi, vel cogitari, evidens est, vel ex proximè dictis, alioqui Deus verè moveret, vel positivè induceret hominem ad violandam legem suam divinam primariam, & antecedentem, essetque verus, ac proprius auctor actionis, per quam homo facit re ipsa contra Dei voluntatem summè aversantem talem actionem, & prohibentem ipsam per se sub pæna damnationis æternæ; quæ certè si non sint repugnantia, nihil jam poterit cogitari repugnãs.

§. I.

Prafata lex tantum abest, ut prosit ad rectam cõscientiam formandam juxta principia novi Probabilismi, ut ipsos potiùs Probabilistas ad evidentem cogat contradictionem; præcipuè vero Terillum ipsum hujus novæ legis auctorem.

62. TErillus legem suam reflexam extendens, ut jam vidimus, ad suppositionem erroris, etiam vincibilis, ac voluntarii consequenter, immò à fortiori, negare de-

debet, actum quemcunque procedentem ex tali errore, prohiberi re ipsa lege directa ex prædicta suppositione, alias Deus reflexè consuleret, atque præciperet violationem formalem, ac voluntariam legis directæ suæ, quod horrendum est dictu, & Catholicis auribus non tolerabile.

63. Aliunde verò ejusmodi exceptio ignorantiæ peccata verè talia, quæ, salva fide, aut saltem salva Theologia, à nemine possunt negari, planè, ac plenè de medio tollit; quomodo nanque verè peccatum erit opus nulla lege prohibitum, immò verò conforme positivæ Dei voluntati? Ut summum dici poterit malum, sive peccatum extrinsecè duntaxat, ac purè denominativè, ut Terillus tandem fatetur (cui plures sub his terminis Recentiores subscribunt), idest, non verè, sed nomine tenus; nempè opus in se bonum, laudabile, & honestum moraliter; procedens tamen tanquam ex causa ex aliquo peccato præcedenti; quod ingens aliud portentum est, sed cui multa similia ex propria sua indole modernus ferat Probabilissimus. Utrâlibet Terillus viam eligat, non viæ se, sed præcipitio dabit.

64. Cæterùm, ut magis mireris, non alterutram eligit, sed utranque; dum ex una parte contendit, opus elicitum ex errore vincibili *conformari cum aliqua Dei voluntate, saltem per accidens obligante, aut consulente*, adeòque non esse peccatum, nisi denominativè tantummodò, ut frequenter docet, & repetit: ex altera verò fatetur, *Si dictamen* (erroneum) *conscientiæ permittentis sit vincibile, utique, qui sequitur tale dictamen, non facit opus bonum, sed peccat.* Attende, Lector, Theologiam benignam, & cohærentiam doctrinæ ejus: nempè opus procedens ex errore vincibili, *non est opus bonum, sed peccatum*: at simul est honestum, Deoque placens; nam *conformatur cum aliqua Dei voluntate, saltem per accidens obligante, aut consulente*, & *certum est* (Terillo docente), *actum conformem legi æternæ existenti per accidens, esse honestum, Deoque placere, quanvis objectum, quod ponit, nõ conformetur legi æternæ, quæ per se disponit de rebus.* Hæc Terillus. Quid possumus objicere ipsius benignæ Theologiæ ultrò admittenti peccatum honestum, Deo placens, & ita placens, ut illud etiam præcipiat, aut consulat? Tot, & tanta Terillus miscet absurda, etiam apertè secum pugnantia, ut modernum sustineat Probabilismum.

Terill. 2. p. de Regu. mo. q. 62. n. 20.

Idem Terill. q. 28. de conse. n. 12.

65. Modò verò propositam assertionem sub terminis præsentis controversiæ, & in sensu, quo Recẽtiores benignam suam sententiam defendunt, facilè demõstrare promptum est.

Equidem juxta alteram viam, seu modum formandi conscientiam, nimirum contra propriam opinionem actu existentem in mente operantis, facillimè ostenditur sic. Qui contra propriam suam opinionem actualem de parte minùs tuta, formar conscientiam, opinatur actu directè, contractum, v. g., quem init, secundùm se, & intrinsecè malum esse, atque adeò re ipsa per legem aliquam sibi prohibitum. Aliundè verò, inspecta opinione contraria, reflexè judicat certò, & indubitanter, eundem hunc contractum sibi absolutè licitum esse. Ergo judicat certò dari legem reflexam sibi approbantem talem contractum. At, qui judicat dari legem reflexam contractum hìc, & nunc approbantem, judicare tenetur, contractum nulla lege esse sibi prohibitum, quia lex illa reflexa, teste Terillo ipsius inventore, contradictoriè opponitur omni legi, prohibenti contractum pro illis circunstantiis: ergo judicare tenetur, contractum pro eisdem circunstantiis esse per legem aliquam, & non esse sibi prohibitum: ergo cogitur necessariò ad evidentem contradictionem.

66. Juxtà alteram verò Reflexi-

starum viam, seu modum formandi conscientiam, videlicet contra opinionem operanti probabiliorem de intrinseca contractus inhonestate, eodem argumento contradictio convincitur: quia, licèt operans actu non judicet, contractum esse re ipsa injustum; judicat tamen verosimilius esse, quòd injustus re ipsa sit, & directa lege prohibitus: aliunde verò certò judicare tenetur, nulla lege directa prohiberi, quia certò judicat, eundem contractum approbari lege reflexa condictoriè oppositi legi directæ: ergo judicare tenetur verosimilius esse dari legem directam prohibentem illum contractum, & simul certum esse non dari, quæ non est minùs evidens contradictio.

§. II.

Evasio Recentiorum ex doctrina Terilli longè singularissima.

67. Adhæc adeò patentia Probabilistæ, qui leviter controversiam istam tractarunt, quique artificium sententiæ benignæ intimiùs, ac subtiliùs penetrare, vel non valuerunt, vel non curaverunt, non video, quid reponere, vel apparenter, possint.

Terillus, qui modernum Probabilismum, informem olim, & impolitam molem, in novam quandam formam construxit, multa subtiliter excogitavit, quibus adversis posset utcunque oppugnationibus obviam ire. Sed verò nemini venisset in mentem doctrina, quam producit in medium q. 30. de consc. proba. ac sæpè aliàs repetit, & statuit absque aliqua omninò probatione, nec ullo alio fundamento subnixam, quàm necessariæ cujusdam connexionis, inevitabilisque sequelæ ex ipso suo Probabilismo, qui, licèt adeò recens, major tamen est natu, & antiquior re ipsa principiis omnibus, quibus à Recentioribus propugnatur, ut sæpiùs jam advertimus, & ostendimus, & supra generaliter notabamus.

68. Ait ergo Terillus (quod jam item superiùs insinuavimus), opinionem probabilem, qua quis directè judicat, objectum esse illicitum, licèt videatur assertio absoluta, & quæ absolutis verbis proferatur, re tamen ipsa intus, & in mente habere sensum non prorsus absolutum, sed virtualiter saltem, æquivalenterve conditionatum. Sed præstat ipsa dare Terilli verba, ne quid fortassè imponere videamur. Sup. controv. 8. a. 3. §. 2.

Aliquando (inquit ipse) *per propriam sententiam solùm speculativè affirmamus aliquid esse illicitum; tunc scilicet, quando ita de illo enuntiamus, ut existimemus, ejus inhonestatem fore certam, si veritas ipsa constaret. V. g. multi putant octo uncias esse quantitatem vetitam pro refectiuncula die jejunii vespere sumenda. Hoc dupliciter affirmari potest, primò, ut quis absolutè omninò existimet, talem quantitatem esse prohibitam: secundò, ut ita solùm existimet, quantitatem illam esse vetitam, ut judicet id fore certum, si veritas rei constaret. Jam hoc secundum judicium non est omninò absolutum, sed æquivalenter saltem conditionatum modo jam explicato. Primum judicium excludit bonam fidem de honestate talis operis, ut ostensum est. At secundum compatitur dictamen conscientiæ de ejusdem honestate, nam etsi credam, nos certò scituros talem quantitatem esse nimiam, si veritas ipsa constaret, quia tamen non absolutè omninò judico verũ esse, quòd quantitas illa sit nimia, ideò reflexè possum simul existimare, quòd in hac rerum incertitudine certum sit legem nullam sufficienter promulgatam esse, quæ me arctet ad abstinendum à tali quãtitate. Atque ita in hoc casu, aliisque similibus licitum est contra propriam sententiam operari.* Terill. q. 30. de consc. proba. n. 9. Hactenus absoluta, & decretoria verba Terilli nullâ prorsus, ut cernis, auctoritate, nulla probatione munita.

69. Ex hac verò doctrina nostro argumẽto facilè Recentiores occurrant.

rant. Respondebunt scilicet, nullam esse contradictionem opinari directè objecti inhonestatem, aut majorem ipsius verosimilitudinem, & simul enuntiare reflexè absoluto, ac certo judicio ejusdem objecti honestatem; proindeque existentiam legis reflexæ ipsum vel præcipientis, vel approbantis; quia judicium directum est virtualiter saltem cõditionatum; nec omninò absolutè affirmat existentiam legis directæ prohibentis illud objectum. Judicium verò affirmans non absolutè, sed conditionatè inhonestatem alicujus objecti, non contradicit absoluto judicio de ejusdem objecti honestate, ut ex Dialectica notum est.

70. Ecce jam intimam, ac subtilissimam mirifici artificii compaginem tandem aliquando calluimus. Ecce tanti mysterii recessus abditissimos, Deo auspice, penetravimus. Ideò nempè opinio directa falsa, aut minùs probabilis operanti de honestate alicujus operationis, fundare potest legem reflexam talem operationem approbantem, proindeque conscientiam rectam, ac tutam, quia operans directè non opinatur, suam operationem esse inhonestam judicio penitùs absoluto, sed virtualiter saltem conditionato. Deo sint gratiæ. Videamus attamen quid credere debeamus.

§. III.

Subtilis hæc Terilli doctrina, per quam nostro argumento occurritur, non alio fundamento conficta est, quàm consequentiæ necessitate cogente, quippe quæ sit evidenter falsa ex communi mortalium sensu.

71. NUlla sit adeo exotica, aut irregularis opinio, ut illam cuique propugnare non liceat, si fas sit nova quæque ad ipsam sustinendam necessaria, velut indubitata principia cudere gratis, & absque aliqua probatione, immò verò contra receptam, & communem omnium doctrinam. Id equidem per se & in quavis materia absurdum: at in doctrina fidei, & morum, non modò absurdum, sed planè intolerandum, nullus opinor sit, qui non judicet.

Hæc est ratio, ob quam diximus, nullos magis quàm ipsos Recentiores, Probabilismi sui falsitatem, contra intentionem suam revelasse, & compertam mundo fecisse; sed præ cæteris omnibus Terillum, quippè qui omnium diligentissimè, ac subtilissimè controversiam versans, plurima excogitare coactus sit pro sententia benigna sustinenda, ante ipsum nunquam audita; quæ tamen ita præfidenter statuit, ac si forent principia receptissima, de quibus dubitare liceret nemini.

72. Nemo verò miretur, aut ægrè ferat, si toties de re ista Lectorem nostrum admonuerimus: ut enim, si accuratè observetur, nihil sit efficacius ad certam veritatem, quam ostendere cupimus, persuadendam: ita, nisi frequenter adnotetur, atque præ oculis semper habeatur, quàm facillime poterunt, præsertim ii, qui in rebus Theologicis magnopere versati non sunt, noxiam incauti deceptionem admittere. Et eò sanè incautiùs, atque faciliùs, quò principia recentia, ac singularia, quæ Probabilistæ confingunt, perinde ac si verè principia forent à sæculis in Theologia recepta, confidentissimè passim efferunt.

73. Denique quis non hæreat? Immò quis non fallatur, dum audit non vulgarem aliquem, & parùm exactum Summistam, sed Terillum, insignem planè Theologum, acutissimi virum ingenii, eximièque prudentem, eruditum, ac pium, singulis pænè paginis detonantem, se pugnare pro solidissima, antiquissima, communissima, totius Ecclesiæ doctrina, pro conscientiarum pace, pro salute animarum, quam importu-

nissimè impediunt, in ingensque discrimen adducunt pauci quidam moderni Theologi contra communem omnium consensum, & his sexcenta alia similia? Hæc profectò, sicut viris prudentibus, & mediocriter saltem eruditis, non nisi risum movent; ita etiam incautos, & imperitos quosque facillimè deludunt, ac fallunt, maximè cum error inductus, sensus inclinationi, humanæque libertati blandiatur.

74. Jam ergo assertio nostra patet in primis ex iis, quæ diximus controv. 8. art. 3. §. 2. ubi modum hunc opinandi conditionatum, atque restrictum, multis ostendimus nimis absurdum esse, ineptum, subdolum, & captiosum, irregularem, & incredibilem, contra communem omnium existimationem, ac praxim, alienum à Christiana sinceritate, quique præcipuè in rebus Theologicis insignia afferat moribus præjudicia.

75. Equidem, quidquid sit de circunloquiis Reflexistarum, quibus per reflexiones artificiosas rectam conscientiam formare docent contra id, quod quis judicat unicè honestum, aut judicare prudenter potest, nemo hactenus dubitavit, dum quenquam audit directè loquentem, scribentem, aut disputantem, & verbis absolutis proferentem judicium suum de actionibus humanis secundùm se, & penès proprias earum naturas: nemo, inquam, quæsivit, vel dubitavit, an absolutè judicet internè, tales actiones esse naturâ suâ, & secundùm se inspectas, determinatè bonas, vel malas, idest, per legem aliquam prohibitas re ipsa, vel non prohibitas, nisi fortè aliquando suspicetur, aut timeat, ne loquens velit studiosè decipere.

76. Dicat quis absoluta, ac seria enuntiatione, *hoc, vel illud objectum natura sua malum, & illicitum est*. Rogetur, an id judicet absolutè, an conditionatè duntaxat? Certè ridebit, aut irascetur. Et jure; nam alioqui nihil esset hominibus absolutè credendum circa internum sensum ipsorum, nisi dum reflexè affirmaverint, se internè judicare simpliciter id ipsum, quod per verba significant. Quin immò, nec sic quidem acquiescceremus; nam de ipsa reflexa affirmatione adhuc dubitare possemus, num sensum absolutum, num restrictum, seu conditionatum haberet? Quid ineptius? Quid potest absurdius cogitari? Quid, quod magis repugnet, & humano convictui, & communi mortalium sensui?

77. Dic oro te, an hic novus, artificiosusque modus opinandi, ac loquendi, Christianam deceat sinceritatem, præsertim directorum, ac magistrorum Christiani populi, quos suo exemplo Apostolus instruit: nos, inquit, *Abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo*? Vide, an doctrina ista conveniat cum doctrina Recentiorum? Vide, an illi, qui utantur artificiosis illis restrictionibus, quas benigna Theologia docet, *commendent semetipsos in manifestatione veritatis ad omnem conscientiam hominum coram Deo*? 2. Ad Corinth. 4.

78. Præterea, quando Theologi, præsertim graves, & scholastici, disputant morales quæstiones, saltem ut plurimum, ac per se loquendo, inquirunt veritatem directam, & proferunt de ipsa judicium suum, ut facto ipso constat, & Terillus sæpè fatetur, ne cogatur concedere, quòd moralis Theologia tota sit scientia reflexa, indeque totum ejus studium inutile prorsus, ac vanum, quod per legitimam consequentiam deduci, alibi fortasse ostendemus. Quæro ergo, an negantes, aliquid esse licitum, repugnent affirmantibus in eadem quæstione? Sanè Terillus negare tenetur; nisi doctrinam suam damnare velit.

79. Ratio autem in promptu est:

nam

nam quicunque directè probabiliter tantùm opinatur aliquid esse malum, & prohibitum, non judicat absolutè, sed conditionatè duntaxat secundùm Terilli doctrinam; tum, quia id generaliter probat ratio, quam affert, nempè, quòd veritas certò non constet; tum, quia sæpiùs id docet, atque supponit, præsertim 1. p. de Regu. mo. q. 22. à nu. 4. tum, quia alioqui doctrina ipsius argumentum nostrum non solveret; Quòd enim nemo unquam formare possit conscientiam rectam, quando directè judicat actu, vel saltem potest proximè judicare, ob ectum esse re ipsa turpe, si judicium sit absolutum, & non saltem virtualiter conditionatum, nostro argumento evidenter convincitur. Modò sic: sed, qui negat, objectum esse licitum, seu (quod eòdem redit) affirmat esse illicitum, & non absolutè, sed conditionatè, non repugnat, aut contradicit, affirmanti absolutè ejusdem objecti honestatem, ut Terillus supponit, & ex se constat: ergo Auctores directè disputantes, & affirmantes, aliquid esse illicitum, minimè contradicunt, neque repugnant aliis Auctoribus illud ipsum negantibus, si vera est Terilli doctrina. At hoc est plusquàm falsum juxtà communem existimationem doctorum, indoctorum, & omnium. Est ergo falsa Terilli doctrina ex cõmuni mortalium sensu.

80. Profectò, si Doctores, qui disputant quæstiones morales, & docere nos volunt, quid per se ferat voluntas divina, quidve Deus à nobis per legem suam exigat, dum negant aliquid fieri posse secundùm voluntatem, & legem Dei, dum alios referunt affirmantes, dum dicunt, eos oppositum tenere, dum in quæstione illa adversarios eos appellãt, dum affirmant eos deceptos, ipsosque vehementer impugnant: si per hæc, inquam, & his similia, significare nollent se illis contradicere, & contrariam sententiam se tenere, ac docere, nemo ex consilio meo legeret aliquando, aut videret libros ejusmodi: immò censerem potiùs (nec dubito, quin mecum prudentes omnes censeant) non oblivioni tantùm, sed & flammis esse tradendos, neque meliori luce dignos existimandos. Quid etenim per illos possent homines discere ad directionem suarum conscientiarum, nisi æquivocationes, confusiones, & errores quamplurimos moribus exitiales? Constans igitur est, & unanimis omnium sensus, consuetum opinandi modum, per quem Doctores, hoc nomine digni, in rebus ad conscientiam pertinentibus sententiam suam proferunt verbis simplicibus, & absolutis, esse verè, ac simpliciter absolutum, & nullo pacto conditionatum.

81. At nemo rectam potest formare conscientiam contra directam opinionem propriam, qua absolutè opinatur, vel opinari proximè potest, objectum, quod amplectitur, esse inhonestum, eò quòd saltem judicet verosimilius esse, quod inhonestum re ipsa sit; aliàs incideret necessariò in evidentem contradictionem, ut argumento nostro convincitur. Ergo lex reflexa Terilli, prout ab ipso instituitur, & exponitur, inutile figmentum est pro recta conscientia formanda.

82. Nec verò dicat aliquis pro Terillo, quanvis Doctores omnes ita opinentur (nimirùm absolutè), quando speculativè, hoc est, directè disputant, & docent; aliter tamen posse, & de facto opinari, quoties agere volunt ex conscientia formata per artificium Probabiliſmi contra opinionẽ propriam directam, tunc enim non omninò absolutè, sed virtualiter saltem conditionatè, judicare possunt, ac debent, actionem esse re ipsa malam.

83. Nemo, inquam, id dixerit: tum, quia non debent, immò nec possunt, aliter pro se ipsis, & aliter pro aliis opinari, alioqui de studio, adeòque turpiter fallerentur, aut fallerent:

rent: tum, quia si lex reflexa in hypothesi nostra prorsus excludit legem directam, ut Terillus supponit, & statuit, nemo debet, aut potest, nec pro se, nec pro alio, opinari directè, objectum esse re ipsa malum judicio penitùs absoluto, alioqui judicaret absolutè, legem directam Dei prohibere re ipsa objectum illud, etiamsi probabiliter honestum sit; quod est contra Terilli suppositionem, & legem reflexam evertit. At certum est, ut vidimus, Doctores omnes ita opinari, quando directè docent, ac disputant: ergo &c.

84. Ex quibus omnibus manifestè concluditur, juxta communem omnium existimationem & sensum, subtilem illam Terilli doctrinam circa directum modum opinandi, esse evidenter falsam, & quod inde consequitur (ut & Terillus fateri debet, & à nobis est demonstratum), fictitiam esse legem reflexam; prout ab ipso Terillo adstruitur, nimirum ita relaxativam legis antecedentis, ac directæ, ut hæc re ipsa non extendatur ad eventum erroris circa ipsam, invincibilis, aut probabilis.

§. IV.

Concluditur ejusdem singularis doctrinæ evidens falsitas ex Terillo ipso, apertè sibi ipsi contradicente.

85. SEd quid tandiù moramur, ut demonstremus contra Terillum, id esse prorsus evidens ex communi mortalium sensu? Audi Terillum ipsum, si placet, quem pro se ipsa, & contra se ipsum, vel invitum, testem producit virtus omnipotens veritatis.

Terill. 2. p. de Regul. mo. q. 40. n. 1.

Nunquam (ait) *credidissem, Theologum universaliter asserere potuisse, homines in nullo unquam casu esse posse certiores, quòd formaliter, ac imputabiliter non peccent, quàmquòd non ponant opus materialiter malum, seu aliqua Dei lege prohibitum, nisi vidissem Celladeum li. 3. q. 6. omni nisu conari ad hoc Lectori persuadendum. Non, inquam, id unquam credidissem, quia oppositum adeò perspicuum est, ut omnibus naturæ lumine videatur esse notorium, nec quemquam latere possit, qui vel mediocrem attentionem adhibuerit, ut mox ostendam.* HæcTerillus, quem nunquam credidissem, sic potuisse oblivisci doctrinæ propriæ suæ, & nimis suæ, ut sibi adeò evidenter contradiceret, nisi jam causam supra notassem. Nempe Probabilistas, quò sunt doctiores, ac eruditiores, eò communis omnium, & receptissimæ doctrinæ veritas faciliùs reducit in viam, à qua moderni Probabilismi sui immoderatus amor abduxerat. Unde fit, ut frequentiùs sibi ipsis occurrant, & obviam eant, dum sæpiùs secum pugnantia docent.

86. Doctrina CellæDei, sive Patris Elizaldi, si rigorosè nimis, ac sine ulla benignitate accipiatur, quã illi semper Terillus negat, alioqui licèt nimis benignus (utinam illam passim non sinistrè intelligeret, & alienos in sensus detorqueret): illa, inquam, doctrina nobis absolutè non placet, licèt in sensu ab Authore intento vera sit, & de illa non pauca in libro sequenti dicemus. Terillo tamen juxtà principia sua, quanvis adeò contraria principiis CellæDei, omnimodis placere debuisset, nisi per oblivionem sui ipsius paruisset veritatis imperio.

87. Nam juxtà Terillum, quoties quis certò judicat formaliter se non peccare, eâdem prorsus certitudine judicat, se agere conformiter ad legem Dei, vel ad directam, seu potiùs unicam, quam admittimus omnes; vel saltem ad reflexam, quam ipse Terillus invenit. Atqui juxta Terillum, qui judicat se agere secundùm legem Dei, etiam reflexam, eâdem certitudine judicare potest, ac debet, se non peccare, vel materialiter; etenim lex reflexa, quæ actionem

nem aliquam approbat, aut permittit, contradictorie opponitur legi directæ prohibenti talem actionem; unde, qui agit juxta legem reflexam, *nulli legi æternæ contrariatur, nec ullam, vel materialiter transgreditur,* ut Terillus supra statuebat: ergo non minùs certus manere debet, quòd nullam legem transgressus fuerit, neque peccaverit, adhuc materialiter, quàm quòd formaliter non peccaverit. Quid evidentius isto discursu?

Sup. a. 2. §. 1.

At hoc juxtà Terillum est evidenter falsum, adeò ut *oppositum omnibus sit ipso naturæ lumine notorium, neque possit quemquam latere.* Evidens ergo est, Terillo teste, & judice, vel ipsam Terillinam, seu reflexam legem non dari, vel illam non excludere legem directam circa eandem actionem. Cùmque hoc posterius sit prorsus impossibile, ut & nos demonstravimus, & Terillus ipse contendit, concluditur tandem legitimè ex communi mortalium, etiam ipsius Terilli, sensu, legem reflexam, quam invexit in mundum, inane quoddam esse, & implicatorium commentum.

ARTICULUS IV.

Multiplici præterea ratione falsitas, & absurditas ejusdem reflexæ legis ostenditur.

88. PRolixum nimis foret omnia persequi, quæ ex hac fictitia lege consequuntur absurda: quid enim non sequatur ex lege divina, & æterna, & tamen non à Deo, sed ab homine condita? Foret item, ut reor, supervacaneus labor, si veritatem solùm demonstrare vellemus. Aliqua ergo ex multis celeri calamo prælibabimus.

§. I.

Aliqua ex absurdis innumeris, quæ ex lege reflexa procedunt inevitabili consequentia, evidenter, & facile convincuntur.

89. EX illa præter dicta sequitur primò, nullam, aut ferè nullam esse legem divinam, ne ipsam quidem naturæ legem, quæ sit incommutabilis, & uniformis, ut illam Augustinus appellat: sed omnis, ipsa etiam naturæ lex, multiplex erit, varia, ac mutabilis, maximè in via Probabilistarum, apud quos adeò faciles, atque frequentes sunt ignorantiæ inculpabiles, ac invincibiles, etiam ipsius juris naturalis.

Aug li. 83. qq. q. 27. & sæpe aliàs.

90. Sequela patet: nam si quilibet error invincibilis, aut probabilis in sensu Probabilistarum, negans inhonestatem alicujus actionis, inducit necessariò legem reflexam, per quam talis actio approbatur; ex quo evidenter sequitur, eam re ipsa non prohiberi per legem Dei primariam, ac directam, sed exceptam ab illa esse, ita ut nullam omninò malitiam contrahat, ne materialem quidem; consequens est, ut actio, quæ intrinsecè, & in se est bona Petro, eadem prorsus sit mala Paulo, hoc anno bona, & in sequenti mala, immò mane peccatum, vespere opus honestum, apud has gentes licitum, rudibus turpe, doctis laudabile; aut vice versa passim omnia contingent pro sola variatione opinionum, aut judiciorum hominum, etiam errantium, quæ quanta sit, & qualis, nemo non novit. Lex ergo naturalis damnans cō. ractum exempli gratia, ut usurarium, aut Simoniacum, tantundem variationis passim subibit, idque non falsò, & in mente hominum ita per errorem putantium, sed re ipsa, verè, & in se, quandoquidem re ipsa prohibet,

aut

aut non prohibet talem contractum, prout ipsi homines, licet falsò putaverint. Hæc non sequela est, sed lex ipsa reflexa, prout ab auctore suo instituitur, & explicatur.

91. Vide igitur qualem Probabilistæ consignent nobis naturæ legem, de qua Augustinus, *Claret semper* (ajebat) *judicium veritatis, ac sui juris incorruptissimis regulis firmum est. Et, si corporalium imaginum, quasi quodam nubilo subtexitur, non tamen involvitur, atque confunditur.* Vide, quàm sint potentes errores hominum, qui novam passim faciant legem naturæ, quam nec Omnipotens sapientia Dei potest aliquando mutare. Quid igitur miremur, aut damnemus superbissimi illius Regis iactantiam, qui *putabit quod possit mutare tempora, & leges*, ut Daniel vaticinabatur?

Aug. 9. de Tri. c. 6.

Daniel. 7.

92. Sed audi Tertullianum de re ista opportunissimè differentem: *Erramus* (inquit), *nusquam, & nunquam excusatur, quod Deus damnat. Nusquam, & nunquam licet, quod semper, & ubique non licet. Hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur, disciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obsequii, non mutare sententiam, nec variare judicium. Non potest aliud esse, quod verè quidem est bonum, seu malum. Omnia autem penes veritatem Dei fixa sunt. Ethnici, quos penes nulla est veritatis plenitudo, quia nec Doctor veritatis Deus, malum, ac bonum pro arbitrio, ac libidine interpretantur. Alibi bonum, quod alibi malum, & alibi malum, quod alibi bonum. Sic ergo evenit &c.* Subjicit mox exempla non pauca, post quæ tandem concludit sic. *Quid mirum inæquata ista hominum miscentium, & commutantium statum boni, & mali per inconstantiam sensus, & judicii varietatem?* Hæc antiquissimus Tertullianus adeò urgentia modernũ Probabilismum, & animam ipsius, legem reflexam, ut recentissima lege ista recentior cuiquam posset videri.

93. Verum (quod est mirabile) ex præcedenti sequitur secundò alia prorsus contraria, & verè prodigiosa implicatio: videlicet, errores, quos verè tales esse supponitur, & affirmatur à Recentioribus, à Terillo, & ab omnibus, eosdem illos non esse verè errores, sed judicia potiùs verissima, ita ut non sit possibilis opinio probabilis falsa, siquidem sit benigna, & negans legis obligationem; quin secundùm Terillum, esto non sit probabilis, sed error voluntarius, atque vincibilis. Unde conscientia erronea nunquam erit possibilis, nisi ut summum dum falsò dictat, aliquid esse malum, atque fugiendum,

94. Sed nec in hac hypothesi conscientia erit erronea secundùm Terilli principia; quia tunc etiam non deerit lex reflexa prohibens memoratum objectum ex illius erroris suppositione, atque adeò jam error non erit error, sed vera potiùs enuntiatio objecti.

95. Sequela absurditate, & implicantiâ plena patet statim ex Terilli doctrina; quia nemo falsò negat legis obligationem, nisi dum lex existit, & obligat, ut est ex ipsis terminis manifestum. At hoc ipso quòd quis neget legis obligationem, licèt falsò, dummodo probabiliter, (immò juxta Terillum, etiam improbabiliter, & per ignorantiam culpabilem) lex directa non obligat, nec existit re ipsa, quia ex illius erroris suppositione existit necessariò lex reflexa, quæ non cohæret cum lege directa, cui nimirum *opponitur contradictoriè*: ergo negatio illa, etiamsi falsa sit, nullius legis verè existentis obligationem, aut existentiam negat: ergo re ipsa falsa non est, sed verissima potiùs negatio: Eodem autem discursu probatur, opinionem, quæ falsò legem affirmat, veram esse re ipsa, quo nihil falsius.

96. Neque verò Terillus, fucum se nobis facturum putet per suas illas voces inanes *legis directæ Dei purè Grammaticaliter existentis, nec exe-*

Terill. in tract. de Regu. mor. passim.

ren-

ventis vim ullam legis, quando existit opposita lex reflexa, quibus Cellæ Dei argumenta urgentissima, ac solidissima passim eludit, atque contemnit: nam vel lex illa existens purè Grammaticaliter, est in se vera lex, quæ, licèt ignorata, re tamen ipsa verè prohibeat illam ipsam actionem, quam approbat, aut consulit lex reflexa, ita ut, qui exercet talem actionem, saltem materialiter peccet; vel non est lex ejusmodi, neque reddit actionem adhuc materialiter malam? Primum extra præsentē controversiam Terillus cum omnibus Theologis, passim affirmat, atque supponit *evidens esse*, *ac ipso lumine naturæ notorium*, cæterùm sui prorsus oblitus, & evidenter sibi contradicens, ut patet ex dictis superiùs.

Si posterius dicatur (ut omninò dicendum esse ad sustinendam legem reflexam, & Terillus supponit, & nos sæpiùs ostendimus), evidens est sequela, quam deducimus, nimis evidenter absurda, & in terminis ipsis implicatoria. Utique nulla opinio negans, actionem aliquam esse illicitam, seu, quod in idem redit, affirmans esse licitam, potest esse re ipsa falsa, si nulla omninò existit lex vera, quæ talem actionem prohibeat. At nulla existit, ut Terillus supponit; nam, qui errore supposito de ipsius honestate, prædictam actionem exercet, *nulli legi æternæ contrariatur, nec ullam, vel materialiter, transgreditur*, cùm adsit necessariò lex reflexa talem actionem approbans, aut consulens, quæ lex opponitur *contradictoriè* omni legi directæ prohibenti eandem actionem: igitur nullus error, aut opinio, quæ falsò affirmare supponitur honestatem ejus actionis, potest esse falsa re ipsa, sed erit potiùs verissima enuntiatio. Quorsum ergo Terillus inanes illas suas, & importunas voces passim obtrudit *legis Grammaticaliter existentis*? Sed voces non debemus curare, dummodò incautos fallere prohibeantur.

§. II.

Evasiones præclusæ.

97. Dices: opinio negans alicujus actionis inhonestatem, ideò falsa supponitur, aut esse potest; quia non negat, actionem esse illicitam intuitu alicujus particularis, sed generaliter, ac indefinitè respectu singulorum, & omnium: quod tamen falsum est, quia non omnes, & singuli habent opinionem probabilem, aut invincibilem errorem de ipsa: opinio verò, quæ fallit aliquando, est absolutè, & simpliciter falsa.

98. At contra est primò: igitur saltem, qui directè opinatur, actionem aliquam esse honestam, si suam assertionem restringat ad se ipsum, & ad illos, qui similem opinionem habuerint, nunquam falletur, neque poterit falli; quod tamen nemo dixerit non esse falsum.

99. Contra secundò ad homines: nam quando veritas incerta est, sensus opinionis directæ non debet esse omninò absolutus, sed virtualiter saltem, æquivalenterve conditionatus, ut supra docebat Terillus, non ultrò, sed coactus consequentiæ necessitate. Sensus ergo opinionis affirmantis directè alicujus actionis honestatem erit, *hæc actio licita est respectu singulorum, & omnium, quibus de ipsius inhonestate non constet*. Quid ni verò? Cur aliter opinetur, qui principia Terilli vera censuerit? At sensus iste verissimus est; nam ex illa suppositione existit necessariò lex reflexa approbans prædictam actionem, quæ proinde non prohibetur per aliquam legem directam: ergo nec illa opinio, nec ulla alia, quæ benigna sit, etiam si falsa esse supponatur, poterit esse re ipsa falsa, sed omnes erunt absolutè verissimæ: ideſt, omnes erunt chimeræ.

100. Ubi nota, cùm de opinionibus directè affirmantibus legem,

tantundem dici debeat secundùm Terilli doctrinam de sensu illo conditionato, in quo constat similiter veras esse, jam omnes opiniones morales, tam benignæ, quàm rigidæ, veræ erunt: unde, qui affirmat alicujus actionis directam, & intrinsecam honestatem, & qui negat eandem, uterque verum dicet, & non erit possibilis contradictio, saltem juxta vulgarem, atque consuetum opinandi modum; sed Heraclitus ille quondam delirans proscriptus ab Schola Gentilica, sedebit tandem docens in Schola Theologica, & Christiana, & nos delirare docebit.

101. Dicet quis iterùm opiniones directas propterea esse aliquando falsas, quia enuntiant, morales actiones esse determinatè malas, aut bonas, secundùm se conceptas, & pro priori ad hominum opiniones. Id verò sæpè contingit esse falsum: nam, licèt actio aliqua mihi re ipsa mala non sit, propter opinionem probabilem, vel errorem, quem habeo de ipsius honestate, ipsa tamen ex se non est honesta, sed potiùs turpis naturâ suâ, & talis postulat reputari: quare judicium meum, quo illam judico absolutè honestam, est falsum absolutè, etsi in his circunstantiis per nullam legem mihi prohibeatur.

102. Sed in primis solutio non congruit Terilli doctrinæ, & opinandi modo, quem docet, ut constat ex dictis superiùs. Deinde non procedit de actionibus naturâ suâ, & intrinsecè indifferentibus, quæ videlicet solùm malæ sunt, quia prohibentur lege positiva: igitur saltem circa actiones hujusmodi nemo, dum opinatur esse honestas, falletur aliquando, neque poterit falli, si vera est Terilli doctrina; quod tamen falsum esse Terillus ipse, & omnes supponunt, & nemo non insanus negabit.

103. Præterea, quod ad praxim spectat, nihil omninò facit, quòd actio sit honesta, vel turpis, naturâ suâ, & secundùm se, si Terilli principia vera sint: nam, quidquid sit de natura actionis, si semel detur opinio probabilis affirmans honestatem ipsius, vel negans ejus inhonestatem, hoc ipso talis actio per nullam legem prohibetur re ipsa, sed potiùs est moraliter bona formaliter, & materialiter: ad praxim verò moralium actionum quid potest ultrà desiderari? Atqui tractatus omnes, & resolutiones morales ad praxim unicè diriguntur; nam, teste ipso Terillo, unicè *pro conscientia formanda, & non ad alium finem scribuntur*: ergo non sunt de humanis actionibus secundùm se conceptis, sed per ordinem potiùs ad hominum judicia diversa. Terill. q. 22. de conf. n. 138.

At, qui sic opinatur de actionibus humanis, nunquam fallitur, neque falli aliquando potest; sive enim affirmet, sive neget, immò, etsi affirmet, & neget simul, actionem aliquam esse honestam, cùm id non judicet absolutè, sed virtualiter saltem conditionatè secundùm Terilli doctrinam, verum semper enuntiat juxta proximè dicta. Igitur, quidquid sit de aliis opinionibus purè speculativis, aut metaphysicis de actionibus humanis secundùm se, consuetæ tamen opiniones morales, quibus conscientiæ hominum diriguntur, omnes sunt absolutè veræ, nec aliquis opinando fallitur, nisi Terillus fallitur. Hic tu vide, quid judices, ut non fallaris.

104. Denique contra est; nam estò permittamus (quod falsum est in via Terilli, licèt absolutè verissimum), opiniones directas de actionibus humanis, enuntiare de ipsis secundùm se, & præscindendo à judiciis hominum, adhuc non vitatur absurdum deductum ex Terilli doctrina, sed in aliud non minùs commutatur: videlicet opiniones omnes, sive benignæ sint, sive rigidæ, esse re ipsa falsas, nec posse quemquam verè affirmare, aliquid esse honestum, aut turpe, ex his saltem objectis, de quibus modò loquimur, nempè, de quibus

bus homines possunt variè opinari, vel errare, quæ ferè omnia moralia sũt, maximè in via Probabiliſtarum.

105. Ratio est: quippe, posita lege reflexa, prout à Terillo ponitur, & exponitur, sequitur (& est tertium absurdum, quod ex ea lege descendit), nullum objectum naturâ suâ esse bonum moraliter, aut malum, sed omnia esse secundùm se, & intrinsecè indifferentia ad malitiam, vel bonitatem: qui fuit error turpissimus cujusdam Brebuardini negantis, quidquam esse intrinsecè malum; quia nihil est, quod habeat essentialiter non apparere bonum per existimationem, vel conscientiam errantẽ.

106. Sequela verò longè absurdissima sponte sua patet adeò evidenter, ut non tàm sit sequela, quàm ipsa Terilli doctrina circa suam legem reflexam. Sanè, lege ista supposita, discursus Brebuardini optimus est, ac planè convincens: nam quodlibet objectum, quantuncunque malum, aut turpe, si existimetur bonum per judicium probabile, seu per quemcunque errorem invincibilem (immò & vincibilem secundùm Terillum) hoc ipso certum est nullam prorsus malitiam ne materialem quidem habere, quia nulla lege re ipsa prohibetur, immò verò præcipitur, aut approbatur, per legem subsequentem, seu reflexam. At eadem est ratio de objecto bono, si per errorem putetur malum; nam ex hujus erroris suppositione jam necessariò juxta Terillum prohibetur à Deo per similem legem reflexam, de qua Terillus debet similiter ratiocinari. Ergo nullum objectum naturâ suâ, & secundùm se est intrinsecè bonum, aut malum, sed omnia sunt intrinsecè indifferentia, & capacia de se, ut per errores, vel opiniones hominum constituantur bona, vel mala. En ergo suscitatum in moralibus, adeòque in rebus summi momenti, antiquum delirium Protagoræ, de quo Aristoteles 4. Met. Sed de hoc uberiùs post pauca.

Philoso. 4. Me., c. 8.

§. III.

Alia præterea absurda ex eadem lege reflexa.

107. QUartò: ex eadem lege sequitur inevitabiliter, omnem directam legem, tàm naturalem, quàm positivam, constitui intrinsecè in ratione legis per notitiam privatam subditorum, ita ut virtus completa, & efficacia legis, ut talis, necessariò deficiat per locum ab intrinseco, ut ajunt, ex defectu talis notitiæ: quod tamen esse absurdum, & evidenter falsum, neque Terillus negat, neque negari ab aliquo potest, ut ex Jure Canonico, & omnium communi sententia, alibi ostendimus, ac suppositum. Sup. controv. 6. a. 3.

108. Hæc item non tàm dici sequela debet, quàm ipsamet Terilli doctrina, & conceptus legis reflexæ: quandoquidem antecedenter ad notitiam actualem, atque particularem, qua mihi lex directa sufficienter proponitur, & innotescit, hæc non habet ex se virtutem ullam, saltem completam, ad me obligandum, neque re ipsa mihi quidquam jubet, aut prohibet, sed potiùs voluntas divina intelligitur adhuc pro illo signo indifferens omninò ut prohibeat objectum, si fortè advenerit pro posteriori sufficiens malitiæ notitia, vel ut ipsum permittat, consulatve, si talis notitia deficiat per puram malitiæ ignorantiam, aut etiam per contrarium errorem. Hæc tota nonne est ipsius Terilli doctrina? Ergò notitia illa particularis, vel ipsius carentia negativa, vel positiva, constituit intrinsecè legem, & complet essentialiter ejus virtutem. Quæ consequentia nimis per se evidens posset, si foret opus, explicari exemplo strictæ promulgationis, & aliis plurimis physicis, & moralibus. Vide, quæ loco citato diximus.

109. Hinc quintò sequitur, legem naturæ, ut talem, etiam activè

consideratam, & prout se habet ex parte Dei, summi Legislatoris, non solùm esse multiplicem, ac variam, ut superiùs arguebamus, sed etiam penitus contingentem, ita ut nullum objectum, saltem ex illis, de quibus modò loquimur, prohibeatur à Deo, vel præcipiatur necessariò, ac per se, sed contingenter tantùm, ac per accidens, pro ratione notitiæ, vel ignorantiæ hominum. Sequela verò hæc, de cujus evidenti falsitate, & absurditate, nemo Theologus dubitet, nova probatione non eget, cùm manifestè pateat ex præcedentibus.

110. Sextò: non minùs evidenter sequitur, nullam omninò esse circa prædicta objecta legem divinam per se, & antecedentem, sed omnem potiùs esse legem per accidens, subsequentem, atque reflexam; quod juxta omnes manifestè falsum, & mille titulis implicatorium, longèque absurdissimum est. Hæc itidem sequela non nisi tantùm vocibus, ac nova absurditatis expressione differt à præcedentibus jam ostensis.

Alioqui ipse Terillus, qui distinctionem hujus duplicis legis novissimè invexit in mundum, definiat tandem nobis, quid utraque illa sit. *Lex* (inquit) *æterna per se est, quæ ordinat de rebus independenter ab errore, vel ignorantia mentis humanæ. Lex æterna per accidens est, quæ ex suppositione erroris, vel ignorantiæ humanæ de rebus ordinat.* At omnis lex divina ordinat, aut disponit, de rebus dependenter ab ignorantia, erroreve, aut judicio mentis humanæ, & ita dependenter, ut si ignorantia adsit, vel error de malitia objecti, hoc re ipsa per legem non prohibeatur; si verò adsit notitia sufficiens, per legem prohibeatur re ipsa, & eadem est ratio de lege qualibet cogitabili, si vera sit Terilli doctrina circa suam legem reflexam. Ergo, si lex reflexa subsistit, nulla est lex divina per se, adeòque nec directa, aut antecedens, sed omnis lex erit lex per accidens, adeòque consequens, aut reflexa. Hæc planè, si evidentia non sint, neque lucem ipsam videamus. At eadem haud minùs evidenter absurda, immò & erronea esse, certius est, quàm ut ab ullo Theologo possit negari.

Terill. q. 28. de conse. mund.

§. IV.

Concluditur ex dictis novum aliud absurdum, ingens illud, atque monstrosum, innumeros involvens errores, absurditates, & impietates.

111. SI in nostris argumentis Logica non deficiat, totam nos Recentiorum Theologiam nimis evidenter evertere, nemo sit, qui vel vertere possit in dubium; etenim, quas deducimus sequelas, adeò esse absurdas, & intolerabiles, ut admitti à nemine possint, certissimum est. Verùm eædem usque adeò immediatæ, adeòque per se ipsas patentes sunt, ut non tantùm omninò Logicam ignorare, sed ultra modum omnem nos excutire oporteat, si in illis deducendis erremus. Cæterùm audi nunc, quæ sequuntur haud minùs præcedentibus evidentia, sed & multò magis monstrosa.

112. Utique videretur ultra jam procedi non posse. Sed ecce abyssus abyssum invocat, & absurditas absurditatem. Parùm foret non esse legem ullam divinam, quæ antecedat judicia hominum, & sit independens ab illis (quanvis sit inauditũ, & absurdissimum paradoxum legitimè deductum, ut constitit, ex lege reflexa Terilli), nisi consequenter hinc fieret, nullam esse re ipsa legem Dei, quæ verè talis sit respectu hominum, neque hos legem aliam, aut regulam habere suorum actuum, quàm sua vel judicia, vel errores; quò ducit tandem Probabilismus, ut nos existimamus, & demonstramus. Hoc non ex eo tãtùm generali principio, quod nulla possit esse lex vera, à qua vel unum demeris prædicatum intrinsecum

cum, sed præsioribus aliis, ac magis immediatis consequentiis, ex formali videlicet, & essentiali legis concepta, facilè sit ex dictis concludere.

D. Tho. 1. 2. q. 90. a. 1. corp.

113. Porrò, ut ait S. Thomas ab omnibus receptus, *Lex est regula quædam, & mensura humanorum actuum, secundùm quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur*. Duo sunt ergo præcipua officia legis, nempè dirigere, & obligare: lex enim dirigit, quatenus quædam regula est nostrarum moralium actionum, ostendens nobis sui manifestatione quid sit agendum nobis, vel omittendum, unde Sapiens ajebat, *Mandatum lucerna est*, Prov. 6. *& lex lux*, & Psalmista, *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*: Psal. 18. & 118. item *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. Eadem autem obligat, quatenus culpæ, & pœnæ comminatione imponit nobis necessitatem observandi, & sequendi legem ipsam, ut regulam, hoc est actiones nostras ad illam cõformandi; lex enim dicitur à ligãdo, *quia per eam obligantur subditi ad ejus observantiam*, ut inquit S. Doctor ibidem.

114. Atqui, si vera sint, quæ Recentiores cum Terillo docent, & docere necessariò tenentur, si sustinere velint legem reflexam, nulla est omninò voluntas Dei, quæ verè sit mensura, aut regula rationis, potens dirigere, aut obligare homines ad aliquid agendum, vel omittendum: ergo nulla voluntas Dei verè habet rationem legis respectu nostrarum actionum: ergo non aliam regulam homines habent, aut sequi debent in operando, quàm sua, vel judicia, vel errores. Cætera cùm sint evidentia, sola Minor probari eget. Eadem verò ex dictis haud minùs evidens, & comperta est.

115. Enim verò mensura, aut regula operandi (utique objectiva, & extrinseca) eatenus dirigere, aut obligare potest ad aliquid agendum, vel omittendum, quatenus in se continet perfectionem determinatam, veramque rectitudinem intrinsecam in ea ratione, in qua dirigit, quæ rectitudo cognita ab operante vim habeat ipsum inclinandi, ac movendi ad operandum rectè in ea speciali materia, hoc est conformiter ad regulam ipsam, declinando videlicet operationes, quæ a regula deficiant, ac discrepent & amplectendo eas, quæ regulæ concordent, ac conformentur; sic enim lex, seu regula prælucet operanti, ipsumque illuminat ad operandum.

116. Unde constat apertè, regulam omnem, & propriam rectitudinem ipsius, debere quidem operanti proponi, atque applicari per cognitionem; per ipsam attamen non posse constitui, sed præsupponi potiùs ad ipsam. Patet, tum generaliter ex naturali præcedentia objecti ad omnem cognitionem, saltem creatam: tum etiam specialiter inductione perenni per omnem regulam cujuscunque artis, seu liberalis sit, seu mechanica, ut apparet in regulis Dialecticæ, Grammaticæ, Rethoricæ, Architectonicæ, Saltatoriæ, Pictoriæ, & sic de cunctis aliis, nullâ prorsus excepta; ubique nanque regula est aliquid stabile, ac firmum per se, & antecedenter ad notitiam artificis: qui nimirum, ut rectè, & artificiosè operetur, diligenter inquirit regulam artis, quam novit esse rectam in se (alioqui non esset regula), eamque sibi mente objicit, ac proponit, ut ipsam intuendo velut exemplar, rectitudinem ejus imitetur per actiones ipsi cõformes.

117. Patet insuper obvio, facilique discursu: nam, si regula agendi, & ejus rectitudo non præsupponeretur ad sui notitiam, utique objectum talis notitiæ, ut ab illa distinctum, & pro priori ad ipsam, foret aliquid positivè non rectum, vel saltem negativè, hoc est indifferens, & præscindens ex se à rectitudine, vel irrectitudine: utroque verò modo non esset regula, de cujus essentiali conceptu est vera, atque positi-

tiva rectitudo. Unde nullam regulam operãs sibi proponeret ad agendum ab ipsa cognitione distinctam, proindeque, vel nullam haberet absolutè, vel tota, & adæquata regula agendi foret ipsius operantis cognitio. Cæterùm hæc notiora, ac certiora sunt apud omnes, quàm ut ulteriùs ostendi debeant.

118. Tùm verò sic: nulla voluntas Dei, si vera est Recentiorum doctrina, antecedenter ad sui cognitionem habet aliquam certam, determinatamque rectitudinem, quæ cognita ab hominibus possit ipsos dirigere ad rectè agendum per conformitatem ad ipsam. Porrò nulla voluntas, in quam cadere possit ignorantia, vel error probabilis, aut invincibilis (nam de hac voluntate, seu lege loquimur) pro priori, & antecedenter ad sui, vel ignorantiam, vel notitiam, prohibet, aut præcipit aliquid; sed est re ipsa prorsus indifferens ad prohibendum actu, si advenerit pro posteriori sufficiens malitiæ notitia, vel ad non prohibendum, sed potiùs approbandum, aut consulendum, si talis notitia deficiat per puram ignorantiam legis, aut etiam per errorem positivum; quod supra jam relinquimus demonstratum, & potest iterùm facilè demonstrari ex ipsa Terilli doctrina. Sup. n. 111.

119. Sanè, si lex præcipiens confessionem non dimidiare (ut utamur ipsius Terilli exemplo) prohiberet re ipsa confessionis dimidiationem antecedenter ad ignorantiam, vel notitiam ipsius legis, Petrus cõfessionem dimidians ex ignorantia, vel errore invincibili, quo crederet sibi licere, transgrederetur re ipsa legem, & opus faceret materialiter malum, ut patet, vel ex terminis ipsis. At hoc Terillus constanter negat; nam *in hoc casu Petrus dimidians suam confessionem, nulli legi æternæ contrariatur, nec ullam vel materialiter transgreditur. Nulla enim datur lex æterna, quæ universim dicat*, nulli unquam liceat confessionem dimidiare; *quia Deus habet aliam legem æternam dicentem*, Petro hic, & nunc liceat suam confessionem dimidiare. *At hæ leges sunt contradictoriæ: ergo, cùm certum sit secundam existere, certum est primam non dari*: verba Terilli sunt eadem, quæ supra transcripsimus. Evidens ergo in via Terilli est, nullam omninò legem, seu voluntatem Dei (nam eadem est ratio de cũctis aliis) antecedenter, & pro priori ad sui notitiam, vel ignorantiam prohibere re ipsa, vel præcipere aliquam actionem humanam, adeòque legem omnem, seu potiùs omnem voluntatem divinam esse de se, & intrinsecè indifferentem, ut prohibeat re ipsa, vel non prohibeat objectum aliquod, prout videlicet homines putaverint, aut non putaverint, ipsum esse prohibitum, aut non prohibitum. Terill. ubi supra adduc. a. 2. §. 1.

120. At nulla Dei voluntas, quæ antecedenter ad sui notitiam, & independenter ab illa, nihil re ipsa prohibet, aut præcipit, habet antecedenter ad sui notitiam determinatam aliquam, ac veram rectitudinem, quæ cognita ab hominibus possit ipsos dirigere, & obligare ad operãdum rectè per conformitatem ad ipsam; quo nihil potest dici evidentius: quomodo nanque diriget, aut obligabit ad rectè agendum, si nihil omninò præscribit determinatè agendum, vel omittendum, sed est prorsus indifferens ad hoc, vel illud determinatè præscribendum? Igitur nulla voluntas Dei verè habet rationem regulæ relatè ad actiones humanas, cùm de conceptu essentiali regulæ sit rectitudo determinata antecedens sui cognitionem. Igitur nulla voluntas Dei verè habet rationem legis, si vera est Terilli doctrina de nova sua lege reflexa. Utique vera lex, quæ regula vera non sit, non nisi vera chimera est, ut est apud omnes compertum.

121. Verùm quia & hìc, & aliàs sæpè diximus, omnem legem, seu

seu regulam rationis, habere necessariò ex essentiali suo conceptu rectitudinem aliquam, & virtutem perfectam ad dirigendum, & obligandum, antecedenter ad sui cognitionem, & independenter ab ipsa; cave, ne hallucineris, quasi nos docere velimus, nullâ indigere sui notitiâ, ut dirigat in actu secundo.

122. Quod diximus, certum est apud omnes, & controversia sexta præcipuè à nobis expositum. Ut tamen longiùs æquivocationem fugias, accipe rem exemplo clarissimo. Calor ex.g. antecedenter ad sui applicationem, & independenter ab ipsa, habet virtutem veram calefactivam: non quæ in actu secundo calefacere possit sine applicatione ad subjectum, sed quæ sit cõstituta, & completa in esse virtutis, pro priori ad applicationem, & independenter ab ipsa: ideſt, (quod aliis vocibus dici solet) virtutem dependentem in operando, independentem verò in essendo.

123. Ad hunc modum nos dicimus, & dicunt omnes, legem, seu regulam omnem rationis habere necessariò rectitudinem suam, & virtutem ad dirigendum independenter à cognitione, ideſt, sui cognitionem antecedentem, & non constitutam per ipsam, quanvis indigeat cognitione sui, ut dirigat in actu secundo. Et, quia, ut ostendimus, nulla voluntas Dei habere potest rectitudinem ullam, seu virtutem ad dirigendum antecedenter ad sui notitiam secundùm doctrinam Terilli omninò necessariam ad sustinendam legem reflexam, ideò rectè concludimus contra ipsum, & Recentiores assecias ejus, nullam prorsus Dei voluntatem relatè ad actiones humanas habere posse rationem legis.

§. V.

Expenditur absurditas præcedentis sequelæ.

124. SEquela, quam deduximus, & ostẽdimus, adeò est evidens per se ipsam, ut positâ doctrinâ Terilli, & Recentiorum, nullius visum fugere possit, nisi ejus, qui aliò totus intentus oculos ab illa divertat.

Sed verò horribilis ejus absurditas adhuc sequelâ ipsâ patentior est, ut nullis verbis satis exprimi possit; vincit enim officium linguæ, omnemque superat facultatem dicendi condigna tantæ absurditatis expressio. Porrò quid horribilius? Quid impietate magis, atque blasphemia plenum cogitari alquando potest, quàm omnem simul legem divinam, velle prorsus estinguere, & abolere, ut nullum sit scelus re vera tale, nihil, quod non hominibus facere liceat nullo culpæ, aut pœnæ timore. Sanè, *Ubi non est lex, nec prævaricatio*, ut ajebat Apostolus: ex quo Augustinus, *Nullum est utique sine prævaricatione peccatum: nulla est prævaricatio sine lege: nullum est igitur nisi in lege peccatum*. Quid ultra? Ad Roma. 4. Aug. in Psal. 118.

125. Longiùs multò (quis ambigat?), quàm cogitassent, Recentiores progressi sunt in via noxiæ benignitatis. Sed enim non omninò debet ipsis ignosci: etenim in negotio tanti momenti, & plurimi periculi pleno debuissent multò cautiùs incedere: debuissent multò attentiùs inspicere, atque maturiùs undique considerare viam, quam arripiebant imperviam ad id temporis, nimis naturâ suâ lubricam, ac pendentem, & ad omnem excessum, morumque laxitatem nimis præcipitem. Id certè si feciſſent, vidiſſent utique absurda maxima, quæ ex novo isto suo principio infallibiliter consequebantur, quorum horrore prudenter admoniti mutassent procul dubio antecedentia, ut cavere sequentia, pos-

possent juxta Augustini monitum salutare.

126. Cæterùm, si fieri posset (quod impossibile statim apparebat), ut ex hoc novo Recentiorum principio, & pariter ex altero capitali de insufficienti legis promulgatione, quod intimè cum isto connectitur, & in eundem scopum tendit, nihil ulteriùs consequeretur absurdius, iterùm Recentioribus non deberet ignosci.

Equidem per utrunque principium id ex directa intentione sua Probabilistæ Recentiores moliùtur, ut, emergente qualibet opinione benigna, etiam æquè, aut minùs probabili, quæcunque lex divina per se, antecedens, atque primaria, statim per hoc ipsum penitus abrogata censeatur, & nullam prorsus habeat vim obligandi. Quasi scilicet Deus, sicut legem Mosaicam umbratilem, ac figurativam sic juxta suam conditionem instituit, ut esset de se temporalis, donec *veniret fides* ut loquitur Apostolus, eâ verò adveniente, statim vires totas amitteret, & neminem ultra obligaret, sed verè esset quasi quæ nunquam fuisset: ita similiter quamlibet aliam legem, etiam ad jus naturæ spectantem, non nisi ad tempus Deus condiderit, nempè quoadusque insurgeret adversus illam aliqua Theologorum opinio, etiam minùs probabilis, etiam falsa; ea verò insurgente, subitò lex divina interiret, & non secus abolita, mortuaque remaneret, ac lex ipsa Mosaica interiit, & evanuit, per legis Evangelicæ adventum: eo tantùm discrimine, quòd lex Mosaica non solùm mortua nunc, sed mortifera est eam observare volentibus, lex verò per adventum opinionis probabilis abrogata, quanvis nullam jam habeat vim obligandi, adhuc possit honestè, ac sine peccato observari; cæterùm materialiter tantùm, hoc est, faciendo, quod lex præcipiebat, non tamen ut præceptum, sed ut opus omninò voluntarium. Hæc Recentiores per utrunque principium, & docent, & intendunt directè, saltim postquam Terillus, vel invitus agnovit, Probabilismum benignum suum aliter stare non posse.

Ad Gal. 3.

127. At precor omnes honestatis amantes, ut coram Deo sincerè videant (nam districtè, ac tremendè ab illo judicandi sumus), an istam, quam intendunt Probabilistæ per novam suam legem reflexam relaxationem legùm divinarum, vel tolerabilem judicare possimus? Alioqui, si nos fallimur, rogamus ipsos Probabilistas, cur toties, ac tantopere conquerantur, & quasi de gravissima calumnia expostulent, cùm objicitur ipsis, quòd approbando ad praxim per sua principia reflexa tot, quot sunt apud homines, opiniones probabiles humanæ libertati faventes, approbent consequenter innumeras, quæ hucusque prodierunt, & prodire in dies non cessant, Christianæ disciplinæ, & legum divinarum relaxativas?

128. Quid hoc injuriæ? Quid hoc querelæ est? Fateantur potiùs, id ita esse. Fateantur semel palàm, & in conspectu Ecclesiæ Catholicæ, per eas opiniones probabiles, quarum praxim, & usum generaliter approbant, inductam quidem in populum Christianum magnam laxitatem morum, & legum divinarum relaxationem; sed tamen eam re verà inductam relaxationem, ac laxitatem, non esse bonis moribus noxiam, aut veræ honestati contrariam, sed potiùs honestam, ac bonam, Deo nostro valde placentem, ab ipsoque consilio, aut suo etiam præcepto firmatam.

129. Parùm sanè reflectunt Probabilistæ supra suam legem reflexam, quandoquidem fateri non erubescunt, per eam non utcunque laxari, relaxari prorsus, aboleri, & extingui, quanlibet Dei legem directam contra quam detur opinio probabilis; & ne quid derogetur artificiosæ suæ, atque benignæ conscientiæ

tiæ regulæ, divinis ipsis legibus per opiniones, & errores hominum, re ipsa, ac frequentissimè derogatum esse concedunt.

130. Itaque, quanvis nihil absurdius ex hac lege reflexa consequeretur, quàm quod ipsi moderni Probabilistæ ultrò fatentur, ac profitentur; patet, hanc novam, & commentitiam legem procul esse à Theologia eliminandam. Nunc verò, cùm ex illa tot, tantaque legitimè consequantur absurda: cùm denique constiterit, non aliquam, aut plures leges divinas per illam penitus abrogari, sed omnem prorsus legem impossibilem fieri (quod non absurdum tantùm, sed infinitus absurditatum, atque impietatum cumulus est) quo loco tandem habenda sit, facile potest quisque videre.

ARTICULUS V.

Quæ demum eliciatur regula morum ex benigno Probabilismo, posita lege ista reflexa?

131. NIhil planè magis absurdum supra summum absurdum nuper expositum, vel cogitari posse videatur. Nullam item futuram absurditatem, quam non ex illo deducere liceat. Frustrà tamen, ut arbitror, pluribus sigillatim exprimendis prætiosum tempus impenderemus. Cæterùm quia directus, ac proximus scopus, & utriusque Tractatus Terilli, & nostri pariter laboris est, rectam agendi regulam tradere pro conscientia ritè formanda, id unum saltem, cæteris prætermissis, distinctiùs ex dictis concludere operæ pretium fore putavimus, quænam scilicet conscientiæ regula ex lege reflexa Terilli, & reliquis principiis Probabilismi elicienda denique sit.

§. I.

Regula unica moralis honestatis sunt opiniones, ac judicia hominum in via Probabilistarum.

132. UNica, inquam; neque enim modò loquimur de regula formali dūtaxat: quanquàm hæc, ut jam alibi notavimus, non propriè, ac simpliciter regula, sed applicatio tantùm intentionalis, seu propositio regulæ sit. Loquimur ergo de regula simpliciter, & dicimus, in via Probabilismi nullam aliam posse assignari, quàm hominum judicia, seu opiniones, sive veræ sint, sive falsæ.

133. Porrò, si lex reflexa sic est incomposibilis cum directa, ut hæc nunquàm extēdi possit ad objectum legis reflexæ, sed quoties una earum existit, certum sit non existere alteram, ut necessariò dicendum esse, & Terillus rectè contendit, & nos superiùs jam demonstravimus, facilè ex dictis concludere est, homines nullam aliam pro dirigendis suis actionibus regulam honestatis habere (primariam utique, ac fundamentalem), quam opiniones, & judicia sua, sive vera sint, sive falsa.

134. Enimverò voluntas Dei ex prædicta suppositione nequit habere rationem legis, adeòque neque regulæ objectivæ, respectu humanarum actionum, ut nuper demonstratum est; quia nullam prorsus habet determinatam rectitudinem, quæ cognita dirigere possit, aut regulare actiones humanas; aliàs antecedenter ad sui notitiam prohiberet re ipsa determinatè, & juberet actionem illam, quam homo judicat pro posteriori non esse re ipsa prohibitam, indeque lex directa antecedens tale judicium, & lex reflexa, quæ ad illud sequitur, coexisterent simul circa eandem actionem; quod tamen fieri aliquando posse, Terillus (quan-

Sup. §. 4. artic. proximè præced.

vis omnibus, & sibi ipsi repugnare cogatur) & negat, & negare debet, nisi velit negare legem reflexam, quam tanto molimine adstruit. Atqui, si nulla datur voluntas Dei, quæ possit operantem dirigere, consequens est, ut iste nullam aliam regulam habeat, quàm opinionem, seu judicium suum de suæ operationis honestate, (vel alienum, si non ex propria, sed ex aliena opinione agat); quam enim aliam fingere, aut cogitare intellectus potest? Ergo non aliam homines regulam habent pro dirigendis suis actionibus, quàm opinionem, aut judicium suum, si vera est Recentiorum doctrina.

135. Confirmatur, & explicatur. Omnis actio creata moraliter honesta positivè, dicitur, & est talis per positivam conformitatem ad regulam honestatis moralis, ut compertum est apud omnes, aliàs foret honesta per essentiam, & tanquam ipsa regula honestatis, indeque foret operatio divina. At omnis actio humana, quam homines probabiliter judicant, aut opinantur (nempè directè) honestam esse honesta est re ipsa juxtà Terillum, & Recentiores: igitur per cõformitatem ad aliquam honestatis regulam. Hæc verò, vel est aliqua voluntas Dei directa (reflexa enim importuna hic est), & nulla datur, ut ostensum est; vel, quod unicè restat, est judicium ipsius operantis, vel certè alienum, si non ex proprio, sed ex alieno agat judicio de honestate: aut ostende, si placet, aliam regulam, quam certè neque fingere valeas.

136. Confirmatur ulteriùs, ac declaratur. Fingamus, quod in aliqua Republica (neque enim ita barbaram, nisi imaginariam invenias) nulla sint constituta publica pondera, seu mensuræ rerum. Sanè in tali Republica nihil erit universaliter ustæ mensuræ, aut ponderis respectu omnium. Sed, quod unusquisque apud se privato suo pondere, vel mensura (seu justa sit re ipsa, seu injusta) appenderit, aut mensuraverit, justæ mensuræ, aut ponderis sibi erit, aut nihil certè poterit in pondere, aut mensura tradere, vel accipere, nihilque sub ea ratione poterit justum existimare. Quod si quis uti velit alieno pondere, vel mensura alterius civis particularis, hæc erit sibi justa mensura, per ordinem ad quam rem illam, quam mensurat, existimabit justè mensuratam. Ergo similiter, si nulla sit re ipsa voluntas Superioris, quæ morales actiones subditorum possit universaliter regulare, aut nihil reputabitur honestum, aut quidquid honestum censeatur, oportebit, ut tale reputetur per ordinem ad proprium judicium operantis, vel ad alienum, si non agat ex proprio, sed ex alieno tantùm judicio objectivè apud se existente; neque enim alia honestatis regula potest ex data hypothesi cogitari.

§. II.

Ergo opiniones, ac judicia hominum in via Probabilistarum sunt regula absoluta honestatis moralis nulli alteri regulæ subordinata.

137. HÆc consequentia probatione non eget, cùm immediatè per se resultet ex conclusione proximè præcedenti. Porrò regula unica nulli alteri regulæ potest subordinari, alioqui non esset unica, ut ex ipsis terminis patet. Atqui, suppositâ lege reflexâ, & principiis moderni Probabilismi, hominum opiniones, ac judicia sunt (ut ostensum est) regula unica moralis honestatis, nec alia ulla cogitari potest regula objectiva, ac primaria, quæ morales actiones hominum possit dirigere, aut regulare. Ergo juxtà principia Probabilismi hominum opiniones, ac judicia sunt regula moralis honestatis.

138. Otiosum verò foret ostendere, repugnare ex terminis ipsis, actionem aliquam esse honestam per or-

ordinem ad judicium noſtrum de honeſtate talis actionis, tanquam ad regulam honeſtatis unicam, & nulli alteri ſubordinatam. Utique judicium humanum ex eſſentiali conceptu ſuo eſt regula ſecunda, ſeu potiùs non tam regula, quàm regulatio ipſa, ſive applicatio regulæ à ſe diſtinctæ, cui neceſſariò ſubordinatur; honeſtas etenim objectiva actionis neceſſariò præcedit ipſum judicium, vel re ipſa, vel ſaltem apparenter, in aliqua prævia apprehenſione: quare judicium neceſſariò ſupponit regulam aliam ſe ipſo priorem, à quâ actionis honeſtas derivetur, vel re ipſa, vel ſaltem apparenter.

139. Nimis, inquam, foret otioſum his, & aliis ſimilibus immorari, ut deductæ ſequelæ repugnantiam, ſummamque abſurditatem oſtendamus. Denique quid abſurdius? Quid repugnantius vocibus ullis exprimi poteſt, quàm quod exprimit ipſa ſimplex, & nuda propoſitio ſequelæ? Ita ne, noſtræ ipſæ opiniones, & humana noſtra judicia quandoque falſa, ſemper autem fallacia, aut fallibilia, ſunt nobis regula moralis honeſtatis ab omni ſubjectione abſoluta, & nulli regulæ ſubordinata? Tantundem dicimus de Deo noſtro, cui non alterius voluntas, ſeu judicium, ſed *ſibi ipſe eſt lex*, ut loquitur D. Angelicus. Jam ergo Deo ſuo, & legibus ejus, à quibus prorſus liberi ſunt, homines valedicere poſſunt. Quid enim jam attendãt niſi ſe ipſos? Quid niſi ſua judicia colant? Bone Deus, quò ventum eſt per nimium libertatis amorem!

D. Tho. 1. p. q. 21. a. 1. ad 2.

140. Et cùm hæc ſit Theologia Recentiorum, nihil tamen ipſis frequentius, quàm apud vulgus nos accuſare, eò quòd ultra modum deferamus proprio judicio. Hanc calumniam (de qua ſupra jam diximus, quod ſatis eſt) non decet diutiùs ex profeſſo refellere. Utique apud cordatos, qui probè ſciunt, quale judicium ad honeſtè agendum, & qualiter conceptum, nos exigamus, ſuperficialis iſta, vulgariſque impoſtura nihil noſtræ ſententiæ præjudicabit: vulgi verò judicium, quod non ratione ducitur, ſed conſuetudinis, aut paſſionis impetu, nihil facit ad cauſam veritatis, quam agimus.

Sup. controv. 8. a. 2. §. 3.

141. Sufficiat ergo præfatis Recentioribus illud Auguſtini reponere: *Deſinite errare .... in has enim, atque hujuſmodi nugas graviter, copioſèque invehi ſoletis: quare nos invectio veſtra non tangit, ſed aniles quaſdam, vel etiam pueriles opiniones, eò ineptiores, quò vehementiore oratione percellitis: qua quiſquis movetur, & ad vos tranſit non Eccleſiæ noſtræ* (Theologiæ noſtræ, dicamus nos) *damnat diſciplinam, ſed eam ſe ignorare demonſtrat.*

Aug. li. 1. de Morib. Eccle. Catho. c. 10.

§. III.

Præluditur evaſio Recentiorum.

142. SEd quid, ſi Recentiores hujus & præcedentium abſurditatum nimio, ſed juſto horrore perterriti, fortè velint pedem referre à doctrina Patris Terilli, per quam legem reflexam exponit, & ſtatuit?

Dicunt fortaſsè, ejuſmodi legem non eſſe incompoſſibilem cum lege antecedenti, atque directa, etiam circa idem objectum, ut malè Terillus ajebat, neque legem directam pendere ab opinionibus, vel ignorantiis hominum, ſed illas omninò antecedere: quo fit, ut pro priori ad ſui, vel notitiam, vel ignorantiam, intelligatur plenè conſtituta in ratione legis, ac regulæ potentis regulare, ac dirigere mediâ notitiâ ſui poſtmodum adveniente; quæ proinde non erit regula unica, & abſoluta, moralis honeſtatis, ſeu regula potiùs ſecunda, ſive applicatio regulæ primæ, eidemque eſſentialiter ſubordinata. Sed hoc eſt fugam quærere ſibi, nulla fugiendi via.

143. Sanè Terillus, vir ſagacis ingenii, & ſui Probabiliſmi peritiſ-

simus, nunquam in tantas se conjecisset angustias, si planior alia via pateret. Cæterùm legem Dei directam, & antecedentem, extendi non posse re ipsa ad prohibendam illam actionem, quam Deus ex erroris suppositione consulit, permittit, aut præcipit per legem subsequentem, ac reflexam, meritò Terillus supponit tanquam rem evidētem ex acceptione ipsa terminorum, qualem reverà esse constat ex supra dictis, constabitque ex dicendis ad finem controversiæ.

144. Extendatur verò, si placet. Quid inde? Nihil planè Recentiores proficient, nec vitabunt sequelæ, quam hìc urgemus, intolerabilem absurditatem, sed augebunt si augeri possit. Porrò opinio directa æquè, aut minùs probabilis operanti, quæ juxta Recentiores est regula objectiva, & remota, fundans & legem ipsam reflexam, & ultimum conscientiæ dictamen, quod proximam, & formalis regula est: illa, inquam, opinio, & regula fundamentalis, non potest esse regula per positivam conformitatem ad legem Dei directam, cùm ipsi non concordet, sed vel discrepet potiùs ab illa, vel saltem præscindat omninò à concordia, vel discrepantia, ut evidens ex terminis est, & à nobis non semel demonstratum, præsertim controv. 6. per integrum art. primum, ubi totum moderni Probabilismi artificium deteximus, & exactissimè declaravimus. Ergo prædicta opinio est regula independens ab omni subjectione, ac subordinatione ad ipsam legem directam Dei: ergo est regula prorsus absoluta, & nulli alteri regulæ subordinata. Cui nanque regulæ subordinabitur, si non subordinatur voluntati, seu legi divinæ directæ?

145. Extensio ergo ipsius legis directæ, quam Terillus inficiabatur, non evitat absurditatem, quam contra ipsum deducebamus, sed illam potiùs auget, si augeri potest, & horrorem ipsius magis ostendit: ponit enim legem divinam directam simul cum lege reflexa manentem, sed ad hoc solum, ut contemni possit expressiori quodam cōtemptu, quandoquidem ad illam operans non debet attendere, sed uti potest alterâ regulâ ab illa prorsus independenti, videlicet opinione directa æquè, aut minùs sibi probabili. Hæc igitur est regula regulans operantis actionem, ab omni subjectione absoluta, & nulli regulæ subordinata. Sive ergo dicatur, legem reflexam composibilem esse cum directa circa eandem omninò actionem, sive dicatur esse incomposibilem, ut Terillus supponit, & statuit, utroque modo sequitur inevitabiliter in via Probabilistarum, hominum opiniones, ac judicia, sive vera sint, sive falsa, esse honestatis regulam absolutam, prorsusque independentem à lege Dei, adeòque nulli regulæ subordinatam.

146. Sed quid hìc moramur? Quando hac sola de causa fictitiam suam legem reflexam Recentiores invenerunt, aut potiùs à Terillo primùm inventam avidissimè susceperunt, ut operatio nostra, & dictamen nostræ rationis, subjicerentur tandem legi divinæ, tamquam supremæ regulæ honestatis; quandoquidem non poterant subjici, legi directæ, & antecedenti? Videamus igitur an opinio probabilis sit regula saltem subordinata huic legi Dei reflexæ, an verò absolutè prima?

§. IV.

Lex divina reflexa à Probabilistis cōficta ex suo conceptu essentiali est regula subordinata nostris erroribus, & opinionibus; quæ proinde sunt regula honestatis in via ipsorum Probabilistarum prima absolutè, non tantùm negativè, sed etiam positivè, ideſt, non solùm respectu hominum, verùm etiam respectu Dei

147. VEra Philosophorum paremia est, nullam chime-

meram esse aliâ majorem, si rerum tantùm veritas attendatur. Quoad nostrum tamen intelligendi modum negari haud potest, alias aliis turpiores, repugnantiores, & absurdiores esse. Et ea quidem, quam proximè expressimus, summæ videri posset absurditatis, nisi illius absurditas ab ea, quam nunc damus, magnoperè superaretur?

Videbatur nihil absurdius cogitari posse, quàm quòd regulam unicam moralis honestatis, prorsusque independentem à lege Dei, homines apud se constituant, ut non debeant attendere quid ipsi Deo placeat, aut displiceat; sed quidquid ipsi judicent verè, vel falsò fieri posse, adeòque quidquid facere sibi libuerit, impunè, ac licitè facere valeant? Nunquid hæc non est illa intolerabilis hominum superbia, de qua Bernardus? *Omnis superbus* (inquit) *extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri suam. Jam videtur æqualitas: sed attende malè congruam proportionem. Deus quidem in his tantùm, quæ ratio approbat, suam vult fieri voluntatem: superbus verò, & cum ratione, & contra rationem.* Bern. serm. 4. in vigil. Nativ.

148. Sed ecce absurditatem multò adhuc majorem: constituere videlicet regulam honestatis pro humanis actionibus dirigendis, non solùm absolutam, prorsusque independentem à voluntate, seu lege Dei; sed etiam voluntatem ipsam divinam, adeòque Deum ipsum, subjicientem judiciis hominum, quæ proinde sint prima, atque suprema regula moralis honestatis non negativè tantùm, sed etiam positivè, non solùm hominum, sed etiam Dei.

149. Sequelæ hujus absurditas tantò evidentiùs superat præcedentis absurditatem, quantò turpius concipitur, & indignius homines velle Deum sibi subjicere, quàm nolle ipsos subjici Deo. Id verò quantæ sit absurditatis, quantæ temeritatis, ac dementiæ, res ipsa satis loquitur, nec ullis nostris verbis exprimi valet. Utique nolle servos humiliari, ac demitti ad exemplum Domini sui, censuit Dominus ipse perinde esse, ac velle fieri suo Domino majores, *Amen amen dico vobis: non est servus major domino suo*: ut scilicet ad exemplum domini nolit humiliari, ac demitti. Quid erit, si non solùm nolint servi demitti, & humiliari Domino, & Deo suo; sed velint insuper, ut servis suis Dominus, & Deus ipsorum humilietur, ac demittatur? Horrore replet animum, vel cogitare. Ioan. 13.

150. Porrò ejusmodi esse regulam honestatis, quæ deducitur tandem ex lege Recentiorum reflexa, & reliquis principiis Probabiliorismi, nullo negotio demonstrari potest ex doctrina jam tradita, & ostensa. Sanè opiniones, ac judicia hominum minùs, aut æquè tantùm directè probabilia, esse honestatis regulam (remotam utique, ac fundamentalem) prorsus independentem, & absolutam à lege Dei directa, sive hæc extendatur, sive secus ad objectum legis reflexæ, jam videtur concedi, & patenter à nobis ostensum est. Utique opus procedens ex prædictis judiciis, vel opinionibus, quod est objectum legis reflexæ, non conformari cum lege directa, Terillus ipse legis reflexæ inventor, velut indubitatum supponit, ut nos illud ostendere non deberemus: *Certum est* (inquit) *actum conformem legi æternæ existenti per accidens, esse honestum, Deoque placere, quanvis objectum, quod ponit, non conformetur legi æternæ, quæ per se disponit de rebus.* Et quis de hoc dubitare possit, si vel terminos ipsos Probabiliorismi intelligat? Terill. q. 18. de conscr. proba. n. 12.

151. Hinc verò absurditas monstrosa, quam adjicimus modò, per immediatam protinus, & nimis evidentem consequentiam resultat. Equidem error ille, vel opinio directa æquè, aut minùs probabilis operanti, quæ juxtà Recentiores regula agẽdi est objectiva, ac

ac remota, non sequitur ad legem reflexam, ut ex intentione operantis conformari possit eidem (unde patet, quàm sit abs re, & longè importunissimus ad intētum ipsorum, recursus Probabilistarum ad prædictam legem reflexam), sed antecedit potiùs eandem, & hæc ad eam, regulam simpliciter, & omninò subsequitur.

152. Quid hìc dicitis, Recentiores? Nonne lex ista vestra reflexa nihil prorsus determinat, aut disponit de rebus, nisi ex suppositione erroris invincibilis (aut vincibilis etiam juxtà Terillum), vel opinionis vestræ æquè, aut minùs probabilis? Nonne ideò reflexa, consequens, secundaria, & lex tantùm per accidens existens, perpetuò appellatur à vobis? Nonne alioqui prorsus frustranea, & nullius utilitatis ad scopum vestrum existeret? An non hæc vestra propria, & solemnissima doctrina est? Alioqui quid dicitis? Quid intenditis? Eja igitur maneat immobile, legem vestram reflexam nullo modo antecedere, sed potiùs subsequi, regulam illam vestram directam.

153. Nunc verò, si vobis placet, attendite discursum Solis luce clariorem. Hominum opiniones, de quibus hactenus, posita lege vestra reflexa (utcunque ipsam explicare libuerit) sunt regula moralis operationis, quæ legi antecedenti, atque directæ Dei non conformatur, tanquam regulæ primæ moralis honestatis, ut statutum, & compertum est, & Terillus ipse supponit: nec item conformatur, ut regulæ honestatis, legi reflexæ Dei, ut hæc non antecedat, sed subsequatur potiùs tales opiniones directas. Hæ igitur sunt regula honestatis penitus absoluta, & independens ab omni lege Dei: ergo sunt regula, saltem negativè, prima, ac suprema moralis honestatis, hoc est, regula actionum humanarum ab omni subjectione absoluta, & nulli alteri regulæ subordinata.

154. Tum ultra: Dei voluntas, seu lex ipsa reflexa, necessariò subsequitur vestram hanc regulam, & necessariò debet ei conformari; quandoquidem ex suppositione hujus regulæ vestræ (nempè opinionis æquè, aut minùs directè probabilis) Deus nequit non approbare per voluntatem suam, & legem subsequentem, atque reflexam, objectum prædictæ opinionis: neque enim Deo liberum est non approbare objectum probabiliter bonum per voluntatem suam subsequentem, aliàs qui illud amplectitur ex artificio vestræ sententiæ, non necessariò Deo placeret, neque honestè, ac prudenter operaretur; quod tamen vos fortissimè negatis. Ergo regula vestra, nempè opinio directa æquè, aut minùs probabilis, est etiam regula voluntatis divinæ, quæ videlicet illam necessariò subsequitur, debetque omninò eidem conformari: ergo est regula prima moralis honestatis, non solùm negativè, sed etiam positivè, non solùm hominum, sed etiam Dei? Quid ultrà? Nihil planè vel cogitari potest.

§. V.

Urgetur multipliciter, & exponitur argumentum præcedens.

155. Difficile profectò mihi sit præcedentem discursum clariùs exponere. Fortassè tamen prosit nonnihil aliis, & aliis vocibus id ipsum declarare, & illustrare.

Illa est regula moris non prima, & independens, sed secundaria, ac subordinata, quæ regulat moralem actionem per respectum, & ordinem ad aliam regulam (utique præcedentem), cui debeat subjici, ac conformari. Quid evidentius? At opinio directè æquè, aut minùs probabilis, regulat moralem actionem, & non per habitudinem ad aliam regulam, cui conformetur, ac subjiciatur; nulla enim hujusmodi concipi potest, nisi voluntas Dei antecedens: huic verò

opi-

opinio illa non conformatur, ut cum Terillo ipso supponimus, & sæpè à nobis demonstratum est: ergo est regula moris non secundaria, ac subordinata: ergo est regula prima, & prorsus independens ab omni alia. Quid hic est, de quo possit intellectus humanus dubitare, si verè possit aliquid evidenter cognoscere?

156. Eodem hoc discursu probatur à contrario, legem, seu voluntatem Dei subsequentem non esse primam regulam moris, sed secundariam, ac subordinatam. Ipsa nimirum regulat moralem actionem non primò, neque independenter ab omni alia regula, sed per respectum potiùs, & habitudinem ad regulam priorem, & primo regulantem, nimirùm ad prædictã opinionem humanam, quam essentialiter præsupponit, & cui omninò se debeat conformare: ergo non est regula prima, sed secunda, & subordinata: ergo sola opinio directa est absoluta, & prima regula moris non negativè tantùm, sed etiam positivè, nimirum nulli alteri subordinata, & subordinans sibi divinam voluntatem: ergo est regula prima non tantùm hominum, sed etiam Dei: ergo non Deus hominem, sed homo Deum sibi subordinat.

157. Explicatur exemplo, & cõfirmatur. Voluntas magistratus inferioris, vel alterius ministri domini absoluti, ac supremi alicujus Reipublicæ temporalis, est regula operandi respectu subditorum communium quoad gubernationem politicam secunda, atque subordinata; quia non dirigit subditos, nec regulat eorum actiones absolutè, & independenter ab omni alia regula priori, sed per respectum, & habitudinem ad voluntatem supremi domini, à quo suam accepit potestatem, & cui se omninò conformare debet, ut possit subditos regulare. Voluntas verò ipsius supremi domini ob rationem oppositam est regula absoluta, independens, & prima in eo genere gubernationis, non negativè tantùm, sed etiam positivè; quia scilicet nec regulat per respectum ad aliam priorem regulam, cui conformari debeat in regulando: & aliunde omnis alia regula regulat per respectum, & conformitatem ad ipsam. Id ipsum cernitur, & explicari posset in ordine hierarchico Angelicæ Reipublicæ, vel Ecclesiasticæ, in motu solis, & horologii, & in alia quacunque subordinatione causarum.

158. Tum sic: voluntas Dei cõsequens, & reflexa regulat actionem humanam dependenter ab illa opinione directa, quam supponit ut regulam antecedentem, cui se debeat omninò conformare: opinio verò illa nullam priorem regulam præsupponit, cui conformari debeat in regulando. Ergo talis opinio est prima, atque suprema regula moris nulli alteri regulæ subordinata, & subordinans sibi divinam voluntatem: voluntas verò consequens Dei est regula non prima, sed secunda, & humanæ opinioni subordinata. Nonne hæc luce ipsa clariora sunt? Misera planè est, & infelix conditio temporum, quod in his ostendendis, & similibus, Theologi detineri debeamus.

159. Denique confirmatur, ac declaratur. Illa est prima, ac suprema regula honestatis moralis, in quam demùm resolvitur honestas actionis humanæ, ut in primam mensuram, & rationem, propter quam sit: *Quia sicut omnis motus* (inquit Doctor Angelicus) *reducitur ad movens, quod non est motum neque à se, neque ab alio: ita omnis mensuratio reducitur ad unum primum, quod nullo modo est mensuratum, sed omnium mensura: & hoc est Deus.* Atqui honestas humanæ actionis non resolvitur ultimò in aliquam voluntatem divinam, ut in primam mensuram, & rationem ipsius, sed in judicium hominis directum, sive in opinionem probabilem de eâdem honestate actionis. Igitur nulla volũtas Dei, sed

D. Tho. in 1 dist. 19. q. 1. a. 1. ad 4.

sed opinio potiùs humana est prima, atque suprema regula, seu mensura, moralis honestatis. Discursus est legitimus: Major est per se nota, & principium ex terminis indubitatum: Minor denique ex dictis evidens est, & ulteriùs probatur, aut explicatur.

160. In primis honestas actionis non resolvitur ultimò in aliquam Dei voluntatem antecedentem, sive directam, quia vel non existit re ipsa, vel si existat, actio prædicta non conformatur ipsi formaliter, ut dictum sæpè, & ostensum est: quandoque verò nec materialiter, sed potiùs contrariatur eidem, quoties nempè opinio directa æquè, aut minùs probabilis falsa est. Aliunde verò non resolvitur ultimò in voluntatem Dei consequentem, sive reflexam; nam licèt conformetur eidem, non tamen tãquam ultimæ honestatis mensuræ, seu tanquam primariæ rationi, propter quam actio evadat honesta.

161. Enim verò quærenti, cur actio sit honesta? Si respondeas, *quia conformatur voluntati divinæ reflexæ, atque per accidens existenti*, rogaberis ulteriùs, cur voluntas illa divina per accidens existat in Deo? cur approbet reflexè, & regulet prædictam actionem? Cui quæstioni teneris respondere, si quidem falli, aut fallere nolis: *quia sic judicant homines, licèt falsò, vel quia probabilis opinio est, affirmans honestatem præfatæ actionis*; nam ex hujus erroris, vel opinionis suppositione nequit Deus non velle, atque probare, ut homines sic operentur, quanvis antecedenter non id vellet. Ultra verò procedere quæstio non potest, quia nulla est prior ratio, regula, seu mensura, à qua petatur actionis honestas.

162. Utique, si quærenti, *cur hominum judicia, & opiniones actionem illam præferant, ac regulent, tanquam honestam?* respondeas, *quia sic fert voluntas, seu lex Dei, approbans prædictam actionem*, inconsequenter omninò respondebis; cùm potiùs à contrario voluntas Dei ideò unicè approbet actionem illam, quia sic homines judicant, & opinantur. Patet ergo, moralem actionis honestatem ultimò non resolvi in aliquam Dei legem, seu voluntatem, sed in errores hominum, aut judicia directa. Hæc igitur sunt prima, atque suprema regula honestatis moralis nulli alteri regulæ subordinata, & omnem aliam regulam sibi subordinans. Ergo sunt prima honestatis regula non negativè tantùm, sed etiam positivè, non solùm hominum, sed etiam Dei. Quid evidentiùs?

§. VI.

Ergo Probabilistæ insigniter hallucinantur, dum legem reflexam confingunt, ut in eam resolvant honestatem actionis, velut in primam regulam moralis honestatis.

163. EGregiam hanc hallucinationem, & vanum Recentiorum conatum ei, qui non verba tantùm, sed etiam sensum dictorum capiat, clarissimè deprehendere sit facillimum.

Nempè, cùm, vel inviti Recentiores non possent non videre, actionem procedentem ex opinione æquè, aut minùs probabili de ipsius honestate, conformari non posse per talem opinionem legi directæ, seu primariæ Dei, cui nimirum, si fortè opinio vera sit, formaliter saltem non congruit; si verò falsa, ut creditur, aut credi potest, ne materialiter quidem concordat: ne vel benignam regulam suam, ut malam, & obliquam damnarent, vel asserere cogerentur, honestatem actionis non desumi ex concordia, & conformitate cum voluntate, seu lege Dei, tanquam cum prima regula moralis honestatis (quod effutire nemini licet): cum hæc, inquam, viderent, quid egerunt? Rem incredibilem! Invenerunt in Deo delitescentem legem

verè mirabilem, qua videlicet Deus ex præfatæ opinionis suppositione certissimè permitteret, immò positivè probaret actionem illam, tanquam honestam, quidquid de lege sua directa sit.

164. Per novam istam legem reflexam, facillimè, inquiunt, expeditur difficultas objecta: constat enim apertè, quo pacto, & actio ipsa, & regula directa, ex qua procedit, licèt non conformentur cum lege antecedenti, verè tamen, ac positivè, conformentur cum prima, atque suprema regula moralis honestatis, nimirùm cum hac ipsa voluntate, seu lege Dei reflexa, & consequenti.

165. Quod si opponas eisdem, præfatam legem derivare non posse in actionem humanam honestatem moralem per modum regulæ, cùm non præcedat, sed potiùs subsequatur ad regulam directam, hoc est, ad opinionem de actionis honestate: rident, & damnant tarditatem nostram, qui nunquam intelligere potuerimus ipsorum sententiam, & ideò passim hallucinemur, quasi videlicet ipsi nullam aliam adstruerēt agendi regulam formalem, ac proximam, quàm ipsam opinionem directam; quod tamen est manifestè falsum, cùm ubique doceant, ultimum conscientiæ dictamen esse non modò probabilius simpliciter, verùm etiam certum, & evidens.

166. Ratio, inquiunt, est clara: nam opinio directa, etiam minùs probabilis, de actionis honestate, certò, & infallibiliter fundat, & infert legem, seu voluntatem reflexam Dei, qua consequenter ad talem opinionem approbat necessariò actionem ipsam, tanquam honestam, sibique absolutè placentem: deinde verò intellectus reflectens supra ejusmodi legem, seu voluntatem consequentem Dei, cōcludit demum practicè verissimè, ac certissimè, actionem esse honestam, & gratam ipsi Deo: & hoc dictamen ultimum, & practicum conscientiæ, est regula formalis proxima, & immediata ipsius moralis actionis. Quo fit, tandem, ut ipsa moralis actio, & proxima, ac formalis agendi regula non antecedant, sed potiùs subsequantur divinam voluntatem, tanquam regulam primam, à qua tota descendit, & regulæ formalis rectitudo, & eliciendæ actionis honestas.

167. Directa verò opinio verum est, quod non sequitur, sed antecedit voluntatem divinam, cui proinde concordat, & conformatur ùnicè tanquam ejus objectum, non verò tanquam regulæ; quod minimè requiritur, cùm opinio directa non sit regula agendi proxima, & immediata, sed objectiva tantùm, ac remota. Quid clariùs, inquiunt? Quid intellectu facilius? Planè nihil. Fatemur, plus nimio tardi, & hebetis ingenii fore, qui magnum hoc *mysterium* nō comprehandat. Sed vel hinc possent facilè Recentiores conjicere, quinam sint, qui re verà passim hallucinentur.

168. Nam, si opinio ipsa directa sit prorsus independens ab omni alia regula antecedenti, & aliunde non subsequatur, sed potius antecedat legem, seu voluntatem consequentem, atque reflexam, poterunt quidem, & actio ipsa, & ultimum conscientiæ dictamen, conformari legi reflexæ: sed verò nunquam poterunt eidem conformari tanquam regulæ primæ moralis honestatis. Ratio ex dictis est evidens, & quæ pateat statim, vel cæcutientibus: nam prima regula honestatis moralis non potest præsupponere regulam aliam moralis actionis, sed omnes alias regulas debet præcedere, & sibi illas subordinare, ut compertum est apud omnes, & ex ipsis terminis patet. Atqui voluntas, seu lex reflexa, supponit essentialiter aliam regulam actionis moralis, nimirùm opinionem directam de honestate ejusdem actionis, adeòque non præcedit regulam omnem: ergo non est regula prima, sed secunda, & subordinata:

ergo nec actio ipsa, nec ultimum conscientiæ dictamen conformantur cum aliqua voluntate divina, tanquam cum prima regula moralis honestatis.

169. Hæc, quæ ex se ipsis evidentia sunt, & affatim à nobis ostensa, explicari adhuc possunt exemplo manifesto. Ponamus, Regem aliquem accepisse à Republica (à qua nimirum tota dimanat proximè, & immediatè Regum potestas juxtà sententiam & communiorem, & mihi absolutè verissimam, quam alibi ex professo monstravi) potestatem condèdi leges pro totius Reipublicæ vel regni directione, ea tamen lege, seu pacto, ut nulla lex ab ipso Rege condita quèquam de Republica obliget, nisi prius proposita, & explicata fuerit ab aliquo supremo Magistratu, vel Senatu ipsius Reipublicæ, cujus expositionem, vel interpretationem, seu vera sit, seu falsa, dummodò authenticè signata sit, teneatur demum Rex approbare, & velle, ut omnes subditi agant secundùm illam, quanvis videat esse contrariam, & intentioni suæ, & legis à se conditæ sensui.

170. In hoc Regno, aut Republica sub hac gubernationis forma instituta nemo opinor negabit, primam, atque supremam agendi regulam in ea linea humanæ, & politicæ gubernationis, non esse Regis legem, aut voluntatem, sed potiùs prædicti senatus judicium, aut sententiam authenticam; quippè quæ regulat subditorum actiones independenter à conformitate cum Regis voluntate, seu lege antecedenti, & aliunde producit necessariò alteram voluntatem, seu legem consequentem ipsius Regis, quæ prædictam senatus sententiam præsupponat, eidemque conformari debeat. Prior ergo Regis voluntas non foret regula respectu subditorum, qui nimirùm actiones suas eidem conformare non deberent: voluntas verò consequens, & posterior, regula quidem esset, cui actiones subditorum conformarentur: at non esset regula prima, sed secunda, & subordinata, utpotè quæ supponeret aliam priorem regulam, cui necessariò conformari deberet. Sola ergo Senatus authentica sententia prima in ea Republica, atque suprema regula foret, quippè quæ independenter ab omni alia regula præsuppositа subditorum actiones regularet; aliunde verò, & actiones ipsas, & omnem aliam regulam ipsarum sibi subordinaret absolutè; nulla nanque dirigeret, aut regularet, nisi dependenter ab ipsa.

171. Nolumus cum tædio Lectoris propositum exemplum applicare distinctiùs: quid enim immorabimur in re clarissima? Porrò novimus omnes, ac tenemus, ad hoc legem reflexam à Probabilistis induci, ut ultimum conscientiæ dictamen, & operatio ex illo procedens conformentur cum aliqua voluntate divina, velut cum prima regula honestatis. Verum quid inde? Novimus pariter, & plusquàm evidenter demonstramus, novum hunc conatum ipsorum adeò esse irritum, & infelicem, ut postquam communissima, indubitataque evertit Theologiæ principia, nihil minùs obtineat quàm quod intendit; immò verò obtineat oppositum. Nempè intendunt subjicire operationes hominum, eorumque judicia voluntati divinæ, & ad hoc novam fingunt in Deo voluntatem, seu legem, quam reflexam appellant: fit verò ex hac fictione (præter alia infinita absurda, quæ producit) non ut judicia hominum divinæ voluntati subjiciantur, sed ut voluntas ipsa divina subjecta maneat hominum judiciis. Quid igitur querumtur, quod non capiantur? Immò capere nolunt, quòd nimis apertè capiuntur.

AR-

ARTICULUS VI.

Amovetur solutio, sive instantia per-importuna, quam pro lege reflexa Recentiorum producit contra se ex principiis scientiæ Mediæ, doctissimes P. Palancus.

§. I.

Propriis ejusdem Auctoris verbis instantia, vel solutio proponitur.

172. HIc Auctor dudum mihi familiari cõjunctus amicitia, quem ob excelsum ejus ingenium, exquisitam sapientiam, insignemque pietatem, aliasque egregias animi dotes impensè colo, ac diligo citrà omnem assentationem, in suo Opere verè eximio nuper in lucem edito, quod *de Conscientia* inscribit, & quo toto modernum Probabilismum feliciter impugnat, & expugnat: cùm legem Dei reflexam, quam Recentiores comminiscuntur, multis, ac validissimis argumentis impeteret, ac planè profligaret, eò legem illam refellit, quòd nisi foret prorsus fictitia, lex, sive Dei voluntas, non foret prima regula honestatis, sed secunda, & subordinata judiciis, & erroribus hominum. Opponit autem sibi pro Recentioribus quandam, vel evasionem, vel instantiam, petitam ex principiis, quibus innititur scientia Media.

Palanc. de consc. q. 28. a. 3. per totum.

173. *Dices forsan* (ait ipse), *aliud esse Deum attemperari, & accommodari in præcipiendo, prohibendo, aut permittendo, judicio probabili humano: aliud valde distinctum illi subordinari, ac subjici. Primum verum esse: secundum falsum. Sicut aliud est Omnipotentiam attemperari in cõcurrendo voluntati creatæ, aliud illi subjici, & subordinari. Primum enim concedunt Jesuitæ, etiam postquam damnavit secũdum Innocentius XI. Et quod lex divina debeat sic attemperari, & accomodari judicio humano, forsan probabis, quia hoc maximè conducit ad suavitatẽ divinæ providentiæ.* Spectat enim ad divinã providentiam, *inquit Terillus*, complacere aliquando, saltem per accidens, in electione objecti directè, & per se prohibiti, quod operanti probabiliter apparet prohibitum. *Si nimirum ipse ex contraria probabilitate seductus pro imperio suæ voluntatis illud objectum judicaverit licitum.*

Ibi §. 2. n. 144.

Item, quia nisi lex divina sic accommodetur, & attemperetur, væ nobis, peribit omnis libertas opinandi, & operandi, standum semper erit in judicio de moribus pro lege, nunquam pro libertate, jugum divinæ legis ferreum erit, & importabile, nos in miseram captivitatem redigens, à nobisque libertatem filiorum adimens, &c.

174. Deinde quasi classicum canens, Thomistas omnes excitat ad prælium contra legem reflexam Recentiorum, veluti contra novam scientiam Mediam, subjungens continenter: *Sed hæc solutio, licèt ad mentem Reflexistarum genuina, ipsaque doctrina eorum, qui ad talem legem reflexam effugium fecerunt, falsa tamen est, & contra D. Thomam, omnesque ejus discipulos. Quos omnes enixè precor advertant, per Probabilismum, & potissimùm per hanc legem reflexam novam scientiam Mediam, novumque usum illius in scholis introduci paulatim, vel, quod est considerabilius, in moribus regendis, & vita Christiana gubernanda: ac proinde, qui veluti fidelissimi Angelici Doctoris asseclæ, pro nobili stemmate ab ipso acceperunt primatum Dei in omni linea perfectionem dicente contra modernos strenuè propugnare, & semper vincere, sicut in Theologia speculativa primatum Dei in ratione causæ, motoris, Domini, liberèque determinantis tuentur, sic in Theologia morali, & practica primatum divinæ legis in regulando mores humanos nulli præ ipsis æquali jure propugnandum incumbit.*

Nam eadem, ni fallor, vel ferè eadē utrobique causa est. Sicut enim..... ibi contrarii conantur Deum in concurrendo ad unum potiùs, quàm ad oppositum, nostræ libertati subordinare (jam dicunt attemperare), ita hic Deum in præcipiendo, aut permittendo hoc potiùs, quàm oppositum ex probabilibus, nostro libero judicio subordinare videntur (ipsi dicent attemperare), &c. Hactenus prælaudatus Palancus.

175. Hæc dū in libro ex Auctoris dono liberaliter mihi transmisso, quem magna voluptate, & avidissimè percurrebam, præter omnem timorem occurrerunt, hæsi fateor, & dolui, neque mediocriter sum miratus, dum, & viri amicissimi candidissimum animum, ac pridem mihi notam modestiam facilè reducebam in mentem; & simul etiam considerabam asperitatem verborum ejus, scientiam Mediam, nulla occasione data, sed nimiùm violenter accepta, comparatione indigna suggillantis, & probris adeò acerbis lacessentis. Enimverò vir sapiens haud parum præter morem videtur indulsisse *opinionibus, quas domo secum affert, & dogmatum, quibus innutritus est, consuetudini*, ut supra Nazianzenus ajebat. Nec verò renuit ipse (quæ magna ejus modestia est, & singularis animi temperantia) olim mihi cum ipso de re ista amicè, ac confidenter expostulanti candida ingenuitate fateri, familiaribus litteris ad me datis, displicere etiam sibi, quod hæc scripserit, *quæ ex libro* (inquit) *libenter delerem propter eas rationes, quas mihi exhibet vestra Paternitas*.

176. Quoniam tamen plurimùm refert, ne quis ex libro Auctoris gravissimi, non displicentiam ejus de sententia prolata, sed nudam ipsam ostendente sententiam, occasionem accipiat existimandi, eandem esse, aut similem causam legis reflexæ Dei, quam Reflexistæ fingunt, & scientiæ Dei Mediæ, quam schola nostra propugnat; unde, vel hanc minoris, vel illam pluris faciat, quam utraque mereatur, pauca breviter dicere de re ista ab instituto nostro nimis aliena, necessitas nos cogit satis quidem invitos.

§. II.

Palancus Societatis Doctoribus injuriam haud modicam irrogat.

177. PRimùm verò, ut ab ultimis P. Palāci verbis exordiar, non sine injuria nostrorum Doctorum protulit verba illa, *contrarii conantur Deum in concurrendo ad unum potiùs, quàm ad oppositum, nostræ libertati subordinare (jam dicunt attemperare)*, quasi videlicet in schola nostra ante Decretum Innocentii XI. quo meritò damnavit propositionem illam, *Deus subjicit nobis Omnipotentiā suam*, usus illius vocis *subordinare* communis esset, passimque receptus, ad explicandam divini concursus cum nostra libertate concordiam.

178. Sanè per annos supra viginti in schola Theologica versatus, & libros nostrorum Auctorum sedulò, ac frequenter evolvens pro variis, ac consuetis eventibus Theologicæ exercitationis, maximè verò eos, qui concordiam istam exponunt (quam semel olim discipulis dictatam iterùm nunc præ manibus habeo) non memini apud aliquem me legisse voces *subjicere*, aut *subordinare* ita crudè prolatas, & sine aliquo temperamento, aut congrua modificatione; quoties enim illis utuntur (utuntur autem vix unus, aut alter, nec nisi rarissimè tantùm) semper solent adjungere particulam modificativam *veluti, quasi, quodammodò*, vel similem, præter fusiorem insuper, atque clariorem, expositionem sensus intenti. Frequenter autem, ac ferè semper dicunt, Deum attemperare, sive accommodare Om-

Omnipotentiam ſuam, aut concurſum ipſius ad concurrendum cum noſtra voluntate, applicare potentiam ſuam decreto indifferenti, & à nobis determinabili, committere, aut relinquere liberaliter nobis actuale in ipſis Omnipotentiæ ſuę cõcurcurſum ad actus liberos noſtros à noſtro arbitrio determinandum, vel aliquid ejuſmodi in idem recidens. Quod cùm ſit conſtans, atque notorium cunctis libros noſtros legentibus (utinam eos legant multi, qui impugnant), certè non debuit P. Palancus oppoſitum innuere, aut ſupponere, verbis adeò abſolutis, ac generalibus, quæque doctrinæ noſtræ in re tanti momenti haud modicam invidiam creare poſſent.

179. Eſt verò multò gravius, & minùs tolerabile nobis, quòd noſtræ Societatis doctrinam in magna controverſia de Auxiliis, & ſcientiam Dei Mediam, quam propugnamus, non ſolùm comparaverit P. Palancus novo recentium Probabiliſtarum commento de lege Dei reflexa, verùm & affirmare non dubitaverit, eandem eſſe utranque doctrinam, eandem utrobique, aut ferè eandem cauſam: quaſi videlicet Recentiores ex illa Dei attemperatione ad concurrendum cum cauſis liberis, legitimè potuerint concludere, Deum etiam in regulando attemperari judiciis hominum, ita ut id debeat, tanquàm bonum, probare, vel illud reprobare, tanquàm malum, quidquid homines ipſi malum, aut bonum, probabiliter, licèt falsò putaverint. Nihil eſſet ineptius hoc ratiocinio; & ideò neque ipſis Recentioribus, qui nihil non pro ſuo Probabiliſmo tentant, nihil non, etiam è longinquo afferunt, aliquando venit in mentem: adeò eſt importunum ad ipſorum propoſitum.

§. III.

Pro removenda inſtantia productа præmittitur ſynopſis doctrinæ noſtræ de concurſu divino ad actiones morales creaturæ.

180. POrrò, quòd Deus libera voluntate ſua Omnipotẽtiam ſuam attemperet ad concurrendum cum arbitrio creato, relinquendo videlicet humanæ voluntati immediatam, & electivam actionis ſuæ determinationem, nihil omninò derogat perfectiſſimo dominio Dei, nihil item rationi primæ cauſæ, primi motoris, primi determinantis: immò potiùs has omnes perfectiones divinas unicè tuetur, & explicat, atque per ſuavem, & optimam concordiam cum noſtra libertate conciliat.

181. Certè dominium Dei abſolutiſſimum nulla ratione minui, aut impediri poteſt, dum Deus habet plenam, abſolutiſſimam, prorſuſque Omnipotentem facultatem ad liberè inducẽdam, vel impediendam quamcũque velit operationem honeſtam cujuslibet voluntatis creatæ, ad impediendum item, vel permittendum quodlibet peccatum ipſius, pro priori, & antecedenter ad omne omninò liberum exercitium ejuſdem voluntatis creatæ abſolutè, & in re futurum, quid enim aliud deſiderari poteſt ad perfectiſſimum dominium Dei?

182. Hanc verò facultatem habet Deus ratione ſcientiæ conditionatæ (Mediam nos appellamus), per quam, antequàm aliquid abſolutè decernat, novit infallibiliter, quid operabitur humana volũtas ſub hoc, aut illo auxilio, in iſtis, vel in illis circunſtantiis, ſuppoſita infinita, inexhauribilique virtute Omnipotentiæ ſuæ, cui deeſſe non poſſint plurima auxilia, quæ prævideantur congrua futura, plura item, quæ incongrua futura prævideantur; quanvis nul-

nullum omninò determinatum auxilium sit nō intrinsecè indifferens, cuique voluntas nequeat pro suo arbitrio consensum, vel dissensum conjungere potentiâ verâ, & antecedenti, prout jura libertatis exposcunt.

183. Deus ergo pro signo independentiæ, & sapientissimæ providentiæ suæ, nempè ante omnem usum libertatis creatæ absolutè, & in re futurum perfectissimam suam libertatem exercet decernendo pro solo suo arbitrio, vel actionis bonæ existentiam, vel permissionem actionis malæ, prout scilicet suæ sanctissimæ voluntati placuerit, vel benefacere, vel punire, aut saltem specialiter non benefacere: certus quidem omninò (ut sapientissimum decet provisorem) quod eveniet infallibiliter quidquid ipse permiserit, aut decreverit, ratione memoratæ scientiæ Mediæ affirmantis eventum determinatum sub hypothesi, aut conditione prædicti decreti divini; quod proinde si liberè concipiat, antequam aliquid voluntas agat, immò antequam prævideatur existens, jam Deus absolutè decernit cum omnimoda independentia, absolutissimoque dominio, & ut inquit Bernardus, *non solùm potenter, sed etiam sapienter*, vel inferre actionem honestam, vel permittere actionem turpem, illæsa libertate voluntatis creatæ, & relinquendo eidem plenam indifferentiam ad utrumlibet, adeòque ad immediatam determinationem, & sui ipsius, & Omnipotentiæ indifferenter sibi applicatæ.

Bern. Homil 2. super *Missus est*.

184. Utique postquàm Deus in signo proprio libertatis suæ pro suo beneplacito decrevit, atque liberrimè determinavit, vel inferre opus bonum, vel permittere pravum, ulterior (immediata videlicet) ejusdem operis determinatio ad Deum non spectat, neque verè possibilis ipsi est. Non spectat, inquam, ad Deum; quia ad munus causæ primæ pertinet quidem agere immediatè actiones omnes causæ secundæ, non tamen pertinet illas omnes immediatè determinare, sed potiùs debet illis motionem suam, & concursum attemperare concurrendo cum ipsis secundùm propriam conditionem earum: nam ut ait S. Thomas, *Motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundùm proprium modum.* Neque propterea sequitur, quòd Deus absolutè non sit primum determinans; sicut non sequitur, quòd non sit primum vivens, primum intelligens, primum amans, licèt non vivat per vitam creaturæ, (quam tamen immediatè producit) neque amet per amorem ipsius, neque per ejus intellectionem intelligat.

D. Tho. q. 3. de Ma. a. 2. corp.

185. Præterea non est Deo possibilis actionis liberæ creaturæ immediata determinatio: nam, si Deus creatam voluntatem ad proprium actum determinaret, voluntas verè non esset libera, nec haberet dominium sui actus. Porrò, ut ait ipse D. Angelicus, *Voluntas dicitur habere dominium actus, non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; & ideò determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis.* En juxtà D. Thomam libertas voluntatis creatæ, & dominium in proprios actus, postulat indispensabiliter, ne à causa prima determinetur, sed ut ipsa voluntas proprias actiones suas determinet, quæ duo juxtà S. Doctorem omninò sunt inter se connexa.

D. Tho. q. 3. de Potent. a. 7. ad 13.

186. Enim verò, si Deus voluntatem humanam ad aliquod extremum determinatum prædeterminet efficaciter immediatè, sanè voluntas nullam prorsus habebit veram indifferentiam electivam, neque nullam veram, & antecedentem potentiam ad extremum oppositum: ergo nec veram libertatem habebit.

187. Ponamus, Deum voluntatem hominis prædeterminare efficaciter ad aliquam actionem honestam,

ſtam, vel per gratiam infuſam efficacem intrinſecè, ut communiter ponunt ſapientiſſimi PP. Dominicani, vel unicè per ſuam voluntatem divinam, quod genus prædeterminationis docet noviſſimè P. Palancus, diſcedens à communi Prædeterminantium ſententia, me quidem judice, nullo fructu, ſed cum incommodo inconſequentiæ. Certè voluntas, ut libera ſit, debet habere veram potentiam, proximam, & antecedentem, vi cujus verè poſſit diſſentire, aut reſiſtere divinæ prædeterminationi; non enim poteſt ſtare libertas ſine potentia vera, & antecedenti ad diſſentiendum gratiæ auxilianti, ut expreſsè definit Tridentinum contra Calvinum, alioſque Sectarios. Aliunde verò humana voluntas nullam habere poteſt potentiam veram ad reſiſtendum voluntati divinæ actionem aliquam prædeterminanti, ſive per ſe immediatè, ſive per gratiam efficacem intrinſecè; niſi velit P. Palancus, ut voluntas humana verè potentior ſit Omnipotente Dei voluntate. Ergo voluntas libera verè non eſt, ſi ſit à Deo prædeterminata antecedenter, & immediatè.

Trident. ſeſſ. 6. c. 5. & eadem ſeſſ. can. 4.

188. Nec valet hìc vulgaris diſtinctio de potentia in ſenſu compoſito, & in ſenſu diviſo gratiæ (de qua modò nolo contendere, an ſit terminorum abuſus): nam quidquid de hoc ſit, poſt omnem diſtinctionem excogitabilem, fatendum tandem Catholicis eſt hominis, voluntatem à Deo motam, & excitatam habere ſimul cum gratia ipſa veram, antecedentem, ac proximam potentiam ad reſiſtendum, ſeu diſſentiendum eidem gratiæ moventi, & excitanti, non ſolùm ſufficienti (ut olim dicebatur), ſed etiam efficaci, ut eſt evidens, & jam ex Tridentino ſupponunt Doctores Catholici.

189. Ecquis verò Catholicus dicere audeat humanam voluntatem habere poſſe veram potentiam proximam, expeditam, antecedentemque, ratione cujus dicatur, & ſit verè, abſolutè, & proximè potens reſiſtere voluntati divinæ antecedenti, & efficaci? Alioqui quid clamat Scriptura, *Non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati: Voluntati ejus quis reſiſtet?* & ſimiliter paſſim? Immò, nec fidei lumen neceſſarium hìc eſt, cùm luce ipſa rationis naturalis clariſſimum omnibus ſit, miſeræ creaturæ voluntatem nunquam verè poſſe reſiſtere Creatoris, & Dei ſui voluntati abſolutæ, & efficaci. En nodum implexiſſimum, & mihi fateor penitus inſolubilem, niſi dicatur tandem (quod unicè reſtare videtur) liberam creaturæ actionem nunquam à Deo determinari poſſe antecedenter, ſive immediatè. Velle autem hoc idem argumentum retorquere in noſtram ſententiam, eſt ignorare principia noſtra, de quibus modo plura non addam.

Eſth. 13.

Ad Roma. 9.

§. IV.

Ergo P. Palancus immeritò divexat Societatis Auctores, & traducit ſcientiam Mediam.

190. HÆc verò nobis ſatis ſanè injucunda, dicta ſint, ut ſcientiam Mediam, & noſtræ Societatis doctrinam in controverſia tanti momenti nimis importunè traductam ab omni ſuſpicione, vel nota, pro jure noſtro vindicaremus: non autem ut directè nunc refellamus gratiam efficacem intrinſecè, ſeu prædeterminantem: quod ad inſtitutum præſens non attinet: ſicut neque illa reponere, quæ facile poſſem ad intempeſtivas acclamationes, quibus plaudit P. Palancus doctrinæ ſuæ triumphis, & palmis contra Societatis Doctores. Quos haud parùm etiã offendit, dum ipſos nullo jure privare nititur nomine ſibi nimis charo, ac glorioſo diſcipulorum D. Thomæ. Utique, quidquid levia nonnullorum verba ſonuerint, audacter affir-

firmare non verear, nullos esse in Ecclesia Dei, quibus D. Thomæ doctrina magis in corde, & honore sit, quàm nostræ Societatis Doctores, uno, vel altero tantùm excepto, qui certè nullam laudem ex hoc ipso in Societate assecutus est.

191. Quod si propterea (ut aliqui velle videntur) nomine Thomistarum peculiari dignandi Jesuitæ non sint, quòd D. Thomam in D. Thoma, potiùs quàm in aliis ipsius interpretibus, legere malint, & intelligere, non adeò stulti sumus, ut multùm contendamus, aut curemus de nomine. Profectò D. Thomæ doctrina fons est clarissimus, ac limpidissimus, publici quidem juris, & totum irrigans paradisum Ecclesiæ. Nemo verò, qui possit è fonte ipso per se ipsum aquam haurire, hausta prius ab aliis, & transfusam de vase in vas, cujus solet frequenter odorem sapere, bibere volet, nisi desipiat.

192. Illud sanè mirandum, immò dolendum, quòd, cùm S. Doctoris, etsi sensus profundus, & Angelicus planè est, stylus tamen sit planus, ac liquidus, indeque totus ipse mirum in modum ubique perspicuus, ac facilis, plerunque tamen omnes invicem sibi contradicentes sententiam suam probãt ex D. Thoma. Quod argumentum non leve est, multos non sensum proprium ad D. Thomæ sensum, ut par esset inflectere, sed sensum D. Thomæ ad proprium sensum violenter detorquere; in quo opinor haud parùm frequenter peccatur ubique, neque cum parva veritatis injuria, & doctrinę Theologicæ detrimento; de quo non cursim alibi dicturi sumus.

193. Denique nec sapientissimis Patribus Dominicanis existimo placituram adhortationem illam P. Palanci, qua ipsos adeò vehementer accendit contra legem reflexam Recẽtiorum, eo præcipuè titulo, quòd per illam nova in scholas scientia media, novusque usus illius invehatur: quasi videlicet scientia Media doctrina quædam foret exotica, & non tantùm exorbitans à solidæ Theologiæ principiis, sed etiam magnopere noxia, aut exitialis Ecclesiæ Dei.

194. Nescio, an sit in Theologia doctrina aliqua, quæ severius examen, atque diuturniùs subjerit aliquando non apud unum tantùm, sed apud plura tribunalia gravissima, ac demùm apud ipsam Apostolicam Sedem, & coram ipsis Summis Pontificibus, à quibus tamen adeò non est improbata, ut sit publicè doceri permissa; quidquid frustrà dicat Augustinus Leblanc Scriptor novissimus Lovanienſis in sua nova Historia Congregationum de Auxiliis nuper à Sacro Inquisitionis Hispanicæ Tribunali proscripta.

195. Profectò, quòd scientia, per quam Deus cognoscit futura contingentia, nulli innitatur decreto divino efficaci, & antecedenti, quod sit ipsorum futurorum causa, videtur esse sensus communissimus SS. Ecclesiæ Doctorum, apud quos illa assertio, *non ideò effectus* (liber nimirùm) *erit, quia id Deus scit; sed ideò scit, quia futurus est*, frequens est, ac valde usitata, præsertim apud Augustinum, ex quo, & ex aliis SS. Ecclesiæ PP. multa possemus testimonia producere, si locus id, & tempus paterentur.

196. Sed audi, vel ex multis unicum testem, spondentem pro nobis, & eum quidem fide dignissimum, omnique exceptione majorem, nempè doctissimum Franciscum Romæum, eximiæ virum auctoritatis, Magistrum generalem Illustrissimi Ordinis Prædicatorum, unumque ex PP. Tridentini Concilii. Hic ergo vir eximius in suo egregio Romæus. Opere de necessit. & libert. oper. verit. 8. sic loquitur. *Illud non est prætereundum, quòd si ad antiquos PP. te convertas, reperies, ferè omnes in hanc unam consentire sententiam*, Non ex eo, quòd Deus scit aliquid, idcircò futurum est; sed quia futurum

est,

est, Deus novit: *sic enim loquuntur Hieronymus, Augustinus, Origenes, Chrysostomus, & plerique alii orthodoxi Doctores*. Hæc inclytus Magister Dominicanus.

197. Denique, an scientia Dei Media, quam Jesuitæ omnes unanimiter propugnamus, parùm sit consentanea sanæ Theologiæ, & quæ propterea ab scholis Catholicis acriter explodenda sit, ut P. Palancus significat, loquantur duo alii graves Doctores, quibus scientia Media non est *opinio, quam domo secum afferant*, aut dogma, *cui innutriti sint*.

Alter eorum sit Gabriel Pennotus ex Ordine S. Augustini Canonicorum Regularium clarissimus Abbas, & Doctor, qui in suo Propugnaculo humanæ libert. li. 3. c. 3. n. 6. sic de scientia Media proloquitur. *An ista sententia sit utilis ad Theologicas difficultates enodandas, maximè ad hæreticorum cavillos tollendos, & libertatem humani arbitrii cum divina præscientia, prædestinatione, & efficacia divinæ gratiæ, conciliandam, credendum est in arte versatis disputantibus crebrò cum hæreticis*. Ita ille. Pennotus.

198. Alter sit Daniel à S. Josepho Carmelitanus strictioris observatiæ, acutus sanè Theologus, ac præclarus, qui to. 1. Disputationum in S. Thomam disp. 24. post assertam, & latè propugnatam per octo integra capita scientiam Mediam ex Scriptura, Patribus, D. Thoma, & ratione, tandem c. 9. concludit in hæc verba, *De hominum salute, quæ tota divinæ gratiæ adjumentis, liberoque arbitrio nititur, malè mereri eos, qui conditionatam à Deo scientiam rejiciunt: pejùs, qui eam agnoscere coacti, absoluto, præfinientique decreto subjectam volunt: pessimè, qui apud Theologicarum rerum indoctos, aut certè non satis peritos, maledictis suis in invidiam trahunt. De quibus ego* (inquit) *sic censeo, eos in ista controversia, vel partis utriusque momenta non planè assequi, vel opinioni suæ potiùs, quàm veritati servire. Contrà verò plurimum Rempublicam debere Christianam iis, qui conditionalem scientiam absoluto Dei decreto priorem, sacris ex litteris, Patrumque, ac D. Thomæ monumentis, in quibus delitescebat, in lucem Theologiæ vocaverint; quaque modo liberam creaturæ voluntatem cum Dei scientia, & auxiliis conciliet, atque ita de Vicleffi, Lutheri, & Calvini erroribus triumphet, magno Christiani orbis bono ostenderint*. Hæc prælaudatus Auctor ex familia illustrissima, atque religiosissima: sed doctrinæ de physicis prædeterminationibus, addictissima.

199. Ineptum ergo, & fallax incitamentum P. Palancus obtulit sapientissimis PP. Dominicanis, quo ad bellum contra novam morum Theologiam, & contra legem Recentiorum reflexam strenuè susciendum accenderentur. Porrò importunis, & alienis rationibus excitari planè non debent, ut omni opum vi, totisque conatibus eant contra benignæ Theologiæ impetum, viri piissimi, ac cordatissimi, quibus domus Dei zelus, Christianorum morum honestas, summorũ Pontificum votum, & pariter doctrina Præceptoris Angelici, debito in pretio, & honore sunt. His calcaribus addere non importunum tantùm, verùm, & difficile sit.

§. V.

Productæ solutionis, vel instantiæ, nimia importunitas demonstratur.

200. EX dictis ergo facilè concludere est, quàm longè absit doctrina Jesuitica de concursu divino ad actus liberos voluntatis creatæ, ut cum lege reflexa Recentiorum conferri sine injuria potuerit.

Enim verò, quòd Deus concursum suum attemperet volũtati creatæ, dum concurrit cum ipsa ad libe-

ras ejus actiones, nihil arguit respectu Dei, vel indecentiæ, vel repugnantiæ: sed solùm probat, quod verissimum est, & à nemine potest catholicè negari, nempè aliter Deum concurrere cum causis liberis, ac cōcurrit cum naturalibus. Utique, nisi Deus relinquat voluntati creatæ liberā sui determinationem ad, quod voluerit, libertatis extremum, voluntas aget actiones suas determinata ad unum haud secus quàm natura, ignis ex. g. atque adeò non libere, sed purè naturaliter, ac necessariò: nam, ut ajebat nuper D. Angelicus, *Voluntas dicitur habere dominium actus* (hoc est, liberè agere), *non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; & ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis.*

201. Neque hinc sequitur, vel apparenter, voluntatem creatam esse primum determinans, aut primum liberum absolutè, & simpliciter, sed potiùs absolutè secundum, & essentialiter primo subordinatum: cùm in omni exercitio libero, in omni sua determinatione, dependeat essentialiter à Deo, tanquàm à prima, ac suprema causa priùs se liberè determinante in signo proprio libertatis suæ absolutissimæ, ac perfectissimæ. Nostra erga volūtas liberè agit, & unicè se ipsam immediatè determinat, non tamen in eodem signo, quo Deus, sed in signo essentialiter posteriori, & supponenti signum libertatis divinæ perfectissimè jam exercitæ.

202. Hinc verò solùm concludere licet, voluntatem creatam respectu actionis propriæ esse primum, aut potius unicum liberum, & determinans immediatam (sicut est unicum vivens, & amans); absolutè verò secundum, & præsupponens aliud, à quo omninò dependeat, & cui sit essentialiter subordinatum. Similiter non sequitur, quòd voluntas creata respectu suæ actionis sit primum movens, aut primum agens, non solùm absolutè, verùm etiam nec immediatè, cùm pendeat essentialiter à Deo, tanquam à causa prima, & universali, ut simul immediatè coagente, & multipliciter ipsam voluntatem movente, quanvis non prævia aliqua motione, quæ efficaciter ipsam ad unum prædeterminet.

203. Hinc patet evidenter, quàm sit indigna, & longè importunissima comparatio doctrinæ Jesuiticæ de concursu divino ad actus liberos, & morales cum moderno commento Recentiorum de lege Dei reflexa, ac subsequenti.

Nimirùm ista, quam statuimus divinæ Omnipotentiæ attemperatio ad concurrēdum cum nostra voluntate, nec Deum facit pendentem aliquo modo à voluntate nostra, aut ab ejus operatione, neque ulla ratione tollit, aut minuit, plenissimum, absolutissimum, ac potentissimum Dei dominium, ratione cujus liberè possit quamcunque nostrā liberam actionem moraliter honestam, aut turpem, intendere efficaciter, si libuerit, vel permittere infallibiliter, utcunque, & quandocunque sibi placuerit, ante omne exercitium ipsius voluntatis absolutè, & in re futurum, ut §. 2. exposuimus.

204. Nec verò spectat ad munus causæ primæ determinare, aut prædeterminare omnem actionem causæ secundæ efficaciter, & immediatè (alioqui, ut ostendimus, nulla libera foret); sed solùm dare illi virtutem, & veram facultatem ad agendum, & insuper concurrere immediatè cum ipsa *secundum proprium modum*, ut ajebat Doctor Angelicus, hoc est, Omnipotentiam applicando, vel per decretum efficax, & determinatum ad unum, si causa non sit libera, sed naturalis; vel, si sit libera, per decretum indifferens ad utrumlibet libertatis extremum, & ab ipsa causa secunda immediatè determinandum.

Quid

205. Quid verò hæc ad legem reflexam? Nunquid ejusdem generis sunt, Deum largiri liberè creaturis intellectualibus liberam facultatem, ut morales suas actiones eligant, ac determinent immediatè, cum multiplici tamen subjectione, & dependentia à concursu Dei, & permittere hominibus, ut hominum errores, & opiniones, sequantur, tanquam regulam agēdi nulli alteri regulæ subordinatam, sed absolutam ab omni subjectione; immò, quam Deus ipse subsequi, ac probare teneatur, eidemque non liberè conformari per voluntatem suam reflexam? Quis dicat? Quænam hìc cogitari potest, aut fingi, attemperatio divinæ voluntatis, quæ non tollat ab ipsa rationem primæ regulæ, ut illam in errores, & opiniones hominum transferat?

206. Nam regula prima moralis honestatis est, quæ in se ipsa, & per se ipsam recta, ut cognita ab ipso operante, derivat in ipsius operationem honestatem, ac rectitudinem, quæ tota denique resolvatur in ipsam primam regulam, ut in primum principium, & mensuram totius rectitudinis, & honestatis. At, si Deus teneatur necessariò permittere, aut probare, ut honestum per suam voluntatem reflexam quidquid falsò re ipsa dummodò probabiliter, homines honestum putaverint, nulla voluntas Dei antecedens, aut consequens, sed opiniones potiùs, atque judicia hominum, etiam falsa, habent rationem primæ mensuræ, in quam tota moralis actionis rectitudo resolvatur, velut in primum honestatis principium, quod à nullo dependeat in regulando, & cui alia quælibet regula subjici debeat, ac subordinari. Ergo non aliqua voluntas Dei, sed hominum errores, & opiniones sunt prima regula moralis honestatis, ideſt, quæ nulli alteri subjecta sit, & cui alia quæcunque, etiam voluntas ipsa divina subjecta sit, & subordinata. Hæc præcedenti articulo demonstrata jam manent rationibus perspicuis, atque patentibus, quæ repetendæ modò non sunt.

Et hìc sit hujus controversiæ finis, quam in brevem summam collectam ecce jam tibi damus more nostro cum universa doctrina tradita.

SYNOPSIS UNIVERSÆ DOCTRINÆ.

207. Ergo omnia, quæ hactenus dicta sunt, sic per compendium digere.

Omnis actio moralis dicitur honesta, vel turpis, per respectum, & habitudinem ad regulam moralis honestatis. Regula verò ejusmodi duplex est, altera prima, absoluta, ac suprema, quæ est lex æterna, seu voluntas Dei: altera secunda, subjecta, & primæ omninò subordinata; & hæc est signum quodvis ipsam regulam primam, seu legem Dei, nobis manifestans, & applicans.

208. Id rursus cùm dupliciter fieri possit, duplex inde resultat regula secunda honestatis: vel enim signum illud est instrumentale duntaxat, quod nempè non formaliter, ac per se ipsum, sed objectivè tantùm, & ut cognitum, ostendit nobis regulam primam; & hæc est regula secunda objectiva: vel est signum formale, nempè notitia ipsa, seu judicium actuale in intellectu ipsius operantis subjectivè, & formaliter existens, proponens ipsi, & applicans primam regulam, vel in se ipsa (aut potius penes se ipsam; neque enim alium modò immediationis sensum curamus) immediatè, ac directè cognitam; vel potiùs non immediatè in se, sed mediatè, & in alio signo, seu regula objectiva secunda: & hoc formale signum applicans nobis regulam objectivam, dicitur

regula secunda formalis, seu potiùs regulæ propositio, & actualis directio, seu regulatio; quia tamen jam communiter usus obtinuit, ut & hæc, regula absolutè vocetur, ita & nos illam frequenter appellamus: quanvis rigorosè loquendo regula objectiva tantummodò, sit propriè, ac simpliciter regula.

209. Totus igitur labor, & nostri Operis scopus est secunda hæc honestatis regula: examinare scilicet, & ostendere, quale debeat esse judicium, seu dictamen nostræ rationis, per quod regula prima formaliter nobis proponitur, vel immediatè in se, vel mediatè in aliquo signo, seu regula secunda objectiva, ideſt, in aliena opinione non subjectivè, sed objectivè tantùm in intellectu nostro existente. De ista verò regula objectiva secunda (de prima enim nihil dubitamus, utpote per se ipsam essentialiter recta), cùm sit objectum regulæ formalis agimus etiam, quãtum opus sit, ut possimus tandem cognoscere, qualis sit ipsa formalis regula, per quam nostræ morales operationes formaliter, ac proximè regulantur.

210. De utraque autem regula secunda (sicut de ipsa quoque morali operatione) illud est apud omnes indubitabile, totam scilicet ipsarum rectitudinem petendam esse ex conformitate cum prima regula honestatis moralis, ideſt, voluntate divina, ita ut ea sit unicè regula recta, quæ regulæ primæ concordat; quæ verò ab illa discrepat, recta non sit, immò neque sit regula propriè loquendo, quia regula non recta non nisi voce tenus, & abusivè tantùm dicitur regula, juxta illud Bernardi, *Alioquin regula jam non est regula, quia non recta.*

Bern. in Apolog. c. 2.

211. His positis, compertum est, & extra omnem controversiam positum, non omnem opinionem, vel existimationem nostram, quantuncunque probabilis, immò, etsi certa, ac evidens nobis videatur, esse regulam rectam operandi, & contraria assertio error est longè turpissimus, & stultissimus, qui nullum sub his terminis Catholicum Auctorem pro se habeat, illo tantùm excepto Recentioris Probabilismi nupero Apologista. Utrùm verò ex doctrina Recentiorum per sequelam legitimam deducatur, alibi à nobis fusè, & accuratè tractandum est.

Author Regulæ morum cum Crisi de Probabilit. 2. Par. q. 5. n. 169.

212. Præterea certum etiam debet esse, non quamcunque opinionem unius, vel alterius, quin neque plurimorum, quantuncumque gravium DD. (non loquimur de SS. Ecclesiæ PP.), etiam à nullo alio de improbabilitate notatam, assumi generaliter posse sine ullo ulteriori examine, ut sufficientem agendi regulam. Et assertio contraria Recentioribus familiaris (sed non satis considerata) innumera, & ingentia probat absurda, nimiamque, ac miserabilem in populum Christianum morum laxitatem inducit. Unde constat, vulgarem non paucorum Confessariorum, ac directorum conscientiæ, praxim apud æternum Judicem tolerandam non esse, sed procul omni dubio damnandam, quippè quæ innumeras animas perdat.

213. Est igitur controversia potissima, utrum opinio quælibet gravium Doctorum stans pro libertate contra legem, æquè, aut minùs probabilis operanti (dummodò practicè probabilis sit in sensu Probabilistarum) sit tuta, & recta regula agendi? Affirmant Theologi moderni communiter post Medinam, recẽtis Probabilismi primum parentem, & inventorem. Sed non omnes procedunt eâdem viâ; quidam enim supponunt, ac contendunt, neminem uti posse aliqua opinione benigna (ideſt, libertati favente), quam actu non judicet veram judicio absoluto, ac directo, de honestate objecti, quod eligit: quia tamen censent, posse intellectum ex libera electione voluntatis opinari absolutè, & judicare veram partem illam contradictionis,

quæ

quæ pro priori ad omne judicium apparet ipsi minùs, aut æquè duntaxat probabilis; ideò absolutè docent licitum esse amplecti objectum minùs, aut æquè tantùm probabiliter bonum antecedenter ad proprium assensum. Hæc tamen via singularis est, uniusque, vel alterius tantummodò.

214. Communis itaque Recentiorũ sententia docet, licere amplecti opinionem directam æquè, aut minùs probabilem operanti objectivè solummodò in intellectu ipsius existentem, & nihil absolutè judicando de intrinseca objecti honestate; quin immò etiam actu judicando, objectum esse intrinsecè inhonestum; sic enim docent multi cum PP. Vázquez, & Sanchez, quos imitatur etiam Terillus inter modernos facile princeps. Quare hi Recentiores, qui Reflexistæ jure appellantur, ut elicere possint ultimum conscientiæ dictamen, sive judicium practicum proximè, & immediatè operationis directivum de absoluta honestate objecti, sine quo nemo potest honestè agere, coguntur necessariò recurrere ad principia quædam reflexa, (idest ad illa eadem argumenta, quibus suam sententiam probant), per quæ operanti licitum fiat id, quod actu directè judicat esse illicitum, vel potest saltem proximè judicare, quia saltem videt esse verosimilius, quod re ipsa illicitum sit. Vix credet, qui simpliciter noverit legem Dei. Sed hæc est ars hodiernæ benignitatis.

215. Prior igitur via Recentiorum, seu modus propugnandi sententiam suam (quam benignam appellant) penitus est dependens ab illa philosophica opinione, quæ adstruit proximam, & immediatam intellectus indifferentiam ad opinandum æquè, vel minùs probabilia. Hujus verò opinionis ipso junioris Probabilismo, & satis modicæ auctoritatis, quippè quæ sit non modò contra veteres omnes Philosophos, & Theologos cum Aristotele, & D. Thoma, sed etiam cõtra plures præcipui nominis Recentiores, etiam ex ipsis Probabilistis, aliunde verò levibus innixa rationibus, & paritatibus importunis; hujus, inquam, novæ opinionis falsitatem, nimiùm apertam usque ad satietatem ostendimus, & prolixiùs fortasse, quàm oporteret.

216. Prætereà: assensum illum præstitum parti minùs, aut æquè duntaxat probabili, quanvis physicè, aut metaphysicè possibilis admitteretur, non fore tamen verè prudentem, adeòque nec verè probabilem, sed potiùs manifestè imprudentem, & contra omnem rectam rationem, non semel, neque uno tantùm in loco, sed pluries etiam ostensum est. Quo non tantùm ille directus, & singularis Probabilismus disiectus prorsus manet, atque contritus, verùm etiam reflexus, atque communis, notabiliter saltem enervatus; immò prorsus etiam eversus: quomodò nanque poterit operans opinionem directam, quam intendit amplecti, judicare verè probabilem, id est verè prudentem, & conformem rectæ rationi (prout omninò opus est ad rectam conscientiam formandam), si nequeat illam veram judicare? Ne id ex ipsis terminis evidenter repugnat; nisi cui fortè prudentiam sapiat, scienter veritatem deserere, & veritatem de honestate morali: quod certè si prudentia sit, optandum foret, neminem esse prudentem.

217. At nos mirabile, atque subtile benignæ Theologiæ artificium capere nunquam possumus, neque *mysterium* ejus arcanum aliquis nostrorũ assequitur, & ideò non modernum Probabilismum, sed aerem ubique verberamus.

Nimirùm Recentiores non docent, neque in eorum mentes ascendit, opinionem illam directam esse regulam proximam conscientiæ, aut immediatè actionis directivam, sed mediatam duntaxat, atque remotam;

tam ; quæ tamen fundet plurima reflexa principia certa moraliter, & evidentia, ex quibus tandem legitimè eliciatur ultimum conscientiæ dictamen de absoluta honestate actionis, moraliter certum, & evidens (quin etiam metaphysicè juxtà Recentiores quàmplures), quod sit formalis, proxima, & immediata, ipsius actionis directio, adeòque proxima conscientiæ regula, infallibilis utique, & evidenter recta.

218. Principia verò ejusmodi duo præcipua sunt: alterum, quod appellant rationem à priori, & veritatem lumine rationis notam: nempè, *Qui sequitur opinionem probabilem, prudenter operatur*: alterum autem, & ipsum evidens, *in dubio de honestate operationis melior est conditio libertatis possidentis*. Ex his principiis facilè Recentiores eliciunt dictamen ultimum certum, & evidens de absoluta honestate actionis. Nam, qui utitur opinione directa, etiam æquè, aut minùs probabili, verè sequitur opinionem probabilem, ut ex ipsa hypothesi constat: ergo prudenter agit, adeòque laudabiliter, & honestè. Rursus in eadem hypothesi lex prohibens actionem non est certa, sed dubia: at homo in dubio isto possidet libertatem suam ad faciendum quidquid libuerit: ergo licitè potest eligere partem benignam, & recusare obligationem legis.

219. Sed vide precor evidentiam istam. Nemo prudenter agit, neque jus ullum possidet ad agendum, dum non conformat actionem suam cum regula moralis honestatis, idest, cum voluntate, seu lege Dei, nisi dicant esse prudentiam, & jus legitimum libertatis humanæ, contemnere divinam legem. At quisquis sequitur opinionem directam æquè, aut minùs probabilem contra legem, non conformat actionem suam ad ipsam legem, seu voluntatem Dei: cùm regula objectiva, quâ utitur, non sit conformis eidem legi, sed magis positivè difformis, aut indifferens saltem, & omninò præscindens ab omni positiva conformitate, vel oppositione cum lege. Igitur non prudenter, aut ex jure legitimo, sed imprudenter potiùs, & iniquè operatur. Nonne dictamen hoc evidenter est evidentius?

220. Reponunt, verum esse, actionem procedentem ex opinione illa minùs probabili non conformari cum lege Dei antecedenti, sive directa: falsum tamen non conformari cum prima regula moralis honestatis, idest, cum alia lege, seu voluntate consequenti, sive reflexa. Utique opinio illa directa æquè, aut minùs probabilis operanti, sicuti dicta principia reflexa, sic etiam fundat infallibiliter aliam voluntatem in Deo, qua ex prædictæ opinionis suppositione reflexè, & consequenter approbat, aut permittit actionem procedentem ex illa; cui voluntati, & ultimum conscientiæ dictamen, & actio ipsa ex illo proximè regulanda, positivè, & formaliter conformantur.

221. Et hoc est tertium principium reflexum potissimum etiam, & evidens, quod cum illis duobus indivisè connectitur, aut in eisdem intimè imbibitur. Quanvis, ut verum fatear, non facilè explicabunt Recentiores, an reliqua principia reflexa antecedat, an subsequatur; neutrum enim videtur dici posse in via Probabilistarum, licèt illud sit certum apud ipsos ab hoc magno principio (quod est mysterium novi Probabilismi) reliqua omnia omninò dependere. Verùm de loco, & ordine, quem habeat, parum nos soliciti sumus: quocunque nanque in loco constituatur, idem artificium resultat, idest, verè sophisticum, & inane.

222. Porrò, si legem Dei per se, & antecedentem, nemini contemnere licet, ut fides, & ratio suadet, per nullam voluntatem Deus probare potest usum opinionis directæ minùs probabilis operanti de honestate intrinseca actionis; etenim ejus-

mo-

modi usum fore contemptum prædictæ legis, planè convincit argumentum nostrum, ad quod nihil reponunt Recentiores. Quid enim præcor facit novæ hujus legis inventio, aut alia quævis reflexio cogitabilis, ad hoc ut illa opinio, & operatio ex illa procedens, conformentur cum lege Dei antecedenti, sive directa? An non omnes ejusmodi reflexiones affirmant, aut supponunt, opinionem directam esse minus probabilem, adeòque non conformem legi directæ, sed eidem potiùs contrariam? Igitur impedire non possunt, quominus operans necessariò videat, & rogatus fateri debeat, se post quæsitam omnem reflexionem, etsi millenas insuper reflexiones adjiceret, non agere cõformiter ad legem Dei directam, sed illam potiùs voluntariè contemnere. Quid ergo Recentiores frustrà desudant novis, ac inauditis reflexionibus adstruendis cõtra veritatem apertam, & ipsa luce meridiana clariorem?

223. Reflectant ergo semel supra mysterium suarum reflexionum, quod nos nõ intelligere conquerantur, & videant, quanti debeat Probabilismus ipsis stare, si eundem adhuc sustinere cõtendant. Alterum è duobus dicendum ipsis est: vel licere contemnere legem primariam, seu directam Dei, & hoc ipsum Deum probare per voluntatem suam reflexam, quod horrenda blasphemia: vel nullam esse legem directam, sed omninò deficere re ipsa, & quoad substantiam, hoc ipso quod existat opinio aliqua, etiam minùs probabilis, & falsa, affirmans ejus legis defectum; quod adeò est falsum, implicatorium, & à sæculis inauditum, ut non solùm dici non possit, se neque ab aliquo cogitandum videatur.

224. Sed nostra nos cogitatio fefellit: quia nihil cogitatu adeò incredibile videri potest, quod non Terillus excogitaverit ad benignam sententiam propugnandam. Fatetur ergo verum nostrum argumentum concludere, ideòque necessariò dicendum, legem reflexam, & consequentem Dei (adeòque, & reliqua principia reflexa) nulla ratione cohærere posse cum lege antecedenti, atque directa, sed eidem opponi contradictoriè. Unde, cùm quælibet opinio directa, etiam minùs probabilis contra legem, fundet, & inferat infallibiliter legem reflexam, & consequentem, qua Deus omnibus absolutè permittat, & positivè probet, tanquam honestum, objectum præfatæ opinionis, seu (quod eòdem redit) usum illius, idest, actionem ex illa procedentem; consequens est, ut in ea hypothesi lex antecedens, ac directa Dei, quæ verè objectum illud prohibebat antecedenter ad illam opinionem, re ipsa, & quoad substantiam necessariò deficiat, nec ullam habeat vim obligandi, quandiù præfata opinio persistat. Rem incredibilem!

225. Quod si à Terillo quæras, unde fieri possit, ut lex, etiam vim ipsam obligandi deperdat, quam habebat antecedenter, per id precisè quod denuò insurgat opinio aliquorum Doctorum, etiam minùs probabilis contra ipsam? Respondet legem re ipsa deficere, totamque vim obligandi deperdere ex defectu promulgationis requisitæ ad valorem legis; nam quoties est probabile legem non obligare, aut non existere, lex non est sufficienter promulgata: lex verò sufficienter non promulgata nullam habet ex se virtutem, aut efficaciam ad obligandum, ut concors est Doctorum sententia. Ecce basim recentis Probabilismi, & fundamentum fundamentorum, in quod cætera omnia resolvuntur, ut controv. 6. toto art. 1. patenter demõstratum est, & constat, vel ex proximè dictis. Loquuntur verò Recentiores, ut patet, de stricta, ac propria promulgatione, quæ sola spectat ad substantiam legis, alioqui nihil dicerent, sed absurdè principium peterent.

Prin-

226. Principium autem hoc, & fundamẽtum unicum Probabiliſmi, quale re verà ſit, per totam illam cõtroverſiam ſextam pænè ad pudorem noſtrum oſtendimus. Utique nullum penitus pro ſe habet auctorẽ præter Terillum ipſum, & Recentiores aſſeclas ejus apertè ſibi ipſis cõtradicentes; ſed evidenter pugnat cum certa, atque communi Theologorum omnium doctrina quam Recentiores ipſi paſſim docent, ſupponuntque, extra, immò & intra controverſiam illam. Immò, quod durius eſt, videtur manifeſtè contradicere, Deo ipſi jubenti, & ſtatuenti Deut. 17. ut dum variant judicia, & opiniones hominum, ac magiſtrorum, ulteriùs veritatem quæramus, proprimque legis ſenſum inveſtigemus. Id verò qua ratione præcipi poſſet, ſi verum foret Recentiorum principium? Foret plane ſtultum præceptum.

227. Ejus item principii falſitatem apertam ex certis, ac communibus ſolidæ Theologiæ principiis, quin etiam ex doctrina ipſorum Recentiorum admodum patenter evicimus, innumeraque abſurda non toleranda legitimè ex illo concludi, tum ibidem, tum hìc per totam controverſiam, evidenter, & latè monſtratum eſt, ut non ſolùm ab omnibus falſum haberi, ſed & nimis mirabile videri debeat, quod quiſquam de re iſta quæſtionem moverit ante Terillum nunquam auditam.

228. Hoc verò fundamento deſtructo, totam moderni Probabiliſmi machinam cum ſuis omnibus artificioſis, atque ſubtilibus reflexionibus uno ſimul impetu ruere, & ſolo penitus coæquari, meritò, vel Terillus fatetur. Nempè demonſtratio deſumpta ex principiis à nobis ſtabilitis, de quibus nemini liceat dubitare evidentem ipſius falſitatem clarè, & convincenter concludit.

229. Cæterùm, etſi omnium reflexionum, ac principiorum Probabiliſmi fallax, & inanis inventio tota ſimul ſit demonſtrata per everſionem fundamenti prædicti, placuit attamen nobis tria illa potiſſima memorata, quibus Probabiliſtæ maximè fidunt, ſeorſim etiam examinare, & in ſe ipſis diligentiùs inſpicere, ut multiplici ex capite luculentiùs omnibus pateat, ex qualibus principiis Recentiores demonſtrationes illas conficiant, quas fidentiſsimè ubique jactant, & quibus ſententia benigna ad tantam certitudinem evecta eſt, ut meritò potuerit à Caramuele, etiam inimpugnabilis abſolutè, vel ſaltem (ut Terillus modeſtiùs temperat) inexpugnabilis dici, ac cenſeri.

230. Ergo demonſtrationem à priori, quam Recentiores omnes eliciũt ex illo vulgatiſsimo proloquio, *Qui ſequitur opinionem probabilem, prudenter operatur*, extenſo etiam ad opinionem æquè, aut minus probabilem operanti, eſſe re verà claram petitionem principii, & inane quoddam ſophiſma, contra evidentem doctrinam Auguſtini, mille æquivocationibus, falſitatibus, & abſurditatibus plenum, quodque nõ aliud demum legitimè concludat, quàm licere contemnere voluntariè, & ſciẽter legem Dei, adeòque peccare formaliter, per totam controverſiam octavam niſi ſatis oſtendimus, & evicimus, nullam, Lector, à te fidem depoſcimus. Tantundem inſuper de regula illa, *In dubiis prævalet libertatis poſſeſſio*, extenſa ad omne dubium de directa honeſtate ob ecti, haud minùs clarè demonſtratum eſt per totam controverſiam nonam.

231. Poſtremum verò Recentiorum principium de lege Dei reflexa, ac ſubſequenti, quæ moderni Probabiliſmi totum artificium complectitur, novamque tribuit humanis actionibus, etiam de ſe inhoneſtis, moralem honeſtatem, quale re verà ſit, quàm mirabile, quam ſolidum, quàm certùm, quàm Theologicum, per totam hanc controverſiam decimam nimis clarè; ac prolixè, ultra quàm foret opus, fortaſſe etiam ultra-

tra quàm oporteret, demonstratum à nobis est. Nimirum novam istam, & hucusque inauditam legem, apertam nimis contradictionem involvere, neque Terillus ipse, ejusdem legis auctor, & inventor, ulla ratione negare potest, cùm ipse manifestè, & expressè, utramque doceat contradictionis partem, ut productis verbis ipsius, ad oculum ostensum est. Prætereà tot ingentia monstra, & absurda, ex illa manifestè sequuntur, ut nihil maneat in Theologia firmum, nihil vel honestum, vel turpe, si lex illa subsisteret, reputari deberet.

232. Illud autem horrendum monstrorum omnium monstrum, vel auditu non tolerabile: quod, quasi non sufficeret ad indulgentiam libertatis humanæ facere homines sui juris solius, & exemptos ab omni subjectione, ac naturali subordinatione ad voluntatem, & legem Dei, constituendo per novam istam legem judicia, & opiniones ipsorum hominum, etiam minùs probabiles, etiam falsas, regulam honestatis moralis ab omni dependentia, & subordinatione absolutam: quasi parum, inquam, hoc esset, Deus ipse prætereà verè subjicitur humanis opinionibus, & erroribus, ita ut sapientia, & voluntas Dei subsequi necessariò debeat, & probare, tanquam honestum, id ipsum, quod antecedenter reprobabat, ac prohibebat, tanquam inhonestum, ac turpe, quoties homines falsò, dummodò probabiliter (ut ajunt ipsi) licitum, & honestum illud esse putaverint: maximè verò, si invincibiliter, quantumvis turpissimè, errent; quin immò, & vincibiliter, ac voluntariè, ut consequentiæ lege coactus affirmare Terillus ausus est; quod non incredibile tantùm, sed neque cogitabile videretur. Hucusque ventum est per mysterium benignitatis Probabilismi.

233. Denique (quod notandum maximè est) tria hæc prodigiosa Probabilistarum principia, sicut & reliqua minoris momenti, neque certiora sunt, neque priora ipso recenti Probabilismo, sed cum eodem potiùs, & ex eodem simul exorta, aut studiosè posteà quæsita, atque artificiosè adinventa ad protegendum ipsum Probabilismum ab adversis oppugnationibus. Adde, quòd neque ab ipsis Probabilistis universaliter recipiuntur, sed pleraque saltem eorum à multis ex gravioribus refelluntur, ut suis locis ostensum est, & generaliter adnotatum hic art. 1. toto §. 3. Unde ex hoc etiam capite facile colligere liceat, qualis auctoritatis, qualisque certitudinis re ipsa sit opinio Probabilistarum talibus innixa principiis.

ADNOTATIO, ET CONCLUSIO.

234. Admonuimus non semel, nos in hac controversia consultò discessisse à communi stylo Doctorum illam novissimè disputantium, neque enim necessarium, quin neque expediens nobis visum est disputare seorsim priùs de opinione benigna minùs operanti probabili, deinde verò de æquè probabili, aut vice versa: nullum quippe discrimen verum, ac formale reperimus hujus geminatæ quæstionis, deòque neque ullam utilitatem, sed inutile potiùs dispendium temporis. Nam, cùm ex eisdem principiis utraque resolvatur utrinque, oportet, ut vel ea, quæ in prioris examine dicta sunt, iterùm cum tædio Lectoris inculcentur in posteriori, vel si quid ultrà novum affertur, æquè faciat re ipsa pro utriusque quæstionis resolutione.

235. Id, qui ad hucusque dicta reflectat, facilè verum esse comperiet. Porrò argumenta omnia, quibus ostendimus, neminem rectam

posse formare conscientiam, dum opinionem sequitur directam minùs tutam, & simul minùs sibi probabilem, haud minùs efficaciter id ipsum probant, dum opinio, quam operans amplectitur, æquè tantùm probabilis ipsi est. Enim verò non minùs in hac hypothesi opinionem, qua utitur de actionis honestate, non potest operans judicare veram prudenter, immò nec imprudenter, atque adeò nec potest actionem suam judicare conformem regulæ primæ moralis honestatis, nimirum legi æternæ, seu voluntati Dei: quam proinde non quærit seriò, & ex toto corde, sed voluntariè potiùs contemnit. Utique legem Dei antecedentem, quam homo quærere per se tenetur ex toto corde, & ex tota mente, ut suas illi conformet actiones, non minùs voluntariè contemnit, qui facit id, quod videt esse omninò contingens, & æquè verosimile, quod sit re ipsa contra legem Dei, quàm qui facit, quod videat esse verosimilius quod re ipsa sit cõtra legem; & si quod invenitur utrobique discrimen, illud est penitus materiale, & sub eadem prorsus ratione, quod ad nostrũ propositum spectat.

236. Concludamus jam licet ex omnibus hucusque digestis, nullam opinionem directè minùs, aut æquè tantùm operanti probabilem faventem libertati contra legem, esse tutam, ac rectam agendi regulam: seu (quod eòdem redit) neminem posse licitè agere cujusvis reflexionis beneficio, vel artificio, id, quod attentis omnibus rationibus directè veritatem suadentibus, agnoscit esse magis, aut æquè verosimile, quod sit re ipsa contra legem Dei.

FINIS LIBRI PRIMI.

RE-

REGULA HONESTATIS MORALIS,

SEU

TRACTATUS THEOLOGICUS

DE REGULA MORALITER AGENDI,

PARS PRIMA.

LIBER SECUNDUS.

HActenus Probabiliſmum à ſuis propriis fundamentis evertimus,& quaſi tantæ arboris radicem altiſſimæ terræ defoſſam oculis ipſis conſpiciendam præbuimus. Nunc verò ramos ejus, & fructus potiſſimùm demonſtrare conabimur, ut, qui ex radice fortè non valuit, ex fructu ſaltem arborem cognoſcat, juxtà doctrinam Domini dicentis, *Unaquæque enim arbor de fructu ſuo cognoſcitur*. Scilicet huc uſque, quaſi à priori, & ex principiis ipſis, cui innititur benigna Recentiorum ſententia, nimiam ipſius falſitatem oſtendimus: deinceps autem velut à poſteriori, & ex conſectariis, quæ infert, argumenta noſtra potiſſimùm in eundem ſcopum producemus; addito inſuper pondere pænè immenſo auctoritatis nobis ſuffragantis, cujus examen accuratiſſimum in ſecundam partem differimus. Luc.6.

CONTROVERSIA PRIMA.

Ex Summorum Pontificum decretis, quibus multæ morales opiniones ab Eccleſia Catholica proſcriptæ ſunt, evidens argumentum depromitur contra modernum Probabiliſmum.

1. AB hoc loco placuit ordiri, ut, prælucente nobis directione Eccleſiæ Catholicæ, columnæ,& firmamenti veritatis, in hac immobili veritatis columna (præter quam, aliam non habemus in terris) Deum ipſum ducem habeamus ad oſtendendam nobis viam ſalutis. Itidem, ut &

Lector sine mora cognoscat, quales fructus colligere, aut expectare possit ex doctrina recentis Probabilismi, quæ cum doctrina ipsius Ecclesiæ non uno, sed multiplici ex capite, inconciliabiliter pugnare videtur, ut in hac, & sequentibus controversiis, demonstrandum à nobis est. Utique cunctæ opiniones morales, quarum praxim, ut noxiam fidelium animabus, Summi Pontifices damnaverunt, sunt procul dubio doctrina contraria Catholicæ Ecclesiæ doctrinæ: sunt verò (plures saltem ipsarum) fructus benigni Probabilismi admodùm naturales, ac proprii.

ARTICULUS I.

Probabilitas opinionum moralium, quam Probabilistæ designant, tanquam rectam, ac tutam agendi regulam, per præfata decreta Pontificia confixa generaliter esse videtur.

2. *Confixa*, inquam, implicitè, ac virtualiter: quia ex confixione multarum opinionum, quæ per illa Decreta damnatæ sunt, legitimè deducitur, ut monstrabimus, regulam designatam à Recentioribus non esse rectam, sed obliquam, ac noxiam: & quidem argumento, ut reor, cõvincenti, quod sic efformo.

§. I.

Nostrum argumentum.

3. NOtorium est in Ecclesia Dei, à tempore Alexandri VII. (cui ob zelum puritatis doctrinæ morum immortales laudes debẽtur) videlicet ab anno 1665. ad annum 1690. plurimas opiniones morales (nimirum non pauciores centum, & tribus supra quadraginta) per publica, & authentica Decreta à Summis Pontificibus esse damnatas, *ut minimùm tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas*; addita etiam pœna excommunicationis latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reservatæ in quemcunque, qui dictas opiniones, aut aliquam earum *defenderit, vel ediderit, vel de eis disputativè publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando: districtè insuper prohibendo in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii omnibus Christi fidelibus, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducãt.*

Alexand. VII. in Decre. an. 1665

4. Nempè prædictus Alexander VII. qui primus in hanc curam de se utilissimam populo Christiano animum diligenter intendit, illo anno 1665. die Septemb. 14. damnavit opiniones 28. primùm: deinde anno proximè sequenti 1666. die 18. Mart. alias 17. Postea verò Innocentius XI. die 2. Mart. 1679. alias 65. unico Decreto damnavit. Ac tandem Alexander VIII. prædictum numerum 143. opinionum moralium damnatarum explevit, damnatis priùs anno 1690. die 24. Aug. duabus: deinde die 7. Decembr. aliis triginta & una, quibus numerus dictus expletus est.

5. Jam igitur ex præfatis Decretis sic argumentum nostrum conficiamus. Vel omnes prorsus opiniones morales damnatæ per ejusmodi Pontificia Decreta, antequàm damnarentur, verè, & in se improbabiles erant in sensu Probabilistarum, ita ut ne una quidem ex illis potuerit aliquando probabilis censeri, nisi per deceptionem, & errorem; vel potiùs multæ ex ipsis, aut aliquæ saltem ipsarum, verè, ac propriè fuerunt probabiles, & tales verè, & rectè potuerunt à Probabilistis haberi, ideòque ad praxim tutò deduci, haud secùs quàm nunc possint quælibet aliæ, quæ verè, & practicè probabiles sunt in via ipsorum Probabilistarum? Primum non possunt

Re-

Recentiores asserere; secundum si dicatur, concluditur legitimè, probabilitatem ipsorum, & regulam agendi, quam ex illa deducunt, rectam non esse, sed distortam, ac pravam. Igitur ex præfatis Decretis Pontificiis benigna Recentiorum sententia legitimè damnata concluditur: igitur non cohæret cum doctrina Catholica. Cætera per se ipsa sunt evidentia. Minorem verò quoad utranque partem haud minùs evidentem esse, demonstratu sit plusquàm facile.

§. II.

Prima Minoris pars demonstratur.

6. HOc ideò fit, ne Recentiores Probabilistæ tergiversari aliquando possint: aliàs opus non esset, cùm ipsi non istam viam, sed oppositam eligant. Sed, quia, quam eligunt, adeò est impervia, ac præceps, ut nemo nisi incognitam possit illam arripere, ne fortè postquàm illam fecerimus cognosci, pedem referre velint, & in hanc, quam nunc fugiunt, resilire, placet illam prius obstruere, ne quâ demum fugere valeant.

7. Ergo, quod Recentiores nulla ratione possint negare, plures opiniones damnatas, antequàm damnarentur, juxtà principia sua fuisse verè, ac propriè probabiles, quæque licitè ad praxim deduci possent, evidens esse patet ex iis, quæ ipsi communiter requirunt, ut aliqua moralis opinio sit verè, certò, ac practicè probabilis, adeòque recta, ac tuta regula agendi.

8. Ut verò abundè constet, quid Recentiores ad hoc requirant, sufficit iterum hìc transcribere assertionem Terilli, quam jam alibi dedimus, & quam ipse ex communi Recentiorum omnium consensu statuit per hæc ipsa verba: *Omnis opinio, quam tres, quatuorve viri doctrina, & pietate præstantes, post diligens examen absolutè credunt esse veram, aut, etsi teneant oppositam, docent esse probabilem, est certò probabilis quoad nos, modò nemo doctrina, ac pietate celebris talis opinionis probabilitatem in dubium revocet; licèt alii communiter eam ut falsam rejiciant.* Subjungit immediatè: *Demonstratur assertio, quæ apud omnes est in confesso.* Scio plures Probabilistas multò minùs requirere ad certam probabilitatem, ut aliàs palàm fecimus. Sed accipio libenter ex Terillo communem assertionem demonstrabilem omnium recentiùm Probabilistarum.

Terill. q. 6. de consc. immediatè post nu. 17.

Sup. li. præced. cõtrov. 3. a. 1.

9. Tum sic. At plures opiniones damnatæ per præfata Pontificum Decreta docebãtur à pluribus, quàm à tribus, quatuorve viris doctrinâ, & pietate præstantibus post diligens examen, ut supponendum est, & nemo revocabat in dubium ipsarum probabilitatem: immò quædam saltem ex ipsis adeò erant communes inter modernos Theologos, ut nemo pænè auderet illas, etiam ut veras, non recipere, ne dum ut certò, ac practicè probabiles, talis erat opinio docẽs annuę communionis præceptum impleri per sacrilegam communionem.

Patet igitur, Recentiores nulla ratione posse negare, aliquas opiniones modò damnatas, antequàm damnarentur, fuisse verè probabiles juxtà principia Probabilismi sui, proindeque potuisse deduci ad praxim non minùs securè, & honestè, quàm deducantur modò plures aliæ opiniones, immò, & omnes, quæ certò, & practicè probabiles sunt secundùm ipsos Probabilistas, & juxtà agendi regulam, quam statuunt.

10. Et quidem, nisi sponte Recentiores id faterentur, tenerentur planè succumbere, atque vel inviti fateri, usum benignæ probabilitatis, atque adeò modernum Probabilismum, proscribendum esse ab Ecclesia, & absolutè ab omnibus reprobandum. Nam quis, nisi fatuus, dicere audeat, usum opinionis communi-

munis, quam omnes ferè Theologi non modò verè, & practicè probabilem, sed etiam veram absolutè putabant, & solidis innixam rationibus, verè pro illo statu nec tutum, nec licitum fuisse: nunc verò verè tutum, & licitum omnibus esse usum cujuslibet opinionis benignæ, quam tres, aut quatuor graves Auctores, vel tanquam veram docent, vel solùm docent esse probabilem, etiamsi ipsi contrariam veram judicent, immò, licèt communiter reprobetur ut falsa, dummodò probabilitas ipsius à nullo gravi Auctore revocetur in dubium? Sanè, qui sic assereret, non refellendus esset, sed ridendus, aut etiam severè increpādus.

11. Quidni verò? An ne Theologi majorem nunc auctoritatem habent ad reddendas probabiles opiniones, quas docent? An non potest opinio hujusmodi damnari ab Ecclesia aliquando? Quis neget, cùm de facto damnatas videat plures alias, & communiores, & absolutè multò probabiliores in communi sensu Doctorum? Quid ergo, si damnetur aliquando? Ideò ne modò probabilis non est in via Probabilistarum? Nugæ.

12. Accipe rem distinctiùs, quandoquidem materiam versamus, in qua vel lucem oporteat ostendere. Supponamus moralem opinionem valde communem, verbi gratia, quæ docet, licitum esse in mutuo aliquid ultrà sortem accipere ratione lucri cessantis solius, quam omnes ferè Recentiores tuentur contra Angelicum Præceptorem, Scotum, Abulensem, Durandum, & alios pænè omnes antiquos (aut absolutè omnes) ante Adrianum, & Cajetanum, hanc opinionem primos ex professo docentes multis tamen limitationibus coarctatam; à quibus absoluta videtur per Probabilistas modernos, supponamus, hanc opinionem tandem ab Ecclesia damnari. Inquiro modò, nunquid damnatio ipsius, quam contingere posse nemo prudens negabit, faciet, ut hæc opinio interim non sit verè probabilis in via Probabilistarum? Nullus opinor dixerit, qui Probabilismum intelligat: alioqui precor quis licitè posset ad praxim aliquando deducere aliquam opinionem probabilem in sensu ipsorum Probabilistarum? Planè nemo, nisi qui fortè prophericè præsciret infallibiliter, opinionem probabilem, qua utitur, nunquam de facto fore damnandam.

13. At eadem est ratio de similibus opinionibus pro toto tempore antecedenti ad damnationem posteà secutam. Evidens ergo est, & nulli rationabili disputationi obnoxium, complures opiniones jam damnatas per memorata Pontificia Decreta, antequàm damnarentur, fuisse verè probabiles, quæque licitè ad praxim deducerentur juxta principia Probabilistarum. Id quod ipsi, qui post præfata Decreta scripserunt, meritò tanquam certum, & supponunt, & docent; ideòque à nobis probandum non esset, nisi ob rationem jam insinuatam.

14. Unum tàmen omninò Recentiorem videre potui, qui sine ulla limitatione affirmet, ut rem omninò certam, & quæ negari à nemine possit, opiniones damnatas per prædicta Decreta Pontificia, practicè improbabiles esse, idque per necessariam consequentiam ex Decretis ipsis deduci. Quod si præfatus Auctor intelligat (ut intelligere eo in loco videtur) de improbabilitate, etiam antecedenti ad ipsa Pontificia Decreta, verissimum id esse absolutè loquendo, constabit ex statim dicendis. Quomodò verò cohærere possit cum Probabilismo moderno, a quo Recentior hic non recedit, intelligi planè non potest: immò evidenter ei repugnare, & cæteri Recentiores supponunt, & affatim à nobis ostensum est.

P. Fuente Hurtado in qq. præmial. Theologiæ suæ reforma. q. 6. n. 25.

§. III.

§. III.

Demonstratur secunda Minoris pars.

15. QUæ tandem illa? Lector, intende per salutem animæ tuæ. Videlicet opiniones morales, *ut minimum scandalosas, & in praxi perniciosas*, quas non ob aliam causam Summi gregis Christi Pastores, & ejus in terris Vicarii, *ut oves sibi creditas ad spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem via pro Pastorali solicitudine in arctam semitam evocarent*, prohibent severissimè universis Christi fidelibus docere, vel de illis disputativè publicè, aut privatim tractare, nisi forsan impugnando, sub pœna scilicet excommunicationis latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reservatæ: insuper in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii, districtè etiam præcipiunt, ne quis ipsarum aliquam ad praxim aliquando deducat:

Istas porrò morales opiniones probare nunc debemus, absolutè non fuisse verè, & propriè probabiles, neque tutam, ac rectam agendi regulam, atque adeò nec licitè ad praxim potuisse deduci, ut evidenter hinc concludamus (quod nemo negat ex hac suppositione), opiniones probabiles in sensu Probabilistarum absolutè non esse verè probabiles, neque rectam, ac tutam agendi regulam: ex quo tandem deducitur, sententiam ipsam Probabilistarum, & regulam conscientiæ, quam inducit, cum præfatis Decretis Pontificiis nullo modo posse consistere.

16. At placet adhuc clariùs, atque distinctiùs id ipsum statuere.

Igitur, si dicatur, nullas opiniones damnatas per memorata Pontificum Decreta, ante quàm damnarentur, fuisse verè probabiles absolutè loquendo, neque rectam, ac tutam agendi regulam, adeòque nec honestè ad praxim potuisse deduci, quod Recentiores omnes esse falsissimum, unicè supponunt, ac probant, & verè quidem, ac consequenter ad principia Theologiæ suæ: Hoc, inquam, si dicatur, & ostendatur, omnes hæ cōsequentiæ sunt infallibiles, & evidenter rectæ ex confessione ipsorum Recentiorum: *ergo non omnes opiniones modò probabiles in sensu Probabilistarum, absolutè, & simpliciter sunt verè probabiles: ergo non omnes sunt sufficiens, rectave agendi regula: ergo non possunt omnes licitè* (loquimur de benignis, seu minùs tutis) *deduci ad praxim: ergo ex illis non potest universim conscientia recta, ac tuta formari per artificium ullarum reflexionum: ergo benigna Recentiorum sententia post præfata Decreta Pontificia nō potest amplius subsistere; sed rejicienda omninò est tanquam animabus in praxi perniciosa, quod ut evidenter concludatur, illud tantùm à nobis ostendendum est, nimirùm nullas opiniones damnatas, priusquàm damnarentur, fuisse verè probabiles probabilitate conscientiæ, & quæ sufficeret ad honestè operandum.* Id unum si præstemus, causam vicimus. Rem verò nimis arduam, atque perplexam fortè existimatis.

17. Ecce parvo labore evidenter id demonstramus. Immò Summi Pontifices ab omni nos labore liberos volunt. An non satis demonstrat apud Catholicos, moralem opinionem non esse verè, ac propriè probabilem probabilitate conscientiæ, neque licitè ad praxim posse deduci, qui ostendit prorsus infallibiliter, illam esse opinionem scandalosam, & animabus in praxi perniciosam? Quis neget? Quis non annuat? At Pontifices ipsi, quorum vox omni viro Catholico oraculum infallibile est, publicè toti Ecclesiæ testantur, opiniones, quas damnant, scandalosas esse, atque perniciosas in praxi. Evidens ergo est illas non esse verè probabiles. Quid ultra? Planè nihil, si cum sola ratione ratio nostra confligat.

AR-

ARTICULUS II.

Urgetur argumentum propositum, nulla Probabilistis evadendi via relicta.

§. I.

Præcluditur evasio vulgaris.

18. Dicis, Probabilista, evidens quidē esse quod asserimus, consequenter ad damnationem, per quam nobis innotuit, quod antecedenter latebat, videlicet præfatas opiniones scandalosas, & perniciosas esse, quod minimè cohæret cum vera, & practica probabilitate earundem. Quandiù autem id latuit, verè nonnullæ ipsarum practicè probabiles erant, quia docebantur à gravibus Auctoribus, & aliunde non levibus rationibus communiter credebantur innixæ, quod sufficit ad veram, & practicam probabilitatem.

19. At falleris egregiè, quia solutio tua non modò argumentum nostrum non solvit, sed neque tangit vim, & difficultatem ipsius. Equidem illa falsa, & communis existimatio neutiquam probat, præfatas opiniones verè, ac re ipsa probabiles fuisse; sed falsò, & per errorem reputari probabiles. Id verò nos nequaquàm diffitemur: immò id ipsum contendimus, & probamus, nimirum aliquas opiniones damnatas falsò ante damnationem reputatas esse probabiles, cùm probabiles verè non essent. Unde rectè concludimus, opiniones modò probabiles in via Probabilistarum, verè, ac re ipsa probabiles non esse, sed falsò, & per errorem dici probabiles; nam, ipsis Recentioribus fatentibus, eadem est ratio de utrisque, nempè de istis modò, atque de illis ante condemnationem. At illæ tunc probabiles verè non erant, ut ipsa tua solutio supponit, sed falsò & per errorem dicebantur probabiles: ergo tantundem censeri debet de his, quas Recentiores modò dicunt esse probabiles: ergo probabiles verè non sunt, sed falsò dicuntur probabiles.

20. Confirmatur, & declaratur. Decreta Summorum Pontificum præfatas opiniones damnantium, non constituerunt eas scandalosas, ac perniciosas, sed illas potiùs tales ante invenerunt, & ideò ab omnium fidelium praxi severissimè proscripserunt. Quis hoc negare audeat, cùm id ipsi Pontifices suis, & factis, & verbis toti orbi Christiano clarissimè significent, & attestentur? Et quidem alioqui Pastoralis eorum solicitudo, & Decreta, quæ ex illa condidere, non salutaria ovibus sibi à Domino creditis, sed valdè potiùs forent inutilia, immò magnopere quoque noxia. Nam quid inutilius? Quid nocentius, quàm Decretum Pontificis, quod doctrinas ex se, & antecedenter, animabus salubres, & innoxias, redderet per se ipsum perniciosas, atque pestiferas? Nemo ergo negare, vel in dubium vocare audebit, prædictas opiniones damnatas, antequàm damnarentur, esse verè, & re ipsa scandalosas, ac perniciosas, licèt aliquæ ipsarum, à viris etiam doctis, communiter (falsò tamen) salubres, & innoxiæ reputarentur.

21. At opiniones omnes, quæ re ipsa, & in se scandalosæ sunt, ac perniciosæ, non sunt salubres, & innoxiæ animabus, nec tales, nisi falsò, existimari possunt, ut vel ex ipsis terminis patet. Ergo opiniones illæ, de quibus loquimur, estò ante damnationem reputarentur practicè probabiles, verè, ac re ipsa probabiles non erant, sed per errorem tantùm, & deceptionem dicebantur verè probabiles. Utique non cohæret, aliquam opinionem verè, ac re ipsa scandalosam esse, & animabus in praxi perniciosam, & simul esse verè, ac practicè probabilem; nisi fortè fateri Recentiores non renuant, praxim benignæ suæ probabilitatis,

quam

quam ipsi verè tutam, & innoxiam appellant, re tamen ipsa scandalosam esse, & animabus verè perniciosam, neque aliud se intelligere per veram probabilitatem; quod profectò si dicerent, ab omni semel cura, & labore, nos utilissimè liberarent.

§. II.

Alia item evasio non minùs absurda præcluditur.

22. VErùm, non deerit fortè, qui dicat, haud ita certum esse, ac supponimus, opiniones damnatas, de quibus hactenùs, antequàm damnarentur, fuisse reverà practicè improbabiles, id enim, neque expressè Pontifices docuerunt, neque ex verbis ipsorũ rectè colligi potest.

23. Nam Summi Pontifices prædictas opiniones, & unamquamque earum, tanquam scandalosas, & pernicioſas, absolutè damnant, ac prohibent, nec ullam aliam notam ipsis inurunt. At contingere potest, aliquam opinionem scandalosam esse, ac pernicioſam, quin ex hoc possit rectè concludi, ipsam esse improbabilem, quin, neque falsam, ut notat, & ostendit Cardinalis de Lugo; nam, sicut actio bona potest quandoque scandalum dare ob contingentes aliquas circunstantias, ideòque prohiberi justè, ac prudenter; ita etiam opinio re ipsa vera poterit aliquando similiter, scandalum, ac damnum afferre, propter quod ejus praxis meritò prohibeatur ex prudenti, ac solicita Summi Pontificis providentia, ut longiùs arceantur animarum pericula, & removeantur occasiones peccandi. Igitur ex Decretis Pontificiis rectè colligi nequit, omnes, & singulas opiniones damnatas esse falsas re ipsa, adeòque neque practicè improbabiles, saltem pro toto tempore antecedenti ad illa Pontificia Decreta.

Lugo disp. 20 de fid. nu. 134.

24. Absit, ut disputare modò velimus, an possit absolutè contingere, ut opinio Theologica re ipsa vera, tanquàm scandalosa, ac pernicioſa, meritò prohibeatur fidelibus à Summis Ecclesiæ Pastoribus, quod satis nobis apparet incredibile, & factum aliquando in Ecclesia (sub his terminis) puto à nemine ostendetur. Enim verò, quidquid de hoc sit, morales opiniones, de quibus hic disserimus, vel aliquas ex illis, aut veras esse, aut fuisse verè, ac practicè probabiles antecedenter ad sui damnationem, nemo non imprudenter affirmaverit, ut meritò supponit, ac probat Recentior eruditus supra laudatus. Hurta. supra adductus n. 14.

25. Ratio est: nam opinio, quæ affirmat, aliquid esse honestum, si vera sit re ipsa, & practicè probabilis, hoc ipso est recta regula moris, sufficiensque ad honestè operãdum. Unde igitur poterit praxis ipsius scandalum, aut perniciem afferre, ut generaliter omnibus prohibeatur; cùm neque laxet, neque pervertat, sed fideliter potiùs exponat, & proponat divinam legem, cujus vera cognitio ex se nemini potest scandalosa, aut pernicioſa esse, sed cunctis potiùs commoda, ac salutaris?

26. Præterea quis audebit effutire, Summum Christi Vicarium adeò severè prohibere fidelibus in perpetuùm, ac generaliter, doctrinas veras, tutas, ac sanas, non tantùm ad praxim deducere, verùm etiam tenere, vel docere, immò, & de illis publicè, aut privatim tractare, nisi forsan ad eas impugnandas? Præclarum certè Christus veritatis Magistrum præposuisset Ecclesiæ suæ.

27. Denique quid hìc plura? Fateantur Recentiores, si libet, practicam suam probabilitatem cohærere cum eo, quòd opiniones illæ, quæ in via ipsorum practicè dicuntur probabiles, scandalosæ reverà sint, & animabus in praxi pernicioſæ (ideſt, pestiferæ, & exitiales; nihil enim minùs significat doctrina pernicioſa animabus), & quæ propterea meritò debeant ab Ecclesia Ca-

tholica proscribi, ac severissimè prohiberi, ut neque liceat illas aliquando, vel in privatam disputationem adducere, nisi damnandas, ac detestandas: Id, inquam, si voluerint Probabilistæ nobis largiri, nihil ultrà cum ipsis disceptabimus de voce practicæ probabilitatis, neque renuemus ipsis concedere, opiniones, quas ipsi, juxtà principia, sua practicè probabiles dicunt, probabiles re verà esse hoc genere probabilitatis. Porrò quid nos contendimus, & ostendimus, nisi benignam Recentiorum sententiam obtrudere in Ecclesiam morales opiniones, ut practicè probabiles, quæ scandalosæ re ipsa sint, & animabus in praxi pernicioſæ? Id nos cùm evidenter ostenderimus, optent Recentiores, quod placeat.

28. Patet igitur, omnes opiniones damnatas, antequàm damnarentur, fuisse re verà practicè improbabiles, neque negari hoc posse citrà insignem injuriam, ac contemptum, auctoritatis Apostolicæ Sedis. At si nullæ ex damnatis opinionibus erant re verà practicè probabiles, licèt falsò probabiles crederentur, nec opiniones illæ, quæ, modò dicuntur probabiles in via Probabilistarum, probabiles re verà sunt, sed falsò reputantur probabiles, ut demonstratum est; ergo opiniones modò probabiles in via Probabilistarum, probabiles verè non sunt, sed falsò dicuntur probabiles: ergo (quod tandem legitime consequitur) benigna Recentiorum sententia apertè pugnat cum Decretis Pontificum, adeòque ex eisdem Decretis evidenter convincitur reprobata.

ARTICULUS III.

Refellitur vulgaris argumenti nostri retorsio.

§. I.

Retorsio argumenti.

29. SEd heu nos miseros, qui foveam fecerimus, in quam nobis sit incidendum! Sanè argumentum nostrum, si quidquam valeat, regulam etiam moralis honestatis, quam nos designamus, exsufflat. Quid enim? Non ne aliquæ opiniones damnatæ non probabiles tantùm, sed etiam multò probabiliores, quàm contrariæ, vel erant, vel communiter credebantur? Profectò sic nos ipsi suprà posuimus. En igitur argumentum convincens contra sententiam nostram sub eadem forma institutum.

30. Vel opiniones illæ probabiliores, antequàm damnarentur, erant in via nostra verè probabiles, tutaque, ac recta operandi regula, vel nõ erant? Non primum, cùm evidenter constet ex prædictis Decretis Pontificiis, ipsas fuisse re verà scandalosas, ac pernicioſas, quod verè non cohæret cum vera ipsarum probabilitate. Si secundum optemus: ergo nec opiniones modò probabiles juxtà principia nostra (idest, probabiliores operanti, quasque prudẽter possit absolutè, ac directè, existimare veras) verè, & re ipsa probabiles sunt, sed falsò dicuntur probabiles: nam eadem est ratio de utrisque, nempè de illis ante, & de istis post damnationem, & omnia, quæ superiùs inducebamus, similiter hìc urgent, si quid sunt. At opiniones illæ damnatæ, etiam antequàm damnarentur probabiles verè non erant, sed falsò à nobis dicebantur probabiles: ergo nec opiniones omnes, quæ modò à nobis probabiles dicuntur, probabiles re verà sunt, sed falsò, & per errorem reputantur probabiles: ergo (quod tandem legitimè consequitur) sententia quoque nostra, quæ ponit illas verè probabiles, ex eisdem Decretis Pontificiis evidenter convincitur reprobata. En ergo, inquiunt, argumentum tuum evidenter sophisticum, & fallax, nisi fateri velis, sententiam quoque tuam evidenter esse damnatam.

31. Sic argumentum nostrum planè convincens retorquere contra nos

nos solent juniores quidam, Probabiliſmi ſui minùs intelligẽtes, quàm amantes.

Nam, ſi regula moraliter agendi, quam nos adſtruimus, ac propugnamus, foret illa, quam nobis Recentiores affingunt, ultrò hìc, & ingenuè fateremur, altè nos hucuſque obdormiiſſe, atque ad noſtri Paſtoris vocem ſtatim expergiſceremur, & ſententiam, quam hactenus tenueramus, reprobaremus, & execraremur; abſit nanque, ut contendere velimus, aliquidve, præſertim in re tanta, præter veritatem amemus. Sed enim verò Recentiores iſti inſigniter hallucinantur, & propriis aſſueti principiis, ex illis ſenſum noſtrum cum ſuo ſenſu pænè confundunt, ac de ſententia noſtra, quæ toto cælo diſtat ab ipſorum ſententia (ſcilicet ut verum à falſo), adeò ſiniſtrè cenſent, ut eodem hoc argumento utramque pariter urgeri, aut non urgeri, indubitanter ſibi perſuadeant.

32. Nos igitur non ponimus, ut regulam agendi, opinionem probabiliorem, etiam quæ talis habeatur à multis, & quæ ab ipſo operante directè, & abſolutè vera putetur. Immò verò cenſemus fieri poſſe, ut operans ſequatur opinionem multorum gravium Doctorum, quam ipſe quoque veram exiſtimet, & nihilominùs rectè non agat, ſed potiùs, non materialiter tantùm, verùm & formaliter peccet, ſi videlicet in tali judicio culpabiliter erret. Id, quod longè certiſſimum arbitramur, & à nemine verè Theologo vocari in dubium poſſe ſuprà evicimus, alibi etiam fuſiùs oſtendendum; non quidem ſub his terminis, ſed ſub aliis omninò æquivalentibus, ſub quibus cum neotericis Probabiliſtis quæſtionem exactiſſimè diſputabimus totius noſtri Operis momentoſiſſimam; ex cujus ſolida reſolutione dependet ſuprema velut exciſio totius Probabiliſmi.

Sup. li. 1. controv. 2. & 3.

Interim accipe, tyro Probabiliſta, ſummam doctrinæ, & ſententiæ noſtræ, ut à ſimilibus retorſionibus, vel abſtineas deinceps, vel, ſi libuerit, ſine excuſatione oleum & operam perdas.

§. II.

Retorſionis æquivocatio, & ſumma noſtræ doctrinæ conſenſio cum doctrina Eccleſiæ Catholicæ.

33. ERgo nos cum Pſalmiſta *viam veritatis elegimus*. Pſal. 118. Neque enim aliam ullam rectam agendi regulam agnoſcimus, quàm veritatem ipſam, ſive judicium re ipſa verum, idque non temerè, ſeu fortuitò, ſed maturè, conſideratè, adeòque prudenter conceptum. Porrò judicium omne verè probabile, & non tantùm quoad homines, & apparenter, debet eſſe rationis opus, atque adeò re ipſa verum; nam, ut rectè Auguſtinus, *Ratio non dicenda eſt, aut exiſtimanda, niſi vera*. Aug. li. de Quæſtit. ani. c. 16. Nec tamen ideò exigimus ad agendum honeſtè, judicium prorſus, & abſolutè certum; ſed ſufficere dicimus opinionem verè probabilem, ideſt, quæ concipiatur poſt ſufficientem rei diſcuſſionem ex motivis, vel unicè veroſimilibus, vel ſaltem veroſimilioribus, & notabiliter præponderantibus oppoſitæ partis motivis, ita ut ab operante abſolutè vera putetur, non ex affectu aliquo inordinato, ſed ex ſincero potiùs amore, honeſtatis, & veritatis.

34. Ejuſmodi judicium opinativum, ſi verum ſit re ipſa, eſt apud nos judicium verè probabile; & ſufficiens, ac recta conſcientiæ regula. Quod ſi verò contingat eſſe re ipſa falſum, erit quidem probabile apparenter, & in exiſtimatione duntaxat; etenim, quod eſt falſum re ipſa, à nemine poteſt probari, niſi per deceptionem, & errorem: quod verò non niſi per errorem probari ab ullo poteſt, probabile re verà non eſt, ſed

falsò reputatur probabile, adeòque nec est recta conscientiæ regula, nisi apparenter solùm, & quæ falsò creditur, atque recipiatur ut recta: idque, vel culpabiliter, vel inculpabiliter, prout ipsa operantis deceptio, vel culpabilis fuerit, vel inculpabilis.

35. Denique, tam non credimus fieri posse, aliquam opinionem re ipsa falsam, quantumcunque probabilis, aut communis habeatur, esse rectam agendi regulam, ac fieri absolutè non potest, ut falsitas sit veritas aliquando. Sanè regula recta (secundaria videlicet, & creata) unicè talis est per veram, ac realem conformitatem cum prima regula honestatis moralis: quis verò precor, vel concipere possit, errorem de honestate, ac rectitudine operationis, conformari re verâ, cum summa rectitudine, ac veritate? Hæc est nostræ summa doctrinæ:

36. Nunc vide, quàm non tangat sententiam nostram argumentum sanè convinces cõtra benignum Probabilismum expensum. Nempè nos, omnes opiniones damnatas, quantuncunque probabiles putarentur tempore antecedenti ad damnationem, indubitanter credimus, ac profitemur, scandalosas fuisse re ipsa, verèque pernicioſas in praxi, atque adeò probabiles, & tutas, non nisi apparenter, ac falsò; re verâ tamen penitùs improbabiles, quæque ex magno Dei beneficio, & Sedis Apostolicæ summè laudabili providentiâ ab Ecclesia Catholica projectæ sint, tanquam zizania sanæ doctrinæ, quæ in tritici speciem efficta Christianis moribus corruptionem, & animabus perniciem afferebant per fallacem securitatem. Tantundem verò nunc, & tenemus, & dicimus, de cunctis opinionibus moralibus, quæ falsò affirmant, aliquid esse honestum, cùm inhonestum coram Deo sit, quamvis valdè probabiles existimentur. Immò, quò magis communes sunt, frequentiùsque deducuntur ad praxim, eò pejores esse re vera incautisque animabus pernicioſiores, & dolemus, & affirmamus.

37. Hinc verò quid contra sententiam nostram, & regulam agendi, quam consignamus? Sanè Decreta Summorum Pontificum præfatas opiniones damnantia, non tantùm illam neque leviter tangunt, sed magnopere potiùs stabiliunt, ac roborant. Utique ex illis palàm habemus, non umbratiles quasdam, & apparentes probabilitates; sed opiniones tantùm re ipsa veras, esse doctrinas tutas, ac sanas, adeòque rectam agendi regulam, quæ non merè apparentem, sed veram generet morum honestatem, non (ut illam) cum veris vitiis infeliciter cohærentem. Theologiam istam veram, & sanam docent nos Summi Christi Vicarii, quam nos simpliciter, ac libenter susceipimus, & gratias Deo habemus perquã humillimas, quòd ab illa nihil discedimus in morum doctrina tradenda.

38. Hæc si benigni Theologi satis attenderent, haud ita confidenter opinor ad ignorantiæ tenebras confugerent, nec humanis erroribus adeò deferrent, ut homines per illos non modò passim à peccato excusari, sed verã insuper honestatem morum, & æternam ipsam salutem obtinere posse docerẽt. Enimverò Theologia ista non à Magistro nostro, verâ sapientiâ, & luce; sed ab alio principio esse videtur. Quis enim credat eos, *Qui sic in tenebris, quasi in luce ambulant*, tenere viam Christi dicentis de se ipso, *Qui sequitur me non ambulat in tenebris*, nisi, qui tenebras credat esse lucem, ideſt, errorem esse veritatem? Iob. 24. Ioan 8.

§. III.

Vis argumenti nostri ineluctabilis contra modernum Probabilismum concluditur.

39. JAm igitur in via recentium Probabilistarum probabilitas pra-

practica verè talis opinionum moralium, quæ recta sit, & tuta regula agendi; non petit, ut opinio verè probabilis, vera re ipsa sit; sed optimè cohæret cum eo, quòd sit falsa re ipsa, immò etiam cum eo, quòd actu ab operante falsa, vel judicetur, vel saltem possit actu prudenter judicari. Id, quod negari à nemine potest, nisi qui, vel terminos ipsos, & vulgaria principia Probabiliſmi, aut ignoret omninò, aut certè non attendat, ac penetret.

40. Utique definitio opinionis probabilis, quæ traditur à Probabiliſtis, nõ fit per veritatem ipsius opinionis, sed per speciem tantùm, & apparentiam ipsius veritatis, & quidem, quæ cohæreat cum erroris æquali, vel majori apparentia. Hinc consequenter docent, utramque partem contradictionis esse simul verè probabilem; cùm tamen evidens ex Logica sit, alterutram ipsarum esse re ipsa falsam. Præterea quisquis sequitur opinionem gravium Doctorum ab aliis non rejectam, ut improbabilem, licèt ipsi operanti æquè, vel minùs probabilis sit, adeòque, sive vera sit, sive falsa, quin licèt magis falsa sibi videatur, semper juxtà Probabiliſtas prudenter, & honestè operatur, & operatio ipsius approbatur à Deo per voluntatem, aut legem subsequentem. Non ergo licet in quæstionem adducere, an vera, & practica probabilitas in via Probabiliſtarum prorsus de se præscindet à veritate illius opinionis, quę verè est juxta ipsos, & practicè probabilis.

41. Hinc patet, illas opiniones damnatas, de quibus hactenùs sermonem habuimus, in principiis moderni Probabiliſmi dicendas esse verè, ac practicè probabiles antecedenter ad damnationem, quamvis nobis jam constet, esse re ipsa falsas: aut certè definitio opinionis probabilis, quam Recentiores omnes propugnant, inepta erit, ac delusoria, quæque nullam moralem opinionem facere possit verè probabilem; nam, quòd opinionibus illis pro eo statu omninò conveniret, certum est, neque ipsi diſitentur. Aut ergo nullæ sunt absolutè in via Probabiliſtarum opiniones probabiles, non ficta, & apparenti, sed vera, & practica probabilitate, aut opiniones illas, antequàm damnarẽtur, fuisse in eadem via, non apparenter solùm, sed verè, certò, ac practicè probabiles, nulla ratione potest in dubium revocari. Denique, si non hoc verum censeant, profectò redierunt aliquando, & abjurarunt Probabiliſmum suum. Projiciant ergo arma, & dextras illis damus.

42. His verò positis, argumentum nostrum (quod nostram, & veram sententiam non modò non oppugnat, ut vidimus, sed mirificè potiùs firmat, & stabilit) sententiam Recentiorum planè profligat, & ab ipsa Sede Apostolica reprobatam quodammodo esse demonstrat.

Nam, vel omnes opiniones damnatæ, an equàm damnarentur, erant re verà practicè improbabiles in via Probabiliſtarum; vel aliquæ saltem ex ipsis erant probabiles verè, ac practicè? Primum Recẽtiores nec dicunt, nec dicere consequenter possunt. Secundum verò evidenter convincit, opiniones verè probabiles in sensu Probabiliſtarum, & quæ secundùm principia ipsorum sunt tuta, ac recta operandi regula, non semper absolutè, & simpliciter probabiles esse, nec posse licitè deduci ad praxim, sed potiùs sæpè esse re verà scandalosas, & in praxi perniciosas, quæque, tanquàm pestiferæ doctrinæ, & exitiales Chriſtianis moribus, ab universa Ecclesia Catholica protrudi absolutè mereantur, ut non paucæ de facto protrusæ sunt, & alias protrudendas speramus.

CON-

CONTROVERSIA SECUNDA:

Ex Decreto Innocentii XI. damnantis benignissimam sententiam quorundam Probabilistarum de praxi tenuis probabilitatis, validum item argumentum depromitur contra benignam Recentiorum sententiam.

1. SEntentia illa his verbis concepta, *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*, est articulus tertius ab Innocentio XI. damnatus in Decreto suprà producto. Ex quo benignam quoque Probabilistarum sententiam, tacitè quidem, sed satis efficaciter, reprobatam esse contendimus, & ostendendum modò suscipimus. De primo verò, & secundo articulo eodem Decreto damnatis, qui materiam concernunt specialem, post controversiam istam latiùs tractabimus?

ARTICULUS I.

Quo sensu opinio illa absolutè damnata sit juxta modernos Probabilistas.

§. I.

Expositio Decreti Pontificii apud Recentiores communis.

2. TActam nõ esse per damnationem hanc benignam Recentiorum sententiam, supponit, & affirmat adm. R. P. N. Generalis Præpositus Societatis in suo egregio, ac celebri Opere de recto usu opinionum probabilium. Et nos etiam fatemur, ipsam Decreto isto signatè quidem non esse damnatam; quia licèt generaliter affirmet licitum usum cujuslibet practicè, etiam minoris, probabilitatis, non designato certo aliquo gradu, infra quem sit illicita praxis ipsius; hanc tamen assertionem Recentiores utcunque excipiunt, atque discernunt ab eo expresso articulo directè, ac signatè damnato. Cæterùm ægrè nimis, ut meritò potuerit insignis ille vir P. Ægidius Estrix in illo suo politissimo Scripto oblato Innocentio XII. (de quo suprà meminimus) affirmare, benignam Recentiorum sententiam *vix evasisse fulmen Innocētii XI. incertum, quanto tempore permansura esset intacta*. Credimus ergo, ipsam fulmine Pontificio fuisse saltem haud leviter afflatam, si non directè tactam, & ictam.

R. P. Generalis dissertat. 8. c. 2. §. 3. n. 24.

Sup. li. 1. controv. 8. a. 4. §. 2.

3. Hanc in animum nostrum persuasionem, vel Recentiores ipsi induxissent, si cætera argumenta deessent. Vix enim illud Innocentii Decretum per Ecclesiam vulgatum est, cùm anxius quidam timor, & non mediocris solicitudo animos eorum invasit pro benigna sua sententia; cujus sanè timoris haud leve præbebat indicium, quòd statim cæperunt multa cogitare discrimina, quæ, nullo etiam petente, reddebant, ut ostenderent, damnationem illius articuli tertii de tenui probabilitate, non tetigisse sententiam benignam.

4. Erat adhuc, ut memini, in Hispania memorati Decreti notitia recentissima, cùm fortè ad manus meas pervenit Scriptum cujusdam Magistri, benignæ probabilitatis propugnatoris studiosissimi, quo argumentum istud tractabat, idque diligenter agebat, ut perturbatos animos sedaret, & res quoad usum probabilitatis in eodem, quo antea erant,

erant, ſtatu permanſiſſe ſuaderet. Adeò perterruit Probabiliſtas Pontificii fulminis timor.

5. Plures deinceps libri prodiere idem argumentum verſantes. Sed præ cæteris omnibus, quos viderim, Recentior quidam valde eruditus id ipſum tractat accuratiſſimè. Aſſerit autem, opinionem illam, vel ideò meritò fuiſſe damnatam, quia in quacunque materia univerſaliter, atque illimitatè adſtruebat licitum uſum cujuſvis opinionis, quantunvis tenuis probabilitatis, cùm debuiſſet ſaltem excipere dubia circa materiam Sacramentorum, in quibus non eſt licitus uſus cujuslibet opinionis probabilis: item dubia in judiciis occurrentia, quæ decidi à judicibus non poſſunt juxtà opinionem minùs probabilem: ac demùm generaliter diſtinguere debuiſſet inter opiniones probabiles practicè, vel ſpeculativè; quia non ſemper opinio ſpeculativè probabilis ſufficiens eſt inducere practicam probabilitatem. Immò verò frequenter eſt prorſus improbabilis practicè, opinio affirmans, aliquid eſſe licitum dependenter ab opinione ſpeculativè probabili, ut clarè patet ex eiſdem exemplis: patet etiam exemplo medicamēti probabiliter utilis, ac ſani, & ſimul æquè, aut magis probabiliter noxii, quo poſſe medicum licitè uti, eſt prorſus improbabile practicè. Cujus generis poſſent alia multa exempla produci, niſi nota forent, & obvia.

6. At verò benigna ſententia omnes prædictas adhibet limitationes; neque enim generatim affirmat, licere uti probabili opinione in quacunque materia indifferenter, aut opinione utcunque probabili; ſed plures caſus determinatè excludit, & aſſertionem expreſsè limitat ad opinionem verè, & practicè probabilem.

7. Immò ad hanc unam limitationem cæteræ omnes revocari poſſunt, uti revocantur de facto, tum ab hoc Recentiore, tum ab aliis communiter, etiam poſt damnationem hujus articuli de tenui probabilitate. Adhuc enim affirmant, eſſe generaliter verum in qualibet materia, & abſque omni limitatione, licere uti opinione probabili, dummodò verè, ac practicè probabilis ſit, ideſt, quæ probabiliter affirmet moralem honeſtatem actionis inſpectis ſuis omnibus, etiam particularibus circunſtantiis; licèt opinio oppoſita, quæ negat honeſtatem ejuſdemmet actionis, ſit non minùs, aut etiam magis probabilis. Et hic videtur eſſe communis ſenſus, & expoſitio Decreti Pontificii apud Probabiliſtas Recentiores.

8. Unde, propterea in caſibus exceptis non licet juxtà Recentiores uti opinione minùs, aut æquè duntaxat probabili, quia illa practicè probabilis non eſt, ſed ſpeculativè, atque remotè tantùm, nec fundat aliam practicè probabilem: neque enim practicè probabile eſt, licere uti opinione probabili de valore alicujus Sacramenti, omiſſa opinione tutiore probabiliori, aut æquè probabili: neque item opinio affirmans licere judici ferre ſententiam juxtà opinionem minùs probabilem, probabilis practicè eſt: & idem eſt de medico, & aliis.

Cùm igitur opinio illa de tenui probabilitate, nec ſpecialem aliquam adhiberet limitationem, nec generalem iſtam de practica probabilitate, damnari meritò potuit, ac debuit, tanquam ſcandaloſa, & perniciosa. At verò ſententia benigna ob rationem prorſus cōtrariam tàm procul abeſt à damnatione, quàm longè ipſam diſtare conſtat ab ea opinione damnata.

§. II.

Ejuſdem Pontificii Decreti quorundam Recentiorum expoſitio ſpecialis.

9. IDeſt diſcrimen, quo Recentiores benignam ſuam ſententiam

tiam distinguunt ab opinione illa dãnata ; cui tamen, ipsi discriminis auctores, satis confidere non videantur. Nam, si quæras adhuc ab illis, utrum censeant, licitum esse uti opinione tenuiter probabili, saltem extra materiam Sacramentorum, & alios casus ab eisdem exceptos: vel utrùm sit absolutè licitus generaliter in quacunque materia usus cujuslibet opinionis practicè, sed tenuiter probabilis? Profectò non audent asserere: quin immò generaliter inficiari videntur, licitum esse per se loquendo uti opinione ulla benigna, quæ solùm sit tenuiter probabilis.

10. Et quidem prælaudatus Recentior, ideò prædictum usum in quacunque materia improbat, quia nulla opinio tenuis probabilitatis censeri potest verè, ac certò probabilis, sed dubiè, vel ad summùm probabiliter tantùm. Etenim vera, ac certa probabilitas ex ipsis terminis tenuis esse non potest, sed fortis debet esse, ac robusta, quippè quæ innititur rationibus non tenuibus, sed fortibus potiùs, ac gravibus, quæ vires habeant ad resistendum rationibus opinionis contrariæ. Jam verò opinio probabiliter tantùm, & non verè, ac certò probabilis, non est sufficiens ad honestè agendum juxtà communissimum sensum recentium Probabilistarum, quia fundare non potest ultimum dictamen conscientiæ de absoluta honestate operationis moraliter certum, & evidens, sine quo saltem nemo honestè operatur.

11. Itaque juxtà hunc Recentiorem opinio tenuis probabilitatis erit illa, quæ innititur rationibus, de quarum fortitudine, aut gravitate communiter certò non constat, sed potiùs cõtrovertitur apud Auctores. Quare articulus ille de tenui probabilitate propterea meritò damnatus est, quia generaliter approbabat ad praxim, non solùm opiniones, quæ verè, ac certò probabiles sunt, & quas benigna sententia approbat, sed etiam omnes dubiè, aut probabiliter tantùm probabiles, quarum praxim non approbant Probabilistæ, sed potiùs communiter damnant.

12. Hunc tamen sensum Recentior alter haud vulgariter doctus acriter inpugnat, ac rejicit, quatenus opiniones probabiliter tantùm probabiles dicit esse probabiles tenuiter, adeòque earũ praxim absolutè damnatam. Censet igitur ipse (singulariter quidem, & nimiùm laxè, sed, ut opinor ego, admodùm consequenter ad principia benigni Probabilismi) opinionem non certò, sed probabiliter tantùm probabilem de morali honestate actionis, sufficere ad honestè operandum: nam qui prudenter judicat, opinionem, quam sequitur, esse probabilem, & rectæ rationi conformem, honestè procul dubio operatur: ut verò sic judicare possit, sufficit, quòd opinio probabiliter sit probabilis, in ea hypothesi.

13. Neque terretur illo inconvenienti, quòd ultimum dictamen conscientiæ de absoluta honestate actionis, non prodeat absolutè certum; tum, quia neque requiritur juxtà non paucos Probabilistas; tum, quia id ipse constanter negat; nam, estò immediatè non prodeat, ut prodit juxtà Reflexistas ex opinione certò probabili, elici tamen potest parvo labore, nempè per novam aliam reflexionem supra reflexam probabilitatem de probabilitate directa illius opinionis probabilis. Hic igitur Recentior absolutè contendit, nullam esse probabilem opinionem, cujus videlicet probabilitas verè saltem probabilis habetur, quæ dici debeat tenuiter probabilis, adeòque, cujus praxis absolutè damnata sit, saltem certò, & indubitanter.

14. Hinc autem arguit ipse, argumento sibi fortissimo, & quo utitur frequentissimè, ut multas opiniones morales, aut diversos sensus earum eximat absolutè à damnatione Sedis Apostolicæ. Nimirum, quoties certò non constat, sed potiùs du-

dubitatur de damnatione, aut sensu Decreti damnantis, an comprehendat hanc, vel illam opinionem, aut aliquem sensum earum, non debent opiniones ejusmodi censeri absolutè damnatæ, sed exemptæ potiùs, ac liberæ à qualibet damnationis nota.

15. Ratio est, inquit ipse: nam quælibet damnatio, utpotè odiosa, restringenda est, & in dubio delicti, adeòque damnationis illius, reo potiùs favendum, quàm actori, ut habet trita regula Juris: ergo nullus in dubio jure damnari potest: ergo nec censeri damnatus. At opiniones illæ, de quarum damnatione dubitatur, & earum etiam Auctores, tanquàm reos se habent in hac causa: ergo, dum non constiterit de delicto, adeòque nec de certa, atque legitima ipsius damnatione, minimè debent censeri damnati.

16. Ei ergo, qui contendit, aliquam opinionem esse damnatam, incumbit onus probandi damnationem, quam donec certò ostenderit, interim illa opinio absolutè manere debet in possessione suæ indemnitatis. Cùm ergo dubium, ut minimùm, sit, an opiniones verè probabiliter tantùm probabiles, tenuiter probabiles dicendæ sint, quarum proinde praxis Decreto illo damnata censeatur, dicendum absolutè est, neutiquàm censeri damnatas, sed immunes potiùs, ac liberas, à nota qualibet damnationis, & in eodem, quo erant, statu. Ita ille.

17. Quòd si ab hoc Recentiore inquiras, an censeat esse aliquas opiniones tenuiter tantùm probabiles, quarum praxis universaliter damnata sit in omni materia? Maximè, inquit, nimirùm eas omnes, quarum probabilitas vera probabilis saltem non est, sed potiùs dubia propriè, & strictè. Utique probabilitas moralis opinionis, quæ verè non pertingit ad gradum saltem probabilitatis, sed dubia propriè, & incerta est, tenuis, ac pænè nulla censeri debet, atque adeò praxis ipsius universaliter, & in quavis materia jure merito fuit damnata. Ita Recentior iste exponit Pontificium Decretum; quem tamen sæpè audivi aliis quibusdam Probabilistis non placere, eò quòd nimis videatur severus in hoc, & aliis Decretis exponendis; ut nihil jam mireris, quod eisdem nos displiceamus.

18. Denique casu legi quendam Casuistam, auctorem nescio cujus Theatri moralis, qui vulgari sermone aggressus etiam est expositionem articulorum ab Innocentio XI. damnatorum, & mirabilia docet, & loquitur.

Primùm, cùm perveniisset ad articulum istum de tenui probabilitate, obstupet, & ingenuè fatetur, nullam se prorsus rationem assequi, ob quam assertio ista damnata sit, indemni persistente (ut supponit) benigna Recentiorum sententia. Addit tamen humiliter, ac piè, oportere subjicere judicium nostrum Decreto Apostolicæ Sedis. Nihil prudentiùs dictum, si suppositionem probaret.

19. Sed attende constantiam hominis, qui, ingenua illa, & humili confessione præmissa, intrepidè asserit, in eo articulo non esse damnatam praxim opinionis tenuiter, sed tenuissimè tantùm probabilis: idque non generaliter, & ubique, sed in aliquo tantùm particulari eventu (quem ipsi piè designare placuit unicum articulum mortis), extrà quem semper licitus sit usus cujuslibet opinionis, etiam tenuissimæ probabilitatis. Hoc ait, & nihil ultra colligi rectè posse ex damnatione præfati articuli, attentis propriis verbis opinionis damnatæ.

20. Propositum est mihi nunquam, vel rarò admodùm recensere, aut attendere, Auctorem ullum, etiam alioqui gravem, qui Theologicas controversias idiomate vulgari tractaverit; hac enim saltem pænâ digni videntur, qui moralem doctrinam de se gravissimam, & captu plerunque difficilem, non sine con-

scientiarum præjudicio, vulgi stultitiæ dijudicandam, immò verò irridendam offerunt, ut libros suos venales faciant, quo plus, & pluribus nocere possint. Hunc attamen Summistam præter morem meum recensui, ut ex doctrina ipsius facilè appareat, qualis hodiè invaluerit opinandi, ac docendi modus, quando sic exponuntur ipsa Pontificia Decreta, per quæ Summi Pontifices nimiam opinandi licentiam in rebus ad conscientiam pertinentibus, semel, & iterùm severissimè taxant, & tanto cum horrore detestantur, ac prohibent.

ARTICULUS II.

Improbatur doctrina præcedentis articuli.

ENimverò prædictas Pontificii Decreti expositiones legitimas non esse, sed arbitrariè potiùs confictas, & alienas omninò à sensu, & mēte Summorum Pontificum, haud difficile sit ostendere.

§. I.

Refellitur communior illa expositio Probabilistarum.

21. ET in primis, quòd praxis opinionis tenuiter tantùm probabilis non sit prohibita, atque damnata universaliter in quacunque materia, sed in materia tantùm de valore Sacramentorum, in ferenda sententia judiciali, aut aliis specialibus casibus, inverisimile prorsus esse, meritò Recentiores ipsi (quidquid aliàs aliqui innuant) supponere tandem videntur.

22. Sanè, damnatis signatè, & specialiter illis particularibus opinionibus de Judice, de Sacramentis, de infideli, & aliis similibus, jam quælibet opinio universalis, quæ praxim tenuis probabilitatis ad eos omnes casus extenderet, quoad illam extensionem intelligebatur damnata, nec erat, cur ulteriùs propter illam iterùm damnaretur specialiter.

23. Præterea nec damnari debuisset, eò quòd non exciperet expresse alios casus particulares, ut de bello, de medico, & alios similes, pro quibus opiniones asserentes, licitum esse uti opinione minùs probabili, aut nullæ sunt, aut penitùs inverisimiles; aliàs ob eandem rationem damnari quoque debuisset specialiter opinio ipsa benigna Recentiorum, quæ passim apud ipsos invenitur expressa sub terminis universalibus, & nullam exceptionem præseferentibus, ut, *quisquis sequitur opinionem, etiam minùs probabilem, & minùs tutam, prudenter, & honestè operatur: nemo de præcepto tenetur amplecti in dubiis opinionem tutiorem, estò sit aquè, aut magis probabilis*, & aliis consimilibus nimis frequenter obviis in libris Probabilistarum.

24. Quòd si dicatur, exceptiones illas supplendas esse aliunde, & necessariò subintelligendas ex communi sensu Doctorum, qui benignam sententiam tenent: tantundem pari jure dicendum erit de illa benignissima opinione: quam tamen specialiter in illo articulo damnatam videmus, nec privilegium ullum quoad hoc uni potiùs, quàm alteri suffragari ostendetur.

25. Nec rursus dici potest, meritò benignissimam præ benigna opinione damnatam esse; quia benignissima non distinxit inter opiniones probabiles practicè, vel speculativè, uti distinguit opinio benigna, sed generatim, ac sine discrimine omnem opinionem probabilem, etiam tenuiter, ad praxim approbabat: quod est planè absurdissimum, ac meritò proinde damnatum. Frustrà, inquam, id dicitur: nam, vel jure damnatur opinio illa, eò quòd in ea assertione, per quam ipsa proponebatur, distinctio illa non esset expressa; & sic eodem jure damnari quoque debuit benigna Recentiorum

opi-

opinio, quæ passim enuntiatur, atque proponitur absque expressione talis distinctionis. Vel justè potiùs damnata est, quia distinctionem illam sic excludebat, ut eam subintelligi non pateretur: & hoc falsum est, ut quod maximè; quia non solùm non excludebat, sed potiùs ipsa assertio damnata, vel sub terminis ipsis, quibus damnata est, præfatam distinctionem, ac determinationem ad opiniones practicè probabiles, saltem implicitè continebat, immò verò haud obscurè significabat.

26. Equidem probabilitas *non exiens à finibus probabilitatis* (utique moralis, ac veræ) *qua confisi prudenter semper agimus*, probabilitas practica est, & versans circa licitum, vel illicitum, ut, vel ex ipsis terminis, satis manifestum apparet; probabilitas namque purè speculativa non est propriè moralis, aut vera probabilitas conscientiæ, neque illi confidimus ad prudenter agendum. Denique assertiones quàmplures benignam opinionem enuntiantes non apertiùs præseferunt distinctionem prædictam, aut sensus restrictionem ad opiniones practicè probabiles. Debuit ergo sub talibus assertionibus pariter prohiberi, aut damnari, benigna Recentiorum opinio, si propterea dicatur opinio benignissima jure damnata.

Patet igitur, istam re verà non damnari, quatenùs approbabat ad praxim opiniones non practicè probabiles. Unde tandem concluditur, praxim cujusliber opinionis tenuiter probabilis, etiam practicè, non tantùm in aliquibus specialibus casibus, sed in omni potiùs materia generaliter esse damnatam.

§. II.

Expositio specialis duorum Recentiorum refellitur.

27. TOtum hoc prælaudati Recentiores, quidquid vellent nequidquàm tergiversari, fateri tandem absolutè videntur. Jam verò, quod Recentior prior ajebat, nempe opiniones, quæ non pertingunt ad certam probabilitatem, sed solùm sunt probabiles probabiliter, esse opiniones tenuiter probabiles, proindeque damnatas re ipsa Decreto Pontificio censeri; secus verò opinionem aliquam verè, ac certò probabilem in via Probabilistarum: id verò primùm inconsequenter ad principia moderni Probabilismi: præterea gratis, falsòque dictum esse, haud difficulter convinci potest.

28. Inconsequenter quidem: nam opinionem probabiliter tantùm probabilem esse tutam, ac rectam agendi regulam juxtà principia Probabilistarum, sequela est, nimis quidem absurda, quam ob absurditatem, ac laxitatem suam ipsi Probabilistæ communiter jam horrent, propterea quæque concedere non audent. *Unus, aut alter* (inquit Terillus) *expressè tenet, probabilitatem solùm probabilem de honestate partis minùs tutæ sufficere, ut illa licitè in praxim deducatur: sed hanc eorum sententiam, utpotè nimis laxam, nullatenùs approbare possum. Reliqui omnes, qui absolutè tenent, probabilitatem excusare sectantem partem minùs tutam, aut supponunt, aut expressè tradunt, probabilitatem de honestate operis debere esse certam, ut operantem excuset.* Hæc Terillus, cui cæteri communiter Recentiores tacitè, aut expressè consentiunt. Terill. q. 21. de conscien. 1.

29. Veruntamen sequelam esse evidentem, & indeclinabiliter sustinendam, penitus apud me convincit discursus posterioris Recentioris. Nam in principiis Probabilismi difficilius esse non potest elicere dictamen conscientiæ absolutè certum, & evidens per artificium Reflexistarum de rectitudine regulæ operandi solùm probabiliter rectè, quàm elicere simile dictamen de absoluta honestate actionis probabiliter tantùm honestæ (si hoc fortè requiritur ad

honestè operandum; quod omnimodis negant haud pauci ex insignioribus Probabilistis cum PP. Vazquez, & Sanchez): qui verò certus est de rectitudine regulæ, quam sequitur, certus pariter est de suæ operationis absoluta honestate.

30. Et quidem P. Fabri, & alii Recentiores, qui temperantiùs censent, modestiùsque loquuntur, de sua benigna sententia (quam solùm dicunt esse probabilem), æquè facilè eliciunt per novam reflexionem superadditam supra dictamen solùm probabile ex illa immediatè deductum, ultimum cõscientiæ dictamen de absoluta honestate actionis absolutè certum, & evidens juxtà principia Probabilismi.

Terill. q. 23. de conscia n. 153.

31. Immò & Terillus ipse, qui de eadem sententia adeò gloriosè loquitur, & certissimam illam passim appellat, id ipsum profitetur, & ostendit ex hypothesi sibi impossibili, quod non nisi probabilis illa esset. Ergo pariter poterit eodem artificio simile artificium deduci ex opinione aliqua particulari probabili solùm probabiliter, cum eadem utrobique sit ratio. Ergo, si consequenter ad principia Probabilismi Recentior ille loqui voluerit, fatendum sibi est, opinionem quamcunque nõ nisi probabiliter probabilem, esse tutam, ac rectam agendi regulam. At praxis opinionis ejusmodi damnata est, ut ipse rectè contendit. Ergo Probabilismus Recentiorum non rectam, sed obliquam, ac damnabilem, invehit in Ecclesiam agendi regulam, adeòque ab omnibus repellendus est.

32. Falsò propterea, & gratis dicit item Recentior, nullam in via Probabilistarum certò probabilem opinionem esse posse tenuiter probabilem, adeòque nullam esse absolutè damnatam. Utique probabilitas conscientiæ sufficiens ad honestè operandum juxtà principia benignæ sententiæ, non habet in sua ratione terminum aliquem ita definitum, ut in indivisibili consistat, sed admittit magis, & minùs; neque enim omnes opiniones probabiles, quarum praxim, & usum illa sententia approbat, æqualiter probabiles sunt, sed aliæ aliis probabiliores: de quo nullus opinor ambigat. Certè id Recentiores loquuntur universi, passimque supponunt, ac docent.

33. Præterea evidens est ex essentiali, ac proprio conceptu benignæ probabilitatis, quæ non consistit in reali ipsa moralis opinionis veritate, sed in ipsius apparentia duntaxat, præscindente ex sua ratione ab ipsa veritate, atque falsitate reali; immò, & quæ magis sit ad falsitatem determinata, dummodò non consurgat ex rationibus contemnendis, & quæ parvi, aut nullius momenti habeantur. Evidens autem est, ejusmodi apparentiam veritatis indivisibile quid non esse, sed admittere minus, & magis.

34. Hinc patet manifestè, benignam probabilitatem, etiam certam (si certa esse dicatur necessaria ad agendum prudenter, & honestè, de quo non obiter infra dicemus) esse posse magnam, aut parvam, proindeque, vel tenuem, vel non tenuem; etenim probabilitas tenuis ex propria nominis significatione quid aliud est, quam quædam probabilitas levis, parva, aut exigua in esse probabilitatis? Patet, inquam; nam gradus inferiores probabilitatis ejusmodi comparati ad altiores, ac superiores gradus ejusdem probabilitatis, nequeunt non esse parvi, & exigui, adeòque nequeunt non esse tenues, quidquid sit, an sint tenues absolutè seu comparati ad alios alterius generis probabilitatis: quemadmodùm in physicis gradus inferiores albedinis, caloris, aut frigiditatis, debiles sunt, exigui, ac remissi, relatè ad alios gradus altiores, aut superiores ejusdem qualitatis. Et universim ubicumque datur ratio aliqua positiva à pluribus diversæ, & inæqualiter participata, nequit non esse in illa magnum, & parvum; quia non po-

test

test non esse superiùs, & inferiùs, quod relatè ad superiùs ejusdem generis nequit non esse exiguum, ac parvum.

35. Itaque nunc directè non disputo, utrum exigua, aut tenuis probabilitas intra genus benignæ probabilitatis, sic exigua, seu tenuis, vel absolutè in se considerata, vel comparata ad aliam diversam alterius generis probabilitatis, scilicet imperfectioris, nec sufficientis ad honestè operandum: id modò unicè contendo, & ostendo, ipsam esse re verà parvam, ac tenuem intra propriam suam rationem, videlicet in genere benignæ probabilitatis.

36. Nam, quod magnum est absolutè, vel relatum ad alia diversi generis, potest esse parvum, ac modicum in suo proprio genere consideratum. Sic mons, & in se ipso, & compatatum ad animal, aut arborem, magnum quist est; cum tamen modicus sit quandoque, & exiguus, in proprio suo genere montis, juxtà illud Psalmistæ *Et Hermonim à monte modico*: similiter Pigmæus magnus est, si conferatur ad muscam, aut formicam; debilis autem, pusillus, & exiguus intra propriam suam rationem, scilicet in esse hominis. Pariter ergo rectè inter se cohærent, benignam aliquam probabilitatem ad inferiores gradus intra genus illud depressam, esse magnam, ac fortem absolutè, vel collatam ad aliam generis inferioris; & simul esse exiguam, ac tenuem intra propriam suam rationem benignæ probabilitatis. Psal. 41.

37. Hinc argumentum, quo Recentior probabat, in ipsis terminis implicare, aliquam opinionem esse certò probabilem juxtà principia benignæ sententiæ, & simul esse tenuiter probabilem: nempè quia opinio certò probabilis fulciri debeat rationibus non tenuibus, sed robustis potiùs, ac fortibus, & quæ vires validas habeant ad resistendum contrariis rationibus: hoc, inquam, argumentum æquivocatio est; neque enim probat esse impossibilem benignam probabilitatem, quæ tenuis sit intra genus proprium; sed ut summum, quæ talis sit, vel absolutè in se, vel relativè ad aliam probabilitatem alterius generis inferioris, de quo modò non disceptamus.

38. Enimverò, quod certa probabilitas, quam inducit benignus Probabilismus (sic enim nunc accipimus benignam probabilitatem), nec magna sit, nec fortis absolutè, & re ipsa; sed inanis potiùs, ac fallax, abundè demonstratum jam est, & abundantiùs adhuc demonstrabitur. Nunc autem id non agimus saltem directè, sed ab hoc præscindentes, unicè firmare contendimus, non solùm opiniones probabiliter, verùm etiam certò probabiles in via Probabilistarum esse posse tenuiter probabiles, atque adeò non tantùm illas, ut docebat ipse Recentior, sed etiam istas absolutè damnari, ut ex dictis satis colligitur, & statim distinctiùs monstrandum est.

Unde à fortiori falsum esse convincitur, quod Recentior alter docebat de dubia tantùm probabilitate: ad cujus argumentum potissimum de ambiguo saltem sensu Decreti Pontificii, nonnihil etiam postea dicemus.

ARTICULUS III.

Benigna Recentiorum sententia per damnationem sententiæ benignissimæ videtur quoque damnata.

§. I.

Elicitur sensus legitimus prædicti Pontificii Decreti, quo damnatur sententia benignissima de tenui probabilitate.

39. IDverò ex dictis proclive sit. Nam, si opiniones aliquæ certò probabiles in sensu benignæ sen-

ten-

tentiæ possunt esse in ea ratione tenuiter tantùm probabiles, procul dubio praxis ipsarum absolutè damnata est. Immò non aliud Decreto illo signanter, ac directè damnatur. Ratio est: quia Decretum Pontificium id unicè censetur in eo articulo directè, ac signanter damnare, quod Auctores sententiæ benignissimæ per illam assertionem affirmare intendebant. Quis hoc negare audeat? Quove fundamento negabitur, nisi fortè cuilibet liceat Decreta Apostolicæ Sedis, quatenus propriæ opinioni præjudicant, pro libitu eludere.

40. Atqui Auctores sententiæ benignissimæ per assertionem illam unicè affirmare intendebant, licere uti qualibet opinione, tenuiter etiam probabili intra propriam rationem, & peculiares terminos benignæ probabilitatis; hunc enim sensum, & intentionem suam adeò ipsi evidenter expresserunt, ut nemo possit de illa dubitare. Alioqui, precor, quid cavere voluerunt per verba illa, quæ notanter addebant, *dummodò à probabilitatis finibus non exeatur*? Cujus scilicet probabilitatis? An non benignæ, quam ipsi propugnabant cum reliquis Probabilistis ex illo sibi certissimo principio, *Quisquis agit ex opinione suæ libertati favente, etiam minùs sibi probabili, dummodò verè, ac practicè probabilis sit* (juxtà sensum Probabilismi), *semper honestè, ac prudenter agit*? Sanè non nisi temerè, & absque aliquo fundamento sensus alius extraneus, & absurdior illis Auctoribus imponeretur. Immò, Terillo judice (licèt non recto, ut alibi adnotavimus) nemo unquam probabile in alio sensu appellat, aut usurpat. Igitur Summus Pontifex id unicè directè, ac signanter damnavit, nempè licere uti opinione, tenuiter etiam probabili in sensu benignæ sententiæ, & intra proprios terminos benignæ probabilitatis.

Sup. lib. 1. controv. 4. a. 2.

41. Confirmatur. Auctores benignissimi ex eisdem principiis generalibus, quibus reliqui utuntur Recentiores, assertionem damnatam concludebant, eisdem illam rationibus probabant, eisdem prorsus terminis, distinctionibus, limitationibus, & exceptionibus, constanter, & ubique utebantur, ut cuivis facilè videre sit in libris, & scriptis eorum, quibus illa assertio tribuitur; nemo enim ipsorum asserebat, licitum esse ad praxim deducere aliquam opinionem, quæ non esset conformis rectæ rationi, quæ non inniteretur fundamento non levi rationis, vel auctoritatis, quæ careret motivo magni momenti, contra quam esset aliquid convincens, quæ non esset opinio prudens, & prudenter concepta, & alia id genus passim loquebantur, quæ Auctores benigni loquuntur: dictamen autem prudens, fundamentum magni momenti, & cætera omnia exponebant juxtà communem sensum moderni, atque communis Probabiliorismi: tum insuper in ipsa sua assertione opinionem, de qua pronuntiant, praxim ejus licitam esse, expressè cavent debere esse probabilem ab intrinseco, vel extrinseco: ac tandem (quod superfluum videri posset) in eadem sua assertione eandem conditionem, ac restrictionem iterùm signatissimè repetunt, addentes verba illa, *modò à probabilitatis finibus non exeatur*.

Quo ergo fundamento dici poterit, opinionem illorum eò damnatam esse, quòd assereret, licitum esse uti opinione tenuiter probabili in alio extraneo sensu, & exeunte à finibus benignæ probabilitatis? Profectò sensus ille nimis gratis, & ultrò confingeretur, ac planè contra mentem prædictorum Auctorum clarissimè manifestatam.

42. Confirmatur ulteriùs, & declaratur discursu illo suprà jam insinuato. Vel ea benignissima opinio ideò damnata est, quia asserebat, licitam esse praxim cujusvis opinionis, tenuiter etiam probabilis in sensu benignæ sententiæ: vel quia expressè asserebat, licitum esse uti quali-

libet opinione tenuiter probabili, etiam in alio sensu laxiori: vel quia, saltem expressè, assertionem non restringebat ad sensum sententiæ benignæ, unde saltem implicitè censebatur illam extendere ad aliud genus laxioris probabilitatis? Si primum, habemus intentum. Secundum esse evidenter falsum ipsa damnata assertio demonstrat.

43. Tertium (quod Recentioribus benignis unicè dicendum relinquitur) dici non posse, facilè probatur: nam si ob eam rationem opinio illa damnata esset, eodem quoque jure, quin & potiori, damnari debuisset benigna ipsorum Recentiorum sententia, quæ passim enuntiatur, atque proponitur absque aliqua restrictione, & sub terminis generalibus, prorsusque indefinitis, ut supra arguebamus; quod nanque privilegium speciale suffragatur benignis Probabilistis, ut eorum assertio illimitata, & nulla sæpè modificatione restricta, intelligi non debeat illimitatè de opinione probabili, etiam in alio sensu laxiori, sed restringenda sit, & accipienda in terminis benignæ sententiæ; è contra verò assertio benignissima nullam possit admittere limitationem, cùm tamen ipsa nimis clarè, ac distinctè significaret sensum restrictum intra fines, & terminos benignæ probabilitatis?

44. Utique, si assertio benigna nullâ restrictione donatâ ideò non censetur exire à finibus communis, benignæque probabilitatis, quia aliunde constat de mente Auctorum illam assertionem tenentium, quam scilicet alibi restringunt ad communem doctrinam, & sensum Probabilistarum: eodem jure assertio benignissima intelligi quoque deberet cum restrictione ad eundem sensum: immò potiori titulo, quia hujus assertionis Auctores, non solùm alibi mentem suam exponunt juxtà communem Probabilismi sensum, sed insuper in ipsa sua assertione prædictam restrictionem haud obscurè significant. Non ergo debuit, nec potuit ex hoc capite assertio benignissima damnari præ benigna assertione Recentiorum.

45. Assertio igitur benignissima ideò absolutè damnata est, non quia exiret à finibus benignæ probabilitatis (quod ipsamet signanter cavebat), sed quia praxim cujuslibet opinionis probabilis in sensu benignæ sententiæ cum extensione omnimoda, & generaliter approbabat. Unde assertionis hujus Auctores non ideò benignissimi dicti sunt, quòd probabilitatem alterius generis benignioris, atque laxioris denuò conarentur invehere, sed quia summam benignitatem intra fines, & terminos moderni, atque benigni Probabilismi signanter exprimebant, & indulgebant.

§. II.

Concluditur ex dictis, benignam quoque Recentiorum sententiam per præfatum Decretum Pontificium virtualiter saltem esse damnatam.

46. *Concluditur*, inquam, *ex dictis*: nam assertio hic expressa non nisi evidens illatio est ex doctrina proximè tradita, ut ipsi Recentiores non diffitentur. Utique ipsi negare non possunt, neque re ipsa negant, sed disertè potiùs affirmant, nullam esse opinionem certò saltem probabilem in sensu benignæ sententiæ, idest, non tantùm speculativè, sed practicè, & verè probabilem in quolibet gradu, etiam minimo, quæ non sit recta, ac tuta regula agendi generaliter in quacunque materia, & sine ulla prorsus limitatione. Sed neque potest aliter eorum sententia subsistere; nam argumenta omnia, quibus illam suadere intendunt, vel id universaliter, ac sine ulla exceptione probant, vel nihil omninò convincunt.

47. Nam, si opinio aliqua verè, ac certò probabilis in sensu benignæ

sen-

sententiæ, in qua proinde tota invenitur quidditas, & essentia benignæ probabilitatis, non sit recta regula agendi, neque sufficiens ad honestè operandum, sequitur evidenter, principium illud, *Licet uti opinione minus tuta, & simul æquè, aut minùs operanti probabili, dummodò verè, ac practicè probabilis sit* (quod ipsa est benigna sententia) sic indefinitè prolatum, & nulla coarctatum limitatione, absolutè, & simpliciter esse falsum. Unde oportebit, ut Recentiores certum aliquem modum illi præfigant, & ut designent nobis determinatum aliquem gradum, infra quem probabilitas depressa intra terminos proprios benignæ probabilitatis, non sit recta regula agendi, neque sufficiat ad honestè operandum.

48. Quem verò designabunt, aut ex quibus principiis? Profectò nullum poterunt, nisi tota semel soluta mirifici artificii compage, cuncta principia sua evertendo, terminos repugnantes implicando, ac demùm sibi ipsis passim, & millies contradicendo. An non in terminis ipsis implicat, aliquam opinionem esse verè probabilem in via Probabilistarum, & non esse dictamen verè prudens? Nunquid non evidens contradictio est agere quem ex practico dictamine prudentiæ, & simul malè, & imprudenter agere?

49. Sed enim quid moremur? Vel Recentiores per suam benignam sententiam approbant, tanquam verè probabiles, adeòque, tanquam rectam agendi regulam, aliquas opiniones verè improbabiles, scandalosas, & pernicioſas, propterèaque damnabiles, ac de facto damnatas ab Ecclesia; vel nullas ejusmodi approbant, post damnationem saltem ipsarum? Primum patet dici non posse à viris orthodoxis, ac piis. Si verò secundum dicatur, ut dici sine optione debet: ergo juxtà Probabilistas in ipsis terminis debet implicare, aliquam opinionem esse verè probabilem in sensu benignæ sententiæ, & simul esse verè absolutè improbabilem, scandalosam, ac pernicioſam, & ut talem damnatam, aut damnabilem. Quid evidentius? Profectò, si quis negat, vel abjurat simpliciter Probabilissimum, vel certè terminos non intelligere videtur.

50. Tum sic. At constat (datâ semel hypothesi, ad quam coguntur Probabilistæ) aliquas opiniones verè, ac certò probabiles in sensu benignæ sententiæ, non esse verè absolutè probabiles; sed potiùs verè esse scandalosas, & animabus in praxi pernicioſas, proptereaque de facto ab Ecclesia damnatas, nempè opiniones tenuiter probabiles; quas nimirùm, & esse necessariò admittendas intra terminos proprios ipsius sententiæ benignæ, & simul per Decretum Pontificium, quo damnatur articulus de praxi tenuis probabilitatis: directè, atque signanter esse damnatas, satis à nobis ostensum est. Ergo benigna Recentiorum sententia, quæ ejusmodi opiniones approbat, tanquam verè probabiles, adeòque, tanquam rectam agendi regulam, eodem Pontificio Decreto virtualiter saltem damnatur.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Recentiorum argumenta.

§. I.

Ad argumentum secundi Recentioris propositum ad articulum primum.

51. ILlud verò mirabilem, ac planè prodigiosam doctrinam continet, nimirum immoderatam novi Probabilisimi benignitatē, quæ legem Dei odiosam, adeòque restringendam, ducit, & dicit, ut in omni dubio morali libertatem agendi quidquid libeat, atque adeò exemptionem ab ipsa lege, hominibus indulgeat, & statuat. Odiosam puto be-

benignitatem istam, qui legem Dei non oderit, facile judicabit.

52. Porrò opiniones tenuiter probabiles in sensu benignæ sententiæ indubitanter esse damnatas, tanquàm scandalosas, ac pernicioſas, nec aliter exponi, nisi importunè, ac violenter, posse Decretum Apostolicæ Sedis, quo praxis tenuis probabilitatis damnatur, luculenter, ut reor, & solidè in superioribus ostensum est. Quare argumentum Recentioris in primis assumit manifestè falsum, adeòque nihil posse rectè concludere, quamvis principium illud reflexum, ex quo Recentior argumentatur (nimirum, quod in dubio de sensu Decreti damnantis nulla opinio damnata censeri debeat, sed probabilis potiùs, ut erat antea, & immunis ab omni suspicione, vel nota) verum foret; quod tamen quàm longissimè abest à veritate.

53. Enimverò principium illud esse falsum, & à sana doctrina alienum, convincitur, non modò ex generali, ac certa doctrina, quàm lib. præced. firmavimus, & in secunda nostri Operis parte ex multis decisionibus Juris Canonici uberiùs sumus comprobaturi, videlicet, quòd in dubiis conscientiæ tutiorem semitam tenere debeamus; sed etiam specialiter in præsenti materia.

54. Utique dubitare, an aliqua moralis opinio damnata sit re ipsa, nec ne, tanquam scandalosa, & pernicioſa in praxi, per Sedis Apostolicæ sententiam infallibilem, est dubitare, an praxis illius sit re ipsa pestifera, & exitialis, an potiùs sana, tuta, & innoxia? In isto verò dubio quis dicat favendum esse ejusmodi opinionibus, & Auctoribus illas docentibus, veluti reis in judicium vocatis, & pronũtiandum semper contra Decretum Apostolicæ Sedis, veluti contra legem odiosam, & omnimodis restringendam? Nulla profectò iniquior, & indignior existimatio.

55. Nempè, si opinio illa, de cujus damnatione dubitatur; damnata sit re ipsa, & pronuntiatur à damnatione immunis, adeòque verè probabilis, & tuta, favetur moralì doctrinæ pestiferæ re ipsa, & insidiantì conscientiis hominum in veram ipsorum perniciem: si autem sit re vera à damnatione libera, & dicitur cavenda, ac vitanda tanquàm doctrina dubia, & suspecta in reverentiam Decreti Apostolici curantis animarum salutem ex pastorali solicitudine, & providentiâ verè paternâ præcaventis pericula conscientiarum, restringitur tantillùm libertas nostra citrà omne aliud incommodum. Hæc sunt extrema, inter quæ versamur, & hæc sunt, quæ in hoc dubio imminent utrinque pericula. Et tamen, cùm utrunque nequeat vitari, sed alterutrum sit omninò eligendum, pronuntiatur, posterius omninò esse vitandum, & prius illud esse amplectendum. O benignam Theologiam Recentiorum! O mirum patrocinium libertatis humanæ! Nonne tanta fallacis, & noxiæ libertatis solicitudo veræ salutis dispendium est?

56. Itaque nos non volumus, ut moralis opinio, de cujus damnatione dubitatur, dicatur absolutè, ac rectè damnata, nam hoc non nisi temerè, sed solùm ne dicatur probabilis, aut tuta, proindèque, ut dicatur periculosa, & omninò fugienda: ad hoc enim non est necesse, ut certa sit ipsius damnatio, sed sufficit, quod operans prudenter judicare non possit, illam esse doctrinam sanam, & immunem ab omni damnatione; sicut ægrotus, si prudens sit, & verè amet salutem corporis, non solùm abstinebit à cibo, quem noxium esse judicat, & à medico sibi prohibitum, verùm etiam ab illo de quo dubitat, an sibi noxius, & prohibitus sit. Utique moralis opinio dubia, ac suspecta de damnatione, nõ potest esse operanti probabilis, atque adeò nec tuta regula agendi.

57. Ubi notanda est Recentioris

contradictio. Ipse nanque fatetur, & supponit, opinionem moralem non probabilis saltem, sed dubiæ tantùm probabilitatis, non esse rectam conscientiæ regulam; immò verò praxim ipsius directè, atque signanter esse damnatam sub memorato articulo de praxi tenuis probabilitatis. Aliunde verò docet, opinionem, de cujus damnatione dubitatur, hoc ipso non censendam damnatam, & immunem ab omni nota, adeòque rectam agendi regulam, perinde ac erat ante damnationem.

58. Quid ergo? opinio, de qua dubitatur, utrum re ipsa damnata sit, potest non esse dubiè probabilis? Equidèm dubitare, utrum aliqua opinio damnata sit per præfata Decreta Pontificia, est dubitare, an sit scandalosa, & animabus in praxi perniciosa. Stante verò hoc dubio, potest ne opinio aliqua probabilis, & tuta censeri? Quis annuat? Nunquid tutum, ac probabile est approbare, & amplecti, quod nescias, an perniciem animabus sit allaturum? Sunt ergo apertè secum pugnantia illa Recentioris asserta.

59. Nec exemplum productum de delicto, vel reo dubio, aliquid probat. Nam in dubio delicti reus absolvitur, hoc est, non condemnatur, neque punitur (saltem pœnâ ordinariâ); quod est æquissimum, & tutissimum judici, ne fortè puniat hominem innocentem: non tamen ideò ipsum innocentem pronuntiat, quin neque potest, sed solùm non convictum, quæ valdè inter se differunt, ut nemo ignorat. Hinc verò quid deducere licet ad propositum Recentioris? Planè nihil, nisi evidentem assertionis ipsius falsitatem?

Patet ergo, principium illud reflexum, ex quo Recentior argumentatur, esse falsum, & à sana doctrina alienum.

§. II.

Ad aliud argumentum vulgare ejusdem, & aliorum Recentiorum.

60. HAud minùs verò exorbitat à veritate, & ab omni sana doctrina, quod hic idem Recentior non semel repetit, & alii etiam non nunquam usurpant: nempè, Summos Pontifices, dum alias opiniones damnavere, si benignam sententiam damnabilem esse censuissent, non omissuros ipsam quoque damnare: maximè, cùm non posset de illa sæpè sermo nō incidere, & occasio peropportuna, ut quando damnaverunt hunc eundem articulum, de quo modò diximus, & alios similes inducētes nimium abusum benignæ probabilitatis. Igitur, eò ipso, quòd illam non expressè damnarunt, tacitè saltem significare voluerunt, eam esse doctrinā nullâ dignam censurâ, sed innoxiam, tutam, & sanam. Tantum igitur abest, ut benigna sententia ex præfatis Decretis Pontificiis concludi possit virtualiter damnata, ut potiùs ex eisdem concludatur, ab omni nota, & suspicione libera, & implicitè saltem approbata.

61. Vulgarem hunc discursum millies audivi; sed ab hominibus levioris notæ, & qui vulgaria quæque sine examine ullo, & suscipiant, & proferant, pro sustinendo suo, quem amant, sed non cognoscunt, Probabilismo. Miratus verò sum non mediocriter, dum illum in laudato Recentiore, homine non indocto, haud semel iteratum inveni. Porrò argumentum hoc nimis absurdum videtur, cùm iidem ipsi Pontifices per sua memorata Decreta illud clarè, ac signanter reprobaverint, & consequenter omnem occasionem, omnemque ipsius excusationem præciderint.

62. Notorium est, Alexandrum VII.

VII. in suo priori Decreto damnavisse hunc articulum ordine 27. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat, rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Insuper Innocentius XI. in ipsa præfatione Decreti sui signanter, & expresè declarat, intentionis suæ non esse *alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet, & ex quacunque parte exhibitas, vel exibendas, ullatenus approbare.* Quam igitur, post hæc, excusationem habere poterit, qui benignam sententiam ex eo arguerit non esse damnabilem, immò à Sede Apostolica tacitè saltem esse approbatam, quòd per memorata Decreta expresè rejecta non sit, aut cum aliis damnatis opinionibus aliquâ censurâ notata?

63. Cæterùm præscindendo ab his expressis Summorum Pontificum protestationibus, aut declarationibus, quis Theologus cordatus seriò arguere potest, aliquam opinionem moralem esse verè probabilem, tutam, ac sanam, ex eò solum quod à Sede Apostolica patienter toleretur (etiam per multum temporis), aut expresè non rejiciatur? Nemò profectò ignorat, plurimas opiniones in materia fidei, & morum, post diuturnam earum tolerantiam damnatas tandem esse, & à fidelium praxi proscriptas, tanquam doctrinas pravas, & noxias. Nemo item audebit affirmare, aliquas opiniones, etiam antiquas, quæ modò permittuntur, & tolerantur, non posse tandem aliquando damnari, & à tota Ecclesia proscribi. Quid ergo? Et illæ ante damnationem, & istæ interim, dum non damnantur, hoc ipso verè sanæ, probabiles, & tutæ sunt? Hoc ipso tacitè approbari censentur ab ipsa Apostolica Sede? Quis dicat? Alioqui Summi Pontifices non nisi falsò poterunt affirmare, illas se ab Ecclesia proscribere, & à fidelium praxi prohibere, eò quòd pravæ, ac noxiæ moribus Christianis sint, & animarum saluti pernicioſæ.

64. Enimverò Ecclesia Catholica sinceritatem moralis doctrinæ ardenter quidem amat, & solicitè semper procurat. Sed zelum habet prudentem, & verè secundùm scientiam, quo Magistri divini sui monitis salutaribus informata novit patienter sinere, ut zizania inimici hominis (idest, dæmonis, ut exponitur Math. 13. passim, immò & exposuit Dominus ipse) simul cum ipso tritico crescant, donec tempus advenerit opportunum eradicandi illa, nullo, vel minimo, tritici detrimento. Interim verò quandiù non eradicat, non ideò illa tanquam triticum probat (neque enim potest improbanda probare); sed ex tunc potiùs triticum in horrea sua tempore suo congregandum decernit, zizania verò in ignem destinat, ac reservat.

65. Ubi per occasionem notanda est, & maximè abservanda, quædam doctrina Doctoris Maximi, optimam reddentis rationem patientiæ, & providentiæ Patris familias in eradicandis zizaniis: *Inter triticum* (inquit), *& zizania, quod appellamus lolium, quandiu herba est, & nec dum calamus venit ad spicam, grādis similitudo est, & in discernendo nulla, aut difficilis distantia.* Ob id nimirum jussit Pater familias, ut tempus messis expectaretur, ut ex spica, (videlicet ex fructu) appareret clarum discrimen, & fallax evanesceret similitudo. Nihil illustrius, nihil efficacius contra modernum Probabiliſmum, aut quod magis confirmet veritatem nostræ sententiæ, discrimēque, quod supra reddidimus nostræ à benigna probabilitate. Hieron. in cap. 13. Math.

66. Utique per zizaniam, & per triticum, intelligi non tantùm Ecclesiæ homines bonos, & malos (ut Dominus exposuit), verùm etiam doctrinam malam, & bonam, per quam scilicet homines ipsi fiunt boni, vel mali, certum, & obvium est ex sacris interpretibus. En igitur, doctrina quæque moris, si falsa sit re-

ipsa, etiam si veræ simillima sit, adeò ut ab illa discerni non possit, non verè triticum, sed zizania est, neque Christum, sed dæmonem habet auctorem, neque probos, sed pravos homines facit, nec aliquando à Domino probatur, aut recipitur, sed cum ipsis pravis hominibus tempore suo projicienda est. Hæc Domini doctrina. Quid igitur dicemus de moralibus opinionibus, quæ cùm sint minùs tutæ; non tantùm coram Deo, sed & apud nos, falsæ sunt, vel saltem falsis similes æquè, aut magis, quàm veris, quales sunt opiniones æquè, aut minùs probabiles? Quid denique de sententia benigna omnes opiniones hujusmodi generaliter approbante, & ut tutam, ac rectam, agendi regulam statuente?

67. Hoc argumentum nobis fusiùs alibi prosequendum leviter hìc adumbrasse sufficiat. Et sufficiet opinor ei, qui sincero, & attento animo vim nostræ consequentiæ perpenderit. Quòd si Probabilistis non sufficiet, ut aliquando tandem desistant ab irrito suo conatu faciendi homines bonos per doctrinas malas, & falsas, interim dum plura non damus, audiant saltem hic Augustinum: *Quoniam in doctrina bona, & bonus potest esse, qui audit, & facit, & malus, qui audit, & non facit: in doctrina verò mala, & qui eam veram putat, quamvis ei non obtemperet, malus est, & qui obtemperat, pejor est.* Aug. li. de Fide, & operi. c. 27. Vide, Lector, & confer accuratè, quid sit error moralis in Theologia Magni Augustini, & quid in Theologia benigna: nam utra ex illis sit præferenda, consideratione non eget. Sed jam ad propositum nostrum, si quid tamen ab illo digressi sumus.

Nullum igitur possunt Recentiores pro benigna sua sententia probabile argumentum desumere ex eo, quòd à Sede Apostolica hucusque tolerata sit, aut expressè non sit damnata; quid enim hoc argumentum probet, affatim, ut existimo, patet ex dictis.

68. Accedit, quòd non solùm nulla ratione probata sit: immò verò non paucis, nec levibus indiciis compertum est, ipsam Christi Vicariis admodùm displicuisse, ut vix indignationis Apostolicæ Sedis evadere fulmen potuerit, *incertum, quanto tempore permansura esset intacta*, de quo non nihil supra, & mox etiam plura dicemus. Sup. art. 1. §. 1.

69. Tandem præter hæc omnia ex ipsis Pontificiis Decretis, quibus aliæ opiniones confixæ sunt, rectè concludimus non unico argumento illam esse, saltem virtualiter, positivè quoque damnatam. Et nunc quidem ex damnatione tertii hujus articuli de praxi tenuis probabilitatis hoc ipsum efficaciter ostendimus. Nam quòd damnetur praxis cujusvis opinionis tenuiter tantùm probabilis generaliter in quacunque materia, & in terminis propriis benignæ probabilitatis, nec alius sit Decreti Pontificii legitimus, ac proprius sensus, solidè, ut reor, monstratum est: nec Recentiores ipsi diffitentur, nec in principiis Probabilistarum potest in quæstionem vocari, ut nuper ex præmissis legitimè deducebamus. Sup. art. præced. §. ult.

§. III.

Frustra argumentum contra nos retorquetur.

70. VErùm & hoc argumentum nostrum contra sententiam nostram retorquere molitur prior ille Recentior supra laudatus. Nempè probabilioritas moralis opinionis, quam nos adstruimus conscientiæ regulam, admittit etiam magis, & minùs, neque in indivisibili consistit: ergo opinio probabilis in via nostra (idest, probabili contrariâ) potest esse minùs probabilis comparativè ad aliam opinionem in eadem via probabilem.

71. Hinc verò, si quid valet discursus noster, quem contra Recentiores expendebamus, infertur evi- Sup. art. 2. §. 2.

den-

denter, in via quoque nostra necessariò admittendas esse opiniones tenuiter, aut exiguè probabiles, quidquid sit, an quæcunque probabilitas nostra sit absolutè magna in se, & ex suo genere, vel comparata ad aliam probabilitatem inferioris alterius generis. Vel igitur hæc tenuis probabilitas damnata quoque est; & sic sententia nostra damnationem non fugit: vel si dicatur non esse damnata, eò quòd tenuis absolutè non sit, sed ex propria sua ratione probabilitas vera, & absolutè solida, ac magna; tantundem dicunt Probabilistæ: unde benigna ipsorum sententia hoc saltem argumento nostro non rectè concludetur damnata.

72. Retorsio hæc, prioris argumenti retorsioni similis est, similique æquivocatione laborat. Libuit tamen illam producere, nequid videamur dissimulare, quod Recentiores possint utcunque ad argumētum nostrum reponere.

Breviter ergo dicimus, quod supra jam expositum manet, probabile in nostris principiis nihil aliud esse, quàm verum, non quidem scientificè, aut evidenter cognitum, sed opinativè duntaxat, & per judicium absolutè fallibile; non tamen inconstans, ac fluctuans, sed firmum, & quodammodò immobile morali quadam immobilitate: hoc est, post sufficiētem veritatis indaginem conceptum citrà omnem inordinatam affectionem ex motivis, vel unicè verosimilibus, vel sensibiliter verosimilioribus, & notabiliter præponderantibus oppositæ partis motivis. Unde patet, probabile in via nostra quoad rectum, & substantiam suam, cosistere in indivisibili, in ipsa scilicet reali veritate, quæ non admittit magis, & minùs.

73. Fatemur quidem fallibilitatem, seu certitudinem imperfectam, quæ affectio quædam est, & modus judicii probabilis, esse posse majorem, aut minorem: atque adeò ex hoc capite non abnuimus, unam opinionem probabilem esse aliâ probabiliorem; quia non omnis assensus verus æquali certitudine, aut firmitate, intellectum determinat, & adhærere facit objecto; sed majori, aut minori pro ratione motivi magis, vel minùs de se fallibilis, magis, vel minùs perfectè cogniti. Consequenter non diffitemur, etiam in via nostra inveniri opiniones ex modo suo tenuiter probabiles comparativè ad alias probabiliores intra terminos proprios, veræ, ac legitimæ probabilitatis.

74. Verùm quid inde? Profectò praxim hujus, tenuis, sed veræ probabilitatis, nullo probabili fundamento affirmari potest damnata, neque argumentum nostrum contra ipsam aliquam, vel leviſſimam, vim habet. Utique probabilitas ista ex se, & ex proprio genere suo, solida, ac vera probabilitas est, ut Theologi omnes Catholici sine dissidio ullo fatentur. Immò Probabilistis Recentioribus propterea tantopere displicet, tanquàm regula exacta, & necessaria ad honestè agendum, quia nimiùm ipsis stricta videtur. Præterea ab ipsa Sede Apostolica videtur non obscurè approbata per dānationem sententiæ nimis rigidæ aliquorum Tutioristarum damnantium praxim omnis opinionis probabilis, & exigentium ad honestè operandum judicium absolutè certum, & evidens: quæ sentētia his verbis expressa, *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*, est articulus tertius ab Alexandro VIII. damnatus in supra memorato Decreto.

75. Denique (quod, vel unicè, sufficit) nemo ex illis Auctoribus, qui docuerunt articulum damnatum de praxi tenuis probabilitatis, loquebatur in sensu nostro, cùm nemo illorum esset Antiprobabilista, seu nostræ sententiæ professor, ut patet ex scriptis ipsorum. Quo ergo fundamento credere quis, aut suspicari possit, Decretum Pontificium attingere tenuem hanc nostram probabilita-

litatem ? At nulla ex his rationibus, sed oppositæ omnes, procedunt de benigna Recentiorum sententia, ut ostensum à nobis est: igitur sola hæc ex prædicto Decreto legitimè damnata concluditur, nec argumentum nostrum jure aliquo potest, contra sententiam nostram inflecti.

CONTROVERSIA TERTIA.

Ex eodem Decreto Innocentii XI. damnantis secundum articulum de Judice judicare potente secundum opinionem minùs probabilem, validum argumentum conficitur contra Probabilismum Recentiorum.

ARticulus ille damnatus his verbis reperitur expressus, *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxtà opinionem etiam minùs probabilem.* Jam, quod novellus Probabilismus cum istius articuli damnatione apertè quoque pugnet, multipliciter demonstremus.

ARTICULUS I.

Status controversiæ ante Decretum, & origo opinionis hìc damnatæ, cum quadam reflexione notanda.

§. I.

Quid olim de re ista Theologi senserint ?

1. QUæstionem de opinione, qua judex uti debeat in ferenda sententia judiciali, sicut & alias plures quæstiones antiquæ Theologiæ non cognitas, protulit nova Theologia Recentiorum; vix nanque, aut ne vix quidem ante natum modernum Probabilismum Theologus aliquis dubitaverat, aut in quæstionem unquàm adduxerat, utrum judex in dubiis juris, aut facti, in quibus varia utrinque argumenta sunt incertam veritatem reddentia, definitam sententiam ferre posset pro parte minùs apud se verosimili, aut sibi absolutè non vera.

2. Et quis, precor, quæstionem specialem de re ista seriò moveret, nisi in mundum veniset Probabilismus, cùm omnia simul jura, naturale, divinum, & humanum, ubique clament judicis munus esse lites, & dubia exorta decidere per veritatis manifestationem, & jus, quod sibi competit, rectè, ac fideliter unicuique tribuendo ? Id enimverò ipso rationis lumine persuasum semper firmiter fuit cunctis etiam barbaris gentibus, apud quas nullus judex profiteri non erubesceret, quod in aliqua causa sibi proposita definitam sententiam protulisset, quam veram ipse non existimasset. Id passim Deus in Scripturis suis deposcit ab humanis judicibus, quos etiam severissimè arguit, & terribiliter sæpiùs reprehendit, eò quòd in judicio veritatem non teneant. Id demum jus humanum utrumque, Canonicum scilicet, & civile, multis sanctionibus præscribit, ac docet, non quasi novam aliquam legem instituens, sed quasi veritatem omnibus notam, & ipsam naturalem æquitatem appellans.

3. Cæterùm, ubi primùm Probabilismus recens antiquis Theologis pariter inauditus incepit caput attollere, & novum in scholas Catholicas opinandi modum invehere, extemplo pariter cæpit dubitari, & acriter utrinque contendi de veritate hac, ad id tempus ultrà omnem quæstionem constituta. Et quidem ure-

me-

meritò, cùm ex altera parte admissis novi Probabilismi principiis, vis consequentiæ maxima, ac planè insuperabilis, fermè inevitabiliter raperet intellectum ad assensum articuli damnati: ex alia verò consequentis horror, & nimis de se patens absurditas, haud minori efficacia deterreret, & in ejus dissensum traheret, vel invitos.

4. Hinc factum est, ut Probabilistæ in hac nova sua quæstione invicem à se ipsis discesserint, & in contrarias sententias jerint: alios videlicet Logicæ observantia, alios Theologiæ reverentia abripuit.

5. Nos ergo in hac quæstione Probabilistis olim difficili, sed à Sede Apostolica infallibiliter jam decisa, partim cum utrisque sentimus, partim ab omnibus dissidemus. Censemus utique, eos, qui asseruerunt, judicem posse licitè ferre sententiam juxtà opinionem, etiam minùs probabilem, optimam consequentiam tenuisse, sed docuisse pessimum consequens: è contra verò eos, qui facultatem illam judici negaverunt, optimum consequens tradidisse, sed pessimam tenuisse consequentiam. Enimverò, quòd consequens illorum pessimum sit, istorum autem optimum, certò jam constat omnibus Catholicis ex decisione Apostolicæ Sedis, adeòque nulla eget disputatione. Quòd autem illi optimam, hi verò pessimam consequentiam tenuerint, muneris nostri demonstrare est, quod &, annuente Deo, abundanter præstabimus per totam controversiam præsentem.

6. Ante verò quàm illam aggrediamur, operæ pretium sit adnotare, Doctores, qui prædictæ consequentiæ inevitabili necessitare abducti consequens damnatum docuere, nec paucos fuisse, nec solùm ex Casuistis (quibus sententiam illam fuisse communem, & Delrius asserit, & Diana refert non improbans), sed quàm plurimos potiùs, atque præcipui nominis. Ad septuaginta saltem notatos habeo, quorum nomina propria, & distinctas allegationes hic etiam jam scripseram majori ex parte; sed omittere satiùs visum est tædii, & prolixitatis vitandæ gratia, cùm videri, si placeat, facilè possint apud Dianam, & alios Recentiores.

Delr. li. 5. Disquisit. magic. q. 1. §. *Quotiesc. cunq.* Dian. p. 2. tr. 13. resol. 3.

§. II.

Reflexio.

7. NEmo sit, ut opinor, si ad tantum, tamque insignium Auctorum numerum reflectere seriò voluerit, qui non facilè advertat, atque miretur eam, quam prænotavimus, consequentiæ inevitabilem necessitatem. Quid enim aliud potuit tot viros adeò pios, ac doctos, in errorem tam fædum, tamque pernicioſum adigere? Res ipsa loquitur; nam argumenta suppetunt nimis patentia.

8. Nam quandiù ex principiis solidæ, & antiquæ Theologiæ dubia moralia resolvebantur, nullus fuit aliquando clari, aut obscuri nominis Doctor, qui absurdam illam opinionem docuerit. Statim verò, ac novus Recentiorum Probabilismus nova principia moralia invexit, novasque dedit conscientiæ regulas, plurimi, ac vix non omnes, quibus illæ placuerunt, in errorem prædictum, miserabiliter lapsi sunt. Est autem lapsus iste argumentum moraliter planè convincens, errorem hunc ex ipso novo Probabilismo, tanquàm ex proprio fonte, manare; effectus enim adeò difficilis, ante alicujus causæ determinatæ adventum, nunquam in mundo visus, apparens verò statim cum ipsa causa, & eâdem perseverante, non rarò, sed frequenter, repetitus, morali certitudine se probat ejusdem causæ prolem legitimam, ut obviis possit exemplis demonstrari.

9. Præterea: Auctores illi, nemine discrepante, & sententiam benignam

gnam, quam propugnabant, & prædictam damnatam opinionem, tanquam legitimum ejus corollarium, ex eisdem principiis deducebant, nec aliquis eorum unquam invenit specialem ullam rationem, ut posset judex licitè ferre sententiam secundùm opinionem minùs probabilem, præter illas, quibus utuntur cæteri omnes Probabilistæ, ut universaliter probent licitum usum cujusvis opinionis faventis libertati cõtra legem, & simul minùs operanti probabilis, dummodò verè probabilis sit juxtà sensum moderni Probabilismi. Immò verò graviores, aut saltem patentiores, in ea peculiari materia, occurrebant statim difficultates, quibus illius opinionis damnatæ falsitas absoluta convincebatur; quas tamen ipsi, fixis, atque suppositis Probabilismi sui principiis, facillimè solvebant, aut contemnebant, ut ex eadem suppositione nos etiam illas facillimè solvemus.

10. Tandem nullus eorum, quibus modernus Probabilismus, & ipsius principia nunquam placuerunt, prædictam opinionem de judice aliquando sectatus est, aut sibi, vel levissimè placere ulla ratione significavit; sed omnes potiùs illam vehementer sunt aversati, etiam postquàm tot gravium, prudentumque virorum, communem plausum, & suffragium obtinuit.

Hæc autem omnia, si bene ponderentur, & sincerè animadvertantur, vel se solis, sufficiunt persuadere, benignam Recentiorum sententiam, & opinionem illam damnatam, eodem prorsus cardine verti, nec, alterâ rejectâ, alteram posse ab aliquo propugnari, nisi per manifestam inconsequentiam.

11. Interim verò quidam Probabilistæ, & ante damnationem ajebant, & modò etiam libentiùs ajunt, prædictam opinionem de judice non fuisse unquam, ne probabilem quidem, in sensu ipsorum Probabilistarum. Sed planè hi Recentiores suorum principiorum obliti sunt, & opinionem ipsam damnatam absolutè, & in se consideratam longè absurdissimum, ac falsissimum erat, etiam antequam damnaretur. Cæterùm cõsequentiam rectissimam, & evidentem esse censemus cum communi sententia Theologorum, & Casuistarum, testibus ipsis Probabilistis, ex quibus adeò numero multi, & auctoritate potissimi, eandem consequentiam tenuerunt, & tanquam infallibilem tutati sunt. Et quidem argumenta, quæ Recentiores proferunt contra illam damnatam opinionem, probant quidem, & optimè, consequentis absurditatem, verùm necessitatem consequentiæ, ne levissimè quidem amoliuntur. Eâ verò ratione, qua consequentia recta sit, ac legitima, debet opinio illa damnata probabilis, immò & vera, censeri in via Probabilistarum, qui benignam sententiam suam, non modò tanquam veram, sed tanquam prorsus evidentem tuentur. Porrò juxtà Dialecticæ principia *ex vero nunquam sequitur falsum*.

13. Patet igitur, eos Recentiores suorum principiorum fuisse prorsus immemores, & non nisi per nimiam, ac vix credibilem inconsequentiam asserere aliquando potuisse, opinionem damnatam, de qua modò, etiam antequàm damnaretur, non fuisse, ne probabilem quidem; quæ fuit sanè mirabilis assertio, maximè cùm passim videamus, quot, & quales morales opiniones, tanquam certò probabiles, ac tutæ, ab ipsis Recẽtioribus circunferantur.

14. Sed fatemur, præfatos Recentiores non frustrà, aut sine causa apertam consequentiam deseruisse, sed immobili illa necessitate coactos, qua benignam sententiam pugnacissimè

simè tenent. Nam, cùm viderent opinionem illam, vel apud ipsum vulgus, pessimè audire, cùmque non ignorarent, Summos Christi Vicarios modernæ Theologiæ morali non parùm infensos esse, ad ipsamque expurgandam, ac coercendam, seriò, & instanter animum intendisse, cæperunt opportunè sibi consulere, ne fortè illius opinionis damnatio, quam brevi præsagiebant futuram, benignam secum sententiam involveret, si ex eisdem cõmunibus principiis prædictam opinionem de judice, faterentur esse probabilem.

15. Idcircò Caramuel, Terillus, & alii quidam Probabilistæ, qui omnes ferè post Alexandri VII. promulgatum Decretum scripsere, eam non tantùm de falsitate, verùm etiam de practica improbabilitate notarunt. Cùm tamen juxtà Caramuelem nulla opinio moralis practicè improbabilis sit, cujus falsitas certò, & evidenter non demonstratur. Cùm itidem Terillus sibi ipsi apertè contrarius, ingenuè fassus aliquando sit, prædictam opinionem fuisse olim probabilem. Neque tamen hoc mirum debet absolutè censeri, si cum iis, quæ communiter Probabilistæ docent, conferatur; nam id totum, & multò plura modernus capit Probabilismus, juxtà quem regula dignoscendi moralem probabilitatem, nullo principio certo consistit, sed est admodùm incerta, & arbitraria; de quo non semel in decursu dicemus. Sed, qui observare velit modernos libros Probabilistarum, nihil, ut dicamus, egebit.

Terill. 1. p. de Regu. mo. q. 20. n. 5.

ARTICULUS II.

Discursu ad homines evidenti, ac palmari, convincitur, prædictam opinionem damnatam ex benigna sententia Recentiorum inevitabilem esse sequelam, etiam cum incremento absurditatis.

16. Discursum alibi leviter jam attigimus. Hic tamen, ut in propria sede sua, fusiùs, ac diligentiùs exponendus à nobis est, quippè qui rem palmariter (ut ajunt) prorsusque evidenter convincere videtur.

§. I.

Præmittitur doctrina Terilli, & Recentiorum Probabilistarum de insufficienti legis promulgatione contra quam datur opinio probabilis.

17. Revocanda in memoriam est illa fundamentalis Terilli assertio, ad quam tanquàm ad ultimum asylum confugit, & quam ex ipso cæteri Recentiores avidissimè mox arripuerunt.

Nempè, cùm nulla principia reflexa, quibus tota moderni Probabilismi machina struitur, consistere posse videret, si lex illa directa, de cujus existentia, vel sensu, hinc inde probabiliter disceptatur, existeret re ipsa, & veram vim obligandi haberet: ut pro mirabilis fabricæ structura montem istum loco moveret, primus, ac sine duce asserere non dubitavit, legem illam, hoc ipso quod probabiliter, licèt falsò negaretur existere, aut obligare, deficere re ipsa, & quoad substantiam suam, neque manere in ratione legis, nisi purè Grammaticaliter, idest, nomine tenùs, & unicè quoad sonitum vocis inanis; re tamen ipsa legem non esse, neque habere de se vim ullam in conscientia obligandi, potiùs quàm si nunquam lata fuisset.

18. Hujus mirabilis assertionis rationem, eamque ineluctabilem, ut putabat, ex eo Terillus petebat, quòd lex in dicta hypothesi sufficienter non esset promulgata: lex verò sufficienter non promulgata reverà non est lex, neque vim ullam habet ad obligandum, potiùs quàm si lata non esset; nam legis promulgatio, ut est Doctorum omnium certa sententia, est de substantia ipsa, & conceptu essentiali legis, quæ

proinde subsistere non potest, neque habere re ipsa vim ullam in cōscientia obligandi, si ejusdem promulgatio deficiat.

19. Assertum istud verè prodigiosum, & à seculis non auditum, esse totius molis Probabilismi basim, atque principium primum, & ultimum, in quod cætera omnia resolvantur, & quo ruente, tota machina ruat, patentissimum fecimus in superiori libro ad controversiam sextam per totum articulum primum; quem si fortè non videris, quæso te, Lector, per salutem tuam, ne non graveris attentè legere, & totam simul illam controversiam, qua luce ipsa clariùs demonstratum invenies, hujusmodi principium Recentiorum, & primum fundamentum Probabilismi (si accipiatur, ut debet, de stricta, & propria legis promulgatione, quæ sola spectat ad substantiam ejus) esse incredibile paradoxum non tantùm omni carens auctoritatis fulcro, sed etiam positivè contrarium doctrinæ communissimæ Auctorum omnium, etiam ipsorum Probabilistarum, repugnans evidenter indubitatis utriusque Juris principiis, etiam ipsi paginæ sacræ, & ex quo mille ingentia consequantur mostra, & absurda.

20. Quòd verò promulgatio, de qua Recentiores loquuntur, propriè, & strictè sit accipienda, & ibidem ostendimus, & ex se patet; quia alioqui ipsorum discursus, non solùm ad propositum inutilis, sed ridicula foret, ac futilis petitio principii. Ceterùm ne de voce promulgationis (qua sæpè Terillus abutitur) inutiliter contendamus, neve cavillis, aut æquivocationibus, patiamur veritatem confundi, illud hìc tanquam certum statuendum omninò est, defectum ejus promulgationis, de qua Recentiores loquuntur, ita enervare virtutem legis, ut nulla possit quæstio supereſſe de ipsius legis obligatione. Audi Terillum ipsum: *Ridiculum* (ait) *esset, si supposita negatione sufficientis promulgationis de lege, adhuc ipsius obligatio quæreretur.* Pluribus non est opus ad propositum nostrum. Terill. t.p. de Regu. mo. q. 35. n. 28.

§. II.

Demonstratur proposita sequela cum absurditatis excessu.

21. QUoties prorsus est certum, & exploratum, legem non esse satis promulgatam, proindeque non esse legem re ipsa, nec ullam ex se habere vim obligandi, sicut cuilibet licet impunè agere contra illam, sic etiam judex potest, immò debet omninò, litem contra illam decidere, & pro parte legi contraria absolutam sententiam ferre. At quoties datur opinio aliqua æquè, vel etiam minùs probabilis negans, vel existentiam, vel extensionem legis ad casum illum particularem, de quo quæstio, aut lis instituitur, toties est certum, & exploratum juxtà modernos Probabilistas, legem non esse satis promulgatam, proindeque nec esse legem re ipsa, nec ullam ex se habere vim obligandi. Ergo poterit judex, immò omninò tenebitur, litem contra legem decidere, & absolutam sententiam ferre juxtà opinionem illam minùs probabilem, hoc est, pro parte legi contraria. Nihil non evidens in hoc discursu est. Major est per se nota: Minor ipsa doctrina Recentiorum, & moderni Probabilismi fundamentorum omnium fundamentum. Denique de illatione dubitare non licet: cùm tamen opinionem de judice damnatam concludat ex benigna sententia cum magno absurditatis incremento, de quo post pauca. Quid igitur hìc plura?

22. Sed tamen placet adhuc generalem doctrinam majoris distinctionis, & claritatis gratiâ exemplis illustrare particularibus.

Contendunt apud judicem Joannes, & Petrus de proprietate va-

vacantis majoratus, quem neuter eorum possideat. Petrus prævalet Joanni jure propinquitatis, & ideò majoratus ad ipsum pertineret sine dissidio ullo, nisi obviaret jus positivum, quod Joannes contra Petrum allegat, contendens, Petrum ex jure isto penitùs esse excluſum à possessione talis majoratus ob defectum particularem, quem Petrus celare non potest. Judex, causâ discussâ, & diligenter examinatâ, invenit duas contrarias opiniones, utique peritorum, ac gravium juris interpretum suffragio munitas, & quæ ambæ communiter probabiles habeantur; eam tamen, quæ docet, Petrum excluſum esse ex illo jure, adeòque majoratum ad Joannem spectare, & censeri communiter, & sibi etiam absolutè videri oppositâ opinione magis probabilem. In hypothesi ista ajebat opinio damnata, judicem posse licitè, & justè contra Joannem ferre sententiam, & majoratum adjudicare Petro juxtà opinionem illam minùs probabilem.

23. Id verò esse rectissimè dictum, & esse adhuc necessariò dicendum ab omnibus, qui nolint abjurare Probabilismum, statim evidenter apparet. Nam jus favens Joanni, & unicè præjudicans Petro in hypothesi dicta, re ipsa non est jus, neque vim ullam habet ad obligãdum, cùm sufficienter promulgatum non sit, juxtà principium fundamentale recentium Probabiliſtarum. Atqui, jure illo secluso, certum est, majoratum ad Petrum pertinere, ut supponitur: ergo judex licitè potest pro ipso Petro ferre sentẽtiam juxtà opinionem illam minùs probabilem, & majoratum adjudicare ipsi, prout contendebat opinio damnata. Immò verò (en excessum absurditatis) non modò judex sic judicare potest, sed neque potest licitè aliter judicare, ut statim apparet intuenti; quòd nec damnata opinio asserebat, nec in ullius mentem, aliquando venit asserere.

24. Subjiciamus exemplum adhuc distinctius. Ponamus, opinionem asserentem, testamentum non conditum secundum Juris solemnitates esse re ipsa invalidum (saltem quoad legata non pia), neque jus ullum hæredi conferre, vel in interno, vel in externo foro: ponamus, inquam, hanc opinionem, & haberi communiter, & judici quoque videri probabiliorem opinione contraria, quæ tamen gravium Doctorum est, & probabilis etiam reputatur. Cajus hæres in simili testamento institutus litem intendit Titio hæreditatem adeunti ex jure successionis ab intestato. Tum verò judex ille quid agat? Certè juxtà principia Probabiliſmi non modò poterit, sed omninò debebit judicare pro Cajo contra Titium secundùm opinionem minùs probabilem, quæ licèt talis, sufficiens tamen est, ut leges irritantes testamentum prædictum, neque leges re ipsa sint, nisi purè Grammaticaliter, neque vim ullam obligandi habeant, ut fert capitale principium recentium Probabiliſtarum: iis verò legibus deficientibus, certum est testamẽtum naturæ jure validum, ac ratum esse, adeòque hæreditatem ad Cajum spectare.

25. At eadem est ratio sub terminis similibus de cæterarum legum valore: ergo & eadem judicis licentia est ad decidendas similes causas: immò non licentia tantummodò, sed & stricta quoque obligatio. Evidens ergo sit, opinionem damnatam de potestate judicis ad judicandum secundùm opinionem minùs probabilem, sequelam esse penitùs infallibilem ex benigna sententia Recentiorum. Immò, & absurdius aliquid cõcludit benignitas Probabiliſtarum, nempè, non solùm judicem in casibus propositis, ac reliquis similibus, licitè posse ferre sententiam juxtà opinionem, etiam minùs probabilem, quod damnata opinio asserebat; sed neque posse licitè judicare secundùm opinionem proba-

biliorem, quod nemo hactenus dixit.

§. III.

Evasionis præclusio.

26. HAud facilè videatur credibile, aliquam evasionem esse tentandam. Sed sit aliquis fortè, qui velit hìc etiam nebulas reflexionum offundere, quibus veritas saltem evidens non appareat. Dicat ergo, non sequi ex benigna sententia, quòd judex aliquando licitè judicet secundùm opinionem minùs probabilem absolutè, & inspectis omnibus, non solum principiis reflexis immediatè, ac proximè practicis, verùm etiam remotis,& speculativis. Ratio est quia opinio, exempli gratia, negans in eventu proposito testamentum irritum esse, licèt secundùm se, & inspectis rationibus, ac principiis tantùm directis, minùs probabilis reputetur; inspecto tamen illo reflexo, ac generali principio Recentiorum de insufficienti promulgatione legis, contra quam datur opinio probabilis, non modò probabilior, sed etiam penitùs certa est: quia certum est apud omnes Doctores, legem non sufficienter promulgatam, neque legem esse re ipsa, neque vim ullam habere ad obligandum. Ergo judex in causa illa (& eadem est ratio de reliquis similibus) pronuntians, testamentum validum esse, adeòque hæreditatem ad Cajum spectare, non fert sententiam secundùm opinionem absolutè minùs probabilem.

27. Miserum planè est, sed neque minùs inevitabile pro conditione materiæ præsentis, quòd solutiones etiam ejusmodi refellere seriò debeamus. Nam, ut scitè quondam Tertullianus ajebat, *Multa sunt sic digna revinci ne ipsa gravitate adorentur*. Tertull. in Apolog.

Porrò solutio ista sequelam, quam objicimus, non declinat, sed imprudenter potiùs concedit, adeòque non solutio nostri argumenti, sed vana quædam elusio Decreti Pontificii absolutè dicēda est. Rogo enim, an audeant Recentiores absolutè tandem asserere, judicem in propositis eventibus posse licitè judicare juxta opiniones illas secundùm se, ac directè minùs probabiles, quidquid sit de majori probabilitate reflexa, aut etiam certitudine absoluta, quæ ab illo generali, & reflexo principio in eas opiniones derivatur? Affirmet opus est, quisquis volet solutionem exhibitam sustinere. Immò solutio ipsa nihil aliud affirmat. Verùm hoc quid est aliud quàm sustinere adhuc velle damnatam opinionem, & damnationem ejus impiè contemnere?

28. Enimverò Doctores, qui tenuere prædictam opinionem damnatam, nihil aliud docebant, quàm judicem licitè posse absolutè, & inspectis omnibus, definitam ferre sententiam juxtà opinionem secundùm se, ac directè minùs probabilem: id autem ipsum,& non aliud negabant, qui opinionem oppositam tenebant, hæc enim erat quæstio reflexa, de qua utrinque decertabatur. Pontifex quæstionem decidit damnando affirmativam opinionem, tanquàm scandalosam, ac pernicioſam; & negativam absolutè probando, tanquàm doctrinam veram, ac sanam. Et licebit Catholicis post hæc asserere, judicem absolutè, & inspectis omnibus, licitè posse ferre sententiam juxtà opinionem secundùm se inspectam, & directè minùs probabilem? Licebit utique, si fortè liceat irridere, cùm libeat, atque pessundare Decreta Apostolicæ Sedis. Alioqui precor, quid Pontifex damnavit? An ne, quòd judex habeat facultatem prædictam, attentis solùm principiis directis; secus verò quod illam habeat absolutè, & inspectis omnibus? Certè, qui sic auderet Decretum Pontificium exponere non solùm otiosam, ac vanam, sed nimis imprudentem, ridiculam, ac de-

delusoriam comminiscatur necesse sit Summi Pontificis providentiam.

29. Profectò posset quilibet per similem licentiam, quamcunque vellet, opinionem damnatam absolutè docere, ac propugnare: & dum redargueretur ex Decreto Summi Pontificis eam opinionem damnantis, promptum esset reponere, damnationem intelligendam de opinione damnata, attentis his, aut illis tantùm principiis, secùs verò absolutè, & omnibus inspectis: se autem invenisse nova quædam principia, & rationes efficacissimas, ad quas Pontifex non respexit, & quibus ea opinio vera esse absolutè, & simpliciter ostendatur. En tibi viam expeditam, ac facilem ad sustinendum, & propugnandum quemcunque errorem damnatum ab Ecclesia: quæ certè nimis fatua, & stulta fingitur, si dicatur damnare, tanquàm scandalosas, & pernicioſas, aliquas opiniones morales absolutè veras, & sanas, ideò solùm, quòd, his, aut illis determinatis principiis inspectis, veras esse non ostendatur: maximè verò cùm severè prohibeat hujusmodi opiniones aliquando docere, immò etiam de illis disputativè publicè, aut privatim tractare, nisi forsan impugnando. Apage vanissima somnia.

§. IV.

Præcluditur evasio altera.

30. Posset prætereà quis hìc obtrudere vulgarem illam, ac tritam distinctionem Probabilistis usitatissimam opinionis probabilis practicè, vel speculativè, per quam ab omni ferè difficultate facillimè se expediunt, si Deo placeat; maximè verò in quæstione ista de facultate judicis ad judicandum.

Ajunt videlicet, opinionem illam de alicujus personæ jure, quæ supponitur minùs probabilis, non esse probabilem practicè, sed speculativè duntaxat; quia, licèt sit probabile, hæredem, verbi gratia, institutum in testamento minùs solemni habere jus ad hæreditatem; non est tamen probabile judicem posse licitè ferre sententiam juxtà opinionem istam, quæ supponitur minùs probabilis, sed potiùs improbabile omninò, & meritò ab Ecclesia damnatum. Nulla igitur datur opinio verè, & practicè probabilis, quæ judici licentiam concedat ad judicandum juxtà opinionem, directè etiam minùs probabilem. At sententia benigna de hujusmodi opinione tantùm procedit; neque enim licitum esse affirmat uti opinione solùm speculativè probabili. Ergo non licet ex benigna sententia deducere ut sequelam legitimam opinionem de judice damnatam.

31. Vulgaris hæc Recentiorum distinctio inferiùs diligenter examinabitur, & quanti sit momenti constabit. Nunc autem ad solvendum argumentum propositum, quod procedit ad homines contra modernos Probabilistas, nimis importunè producitur, nec potest aliquis eâ uti, nisi qui, nec principium Recentiorum, ex quo contra ipsos arguimus, nec argumentum nostrum percalleat.

Nam principium illud de lege sufficienter non promulgata, quod est totius Probabilismi basis, sicut ab omni lege particulari (præsertim positiva) præscindit, sic, & ab omni opinione probabili practicè, vel speculativè. Enimverò juxtà Terillum illius principii inventorem, & Recentiores ipsius assecias, ideò lex, contra quam aliqua opinio existit, etiam minùs probabilis in sensu Probabilistarum, non satis promulgata censetur, quia potest quis non temerè, sed prudenter, dubitare de obligatione, aut existentia legis ipsius; quia prudenter potest præsumere (quin etiam evidenter, ut Terillus ajebat) non fuisse voluntatem legislatoris obligare pro eo eventu, & alia id genus, quæ Terillus producit: du-

dubium autem hujusmodi, seu præsumptio, non cohæret, ait ille, cum sufficienti legis promulgatione.

32. At argumenta ista, vel probant generaliter de omni lege, & de quacunque opinione probabili, vel nihil convincunt, ut patet. Ergo, si verum sit Recentiorum principium de insufficienti legis promulgatione, nulla lex positiva, vel civilis, vel Ecclesiastica, contra quam datur opinio probabilis sufficiēter est promulgata. Et ita sæpè docet, ac supponit Terillus, ut passim apud illum invenies: Tèrill.t.p. de Regu. mo.q. 20.n. 23. *Uno verbo*(inquit ipse) *sola probabilitas de non lege sufficit, ut lex sufficienter promulgata non sit.* At contra omnem legem sufficienter non promulgatam licitè potest judex, immò tenetur, absolutam ferre sententiam, ut compertum est apud omnes. Ergo, si verum sit Recentiorum principium de insufficienti legis promulgatione, ubicunque inveniatur opinio peritorum Juris interpretum, etiam æquè, aut minùs probabilis, negans legem, aut vim ipsius ad irritandum aliquem contractum humanum, aut alium quemvis effectum producendum, licitè judex poterit, quin & debebit, definitam ferre sentētiam juxtà opinionem illam minùs probabilem. Ergo igitur non modò probabile absolutè, practicè, & verè, sed certum penitùs esse debet in via Probabilistarum, judicem posse licitè, immò omninò teneri, in dubiis saltem juris, ferre sententiam secundùm opinionem etiam minùs probabilem.

33. Patet ergo damnatam opinionem de facultate judicis ad judicandum, esse sequelam prorsus inevitabilem ex benigna sententia Recentiorum, etiam cum incremento absurditatis. Neque video, quid possint Probabilistæ ad nostrum hoc argumentum reponere, vel cum exiguo aliquo colore veritatis.

ARTICULUS III.

Ex reliquis principiis Probabiliſmi eadem ſequela convincitur.

34. QUia non omnes Probabilistæ subtilem, & arcanam benignæ suæ sententiæ compagem intimè penetrare noverunt, plures etiam nec curaverunt; erunt fortè, qui, ut se ab hoc nostro argumento expediant, abnegare simpliciter non vereantur novum illud principium à Terillo adinvētum de insufficienti legis promulgatione, ex quo benignæ sententiæ falsitas adeò patenter à nobis demonstratur: Ideòque placet ulteriùs opinionem damnatam de judicis licentia ad judicandum, ex reliquis principiis Probabiliſmi, maximè verò ex illo vulgatissimo, & quo nemo non utitur Probabilista, prorsus indeclinabilem esse sequelam, haud minùs evidenter demonstrare.

§. I.

Communia fundamenta Probabiliſmi, maximè verò illud vulgare, & à priori, quo cuncti utuntur Probabiliſtæ, articulum de judice damnatum inevitabiliter inferunt.

35. EST autem fundamentum à priori, seu vulgare principium Probabiliſmi, illud, quod sæpiùs commemoravimus, *Quiſquis utitur opinione probabili, prudenter operatur &c.* Quod equidem in sensu sæpè expositio tanti apud ipsos ponderis est, tantaque certitudine, & evidentia benignam sententiam demonstrat, ut quasi otiosum laborem reputent aliis rationibus illam suadere; & ideò Recentioribus communiter usitatissimus stylus est, sententiam suam, velut commune dogma, prorsusque indisputabile proponere, uno principio isto leviter insinuato,

ac

ac velut, re confecta, transire, quasi qui veritatem per se notam, cuncti-que compertam docuissent. Rem incredibilem, sed tamen exploratam!

36. Quale re verà sit principium illud in sensu, quem intendunt Recentiores, toto decursu Operis manifestum jam fecimus, præsertim verò li. præced. per totam controversiam octavam, ubi fusè, & exactè illud examinavimus, & plusquam evidentem absurditatem, & falsitatem ejus evicimus. Hic, quàm legitimè Auctores illi superiùs allegati deduxerint ex eo articulum damnatum de judicis licentia ad judicandum juxtà opinionem, etiam minùs probabilem, quæ est assertio nostra proposita, breviter in hunc modum ostenditur.

37. Si verum est Recentiorum principium, prout ab ipsis accipitur, & exponitur ad benignam sententiam demonstrandam, judex sententiam ferens juxtà opinionem, etiam minùs probabilem, rationabiliter, ac prudenter se gerit: igitur licitè, & honestè operatur: ergo, si verum est principium Recentiorum, judex licitè judicat juxtà opinionē, etiam minùs probabilem: ergo prædicti Auctores rectè, ac legitimè ratiocinati sunt, dum ex benigna sua sententia, & principio communi, ac vulgatissimo, quo illam, ut dicunt, à priori demonstrant, concluserunt articulum damnatum de judice judicare potente juxtà opinionem, etiam minùs probabilem. Cætera patent sponte sua.

38. Antecedens videtur etiam certum, & quod probatione non egeat: nam Recentiores principium suum accipiunt & exponunt universaliter de quacunque opinione, etiam æquè, aut minùs probabili, siquidem verè probabilis sit, alioqui malè possent ex illo benignam sententiam concludere. Articulus autem damnatus, & Auctores illum docentes in hoc eodem sensu loquuti sunt; nemo enim asseruit aliquando licere judici judicare juxtà opinionem aliquam, quæ non esset verè probabilis. Atqui juxtà principium Recentiorum quisquis utitur opinione, etiam æquè, aut minùs probabili, dummodò verè probabilis sit, rationabiliter, & prudenter se gerit. Ergo & judex ferens sententiam juxtà opinionem, etiam minùs probabilem.

39. Id ipsum pariter ex aliis argumentis, sive principiis Probabilissimi, legitimè concludere licet, ut singula percurrenti constabit. Utique, si lex dubia hoc solo titulo obligare non potest: si in dubiis prævalet contra legem humanæ libertatis possessio: si incertitudo de sensu legis fundat prudentem, ac certam præsumptionem de intentione legislatoris nolentis quemquam ad legem obligare, *nam si voluisset, id expressisset*, ut fidenter arguit Terillus: si generalis lex obedientiæ obligans subditum ad parendum contra opinionem, etiam sibi probabiliorem, probat licitum usum cujusvis opinionis, etiam minùs probabilis operanti. Si hæc, inquam, omnia, & reliqua argumenta demonstrant sententiam benignam, ut Probabilistæ contendunt, eàdem efficaciâ concludunt prædictam opinionem damnatam de facultate judicis ad ferendam sententiam juxtà opinionem, etiam minùs probabilem, nec jure potest consequens negari ab eo, qui Antecedens tuetur. Hoc non aliunde clariùs suaderi potest, quàm ex disparitatibus, ac solutionibus, quas Recentiores ipsi adhibere nituntur, quasque nos facilè refellemus, postquàm vulgarem hìc solutionem superiùs insinuatam explosérimus.

§. II.

§. II.

Refellitur vulgaris Recentiorum solutio de distinctione opinionis practicè, vel speculativè probabilis.

40. HÆc est communis illa solutio Probabilistis familiarissima, de qua nuper memineramus, & per quam generaliter sequelam hìc objectam, & alias similes, quas objicimus, facilè Recentiores contemnunt.

Nempè discursus noster variat, inquiunt, apertè suppositionem, ideòque nihil potest legitimè concludere; nam principium commune, & à priori Probabilistarum procedit unicè de opinione non speculativè tantummodò, sed practicè etiam probabili: nos verò in consequenti transitum facimus ad opinionem solùm speculativè probabilem.

41. Denique opinio illa minùs probabilis, v.g., de jure Petri ad majoratum, vel hæreditatem, non regulat actionem moralem judicis ferentis sententiam, sed remotè duntaxat, & præsuppositivè se habet; neque enim affirmat licitum esse judici adjudicare majoratum Petro, sed hoc spectat ad quęstionem reflexam ex opinione illa resultantem, in qua nulla probabilis opinio concedit similem licentiam judici: unde is nulla prorsus opinione, quæ verè, & practicè probabilis sit (idest, affirmans honestatem actionis) dirigi potest ad judicandum juxtà opinionem illam directam de jure Petri minùs probabilem. Ita passim Terillus, & Probabilistæ moderni, qui quasi magnum aliquid dixissent, vix non irrident argumẽtum nostrum, quod apertam, & pinguem hallucinationem appellant.

42. Sed enimverò vulgaris hæc solutio nihil re vera continet præter voces inanes, nihil, nisi claram, & futilem principii petitionem. In primis autem falsum est, prædictam opinionem de jure Petri ad majoratum, vel hæreditatem, purè speculativam, & nullo modo practicam esse. Sanè Jurisprudentia, cujus objectum est, justum, vel injustum, non minùs est juxtà omnes practica, quàm Theologia moralis, cujus objectum est, licitum, vel illicitum; etenim, sicut hæc non purè speculatur veritatem objecti, sed dirigit morales actiones, ità etiam illa non sistit in contemplatione veritatis, sed dirigit præterea ad justã decisionem causarũ, & regulat judicia publici fori. Igitur hæc assertio *hæreditas de jure non pertinet ad Titium, sed ad Cajum*, quæ procul omni dubio ad Jurisprudentiam spectat practica est; non minùs quàm ista spectãs ad moralem Theologiam, *Petrus licitè potest contractum hunc, vel illum inire*, nec ullum est utriusque discrimen, nisi materiale duntaxat.

43. Nam quòd illa prior opinio judicem immediatè non dirigat (ut hoc Recẽtioribus demus) ad licitè ferendam sententiam, non probat, eam non esse verè practicam, si dirigat absolutè, ac simpliciter; nam neque posterior opinio in via Probabilistarum dirigit Petrum proximè, & immediatè, ad licitè ineundum contractum: & tamen verè practica est, quia dirigit simpliciter per modum regulæ, saltem objectivæ, ac remotæ, fundantis regulam formalem, ac proximam, per quam actio dirigitur immediatè.

44. Quod si dixerint Recentiores, priorem opinionem practicam quidem esse in sua speciali materia, sed non esse probabilem practicè in materia morali, de qua modò disserimus, & in ordine ad conscientiam formandam, quia fundare non potest dictamen verè prudens, atque probabile, de absoluta honestate actionis, per quod proximè, & immediatè ipsa moralis actio dirigatur, ut illud fundat posterior opinio, quæ meritò proinde præ priori opinione cen-

censetur esse practicè probabilis probabilitate conscientiæ, quam unicè in præsenti consideramus: si id, inquam, dixerint Recentiores, principium petent iterum, & nihil dicēt.

45. Utique nostrum argumentum contendit, & manifestè ostendit (ut credimus, facilèque faciemus, ut pateat), priorem opinionem necessariò fundare dictamen probabile, ac prudens, quin & certum simpliciter, de absoluta honestate actionis, si illud fundet posterior opinio, ut Probabilistæ contendunt. Reponunt verò nobis, discrimen esse apertum, adeòque consequentiam nullam; quia posterior opinio præpriori est practicè probabilis, idest, fundans dictamen illud, quod prior fundare non potest. En solutionem solidam, & facilem disparitatem, in qua Probabilistæ communiter quiescunt, & per quam nostrum argumentum irrident. Sed quid magis ridendum, ac contemnendum, quam contemptus, & risus, solventium argumentum sibi oppositum per meram petitionem principii?

46. Itaque nobis certissimum est, certumque semper fuit, sicut nunc est Recentioribus certum, opinionem directam minùs probabilem de jure Titii ad hæreditatem, neque esse verè, ac practicè probabilem, neque fundare posse dictamē ullum, quod verè probabile sit, de absoluta honestate actionis judicis ferentis sententiam in ea causa pro Titio contra Cajum: immò sententiam istam fore turpissimam, & contra omnem rectam rationem, indubitabiliter credimus.

47. Cæterùm hinc deducimus argumentum planè convincens contra Probabilismum Recentiorum. Nam, si cui liceat agere ex opinione aliqua directè sibi minùs probabili, & suæ libertati favente contra opinionem probabiliorem stantem pro lege divina; quia, qui sic agit, sequitur dictamen prudens de honestate intrinseca actionis, quam honestatem debet seriò, ac diligenter inquirere: cur judici non liceat ferre sententiam juxtà opinionem illam de jure Titii, quam agnoscit minùs probabilem, cùm sequatur dictamen æquè prudens de jure ad majoratum, exempli gratia, quod ex munere suo tenetur quærere, & per sententiam publicam declarare? Ecce argumentum nostrum irrefragabile, cui nihil hactenùs Recentiores opponunt præter simplicem suam, & nudam conclusionem, quam oppugnamus.

48. Donec igitur nobis rationes speciales ostenderint, ob quas opinio minùs probabilis in materia Jurisprudentiæ fundare nequeat dictamen prudens de absoluta honestate actionis judicis ferentis sententiam; quemadmodum opinio minùs probabilis de intrinseca honestate contractus fundat in principiis ipsorum dictamen prudens certum, & evidens de absoluta contractus honestate: planè argumentum nostrum nec solvent, nec attingent, sed ipsius succumbent difficultati.

Hoc tandem Terillus, Caramuel, & alii Recētiores agnoverunt, & ideò multas proferunt discriminis rationes, quas sigillatim examinare, & nullas esse ostendere, nostrum est. Eas verò potissimùm proferemus, ex Terillo, à quo posteri Probabilistæ, qui controversiam istam non leviter tractarunt, didicerunt, ac pænè transcripserunt; nisi quod Terilli subtilitas, quam plures assecuti non sunt, miserè illis imposuit, & illusit.

ARTICULUS IV.

Rationes speciales, quas Recentiores proferunt contra opinionem de Judice damnatam, nullæ sunt in principiis ipsorum, nec minùs urgent benignam sententiam.

49. Ante omnia de cunctis Lectorem generaliter monitum volumus, eas adeò absolutè ab

ipsis Recentioribus esse propositas, ut vix curaverint discrimen ullum pro benigna sententia ostendere præter illud, quod proximè rejectum est, & aliud insuper pariter generale, quod in sequenti articulo rejiciemus. Adeò de suo dogmate securi sunt, ut velut otiosum existiment cujuslibet absurdi consequentis consequentiam à se amovere. Sed verò Recentiores ipsa sua securitas, & confidentia nimia fefellit, ut dum in damnatum articulum acriter, & intrepidè invecti sunt, eodem simul impetu, eâdemque rationum efficaciâ, benignam suam opinionem impeterent, & contra votum, ac propositum suum, ipsam quoque damnatam (virtualiter saltem) ostenderent.

§. I.

Prima ratio ex Terillo, vel nihil valet, vel Probabilissimum evertit.

50. OPtimas quidem, & efficacissimas adversùs opinionem posteà damnatam, protulit rationes Terillus. Ex quo illas in summam redigemus; ita tamen ut nihil de ipsarum efficacia depereat.

Terill. de consc. proba. q. 24. à n. 9.

Primò igitur arguit. Judex ex proprio munere suo non privatam, sed publicam personam gerit, ad quam spectat in causis occurrentibus æqua lance momenta librare rationum, & quod partibus singulis vel repugnet, vel faveat, recto, ac maturo judicio perpendere, ut post omnia considerata, non ex arbitrio proprio, non ex affectu aliquo peculiari, sed ex æquitate, & ratione jus suum unicuique distribuat. Hoc adeò est lumine naturæ notum, ut ad id enigmaticè significandum communi populorum consensu, non alio habitu justitia pingatur, quàm obvelatis oculis, alterâ bilancem, seu libram, & gladium tenens alterâ manu: quod emblema quid innuat, nemo non novit. Evidens ergo est, & cunctis intellectibus insitum, Judicem ex munere suo debere semper ferre sententiam pro ea tantùm parte, in quam majus inclinet rationum pondus, non verò voluntatis arbitrium.

51. Confirmatur primò: quia Judicis officium est sententiam suam de jure litigantium proferre: proferre verò sententiam suam est dicere, quod verius sibi, seu verosimilius appareat: ergo tenetur sententiam dicere in favorem illius partis, cujus jus potius sibi, atque probabilius videatur, alioqui mentiretur apertè, & externa sententia non conformaretur internæ.

52. Confirmatur secundò ab exemplo judicis arbitri, cujus officium solùm est dicere, quod sibi videtur, ut patet ex lege *Qualem autem sententiam* ff. de receptis arbitris, & qui arbitrium recipiunt.

53. Confirmatur tertiò: nam ideò in Judices eliguntur homines integerrimi moribus, & eximiâ sapientiâ præditi, qui per legum peritiam noverint jura partium discernere, & per animi probitatem nulla affectione prava adducantur, ut à veritate deflectant, sed quod ex legibus justum esse cognoverint, sincerè proferant per publicam sententiam, in qua id ipsum implicitè, vel explicitè universæ Reipublicæ attestentur.

54. Totum id autem evidenter ostendit, Judicem semper debere judicare secundùm opinionem, quæ probabilior sibi, aut unicè vera videatur; etenim ad ferendam sententiam secundùm quamlibet opinionem probabilem quilibet non Juris ignarus censeri posset satis idoneus, nam *plurimi* (ait Terillus) *satis periti legum sunt, ut probabile ab improbabili discernant*. Saltem non esset opus tanto delectu ad constituendos Judices, si non deberent legum minutias, & apices ipsos callere, ut inter opiniones etiam probabiles prudenter distinguere possent, & jus verosimilius à minùs verosimili discernere. Est igitur compertum apud om-

omnes Judici non licere judicare, nisi juxtà opinionem probabiliorem, seu quam prudenter ipse judicat veram. Ita Terillus à nu. 9. totidem pænè verbis, nulla, vel levi, reflexione facta ad benignam suam sententiam.

55. Vix sanè credi posset, hominem sagacem, ac doctum sui Probabilismi peritissimum, & communium suorum principiorum, contra opinionem istam modò damnatam (quam non poterat ignorare ex eisdē prorsus principiis à suis patronis fuisse deductam) hujusmodi rationibus usurum, nihil sibi cavēdo, vel timendo pro benigna sua sententia. Fatemur ergo, illis opinionem damnatam evidētis convinci falsitatis simpliciter, & absolutè. Dicimus tamen, ipsas nullius prorsus esse momenti, suppositis principiis Probabilismi, adeòque, vel nihil probare, vel simili, aut majori efficacia Probabilismum ipsum evertere.

56. Nam non magis judex ex proprio suo munere debet sincerè, seriò, atque diligenter, librare momenta rationum, & fundamenta utriusque partis recto, ac maturo judicio perpendere, ut omnibus inspectis, non ex affectu aliquo inordinato, aut ex arbitrio proprio, sed ex æquitate, & ratione jus, quod cuilibet competit, ipsi tribuat, & neminem spoliet bonis re ipsa ad ipsum pertinentibus; quàm quilibet homo teneatur in dubiis circa legem, & voluntatem Dei occurrentibus inquirere pro viribus veritatē, & omnia momenta rationum hinc inde diligenter expendere, ut recto, ac maturo judicio, non ex arbitrio suo, aut inordinata affectione, sed ex sincero potiùs amore veritatis, & honestatis, apud se prudēter statuat, quid sit re ipsa honestum, aut turpe, ne quid fortè committat contra voluntatem divinam. Id puto nemo Theologus, nemo Catholicus, nemo rationalis negaverit.

57. Quidni verò? An non Deus, & ejus voluntas sanctissima, quæ non aliud re verà, quam ipse Deus est, diligi à nobis debet super omnia bona creata? Nunquid non magis curare debemus, ne fortè Deum nostrum offendamus, aliquid contra ipsius voluntatem, vel agendo, vel omittendo, quàm ne proximo nostro damnum temporale inferamus in rebus, vel fortunæ, vel honoris, ferendo cōtra verum ipsius jus falsam, & iniquam sententiam? Quis abnuat? Quis non noverit, vel ex catechismo puerorum, omnia mala, quæ possint cogitari, vel fingi, sustineri potiùs debere, quàm unum vel levissimum, mendacium dicere, etiam pro vita multorum hominum: quin, si fieri posset, etiam pro æterna salute?

58. At, non obstante hac tanta obligatione nostra erga Deum, & ejus voluntatem, prudenter nos, & honestè gerimus juxta modernos Probabilistas, dum opinionem sequimur de actionis honestate, etiam minùs probabilem, etiam falsam, & quam nos ipsi falsam, vel actu judicamus, vel, si velimus, possumus prudenter judicare: prudenter item alios eandem opinionem sequi docemus: prudenter juxtà illam consilium damus, & dirigimus hominum conscientias: prudenter dispensamus, & absolvimus, liberamus ab onere restituendi, & universim dubia omnia resolvimus, quæ spectant ad æternam animarum salutem, & ad divinæ legis observationem. Cur igitur & judex temporalis non satisfaciat muneri suo? Cur non prudenter, & honestè se gerat, dum causas temporales ad se delatas resolverit ex opinione, etiam sibi minùs probabili?

59. Nimis profectò benigna est Probabilistarum Theologia erga judices conscientiarum, idest, erga se, ipsos, & omnes ad se confluentes: quibus in rebus summi momenti talem, ac tantam licentiam indulgent: nimis verò severa, at rigida adversùs judices temporales, quibus imponunt

onus longè gravissimum, quod ipsi portare non possunt, & nec digito suo volunt movere. Veruntamen
Prov. 20. *Pondus, & pondus, mensura, & mensura: utrunque abominabile est apud Deum*: qui certè non in nostris mensuris, aut ponderibus, sed in sua æquitate, & veritate,
Psal. 74. *cum acceperit tempus, nostras justitias judicabit*.

60. Hinc patet, argumenti confirmationes nullius etiam esse momenti, sed quæ in Probabilistas eâdem efficaciâ, immò multò majori retorqueantur. Quid enim? Nonne quilibet humanus intellectus judex à Deo constitutus est, ut in dubiis sibi occurrentibus de rerum honestate, vel turpidine, rectam sententiam proferat, vel pro lege divina, vel pro ipsius hominis libertate? Et tamen juxtà ipsos Probabilistas rectè, ac prudenter sentētiam profert ex opinione illa antecedenter sibi minùs probabili, quam, vel ipse ex arbitrio voluntatis consequenter judicat veram, vel quam videt ab aliis veram putari: nec mentitur, aut fallit, dum alios ita docet, aut dirigit, nec externa sententia discrepat ab interna. Quare ergo similiter humano judici eodem modo judicare non liceat?

61. Quid item argui potest ab exemplo judicis arbitri? Quasi videlicet intellectus officium nō esset dicere, quid sibi videatur; quod tamen juxta Recentiores rectè, atque prudenter adimplet proferendo sententiam ex opinione, etiam minùs sibi probabili.

62. Denique tertia confirmatio argumenti quid potest contra judicem concludere, suppositis principiis Probabilismi? Nunquid major in judice requiritur, vel peritia, vel diligentia, ut non erret circa jus hominis in rebus temporalibus, & caducis, quàm in quolibet homine, vel se ipsum, vel alios dirigente, ut non erret in rebus ad animæ salutem spectantibus, & contra voluntatem divinam? Nunquid precor minor sapientia, probitas, & sinceritas animi, exigitur in judice conscientiarum ad resolvenda dubia moralia per veram, & legitimam sententiam, qua, vel Deo jus suum ad suæ legis observationem, vel homini ipsi libertas, & exemptio ab onere legis, rectè, ac fideliter asseratur; quam exigatur in humano judice ad cognoscendum, & asserendum per publicam suam sententiam jus Titii, vel Sempronii ad majoratum, vel hæreditatem? Nemo opinor affirmet, nisi qui cælo terram, & hominem præferat Deo.

63. Nunc ergo cōveniamus Recentiores, & quid optare velint scisciteмur. Vel Confessarius, Theologus, Magister, Director conscientiarum suæ, & aliorum, rectè, ac fideliter adimplet munus suum, & decidit dubia moralia per usum sententiæ benignæ, & per hoc quod unicè noverit discernere probabilem ab improbabili, quin ex hoc concludere liceat, opus non esse tanto delectu, sed per vulgarem quamque peritiam abunde posse muneri satisfacere, nam *plurimi satis periti sunt Theologiæ moralis, ut probabile ab improbabili discernant*; vel potiùs hoc absurdum legitimè concluditur ex benigna sententia Recentiorum, atque adeò non rectè decidunтur dubia moralia per æquè, vel minùs probabile, sed unicè per verum, aut probabilius?

64. Si prius: cur non possit judex humanus causas ad se delatas decidere juxtà opinionem, etiam minùs probabilem, quin propterea delectus, probitas, ac peritia non vulgaris, frustrà requirantur in ipso? Si posterius: damnatur absolutè usus opinionis benignæ. Videant ergo quid optent Recentiores, vel abjurare ex corde Probabilismum suum, vel sustinere articulum de judice ab Ecclesia Catholica damnatum. Ut ut ipsis placeat optare, evidēs nobis est, primam istam suam rationem, & confirmationes ipsius, vel nihil omninò valere, vel penitùs evertere Probabilismum. §. II.

§. II.

Neque majoris momenti sunt secunda, & tertia ratio Terilli.

65. ARguit secundò: mens omnium litigantium est, dum se coram judice sistunt, se, & causas suas non voluntati judicis, sed recto ipsius judicio committere; neque enim credi potest, litigantes, qui putant se rationes potiores, & jus præstabilius habere (quod omnes ferè litigantes putant) velle se alienæ voluntati committere, dummodò possint intellectus judicio: quia voluntas de facili corrumpi potest, & unum alteri indebitè præferre. At intellectus est judex incorruptus, & ubi ratio prævalet, non respicit amicos, nec muneribus flectitur, quia non amicitia, nec munus, jus, vel amici, vel munus offerentis, certiùs reddit, aut probabilius. Atqui judex tenetur judicare juxtà communem mentem, & voluntatem omnium litigantium, quia ad hoc eligitur à Republica: ergo judicare tenetur secundùm id, quod verum, aut probabilius putat.

66. Arguit tertiò, & confirmat rationem præcedentem. Omnis voluntas, atque consensus hominum, dum in aliquam mutuam obligationem conspirant, ex ipsius naturæ constitutione habet vim pacti expressi, & est re ipsa pactum implicitum obligationem illam inducens, ut in materia de justitia, & jure est certum, ac potissimum principium. Atqui communis voluntas hominum, dum consentiunt in mutuam obligationem standi in suis litibus sententiæ judicis, est subdere se interno judicio ipsius, non verò voluntati, si à judicio interno dissentiat: officium autē judicis est juxtà commune hoc pactum, & voluntatem hominum causas ad se delatas per publicam sententiam decidere: ergo idem, quod prius.

67. Et confirmatur iterùm: quia notissimum illud syndéresis principium, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, sic arctat judicem in judicando, ut absque conscientia peccati non possit in favorem partis minùs probabilis sententiam ferre; conscientia enim semper illi testabitur, nolle se ab alio judice ita tractari. Ita Terillus nu. 14. & 15. qui nihil aptiùs dicere posset, si non esset Probabilista.

68. Cæterùm in principiis novi Probabilismi, quis non videat, rationes istas nullius prorsus esse momenti? Enimverò, si in dubiis summi ponderis, videlicet de licito, vel illicito, rectè, ac prudenter intellectus se gerit, dum opinionem, etiam minùs probabilem, suæ libertati faventem, ut absolutè veram, vel saltem ut probabilem, amplectitur: & pariter voluntas rectè, & honestè agit, vel dum determinat intellectum suum ad assēsum directum illius opinionis, vel dum sequitur directionem ipsius, proponentis opinionem alienam tanquàm probabilem absolutè, licèt minùs probabilis ab ipso judicetur: quare intellectus, & voluntas judicis rectè, atque prudenter non agent, dum eodem modo se gerunt in dubiis inferioris rationis, nempè de jure Caii, vel Titii ad majoratū, vel hæreditatem?

69. Nihil planè reponere Probabilistæ possunt, nisi fortasse dicere non vereantur, errorem in his dubiis de jure hominum ad bona temporalia multò majoris esse momenti, multòque diligentiùs cavendum, quàm errorem in dubiis de jure Dei ad suæ legis observationem; neque rectè, ac prudenter judicem humanum procedere dum eam tantùm adhibet curam in vitando periculo lædendi jus alicujus hominis ad bonum aliquod temporale, quàm adhibere Christianus debeat ex lege veræ prudentiæ, & charitatis in cavendo periculo violandi legem Dei, & Deum ipsum graviter offendendi. Id

ve-

Verò nemo opinor dicere non vereatur: & re verà prudenter dici non posse, constat ex dictis proximè, & clarius adhuc ex dicendis constabit.

70. Jam, si judex prudenter, & honestè se gerit quoad intellectum, & voluntatem, dum causas sibi oblatas decidit juxtà opinionem, etiam minùs probabilem, nihil est, cur judicio, ac voluntati ejusdem litigantes omnes nō possint, immò debeant, se libenter committere. Quis enim jure renuat se, & causas suas libenter subdere judici recti, ac prudentis judicii, irreprehensibilisque voluntaris? Quove jure plus exigat homo ab homine, ne lædat jus ipsius ad bonum temporale, quàm exigat ab homine Deus, ne lædat jus ad amorem suum, & observantiam suarum legum? Hinc patet, judicem ita judicantem nihil habere cur sibi timeat, curve remorsus ullos cōscientiæ patiatur ex notissimo illo syndereſis principio, cùm nihil faciat contra conscientiam suam, nihil contra æquitatis, atque prudentiæ leges, adeòque nihil prorsus, quod sibi ab alio judice rationabiliter fieri nollet.

71. Tandem rogare juvat Probabilistas, utrum sit mens, & voluntas hominum in quibuscunque dubiis moralibus de jure ut aliquid restituatur sibi, vel quodvis sibi ab aliis bonum tribuatur ex justitia, ex fidelitate, ex charitate, aut alia quavis virtute; committere se, & causas suas aliorum hominum voluntati, & non potiùs recto judicio? Rursus, an Dei mens, & voluntas sit causas suæ legis committere, nō voluntati hominum, si à judicio interno dissentiat, sed judicio potiùs ipsorum, vel se ipsos, vel alios dirigentium? Nemo profectò neget, tàm homines, quàm Deum, intellectui, & judicio aliorum hominum, non verò voluntati, si à judicio interno dissentiat, velle causas suas committere.

72. Sed rogamus ulteriùs, utrùm homines debeant juxtà communem hanc voluntatem aliorum hominum, & Dei ipsius, moralia sua dubia, & causas hujus generis resolvere, vel in ordine ad se, vel in ordine ad alios dirigendos? Et rursus, an prudenter, & irreprehensibiliter illas resolvant juxtà opinionem sibi minùs probabilem suæ libertati indulgentem contra probabiliorem faventem potiùs Dei, & aliorum hominum juri; an potiùs imprudenter, & cum justa querela, & aliorum, & Dei ipsius, nec sine propriæ conscientiæ remorsu?

73. Si primum dixerint Probabilistæ, ut re ipsa dicunt juxtà principia sua: ergo & judex prudenter, & irreprehensibiliter se gerit, dum in causis ad se delatis sententiam dicit juxtà opinionem, etiam minùs probabilem, de jure partis, nec aliud jure litigantes velle, aut exigere ab ipso possunt, quo namque fundamento conquerantur de homine in rebus temporalibus, & vilioribus, de quo similiter se gerente in rebus magni, ac summi momenti, nec homines, nec Deus jure conqueri possunt? Si verò secūdum elegerint, corruit Probabilismus: ergo non possunt hunc retinere, nisi retineant simul articulum damnatum circa licentiam judicis in publica sententia ferenda.

§. III.

Ratio quarta similiter contra Probabilistas retorquetur.

74. Arguit quartò Terillus. Si judici judicare liceret secundùm quamlibet opinionem probabilem, etiam si minùs probabilis sit, malè consultum esset pauperibus, & miseris; quia pauperes, viduæ, pupilli, & universim miserabiles omnes, etsi præstantius jus, & potiores rationes pro se haberent, frequentissimè caderent in judicio, & soli potentes, ac divites, propinqui, vel amici judicis, semper, aut fere semper, cæteris prævalerent: quia valdè difficile est, judicem nolle sibi po-

potentes devincere, & amicis gratificari, neglecto ignoto, ac paupere, aut etiam aliquando inimico, & inviso homine, modò sibi id licitum foret. At nemo dicat, jus naturale, divinum etiam, & positivum, sufficienter non providisse pauperibus, & miseris litigantibus, aut reliquisse penes arbitrium judicis despicere jus certius ipsorum pro jure minùs certo plus apud se valentium gratiâ, aut potentiâ: ergo judex non habet hanc facultatem, nec aliter adimplet munus suum, quàm ferendo semper sententiam secundùm id, quod, omnibus pensatis, probabilius sibi videatur.

75. Confirmat hoc egregiè in posteriori Opere Terillus ipse ex CellaDei, sive ex nostro Patre Elizaldo quia alioqui consultius fuisset, saltem pro miseris, & pauperibus, lites omnes sorte decidere, quàm instituere humana tribunalia: nam in primis vitarent molestias, & expensas necessariò faciendas in procuranda litis decisione: aliunde verò haberent spem victoriæ, saltem æqualem; cùm tamen à judicibus nunquam, aut rarò, eandem expectare prudenter possent.

Terill. t. p. de Regu. mo. q. 20. n. 27. ex Elizal. l. 1. de Recta doctr. mo. q. 15. §. 2.

76. At absurdum est dicere, formam judicii publici per se non expedire, sed noxiam potiùs esse miseris, & pauperibus, pro quibus maximè instituta est, ne à potentioribus violenter opprimantur; quod nemo sanæ mētis vertat in dubium. Ergo non est relictum arbitrio judicis judicare, si velit, etiam pro parte minùs probabili, sed ex munere suo debet ferre sentētiam secundùm propria merita causæ, & juxtà id, quod verius, seu verosimilius invenerit. Et quidem alioqui judices temporales pænè domini forent, & arbitri bonorum Reipublicæ; non verò (quod ipsorum officium est) vindices injuriarum, & legitimi jurium assertores.

77. Confirmat iterùm: quoniam si judex secundùm partem minùs probabilem definitam ferret sententiam, apertè mentiretur, & injustè deciperet; nam externa sententia significaret determinatè, jus ejus partis, pro qua profertur, absolutè, & inspectis omnibus, prævalere juri cōtrario; quæ locutio est apertè mendax, & repugnans judicio interno, cùm judex partis adversæ rationes potiores, ac meliores existimet, ut constat ex hypothesi ipsa. Ita Terillus n. 16.

78. Cæterùm procul à mente ipsius Probabilismus fuisse videtur, dum argumenta hæc expendebat; cùm tamen illa (ut ampliùs mireris) non alio consilio producat, quàm ut ipsum propugnet Probabilismum, eundemque totius Ecclesiæ (quod passim ille spondet, & jactat, sicut & plures Recentiores post ipsum multò minùs excusabiliter) communem esse doctrinam demonstrat. Veruntamen nihil esse re vera, quod evidentem falsitatem ipsius, & repugnantiam cum Ecclesiæ doctrina, efficaciùs possit convincere, & ex dictis facilè constat, & ulteriùs exponitur in hunc modum.

79. Rogemus ergo nostros Probabilistas, an ex licentia illa, quam indulget hominibus moderni sui Probabilismi toties commendata benignitas, ut in omnibus dubiis de obligatione legis divinę aliquid præcipientis, vel erga Deum ipsum, vel erga alios homines præstandum, rectè, ac prudenter judicent, & operentur secundùm partem, etiam minùs probabilem propriæ libertati faventem: an, inquam, ex licentia ista sequatur ingens aliquod periculum, ut in tribunali conscientiæ semper, aut ferè semper proferatur sententia contra jus Dei, & aliorum hominum, etiam præstantius, ac verosimilius? Item an sequatur id ipsum ex eo, quod à Theologis, Confessariis, aliisve conscientiarum directoribus, dubia ad ipsos delata similiter possint resolvi, licitè quidem, atque prudenter? Profectò non cre-

credimus fore, ut Recentiores negare audeant; quis enim neget, homines multò magis per se loquendo affici erga se ipsos, & erga propriam suam libertatem, quàm erga alios homines, etiam amicos, potentes, sodales, aut quovis alio vinculo sibi cõjunctos? Maximè (quod magnopere ad rem facit) quia in principiis benigni Probabilismi non tantùm homo licitè potest, sed etiam debet semper, se, & alios homines, quorum dubia decidit, liberos absolutè pronuntiare ab omni legis obligatione; nam existente qualibet opinione, etiam minùs probabili, libertati favente, evidenter jam novit, legem non obligare, adeòque semper debet, inspectis omnibus, contra illam dubium resolvere.

80. Jam iterùm rogamus Probabilistas, an hoc absurdum censeant, & an per licentiam ejusmodi satis consultum sit divinæ legi, & juri unius hominis adversus alterum? Sanè, nisi voluerint abjicere simpliciter Probabilismum, affirmare tenentur, & propugnare, hujusmodi licentiam, & sequelam ex ipsa resultantem, aut in eâdem potiùs intimè imbibitam, nihil absurditatis præseferre, neque quidquam per illam derogari, vel observantiæ legis divinæ, vel juri unius hominis adversus alterum: nam, qui moralia dubia resolvit, sive ad se, sive ad alios dirigendos, juxtà opinionem, etiam minùs probabilem, propriæ libertati favent, rectè, prudenter, & honestè se habet, cùm sequatur dictamen prudens de eo, quòd re ipsa non agat, nec contra legem Dei, nec contra jus alterius particulare. Ergo, nec Deus ipse, neque homo, quorum jus certiùs, aut probabilius deseritur, ac posthabetur, jure de illo conqueri possunt; nemo enim legitimè accusaverit hominem prudentem, ac rectum, nimirum judicantem, & agentem secundùm leges rectæ rationis. Hæc Recentiores pro sententia sua, & dicere debent, & dicunt.

81. Sed restat adhuc quæstio ab ipsis Recentioribus decidenda. Rogamus ergo tandem, ut dicant, quare judex, dum judicat juxtà opinionem æquè, aut minùs probabilem de jure unius partis adversùs alteram, non possit se tueri similiter, & obruere querelas pauperum, quorum jus probabilius despicit?

82. At, inquis, non ne fieret, ut pauperes, aut semper, aut ferè semper caderent causâ? Caderent procul dubio semper, aut ferè semper. Et hoc absurdum esse negabimus? Immò longè absurdissimum esse censemus absolutè cõsideratum, & in principiis veræ Theologiæ. At in principiis Theologiæ benignæ absurdum reputari non debet. Quid enim absurdum videatur, si non absurdum, sed honestum est, ut in tribunali conscientiæ semper Deus, & homines causâ cadant, etiamsi jus ipsorum sit probabilius, dummodò sit probabile jus libertatis? Hoccine erit veræ prudentiæ opus, & illud repugnabit prudentiæ legibus? Unde est prudentia ista? Utique desursum non est, nec descendens à Patre luminum.

83. Instant ex argumenti prima confirmatione: igitur miseris, & pauperibus multò foret utilior talorum jactus, quàm judicis sententia ad dirimendas lites; frequẽtiùs enim victores evaderent. Quis neget? At id nemo negabit esse absurdum. Nemo profectò non Probabilista. Sed enim neque ipsi Probabilistæ negant. Negare tamen debent, & à fortiori, ut ajunt, nisi negare velint Probabilismum.

84. Quid enim? Non ne minùs propitia est in via Probabilistarum juri divinæ legis, & juri unius hominis adversus alterum, sententia propria cujusvis intellectus, & cujusvis directoris conscientiæ, quàm foret sors, aut quævis resolutio merè fortuita? Nemo jure inficiabitur. Certè pro jure pauperis quandoque, licèt rarò, judex ferret sententiam;

pro

pro jure verò Dei, aut alterius hominis, etiam probabiliori, contrario libertati judicantis nunquàm iſte abſolutam ſententiam dicet, ſed ſemper pro ſe ipſo contra Deum, & alios; hæc enim eſt benignitas, & prudentia Probabiliſmi: ſors verò ſæpè ipſi foret adverſa, Deique, & aliorum hominum juri æqualiter ſaltem faveret.

85. At Recentiores abſurdum id non cenſent, ſed honeſtati, ac prudentiæ conſonum; cùm tamen multò majus tribuat arbitrium homini ſupra divinas leges, & reliquorum hominum jura, quàm tribuat judici licentia judicandi juxtà opinionem, etiam minùs probabilem, ſupra bona Reipublicæ temporalia. Ergo nec poſſunt abſurdum reputare, quòd ſors foret pauperibus commodior pro ſuis litibus dirimendis, quàm ſit ſententia publica judicis ex prædicta licentia judicantis.

86. Secunda verò confirmatio argumenti, quam iterùm Terillus inculcat, non minùs, immò magis Probabiliſtas urget, ut §. 1. monſtravimus. Sanè intellectus hominis non minùs, ſed potiùs multò magis tenetur in dubiis circa licitum, vel illicitum, veritatem inquirere, & enuntiare, quàm judex fori externi in cauſis, quas decidit per publicam ſententiam. Vel ergo, dum decidit dubia moralia, ſive ad ſe, ſive ad alios dirigendos, juxtà opinionem ſibi minùs probabilem, ſibi, Deo, & hominibus mentitur; vel non mentitur judex humanus, dum publicam profert ſententiam juxtà opinionem ſibi minùs probabilem.

Sed quia nimiùm Terillus inſiſtit huic rationi, quaſi quæ ſuum benignum Probabiliſmum valdè foveat, ac tueatur, operæ pretium ſit magis adhuc illam evolvere, & quàm ſit importuna ad propoſitum ejus, immò quàm ſit adverſa Probabiliſmo ſuo, paulò diligentiùs monſtrare.

§. IV.

Urgetur efficaciùs contra Probabiliſtas eadem ratio, cui Terillus inſiſtit, in primis ex doctrina Terilli ipſius, aperte ſibi contradicentis.

87. SI judex, ait Terillus, ſententiam ferret ſecundùm opinionem minùs probabilem de jure Titii ad prædium, exempli gratia, mentiretur apertè contra juſtitiam, & in re gravi, adeòque occideret animam ſuam juxtà ſententiam Dei, *Os autem, quod mentitur occidit animam*. At quare mentiretur? Quia per ſententiam ſuam clarè ſignificaret, rationes oſtendens jus Titii, præponderare in intellectu ſuo, & prædium eſſe ipſius, abſolutè probare; quod tamen falſum eſſe, patet ex ipſa hypotheſi. Nihil in via veritatis verius. At in via Terilli nihil falſius.

88. Ecce judicem noſtrum injuſtitiæ, & mendacii, à Terillo injuſtè arceſſitum, ex modernæ Theologiæ benignitate veracem, juſtum, rectum, prudentem, denique prorſus irreprehenſibilem apud Deum, & homines facilè damus.

Et in primis, ſi velit pro ſuo libitu internè judicare, jus Titii prævalere in hypotheſi data, & prædium eſſe ejuſdem re ipſa, adeò facilè poteſt, & phyſicè, & moraliter, & prudenter, & rectè, ut poteſt velle loqui; quia ſecundùm Terilli, & Recentiorũ communiorem ſententiam, quiſque poteſt ex libera ſua electione judicare rectè, ac prudenter eſſe abſolutè verum re ipſa, quod minùs veroſimile ſibi apparet pro priori ad ipſum judicium, ſaltem ſi exceſſus pro parte oppoſita non ſit manifeſtus, & evidens. Judex ergo judex in hac ſuppoſitione, quam poteſt ipſe pro libitu facere, verus eſt, prudens, juſtus, & internè, & externè, adeòque irreprehenſibilis apud Deum, & homines. Ut quid ergo Terillus adeò inhumaniter illum ac-

cusat, immemor suæ propriæ benignitatis?

89. Quid Terillus ad hæc? Obstupui fateor, cùm apud ipsum legi, sequelam esse rectam, & quæ nihil præseferat absurditatis; sic enim ipse docet expresse, cùm objecisset sibi hoc idem argumentum ex Cella Dei. Terill. 1. p. de Regu. mo. q. 29. n. 27.

Coegit sine dubio Terillum vis consequentiæ sanè evidentis ad benignam suam sententiam. Sed coegit, non modò ad consequens absurdum, & evidenter falsum, verùm etiam ad aliam non minùs evidentem inconsequentiam ad ea, quæ nunc docet, & in eo loco docebat, de judicis licentia ad judicandum secundùm opinionem minùs probabilem. Adeò est indeclinabilis sequela ex Probabilismo benigno articulus de judice jam damnatus, ut homo doctus, ac sagax, etiam cùm datâ operâ eam à se repellere nititur, ne quoad speciem quidem, expedire se ab illa possit, sed quò studiosiùs quærit illam fugere, eò evidentiùs in eam relabatur.

90. Nam, si judex rectè, ac prudēter judicat juxtà opinionem æquè, aut minùs probabilem, dummodò ipsi velit, non ex ratione aliqua denuò superveniente, sed ex mera electione sua, liberum assensum præbere (quod in arbitrio ipsius positum est), ut consequenter ad principia sua concedit, & affirmat Terillus: ergo verum est absolutè, judicem posse licitè judicare juxtà opinionem, etiam minùs probabilem, quod asserebat opinio damnata.

91. Sanè Auctores illius non aliud intendebant, aut asserebant, quàm judicem, pensatis utriusque partis rationibus, dummodò jus utrinque inveniret esse probabile, licitè posse ferre sententiam pro parte, cujus jus, etiam minùs probabile appareret, id est, levioribus fulcitum rationibus: & hoc est, quod difficilè, immò longè absurdissimum, in opinione illa meritò visum est, & propterea damnatum. Quod verò judex pro libitu suo eidem parti præbeat assensum, non reddit jus ipsius melioris conditionis, neque ullam pro eo rationem, vel levissimam superaddit, adeòque nec evacuat, nec minuit ullo modo illius opinionis absurditatem, ut manifestè patet, vel ex rationibus, quibus ipse Terillus illā impugnat. At totum hoc concedit ex principiis moderni Probabilismi sui: ergo concedit opinionem damnatam, ut sequelam legitimam, prorsusque inevitabilem ex eodem Probabilismo. Ecce consequentiam Terilli ad Probabilismi principia.

92. Sed vide nunc ejusdem haud minùs claram inconsequentiam ad ea, quæ nunc docet, & quibus convincenter planè demonstrat absolutam sequelæ absurditatem. Quid enim? Nunquid judex, in cujus intellectu, discussâ causâ, præponderant momenta rationum pro jure Titii contra jus Caii, si velit nihilominùs pro jure istius ex proprio, & mero libitu suo internam, & externam ferre sententiam, rectè, ac prudenter fungitur munere suo reddendi unicuique jus suum, non ex arbitrio suo, sed juxtà propria merita causæ? Hic ne, non ex affectu, sed ex mera æquitate judicat? Hic obvelatis oculis, quasi qui personas non videat, justitiæ gladium, & stateram fideliter versat, ac tenet? Ad ita judicandum tantus ne requiritur judicis delectus, tam eximia peritia, tanta morum integritas? Per hanc judicii formam, an benè provisum esset pauperibus, & miseris, ut non frequenter in judicio cadant, nec in arbitrio judicis sit contra jus ipsorum præstantius favere amicis, aut potentioribus, eorumque gratiam captare? Haccine judiciariâ sententiâ fors non foret eisdem propitior, & utilior pro suis litibus dirimendis? Siccine demùm judices non forent rerum arbitri, & bonorum Reipublicæ, sed legitimi jurium assertores?

93. Apparet enimverò clarissimè

mè; omnes istas rationes planè urgentissimas, quibus Terillus evidenter demonstrat opinionis damnatæ absuditatem nimiam, & falsitatem, æquè procedere in hypothesi dicta, qua judex parti minùs probabili ex mero suo libero arbitrio directum præstaret assensum, de quo nullus opinor, vel dubitabit. Qua ergo consequentiâ Terillus judicem sic agentem absolvit, immò disertè docet, ac probat, honestè, & laudabiliter se gerere in exercitio muneris sui? Planè nullâ, sed sibi contradicens nimis apertè. Cæterùm neque minùs necessariò, suppositis principiis Probabilismi, quæ ad hanc, & alias plurimas manifestas contradictiones, quas in decursu advertimus, & deinceps quoque notabimus, hominem inevitabiliter adigunt.

94. Habemus ergo ex ipsa confessione Terilli rectè, ac sapienter ratiocinantis ex principiis benigni Probabilismi sui, judicem modo dicto procedentem, id est, formantem conscientiam suam per liberum; ac directum assensum opinionis minùs probabilis, prudenter, & honestè se gerere. Aliundè verò habemus ex rationibus optimis, planèque convincentibus, quibus id Terillus demonstrat, & quibus mox accessit infallibilis Sedis Apostolicæ auctoritas, eundem judicem reum esse violatæ per scelus turpissimum justitiæ, & æquitatis naturalis, quam ex munere suo servare debet in publica sententia ferenda.

95. Ergo contra modernum Probabilismum licet nobis concludere, non aliunde, quam ex doctrina ipsorum Recentiorum, signatè verò ipsius Terilli, hoc syllogismo planè demonstrativo: *Si quisquis utitur opinione minùs sibi probabili* (antecedenter), *& minùs tuta, cui directum præbeat assensum ex libera electione, prudenter, & honestè operatur, judex ferens sententiam juxtà opinionem sibi antecedenter minùs probabilem, quam pro libitu suo veram existimat, pariter, & eadem ratione, justè, prudenter, & honestè se gerit. At judex ita judicans, absolutè loquendo, non prudenter, non justè; sed turpiter, iniquè, & imprudenter agit. Ergo & ille, qui utitur opinione quacunque, & minùs tuta, & sibi minùs probabili.* Utraque syllogismi Præmissa est doctrina Terilli, ut vidimus, & quæ negari nequeat à reliquis Probabilistis: illatio verò concludit evidenter falsitatem moderni Probabilismi mille contradictionibus manifestis patronos suos passim implicantis.

§. V.

Nec minùs urget eadem ratio Recentiores illos, qui negant præfatam intellectus indifferentiam ad assentiendum parti minùs probabili.

96. HAud plures illi sunt, nonnulli tamen, ex Probabilistis recentibus. Ii vero ad sustinendam opinionem suam benignam, totam suam spem constituunt in judicio reflexo, per quod operans nihil directè judicans de honestate intrinseca actionis, vel etiam actu judicans, ipsam esse inhonestam (juxta duplicem viam Reflexistarum, quam alibi jam exposuimus) reflectit supra alienam opinionem probabilem, ex qua tandem legitimè sibi cōcludit ultimum conscientiæ dictamen absolutè certum, & evidens de absoluta honestate actionis, illo syllogismo vulgari Probabilistis familiarissimo, *Qui sequitur opinionem probabilem, prudenter operatur, &c.* de quo sermonem toties habuimus, & habebimus adhuc in Operis decursu.

97. Syllogismum hunc Recentiorum, ipsiusque mirificam structuram affatim patefecimus, & quanta sit soliditas, & efficacia ejus, multipliciter alibi demonstravimus. Hic verò ex illo eodem judicem sententiam ferentem juxtà opinionem, etiam minùs probabilem, ab Eccle-

Sup. li. 1. controv. 8. per totam.

sia Catholica jam damnatam, damnari à Recentioribus jure non posse, sed benignè absolvendum esse, demonstratu sit per quàm facile.

98. Cur enim judex iste discurrere non possit eodem modo, & conscientiam suam pacare per simile judicium reflexum supra opinionem illam probabilem? Quia debet (inquiunt Probabilistæ) veritatem inquirere, & enuntiare de jure Titii ad prædium, exempli gratia, quod facere neutiquam potest, nisi per apertum mendacium, si opinionem, quam sequitur de tali jure, judicat ipse minùs probabilem. Bene.

99. Sed nunquid operans non debet etiam diligenter inquirere veritatem de honestate intrinseca actionis, & de ipsa sincerè, & coram Deo absolutum ferre judicium, antequàm se determinet ad operandum? Nunquid Doctor consultus, conscientiarum director, Confessarius, diligenter non debent veritatem inquirere, & enuntiare de jure libertatis adversus legem Dei, vel de jure particulari unius hominis adversus alterum? At hi homines, nec sibi, nec Deo, nec hominibus mentiuntur, dum absolutè enuntiant honestatem actionis ex opinione aliena sibi minùs probabili, quia sequuntur dictamen prudens, supra quod reflectētes tutam, & rectam conscientiam formant. Cur ergo judex per simile artificium rectam conscientiam formare non possit?

100. Reponunt ex Terillo, latum esse discrimen: nam in foro conscientiæ, hoc ipso quod sequaris quamlibet opinionem verè probabilem de honestate directa actionis, certum est dari in Deo legem reflexam, quæ actionem illam permittat, aut approbet: quapropter verè potes absoluto judicio ipsius honestatem enuntiare. Judex verò non habet simile fundamentum, atque adeò non potest juxtà opinionem illam minùs probabilem absolutam ferre sententiam, nisi per apertum mendacium. O novum privilegium indultum, non uni homini contra alterum hominem, sed omnibus hominibus unicè contra Deum per novam, ac benignam Recentiorum Theologiam! Vide, Lector, reflexam legem istam per totam decimam controversiam libri anterioris fusè improbatam.

101. At id modò non agimus; immò volumus etiam benigno hoc privilegio uti. Sed cur miseros judices tanto communi beneficio privabimus? Quare Deus per suam legem reflexam non approbabit sententiam judicis haud minori prudentia utentis? An non & iste sequitur dictamen verè prudens, id est, verè probabilem opinionem de jure Titii ad prædium, cui prædium ipsum per sententiam adjudicat? Quare ergo Deo non placet, si nos omnes certò placemus, dum opinionem sequimur minùs probabilem de nostræ propriæ libertatis jure adversus legem ejus directam? Frustrà autem hic denuò Recentiores principium peterent per distinctionem probabilitatis speculativæ, vel practicæ, de qua vide præcedentem articulum §. 2. per totum.

102. Reponent iterùm, discrimen esse, quòd nos in dubio de obligatione legis habemus certum jus adversus illam ex certa possessione libertatis; jus verò ipsius legis incertum est: unde rectè, ac prudenter judicamus pro nostra libertate contra legem, cùm jus certum ubique prudenter præferatur incerto. At verò in dubio de proprietate fundi Titius adversus Cajum non habet certum jus, ut supponimus, sed incertum, immò minùs probabile: quare non nisi injustam, atque imprudentem pro Titio ferret judex sententiam, cùm manifesta iniquitas, & imprudentia sit jus minùs certum certiori præferre. Meritò igitur sententia nostra Deo placet, & illam per suam legem reflexam approbat; secùs autem sententiam judicis, ut-

po-

pote iniquam, & imprudentem. Nihil sanè speciosius: sed & nihil inanius.

103. Equidem certum nostrum hoc jus ex possessione nostræ libertatis adversùs Deum, & legem ipsius, quàm sit aereum, ac purè imaginarium, latè jam demonstratum est. Hic verò Recentiores frustrà ad illud appellant, ut se ipsos absolvant in causa ista, & judicem in simili, aut *in* eadem prorsus, condemnent. Utique hæc sunt principia Probabilismi, ut cùm principia verè non sint, sed consectaria ex ipso resultantia (quod alibi adnotavimus, & ostendimus) eandem extensionem, ac latitudinem, vel ut aptiùs loquamur, eandem prorsus laxitatem præseferant; unde easdem producant necesse est, absurditates magnas, & falsitates.

Sup. li. 1. tota controv. 9.

104. Porrò, quòd judex ex eodem principio absolvi debeat à Recentioribus facile ostendi potest, sublata confusione, & æquivocatione terminorum, quam eorũ solutio involvit.

Pro quo nota, jus Titii contra Sempronium, de quo judex sententiam profert, ineptè comparari cum jure libertatis, quod resultat ex principio reflexo Recentiorum de certa possessione libertatis humanæ in dubiis circa legem Dei, quasi videlicet ex illo jure Titii nullum aliud resultet in ipso, vel in judice, jus reflexum, ac certum, sicut resultat juxtà Recentiores in dubio morali de lege; hoc enim nos ex principiis ipsorum omninò falsum esse contendimus, & non supponi ab ipsis, sed probari deberet, alioqui manifestè principium petunt.

105. Dubium ergo directum de jure Titii conferri debet cum dubio directo de intrinseca honestate actionis, seu (quod eodem redit) de lege Dei actionem, vel approbante, vel prohibente, & videre, an ex hoc resultet jus in voluntate humana titulo possessionis libertatis ad ferendam sententiam absolutam, & ad agendum contra ipsam legem; secùs autem ex illo in Titio, vel in judice, ad ferendam sententiam absolutam pro Titio ipso contra Sempronium?

106. Jam, quòd eodem titulo, immò & potiori, resultet jus ejusmodi in judice, & in Titio, contra Sempronium ex eodem principio de possessione propriæ libertatis, si resultat in homine adversùs legem Dei, ut affirmant Probabilistæ, suadetur ex principiis ipsorum.

Equidem privilegium istius possessionis liberam præbet homini facultatem agendi (utique prudenter, ac licitè) quidquid certò non constet legẽ Dei prohiberi, aut saltem quidquid lege probabiliter non prohibetur; quia voluntas humana ex naturali sua conditione gaudet universali certo, ac indubitato suorum omnium actuum dominio, quo privari non debeat per legem dubiam; neque enim homo tenetur admittere incertas juris certi exceptiones. Nonne hæc est regula Recentiorum de possessione libertatis in dubiis, de cujus certitudine nolunt ut dubitemus?

107. Tum sic. Lex, quæ resistit juri Titii contra Sempronium, & quæ favet istius juri, non est certa, sed potiùs, quæ probabiliter vim nullam habeat: cur igitur & Titius, & ipse judex, justè, ac prudenter, agere nõ poterunt contra legem hujusmodi particularem, ex certa possessione libertatis agendi contra legem quamcunque dubiam? Sanè de Titio saltem certum omninò est in via Recentiorum, quòd verè possit; quia opinio, etiam minùs probabilis de jure proprio contra jus alterius, sufficit ad honestè operandum, saltem in foro interno conscientiæ, ut communiter docent Recentiores: item, sufficiens est, ut Theologus cõsultus, aut Confessarius, Titium absolvat per suam sententiam ab omni obligatione restituendi, seu largiendi Sempronio rem litigiosam (supponimus, quod iste non præscripsit legitimè, nec bona fide possidet illam):

lam): ergo & poterit judex per absolutam sententiam suam judicare pro Titio contra Sempronium; Cur enim quæso judex sententiâ suâ protegere non possit coram hominibus jus illud ipsum, quod prudenter, & sanctè Theologus, Confessarius, & ratio ipsa protegunt coram Deo, & quidem prorsus infallibiliter?

108. Dices, obstare jus contrarium Sempronii, quod est validius, quàm Titii jus, adeòque cogit judicem absolutè, ut pro ipso sententiam ferat, nisi velit iniquè, ac mendaciter agere.

109. At contra est: quia Sempronii jus (fundamentale scilicet, ac directum), etsi fortius sit Titii jure, incertum tamen absolutè est: ergo non potest judicem privare jure suo reflexo (quod certum est ex certa libertatis ipsius possessione) ad ferendam sententiam contra ipsum Sempronium: sicut Titium non privat, nec cogit ad cedendum juri suo; sicut item non privat Confessarium, vel Theologum, qui justè, atque prudenter ex eodem jure reflexo absolutam sententiam potest, quin immò debet, ferre pro Titio ipso contra Sempronium.

110. Instas: nunquid directum Sempronii jus non fundaret eodem, immò fortiori titulo, jus reflexum, ac certum, & in ipso Sempronio, & in judice contra Titium? Quis neget? At hoc planè absurdissimum est: quis enim dicat, judicem, in omni causa dubia, habere utrinque jus absolutè certum adjudicandi utrilibet parti proprietatem ejusdem rei? Quid? Nonne causa hoc ipso redderetur utrinque dubia ex illo reflexo principio, cùm utrinque daretur æquale jus? Foret igitur jus utriusque partis, & utrinque certum, & dubium in eodem sensu reflexo, quæ manifesta implicatio est.

111. Præterea utralibet sententia judicis foret simul justa, & injusta, quippe quæ semper foret pro jure certo, adeòque ex præscripto justitiæ, & pariter contra jus certum, quod manifesta injustitia est. Et his similia possent alia sexcenta monstra concludi. Non ergo in litigantibus, nec in judice locum habere potest principium de possessione libertatis in dubiis, ad ferendam sententiam judicialem pro qualibet parte quæstionis, sed pars illa determinata, cujus jus prævalet, præferri semper debet.

112. Miror simplicitatem, & candorem animi tui, qui homini Probabilistæ, qualem modò nos agimus, hæc objicias. Sanè, quòd judex habeat jus absolutè certum ad ferendam sententiam, si voluerit, pro jure Titii, licèt minùs probabili, & consequenter Titius ipse jus certum, ut pro ipso, si velit judex sententiam ferat, evidens esse debet in via Probabistarum; cur enim judici non suffragetur certa possessio libertatis suæ adversus legem Sempronio favẽtem, quæ non certa, sed dubia, & probabiliter nulla est? Quòd verò simul eodem titulo certum quoque jus habeat, ut pro Sempronio sententiam ferat, si voluerit ipsi favere; id certè non absurdum, sed verissimum est; quippè quòd solùm probet, jus utriusque partis directum esse verè incertum, ac dubium, quod proinde non possit judicem cogere, sed unicè fundamentum præbere, ut ex reflexo, ac certo Recentiorum principio de possessione libertatis in dubio, liberè possit contra utrumlibet agere, & pro utrolibet sententiam ferre.

113. Præterea, duo jura contraria, quorum quodlibet certum sit circa ejusdem rei proprietatem, facilè, & optimè inter se cohærent ex reflexo principio Recẽtiorum. Nam in foro conscientiæ Titius habet jus certum contra Sempronium, & Sempronius similiter jus certum contra Titium, circa ejusdem rei proprietatem, & Confessarius, seu Theologus consultus ita potest, ac debet, pensatis omnibus, pronuntiare.

Nem-

114. Nempè, si uterque litigans ad Theologum benignum simul, vel seorsim accedat, poterit Theologus Titio dicere, *Tu rem, de qua contendis, licitè potes capere, aut retinere*; & pariter Sempronio, *Tu similiter potes rem vendicare tibi; & si aliter nequeas, poteris uti occulta compensatione*, ex alio nempè largo, ac novo privilegio à multis Recentioribus indulto utendi occulta compensatione ex opinione, etiam minùs probabili; quæ opinio insigniter reipublicæ noxia fructus moderni Probabilismi est aliis, quos produxit, simillimus.

115. Ex his verò non sequitur, jus utriusque partis esse simul dubium, ac certum sub eâdem ratione, & in eodem omninò sensu, neque sententiam Theologi, aut Confessarii, esse injustam simul, & justam, neque ullum aliud absurdum: ergo nec sequi debet ex jure utrinque certo, ut judex possit licitè absolutam ferre sententiam, vel pro Titio, vel pro Sempronio, utcunque magis sibi libuerit.

116. Hæc nobis absolutè vix nõ somnia videntur; sed quæ inevitabiliter consequantur ex principiis reflexi Probabilismi, juxtà quæ jurè negari non potest, judicem posse rectè, ac prudenter, adeòque citra omne mendacium, proferre in data hypothesi absolutam sententiam, etiam pro Titio contra Sempronium, ut affatim ostensum relinquitur. Nam judex sic judicans non aliud enuntiaret, quàm fundum pertinere de jure ad Titium, quod verum est in præfatis principiis.

Concludamus ergo, rationem, cui nimiùm Terillus insistit, vel sententiam ejus benignam evidentis cõvincere falsitatis, vel nullam penitus vim habere adversùs opinionem damnatam.

§. VI.

Retorquetur similiter quinta Terilli ratio.

117. ARguit Terillus quintò. Nullus judex audebit palàm fateri, se tulisse sententiam pro parte sibi minùs probabili contra partis adversæ probabilitatem majorem; hoc enim ipso totius reipublicæ odium contra se concitaret, & nemo, nisi foret amicus, judicari vellet ab eo. E' contra, si constaret, judicem aliquem in sententiis suis probabiliora semper sectari, hoc ipso laudem omnium in se, & communem amorem conciliaret. Ergo, quia naturaliter omnibus notum est, prius illud iniquum, ac turpe esse, posterius verò justum, atque laudabile.

118. Confirmatur: nam si constaret, judicem tulisse sententiam cõtra rationes, quas ipse crederet potiores esse, ac probabiliores, reus per talem sententiam damnatus justè appellaret ad superiorem, nec appellatio ista justè reprehendi posset, aut repelli tanquàm injusta: ergo quia iniqua sententia foret, alioquin appellatio non esset justa. Ita Terillus nu. 17. & 18. Hæc in principiis veræ Theologiæ omninò convincentia sunt; sed quæ modernum Probabilismum haud minori efficacia destruant.

119. Enimverò, si quilibet fateri potest absque rubore ullo apud Deum, aut homines, se paratum esse ad agendum quidquid inhonestum, ac turpe, adeòque lege divina prohibitum, probabilius sibi apparuerit, modò appareat simul probabile non esse contra legem Dei: si nemo erubescere debet, quòd cæteri omnes sciant, se nolle cuiquam solvere, aut restituere quandiù probabilis aliqua opinio ipsum à restituendo, aut solvendo deobliget, etiamsi probabilius sibi videatur, quod restituere, aut solvere debeat, sub pæna dam-

damnationis æternæ: si denique Confessarius, & Thehologus omnia ejusmodi dubia similiter resolvere possunt, ac debent, quin propterea commune hominum odium, aut vituperium ullum, sed tandem potiùs, & amorem mereantur?

Si, inquam, homines in his omnibus rectè, justè, prudenter, & irreprehensibiliter se gerunt: si voluntatem, & legem Dei sincerè, ac diligenter quærunt, & docent: si satisfaciunt obligationi summæ non offendendi Deum, sed potiùs super omnia diligendi, neque lædendi proximum, sed amandi, sicut se ipsos: quid est, cur judex nequeat absque rubore ullo fateri, se tulisse sententiam contra opinionem probabiliorem; sed tamen amplectendo opinionem verè probabilem de jure illius, pro quo sententiam tulit? Cur non prudenter, & honestè agat? Cur non adimpleat munus sincerè, ac diligenter veritatem quærendi, atque sectandi? Cur denique totius Reipublicæ commune odium, aut vituperium, communemque detestationem mereatur? Nullus profectò judex prudens, & æquus, judicem istum Probabilistam, si Probabilistam absolvat, damnare præsumat: immò verò mirabitur sine dubio, quòd modernos Probabilistas ipsum præ aliis absolutè damnare, non pudeat.

120. Præterea reus ille sub prædicta forma damnatus, nunquam justè de judicè conqueri posset, sed ipsum potiùs laudare deberet, quippè qui justè, & irreprehensibiliter munere suo functus probatur: sicut de homine similiter agente adversus legem Dei, & aliorum hominum jura de Doctore, de Theologo, de Confessario, similier docente, consulente, absolvente, neque Deus, neque homines justè queruntur, sed laude potiùs eos dignos putare debent in via Probabilistarum.

121. Quod verò spectat ad appellationem à prædicta sententia judicis, utrunque clarè sequitur in via Recentiorum, justam scilicet, & injustam esse. Justam quidem, quia reum nemo justè reprehendat, quòd jure suo utatur, appellans ad tribunal superius, ubi sententia ab inferiore lata, quanvis justa, & irreprehensibilis, justè nihilominus poterit, & irreprehensibiliter revocari, juxta opinionem utique probabiliorem, quæ liberè inferiori displicuit, & liberè fortasse superiori placebit. Injusta itidem foret appellatio, nam à sententia, quam justam agnoscit, nemo aliquando appellat non injustè, ut est rationis lumine notum.

Nihil his omnibus absolutè loquendo falsius, absurdiusve cogitari ab aliquo potest, nihil rationi magis, & æquitati naturali repugnans. Cæterùm nihil magis Probabilismo cõsonans, adeòque nihil clarius ejusdem falsitatem convincens;

§. VII.

Argumentum denique sextum, quod ex utroque Jure Terillus elicit, ejusdem est rationis cum præcedentibus.

122. ARguit demum sextò Terillus ex jure positivo Canonico, & Civili: nam ex utroque liquidò constat, judicem semper judicare debere secundum, id quod, omnibus diligenter inspectis, probabilius sibi videatur. *Inspiciendum in obscuris quod est verosimilius, vel quod plerunque fieri consuevit*: hæc est quadragesimaquinta ex regulis Juris in 6. qua nihil clarius produci potest.

123. Præterea, leg. *Ob carmen.* ff. de Testibus, dicitur, *Si testes omnes ejusdem honestatis, & existimationis sint, & negotii qualitas, ac judicis motus cum his concurrat, sequenda sunt omnia testimonia: si vero ex his quidam eorum aliud dixerint, licèt impari numero, credendum est, quod naturæ negotii convenit, & quod inimicitiæ, & gratiæ suspicione caret.*

Con-

Confirmabitque judex motum animi sui ex argumentis, & testimoniis, quæ & rei aptiora, & vero proximiora esse compererit. Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, & testimonia, quibus potiùs lux veritatis assistit. Hactenùs textus legis prædictæ.

Ecce (subdit Terillus) *judex jubetur sequi, quod est vero proximius: hoc autem idem est, ac verisimilius, & probabilius. Lege Tiraquellum ad l. Si unquam C. de revocat. donat. ubi plurimas leges citat hoc idem probantes. Idem docet Menochius li. 1. de Præsumpt. q. 29. & 30. ubi ex jure civili clarè ostendit, præsumptionem minùs validam omninò tolli præsumptione validiore contraria. Itaque juxtà leges, quod judici minùs probabile apparet, apud ipsum tanquàm nihil censeri debet relatè ad id, quod probabilius esse cognoscitur.*

Confirmatur ex l. Rem novam C. de Judiciis, ubi præscribitur judicibus judicare cum veritate, juramento præstito: & §. Hodie, dicitur eos jurare, se facturos, quod eis justius, & melius visum fuerit. At manifestum est, quod justius, meliusque, tam eis, quàm omnibus, videatur sequi rationes probabiliores, minùs probabilibus rejectis, quàm in favorem partis minùs probabilis sententiam ferre. Ergo judex ex officio, ex juramento, ex legum præscripto juxtà sententiam probabiliorem tenetur judicare.

His accedit auctoritas S. Ambrosii Juris peritissimi serm. 20. in Psal. 119. Bonus judex (inquit) nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ propositio voluntatis, sed juxtà leges, & jura pronuntiat: statutis quoque juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati. Nihil paratum, & meditatum domo defert, sed sicut audit, sic judicat, & sicut se habet negotii natura. Ergo boni judicis munus est non flecti, nisi juxtà rationes, & rei ipsius exigentiam: ergo tenetur sequi sententiam probabiliorem, quam si rejiciat, eo ipso operatur contra exigentiam causæ, quæ meretur præferri, violat officium suum, perjurii reus est, interno suo judicio contradicit, & mentitur. Hæc Terillus ad verbum usque ad nu. 22. quæ sic placuit latè referre, quia nihil potest efficacius produci contra modernum Probabilismum.

124. Quærimus ergo ab ipso Terillo, & ab aliis junioribus Probabilistis, an censeant, judicis obligationem, qua graviter obstringitur ad judicandum secundùm opinionem probabiliorem, unicè fuisse inductam humano jure per regulas, & textus, quæ Terillus allegat, an potiùs esse omninò ab illo independentem, quæque ex naturæ jure necessariò descendat, ita ut jus positivum de re ista nihil novum præscribat, aut statuat, sed solùm intimet, ac distinctiùs proponat ipsum naturale præceptum?

125. Primum non possunt dicere, nisi, falsò, & manifestè sibi contradicendo; nam rationes productæ, quibus Terillus ipse, & Recentiores demonstrant falsitatem opinionis oppositæ jam damnatæ, independentes sunt à jure positivo, ut facilè constare potest ad illas breviter reflectendo.

Sanè, quòd judex debeat sincerè, ac diligenter veritatem inquirere, ut tribuat unicuique jus suum, non ex arbitrio proprio, aut affectione aliqua particulari, sed unicè ex rationis ductu, & secundùm merita causæ; quòd litigantium omnium communi menti debeat se conformare; quòd pauperes, ac miseros non debeat in judicio despicere; nec favere pro libitu divitibus, aut potentioribus; quòd alioqui pro litibus dirimendis utilior foret miseris talorum jactus; quòd nullus judex palàm sine rubore fateri audeat, se tulisse sententiam secundùm opinionem minùs probabilem; quòd nollet sic ab alio judicari &c. Omnes, inquam, istæ rationes non utique per accidens, aut ex aliqua tantùm juris humani contingenti dispositione,

sed ex ipsa natura rei, per se, & independenter ab omni contingenti, ac positivo jure, evidenter ostendunt, iniquum esse, & contra proprium officium judicis, judicare pro libitu in favorem unius contra præstantius alterius jus, & contra majus rationis pondus.

125. Id Terillus non modò facilè dabit, sed neque in dubium vocari patietur, cui nimirùm sic certum visum est, ut dixerit item n. 9. *Lumine naturæ omnibus notum est ... quòd, qui rationes minùs validas validioribus præfert, à munere justi judicis deflectat*: Nec dissentient opinor cæteri Recentiores, qui ejusdem vestigiis insistunt, eisdemque rationibus disputant adversùs illam opinionem damnatam.

127. Jam ergo, si dicatur (quod unicè dicendum supereſt), per se, & ex solo jure naturæ, non licere judicibus sententiam ferre secundùm opinionem minùs probabilem, neque ullum jus positivum aliquid novum de re ista disponere, sed proponere tantùm, & intimare naturalis justitiæ legem, ut sui officii judices admoneat pro communi bono Reipublicæ: hoc, inquam, Recentiores qui dixerint, ut dicere necessariò debent, jam argumentum istud, quod petunt ex regulis, & textibus juris humani, nihil negotii facessit nobis, neque quidquam laboris superaddit, quippè quòd solùm probat, & firmat consequentis justissimè ab Ecclesia damnati absurditatem maximam, & falsitatem, quam omnes jam agnoscunt, & propugnant.

Hinc verò nos concludimus legitimè similem falsitatem Antecedentis, ideſt, sententiæ Probabilistarum; nam consequentiam esse prorsus inevitabilem, abundè jam ostendimus, & ex infra dicendis clariùs adhuc constabit.

§. VIII.

Præcluditur inanis evasio.

128. At sit fortassis aliquis nimis Dialectici, nimisque Metaphysici ingenii vir, cui cum benigna sua sententia animo insederit, facilius adhuc sit, tolerabiliusque, negare Consequentis absurditatem, quàm consequentiã ipsam ex eadem sententia inevitabilem.

Dicat ergo, rationibus à Terillo productis nihil verè convinci contra opinionem illam damnatam, attento solo jure naturæ, proindeque damnandam nunquam fore, nisi obstitisset jus positivum, cui uni apertè contraria est. Id verò ostendet (& evidenter quidem contra suos Probabilistas); quia judex ille per se loquendo rectè, prudenter, justè, & irreprehensibiliter ageret, quippe qui sequeretur dictamen prudens, & rectæ rationi conforme. Neque rationabiliter dici potest, judicem ex munere suo debere diligẽtiùs veritatem inquirere, majoremve adhibere conatum, ut tribuat unicuique jus suũ, quàm debeat homo ex lege charitatis quærere veritatem, & legem Dei, & curam adhibere, ne Deum ipsum, aut proximum, aliquando offendat. Inducetque in idipsum rationes omnes, quibus indeclinabilis hæc consequentia hucusque à nobis demonstrata est. Judex igitur judicans secundùm opinionem minùs probabilem, faceret rem absolutè malam, quia positivo jure interdictam; at non malam per se, & intrinsecè, neque jure naturæ vetitam.

129. Cæterùm, neque iste consequentissimus Probabilista, inconsequentiam, quam tantoperè horret, ex toto declinare potest.

130. Ratio autem est: quia ex benigna sententia Recentiorum non solùm sequitur inevitabiliter consequens illud evidenter absurdum, quod devorat Recentior, ne consequen-

quentiam deferat, videlicet, quòd judex per se loquendo, & attento jure naturæ, rectè, ac prudenter agat, dum judicat juxta opinionem sibi minùs probabilem; verùm etiam haud minùs inevitabiliter sequitur consequens aliud falsum, & damnatum, quod nemo jam devorare potest, & ideò à Recentiore inconsequenter negari debet, nimirùm, quod non tantùm per se, sed etiam absolutè loquendo, & attento omni jure, etiam positivo, & humano, judex ille prudenter, ac justè agat, neque reprehendi ab aliquo possit.

131. Hæc autem absurdissima, & damnata sequela adeò sponte descendit ex eodem principio, ut mirum sit, si ab aliquo non videatur, statim atque oculos in rem istam intenderit. Nam, ut Recentior iste nobiscum rectè arguit contra Terillum suum, & alios Recentiores ipsius asseclas, ideò, suppositâ sententiâ benignâ, judex in data hypothesi rectè, ac prudenter agere censeri debet, quia longè absurdissimum est, & contra veræ prudentiæ leges, quòd ex munere suo teneatur judex diligētiùs cavere, ne proferat sententiam re ipsa falsam, & contra verum hominis jus, in ordine ad externa, & temporalia bona, quam homo quilibet cavere teneatur, ne faciat aliquid re ipsa turpe, & contra veram Dei voluntatem. At homo nullo jure tenetur eligere opinionē probabiliorem militantem pro lege, seu voluntate Dei, sed potest licitè contrariam amplecti, etiamsi minùs probabilis sit: ergo, nec judex debet lege saltem naturæ, eligere probabiliorem, sed licitè, ac prudenter, potest ferre sententiam juxtà opinionem etiam minùs probabilem. Ita ille perquàm rectissimè.

132. Cæterùm quis non videat, hoc eodem discursu manifestè convinci, quòd nec humano aliquo, seu positivo jure, possit judex censeri obstrictus ad probabiliora sectanda? Sanè nulla Respublica, vel potestas humana potest rationabiliter, & honestè lege, juramento, vel pacto, obligare judices suos ad majorem laborem, diligentiusve studium, ut in sententiis, quas prolaturi sunt de rebus momentaneis, ac temporalibus nihil agant re ipsa contra verum jus alicujus, quàm Deus lege sua obliget omnes homines, ut in rebus gravissimis, & æternis non deflectant à via veritatis, nec quidquam faciant contra Deum ipsum, & contra veram ipsius legem. Quis hic repugnet, nisi totus desipiat?

133. An non absurdum foret, & iniquum pro rebus summis minimam, & pro minimis summam curam exigere? Planè non est possibilis perversio major. Deus verò non errat, neque mensura ipsius iniqua est, aut minùs exacta, sed rectitudo, & veritas ipsa. Iniqua igitur foret, & multò exactior, quàm oporteret, mēsura, qua Respublica metiretur curam, & diligentiam suorum judicum, si prohiberet ipsis in judicando æquè, vel minùs probabilia sectari, quod Deus pro observanda lege sua, nec prohibet hominibus, nec prohibere potest juxtà omnes Probabilistas. Quid enimverò? Nonne omnes ad unum contra sententiam nostram inclamare non cessant, quòd onus importabile imponat, & legem Dei faciat observatu impossibilem? Quàm verò consequenter, quàm justè, vel ex proximè dictis facilè judicabis, & adhuc dabimus faciliùs judicandum.

134. Nunc concludamus, judicem, si jure naturali non obligatur ad probabiliora sectanda, nec positivo aliquo, aut humano jure, obligari: ergo non modò per se loquendo, & attento jure naturæ, sed etiam absolutè, & omni jure inspecto, licitè judex judicare potest secundùm opinionem minùs probabilem; quod tamen falsum, & absurdum est, propterea que ab Ecclesia dānatum. Ecce quò ducat Recētiorem nostrum immoderatus benignitatis amor, ob

quem scilicet, veritate contempta, dum consequentiam maximè tenere cupit, nec veritatem tenet, nec consequentiam.

ARTICULUS V.

Rejecta demùm solutione vulgari, qua frequentiùs utuntur Probabilistæ, concluditur assumptum controversiæ, & falsitas sententiæ benignæ.

135. RAtiones à Terillo productæ, quas sigillatim examinavimus, demonstrant nimis evidenter, ut vidimus, absurditatem maximam, & falsitatem opinionis de judicis licentiâ ad judicandum juxtà opinionem æquè, vel etiam minùs probabilem: haud tamen evidentiùs re vera, quàm benignæ sententiæ falsitatem demonstrent: quinimmò contra ipsam majorem quamdam vim, & efficaciam habent, ut affatim à nobis ostensum est. Superest modò, ut examinemus (ne quid prætereat nos) solutionem vulgarem, seu disparitatis rationem, qua Recentiores passim utuntur, tanquàm penitùs convincenti, & ad quam nihil reponi possit, quippè quam judicant per se notam.

§. I.

Vulgaris Recentiorum solutio, sive ratio disparitatis, nullius planè roboris, sed nimis potiùs absurda est.

136. AJunt igitur Recentiores, opinionem minùs probabilem de jure Titii ad prædium ex. g., ideò relatè ad judicem non esse probabilem practicè, seu (quod eòdem redit) propterea non sufficere, ut fundet prudens reflexum judicium de honestate sententiæ proferendæ, quia si contingat esse re ipsa falsam, sententia lata secundùm ipsam infert re vera damnum Sempronio, quem prædio suo spoliat: nec bona fides judicis impedire potest hoc damnum. Atqui judex ex proprio suo munere tenetur precavere, quantum possit, periculum ejusmodi damni: ergo non potest licitè opinionem amplecti, ex qua verosimilius, seu probabilius sit, quòd prædictum damnum sequatur.

137. Hinc patet, inquiunt, evidens disparitas ad operãtem ex opinione suæ libertati favente, & simul æquè, aut minùs probabili: nam, etiamsi contingat, falsam esse re ipsa, atque adeò per illam violari legem Dei, violatio tamen ista est purè materialis, nec damnum ullum re vera infert, quod operans præcavere teneatur (in hypothesi scilicet, sub qua agit): quia *Deus est incapax omnis damni, & solùm dehonorari potest per offensam: omnis autem offensa per bonam fidem operantis rationabiliter constitutam, manifestè vitatur*, inquit Terillus nu. 53. ubi hoc discrimen assignat.

138. Vulgaris hæc disparitas, ut levissimè dixero, omnium est ineptissima (immò, & quid ampliùs esse mox constabit): adeò tamen arrisit Recentioribus, ut pro hac, & similibus de confessione Sacramentorum, de medico, de bello, & aliis perabsurdis sequelis amovendis à sua benigna sententia, nullam aliam inveneris, maximè apud Summistas.

139. In primis ergo disparitas nimis restricta est, videlicet ad praxim earum opinionum minùs, aut æquè tantùm probabilium, quæ negant legem aliquid præcipientem in honorem, aut cultum solius Dei; neque potest extendi ad alias opiniones respicientes materiam aliarum legum, quæ nos erga proximum ordinant, ut de se est manifestum, & palàm fatetur Terillus, qui ibidem notam istam (satis, prout jacet, absurdam, immò & in terminis implicatoriam) ad marginem apponit, *Bona fides relatè ad Deum sufficit, sed non relatè ad proximum*. Non igitur uti licebit opinione minùs probabili in materia justitiæ, fidelitatis, charita-

tatis fraternæ, & universim alicujus virtutis, quæ aliquid præscribat relatè ad alterum. Nimiùm ergo restringitur benignitas moderni Probabilismi, nimiumque manet impar benignitati Probabiliſtarum.

140. Prætereà, quisque ex lege charitatis tenetur sibi primò consulere, & cavere periculum damni proprii diligentiùs, aut saltem non minùs diligenter, quàm periculum damni alterius; quod puto non negabunt Probabiliſtæ: opinio autem probabilis minùs tuta, si sit re ipsa falsa, ei, qui operatur secundùm illam, infert damnum haud modicum, quod bona fides impedire non valet; tum quia est error actualis ingenerans habitualem errorem, tum quia operatio ex illa procedens generat etiam in voluntate habitum vitiosum, & pravum, per se inclinantem in objectum turpe. Nemo verò minoris faciet damnum ejusmodi, quàm damnum temporale sex, aut octo argenteorum, cujus periculum proximo immineat.

141. Quid ni verò? An ne magni fieri debet malè se habere in rebus extrinsecis, quibus utitur homo ad vitam animalem, quam habet cum belluis communem; nihili verò malè se habere in potentiis spiritualibus, per quarum rectas operationes non solùm in immensum supereminet cæteris animantibus, verùm etiam contendere semper debet ad vitam immortalem, atque beatam? Nunquid, ait Augustinus, *Tibi malè est, qui malam habes villam: & illi benè est, qui malam habet animam?* Aug. serm. 48. Quis dicat? Planè, si quis ita censeret, non satis se rationalem probaret. Ergo quisque tenetur ex lege charitatis erga se ipsum hujus damni periculum diligenter cavere: ergo nunquàm amplecti licitè potest opinionem, ex qua verosimilius sit, quod sequatur. En igitur ex ipsa Recentiorum doctrina, ex qua volebant ipsi deducere disparitatem, concluditur illicitus universaliter, & in omni materia usus cujuslibet opinionis, & minùs tutæ, & simul minùs operanti probabilis. Actum est ergo de benigna sententia, idque ex doctrina ipsa, qua Theologi benigni ad ipsam sustinendam utuntur.

142. Sed quid est opus multis refellere Recentiorum disparitatem, quæ sanè mirabilis Theologia est, & mirificè congruens magno, & arcano, sententiæ benignæ *mysterio*? Sufficiat illam oculis non caligantibus seriò, & attentè contemplandam objicere.

Opinio, inquiunt, minùs probabilis de jure Titii ad prædium, vel majoratum, nequit habere relatè ad judicem practicam probabilitatem, seu (quod in idem recidit) nequit judex prudenter illâ uti: Petrus verò prudenter uti potest opinione minùs probabilide honestate actionis, quam eligit. Quare? Discrimen evidens est: quia, si opinionem illam contingat esse falsam, re verà infertur Sempronio damnum, quod bona fides judicis non impedit, & cujus periculum ipse ex proprio suo munere tenetur diligenter cavere: non satis verò diligenter cavet, si voluntariè eligat opinionē, ex qua verosimiliùs damnum illud sequatur. At verò ex Petri actione, si opinio, quam amplectitur, re verà falsa sit, nullum infertur damnum alicui, *quia Deus est incapax omnis damni*. Bene. Sed nonne sequitur divinæ legis realis violatio? Sequitur: sed istius violationis periculum, nō debet Petrus diligenter cavere. At hoc (liceat dicere) nunquid non est hæresis, & blasphemia? Procul dubio: sed quæ, nisi simpliciter sustineatur, tota simul, & semel, Recentiorum disparitas ita disparet, ut neque species ejus appareat.

143. Patet hoc evidenter sponte sua. Si Petrus debeat etiam diligenter cavere illius violationis periculum, nequit prudenter uti opinione, ex qua violatio illa verosimilius sit quòd sequatur; sicut judex non potest similem opinionem amplecti,

cti, quia damni temporalis periculum diligenter debet cavere. At ex illa opinione minùs probabili de honestate intrinseca actionis verosimilius est, quòd legis violatio sequatur: ergo non potest Petrus ea opinione prudenter uti: ergo, si debeat diligenter cavere periculum illius violationis, nulla est omninò Recentiorum disparitas: ergo ut disparitas nulla non sit, sustinendum est necessariò, quod Petrus diligenter non debeat periculum illud cavere. Hoc autem sine magno errore dici non potest.

144. Dicis, prædictam legis violationem non esse, nisi purè materialem, & quæ Petro nullatenus imputetur. Sed hoc est nimis gratis, nimisque absurdè principium petere.

Dic oro te, ut violatio sit purè materialis, & non imputabilis Petro, debet ne iste diligenter cavere, ne talis violatio sequatur? Vide, quid optes, si quid potes optare. Si neges, ecce hæresis, ecce blasphemia. Si affirmes, ecce nulla disparitas. Nam, dum Petrus utitur illa opinione minùs probabili, non cavet diligenter, ne violatio sequatur; sicut nec judex caveret diligenter, ne sequatur damnum Sempronio: ergo violatio illa purè materialis non est, sed formalis, & Petro verè imputanda, haud aliter quàm judici similiter agenti imputaretur Sempronii damnum. Ergo, vel uterque, vel neuter, rectè, ac prudenter utitur opinione minùs probabili, adeòque, vel utrunque, vel neutrum excusat bona fides, si opinionem, quam sequitur, contingat esse falsam.

145. At judex, neque rectè, neque prudenter agit, neque bona fide excusatur, quò minus damnum ipsi imputetur: ergo nec Petrus agit prudenter, nec bona fides ipsum excusat à legis violatione sibi imputabili. Vel è converso id ipsum: atqui Petrum excusat bona fides, neque violatio legis secuta, est ipsi voluntaria, aut imputabilis: ergo & judicem pariter bona fides excusat, neque potest damnum, quod sequitur, ipsi moraliter imputari.

§. II.

Præcluditur evasio longè absurdissima.

146. UNum omninò hìc Probabilistis restat dicendum. Nimirùm, etsi Petrus teneatur diligẽter cavere violationem legis divinæ, quod juxtà fidem negari non potest: at non teneri ad tantam diligentiam, ut fugiat hujus violationis periculum, quantam judex tenetur adhibere ut præcaveat periculum illius damni, quòd ex sententia sua sequetur, si fortè falsam esse contingat; neque enim lex prudentiæ eandem omnibus diligentiam præscribit in munere suo adimplendo. Hinc fit, ut nulla in Petro imprudentia sit agere id, ex quo violatio legis verosimilius sit quòd sequatur, dummodò verosimile pariter, & probabile sit oppositum: maxima verò judicis imprudentia sit, si quid agat, ex quo verosimilius sit quòd sequatur re ipsa Sempronio damnum, nec liberetur ab imprudentia, ex eo quòd oppositum sit etiam verosimile, atque probabile.

147. Uno verbo: imprudentia nulla est, sed laudabile potiùs, & honestum non vitare periculum verosimiliùs violandi legem Dei, si nullum aliud malum immineat, & probabilem opinionem, de eo quòd non violes, sequaris: est verò nimia, & maxima imprudentia non cavere periculum verosimilius inferendi proximo damnum, per judiciariam saltem sententiam, neque, ab hac imprudentia excusat opinio probabilis. Hoc est, quod continet sub terminis vulgaribus solutio, seu disparitas Recentiorum, si vel speciem habeat disparitatis, aut si voces eorum quidquam significent.

148. Cæterùm quid absurdius, quid

quid horribilius doctrinâ istâ, objicere nos possumus Probabilismo? Quorsùm hic scholasticis argumentis? Quorum syllogismis agamus? Liceat nobis defungi loco isto appellando judicium, non Theologorum, non Catholicorum, non sapientium, sed hominum quorumcunque; etiam barbarorum, siquidem legem ulla naturæ, & lumine rationis utantur.

149. Ita ne, vera prudentia est minoris facere Numinis volũtatem, quàm temporale proximi nocumentum? Majorem diligentiam exigere, ne quam homo patiatur in rebus caducis jacturam, quàm ne offendatur summa majestas per violationem legis ipsius? Hæc est prudentia filiorum lucis? Hæccine recta est regula honestatis moralis? Quis docuit homines prudentiam istam? Quis hanc instituit agendi regulam? Nonne, & rationis, & fidei lumine notissimum omnibus est, voluntatem, & legem Dei nostri omnibus debere præferri, & omnia potiùs mala sustinenda, & optanda esse, quàm ut ei, vel levissimè, repugnemus?

150. Age, rogemus puerum septennem, qui prima fidei rudimenta didicerit, quantum debeamus Deum, & sanctissimam ejus voluntatem diligere? Respondebit, debere diligi à nobis super omnia bona creata, hoc est, ex totis nostris visceribus, ex toto corde, & ex tota mente. Rogemus ultrà, quis Deum ita diligat? Respondebit statim: is, qui paratus est omnia bona potius amittere, & pati, ut omnia mala sibi, aut aliis hominibus obveniant, quàm quidquam agere, vel admittere contra voluntatem divinam. Nonne hic est Christianorum catechismus, quẽ omnes tenentur addiscere, ubi se primùm Christianos agnoverint? Immò veritas ista, ne ab ipsis quidem Ethnicis, quantumvis barbaris, ignoratur; est enim lex naturæ, de qua Hieronymus, *Tunc* (inquit) *venit, & præcipit, quando incipit intelligentia*, simul scilicet omnibus illucescit cum primis ipsis luminis naturalis humanæ rationis crepusculis.

Hieron. epist. 115. ad Algas. q 8. Math. 23.

151. Conferamus ad hanc Fidei Catholicæ veritatem benignam modò Recentiorum Theologiam. Si ex tua actione, inquiunt, periculum immineat violandi legem, & voluntatem Dei, ita ut sit æquè, aut magis verosimile, quòd re ipsa violabis, nihil est, quinimmò rectè, sanctè, ac prudenter agis, modò simul probabile, sive verosimile sit, quòd illam non violabis re ipsa. Cæterùm, si ex sententia à judice ferenda periculum simile immineat inferendi Sempronio damnum, ejusmodi sententiam judicem ferre scelus est, & imprudentia maxima. Nonne hæc est, Recentiores, Theologia vestra? Non ergo miremini, si Dominicis verbis urgeamus vos, *Quid enim majus est, aurum, aut templum, quod sanctificat aurum*? Bonum temporale Sempronii, an Auctor, & Creator bonorum omnium? Et hæc Theologia moralis est, quam tantâ confidentiâ, & jactantiâ plures moderni Probabilistæ docent, ut passim illam dicere non vereantur doctrinam Ecclesiæ Catholicæ.

Math. 23.

152. Est igitur per se plusquàm evidenter absurdum, quòd violationem divinæ legis minoris facere aliquando debeamus, quàm jacturam, seu privationem boni cujuslibet temporalis, quæ ex nostra actione proximo immineat, ita ut magis strictam, magisque exactam regulam agendi pro ista, quàm pro illa vitanda necessariò sequi teneamur. Quis hoc negare audebit, nisi qui terram cælo, & temporalia æternis præferenda putaverit? *Si curris pro hac vita centum millia, quot millia debes currere pro vita æterna?* arguebat Augustinus edoctus ab Apostolo, illo argumento suo divino iniquam rerum nostram æstimationem redarguente, *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam.*

Aug. serm. 37. li. 50.

1. ad Corinth. 9.

Pro-

153. Profectò nulla unquam gens, aut Respublica adeò stolida, ac barbara inventa est, aut inveniri aliquando potest; ut pro rebus vilioribus, pro ferro, plumbo, stanno, pomis, aceto, sale, aliisque levioris momenti appendendis, vel mensurandis, pondera minutissima, exactissimasque mensuras: pro rebus verò amplioribus, pro argento, auro, balsamo, aut aliis pretiosioribus, minùs exacta, vel publicè institueret, vel privatim ab aliquo instituta approbaret, aut toleraret. Et nos pro temporalibus, ac vilissimis rebus, proque taxanda diligentia, & cura in vitandis periculis de ipsarum amissione, strictiorem mensuram, exactiorem mensuram, exactioremque regulam instituemus: pro rebus verò æternis, & inæstimabilibus, pro salute nostrarum animarum, pro observatione divinarũ legum, qua summum ipsum bonum consequi possumus, ac debemus, mensuram multò minùs exactam, regulamque laxiorem consignare non pudeat?

154. Non ne homines, quandoquidem se ipsos Deo suo præferre non verentur, rebus saltem caducis, ac inanibus suis, se ipsos non postponere deceret? Nolles pro rebus tuis quibuscunque, quæ corpori tuo deserviunt, ponderantis, aut mensurandis, pondus, sive mensuram adhiberi non justam, sed quæ verosimiliùs deflecteret ab æquo: non equidem pro auro, non pro argento, non pro frumento, non pro vino tuo: postremò non pro pomis, aut leguminibus. Minùs verò, si sapis, velle debes pro mensurandis rebus animæ tuæ. *Rogo te* (ait Augustinus) *prepone vitam tuam caligæ tuæ*.

Aug. serm. de Verb. Domi. c. 12.

155. Hæc qui seorsim legeret à præcedentibus, miraretur, non dubito, & obstupesceret. Quorsum enim hæc seriò produci possunt in controversia tanti momenti? Sed huc nos ducit, Lector, ut videre facilè potes, benigna Recentiorum Theologia, & vulgare discrimen, quod assignat confidentissimè, u nobis liceat agere secundùm opinionem æquè, aut minùs probabilem, & minùs tutam, si nullum aliud imminet periculum, quàm transgressionis legis divinæ: id verò nunquam liceat humano judici, quia ex sententia, quam profert, semper imminet proximo damni temporalis periculum.

156. At ineptiat nunc aliquis hìc etiam appellando legem reflexam, vulgare jam Recentiorum latibulum. Sed ineptias ejusmodi, nec possumus finire, nec curare debemus. Nemo certè, qui terminos intelligat, & cursum teneat disputationis, adeò importunè poterit ineptire: qui verò non tenuerit, quantum volet, ineptiat.

§. III.

Innuitur tandem quædam nostri argumenti, sive instantia, sive retorsio, peropportunam offerens occasionem firmandi ulteriùs totam hujus controversiæ doctrinam, & modernum Probabilismum multipliciter redarguendi.

157. Dicet quis: non ne omnes fateri debent, periculum imminens proximo alicujus damni patiendi, sufficere aliquando, ne possimus licitè uti opinione directa minùs tuta, etiam multò probabiliori, quam tamen licitè possemus amplecti in alia quacunque materia, ubi similis damni periculum non immineret? Quis id negare potest? Audebimus ne dicere, licere cuiquam uti opinione probabili tantummodò, de valore alicujus Sacramenti, qua tamen, etiam juxtà nostra principia, liceret uti in alia materia? Profectò assertio ista est articulus primus ab Innocentio XI. damnatus. Immò Auctores illius, antequàm damnaretur, in assertione sua id maximè cavebant, ne ex prædictæ opinionis usu immineret proximo damnum.

Præ-

158. Præterea, quanvis damnum, cujus periculum imminet proximo, sit purè temporale, nemo dicere potest, eandem prorsus rationem esse quoad usum opinionis probabilis, ac si nullum immineat damni periculum. Quid alioqui? Audebimus concedere, licitum esse medico, ubi salus ægroti periclitatur, uti opinione tantùm probabili de sanitate medicamenti, perinde ac reliquis uti licet in alia quacunque materia? Et eadem est ratio secundùm communiorem sensum Doctorum, dum agitur de bello inferendo, & in aliis eventibus similibus. Evidens ergo est, & à nobis etiam fatendum, non unam, & eandem universalem regulam esse tradendam pro praxi opinionum moralium, ubi damni periculum proximo imminet, ac ubi solùm imminet periculum transgrediendi divinam legem. Quid igitur arguimus, & exclamamus contra vulgarem istam disparitatem, quam ex hoc ipso petunt, & per quam nostrum argumentum solvunt Recentiores Probabilistæ?

159. Haud præterierat nos apparens hæc argumenti nostri, sive instantia, sive retorsio. Animus autem erat pro controversiæ hujus complemento difficultatem istam expedire per corollaria quædam breviora ex tradita doctrina facilè deducenda. Sed rem attentiùs considerantes, operæ prætium duximus locum istum paulò diligentiùs tractare per totam proximam controversiam; est enim haud exigui momenti, & elucidatione dignissimus, quēque, ut ingenuè fatear, nemo ex Auctoribus sententiæ nostræ satis diligenter excoluit. Immò verò videntur, nescio qua religiosa formidine, atque meticulosâ reverentiâ, difficultatem ejus subterfugisse; cùm tamen argumentum, immò argumenta plura suppeditet efficacissima contra modernum Probabilismum, quibus præterea maximè illustratur nostræ sententiæ veritas, & constantia doctrinæ, cunctaque à nobis hucusque dicta validissimè roborantur. Tantum abest, ut possit Recentioribus suffragari.

160. Interim verò constat, prætensam Recentiorum disparitatem nullius prorsus esse momenti; nam, quidquid sit de difficultate, quam modò exponendam aggredimur, tota doctrina istius articuli irrefragabilis omninò est. Præterquàmquòd ex ipsa Recentiorum doctrina, unde disparitatem petere contendebant, usus cujusliber opinionis æquè, aut minùs probabilis, & minùs tutæ, manifestè convincitur illicitus universaliter, & in omni materia, ut demōstratum est §. 1. Tandem, quòd per instantiam nobis oppositam nimia, & intolerabilis absurditas prædictæ Recentiorum disparitatis, quā adnotavimus, & evicimus, non modò neutiquam evacuetur, aut ulla ratione excusetur, sed multò potiùs clariùs, ac distinctiùs appareat, ad finem controversiæ sequentis luculenter invenies demonstratum.

161. Licet ergo nobis concludere ex doctrina totius controversiæ, benignam Recentiorum sententiam, ut cunque illam velint exponere, nimis evidenter pugnare cum memorato Decreto Pontificio, quo damnatur articulus secundus de facultate judicis ad judicandum juxtà opinionem, etiam minùs probabilem: ex quo evidenter tandem convincitur benignæ ipsius sententiæ falsitas.

162. Hic terminanda controversia erat, nec videbatur curare decere leviusculas quasdam instantias, aut retorsiones nostri argumenti, quas producit noviissimè, seu potiùs repetit, quidam Probabilista recentissimus. Sed ne has quidem prætermittere volumus, sed illas etiam dictis annectere, postquam de Auctore ipso, & novo ipsius Opere nunc erumpente, pauca non omittenda dixerimus.

ARTICULUS VI.

Præmissa compendiaria notitia, & nostro de recenti Libro judicio, ipsius argumenta, & instantiæ contra præcedens argumentum nostrum, proponuntur, ac refutantur.

Præambula notitia ad præsentem articulum.

163. PRodit, dum hæc scribimus, in lucem novellus quidam fœtus novi Probabilismi, id est liber cujusdam Probabilistæ, qui titulum præfert minimè sibi convenientem, nimirum Lydius lapis Recentis Antiprobabilismi.

Si apud sapientes tantùm, atque cordatos viros, res ageretur, sanè, nec libri, nec Auctoris ipsius meminissem. Verùm quia liber iste incredibili confidentiâ, tot, tamque ingentes fabulas, & acerbas passim calumnias, quasi notoriæ veritates essent, contra sententiam nostram spargit, & contra ipsius propugnatores, ut possit non mediocriter simplicioribus, atque ineruditis imponere, si ignaros illos, & incautos præoccupet, antequàm hujus Recentioris instantias, retorsiones, & solutiones ad argumentum nostrum nuper expensum, & ad ea, quæ Auctores nostræ sententiæ ex hoc loco depromunt, proferamus, operæ pretium nobis visum est de libro ipso pauca præfari, quæ si Lector ipsius falsa deprehenderit, sponte volumus impostores audire.

§. I.

Judicium de libro præfato cum compendaria ejusdem notitia.

164. LIbenter ante omnia fatemur, Auctorem libri virum esse peracris, satis acuti, & valdè felicis ingenii, nisi nimiùm infelix versaret argumentum. Utinam voluntas ipsius sic expedita, & libera esset à vehementi, ac immoderato suarum opinionum amore, quem liber totus facilè ostendit: non ita facilè, ac frequenter erraret, non sic alios contemneret, non demum crederet, se solum esse hominem, & *secum morituram sapientiam*. Erudi- Ex Iob 12.
tione præterea pollet, & minimè vulgari eloquentiâ, stylo satis nitido, ac compto, & facilitate dicendi.

165. Quod ad librum spectat; genium quidem fortassè sapit Auctoris; sed ab ingenio ejus usque adeò desciscit; ut vix credere possem ipsius opus esse, nisi ab stylo suo nimis ipse se proderet. Nam quis sibi facile persuadaret, hominem eruditum, ac doctum, dum controversiam suscipit tanti momenti diligentissimè examinandam, & adversam sibi sententiam minutissimè conterendam, ut spondet, adeò superficialiter, & leviter acturum, ut primos terminos controversiæ non transeat; sed suppositâ conclusione sua, & principiis, ac terminis vulgaribus apud recentes suos Probabilistas de lege Terilli reflexa, de distinctione opinionis probabilis practicè, vel speculativè, de ultimo judicio reflexo, & practico conscientiæ dictamine, difficultatem potissimam, aut unicam, de directa conscientiæ regula, quæ est totius ædificii basis, cui cætera omnia innituntur, directè, & ex professò non tangat.

166. Opponit sibi quædam argumenta nostra contra prædictam regulam directam, quam designat Probabilismus: sed confidenter omnia dissolvit, per suas illas vulgares reflexiones, quas nusquam probat, sed ubique supponit tanquam certas, & evidentes; quasi nimirum argumenta nostra evidenter non demonstrarent, aereas illas esse, & nullo solido fundamento subnixas. Quid prodest magnæ statuæ caput aureum effingere, & parùm, aut nihil curare, ne pedibus constet fictilibus? Huc huc Recentior suum lapidem vertat,

tat, & totam comminuet statuam.

167. Præterea in toto libro vix ullam vidi, objectionem, instantiam, impugnationem, solutionemve ultimam, & cui Recentior tandem acquiescat, quam nostræ sententiæ Doctores passim non solvant, atque redarguant: redargutiones tamen, & impugnationes ipsorum alto silentio præmit plerumque, & quasi totam vicissét causam, gloriosissimè exultat; quod est mirabile disputandi genus. Legat saltem, qui volet, opus egregium, & copiosissimum doctissimi P. Palanci è sacra Minimorum familia, quem ab excelso ingenio, exquisita sapientia, nec minùs ab insigni modestia, atque pietate, omnes prudentes meritò laudant, quemque indignissimè tractat Recentior; & nihil in istius Opusculo, nihil, inquam, prorsus inveniet, quod in magno illo Opere apprimè solido, atque nervoso, sepè non sit contritum, atque disiectum.

168. Huic arti similis alia est, quam in toto libro notavi. Nempè, si quid inveniat in libris nostrorum Auctorum, quod minùs cautè dictum, minùsve exactè digestum sit statim illud arripit, & in sensum pessimum trahit, quanvis facilè posset, ac deberet, ex constanti, & obvia doctrina, eorundemque Auctorum mente satis alibi manifesta, benignè intelligi, & explicari citra omnem inconsequentiam; neque enim omnia ubique iteranda, aut exactè exponenda sunt cum molesto, & plusquàm inutili nauseantis Lectoris tædio. Nec ea solùm, quæ ad rem præsentem faciunt (quod excusari faciliùs posset), verùm etiam extranea quæque, & alienissima eorundem asserta, quæ fortè in aliis materiis tradunt, non rarò accusat, & prolixè sæpè insectatur. Adeò est insolita, ac immoderata hujus Recentioris aviditas nostros Doctores suggillandi, ac pungendi. Id verò apud cordatos non solùm minùs urbana, sed puerilis videatur intemperantia.

169. Jam verò de fabellis, vulgaritatibus, & glorioſissimis magniloquiis, quæ per totum suum librum ubertim Recentior accumulat de antiquitate, plausu, auctorirate, sanitate, ac pietate suæ sententiæ, de nostræ novitate, origine, singularite, intolerabilique rigore, nec non (quod passim ad nauseam repetit) de nimia æstimatione proprii judicii, quam producit sententia nostra, ingenuè fatear, quid in me sim expertus. Initio quidem ista non nihil mihi stomachum moverunt; sed brevi ad se ratione redeunte, indignationem pudor de me ipso, pudorem verò risus excepit.

170. De cætero, cùm librum accuratè totum perlegerim, nihil in eo reperire potui (sit pro excusatione infelicitas argumenti) præter inanes quasdam argutiunculas, & apparentes ratiocinationes artificiosè quidem, & acutè ad vulgus decipiendum dispositas; sed fallaciis, sophismatibus, cavillationibus, & hallucinationibus plenas: adeò ut non semel miratus sim, quòd saltem ex benigni Probabilismi sui armamentario magno, nempè ex utroque Terilli Opere (ex quo Recentior iste, sicut & alii, pænè transcribit) non aliquid deprompserit minùs inane, & ad speciem saltem solidius; multò enim speciosiora, & apparentiora argumenta in ipso Terillo inveniuntur, quàm quæ novus hic scriptor producit.

171. Mirùm præterea est, quàm turpiter labatur fræquentissimè in rebus, etiam vulgariter notis, iis, qui mediocre saltem studium rebus moralibus impenderunt. Passim enim res certas falsissimas appellat, dubias, ac controvetsias, certissimas, ac manifestissimas; quin & notoriè falsa sæpè tanquam certissima, & indubitata supponit. In Auctoribus item referendis, & exponendis vix credi posset quantum hallucinetur, quàmque parùm fideliter se gerat. Totus profectò liber pluribus argumen-

mentis ostendit passionis impetu abreptum ipsius auctorē parùm maturè considerasse, quanta sit hujus materiæ gravitas, quàm diligens studium, quàm seriam considerationem, quàm sincerum amorem veritatis unius, quàm denique sedatum animum, ac tranquillam mentem deposcat.

172. Haud pauca insuper animadverti in hoc libro asserta non tantùm evidenter falsa, & absurda sed & ab omni sana Theologia nimis procul exorbitantia, & animadversione dignissima, quæ suis propriis locis adnotare non omittemus. Nam cælestem obedientiæ virtutem, quæ totius Ecclesiæ, totiusque disciplinæ Christianæ, spiritus, & vita est, certaque (post divinam fidem) ad veritatem, & honestatem via secundùm Dei, & Sanctorum ejus certam, ac frequentem doctrinam, propemodum extinguit, ac perimit, immò simpliciter perimit, ac extinguit, atque ad humanam quandam inventionem, & cæremoniam merè politicam, immò verò ad scandalum, & necessariam occasionem errandi, redigere tandem videtur, quin & apertè redigit omninò.

173. Denique inter privatum, nullaque præcipiendi potestate fungentem, & Superiorem legitimum, ut talem, hoc unum constituit discrimen, quod iste, secus ille, possit me obstringere, etiam in dubio de rei honestate, quam præcipit, ut rem præceptam opere compleam. Cæterùm affirmat non semel, & rotundè tandem pronuntiat (ne quædam argumenta nimis fallacia, & apertè sophistica, quæ produxerat, cogeretur demùm contemnere), quòd directio obedientiæ propria, præceptumque Superioris, ut talis, nullam mihi rationem per se ipsam, nullum omninò fundamētum præbeat in casu dubio, ut prudenter mihi persuadeam, rem, quam Superior præcipit, esse re vera in se ipsa honestam, & non contrariam voluntati divinæ. Sed de hac assertione (quam Terillus etiam docuerat) incunctanter asserere nihil verebor, non esse tolerabilem in Theologia, quod suo in loco facilè ostendam.

174. Tandem (ut alia omittam suis locis notanda) ignorantiæ peccata ita sæpiùs exponit, atque confundit, ut illa plenè, ac planè de medio tollat, ut latè, & accuratè palàm faciemus. Et hic est ubi maximè Recentior errat, & plurimos (proh dolor!) perniciosè facit errare, quod vix sine lacrymis dicimus. Utique, si ignorantiæ peccata, quæ Sancti omnes maximè semper timuerunt, verè Recentior iste agnosceret, atque paveret, non sic auderet in rebus tantis, intrepidè pronunciare, non sic in propriis suis judiciis immodicè sibi placeret.

§. II.

Acerbitas styli nimis intemperans.

175. JAm, quod ad libri hujus, styli (ut levissimè dixerim) acerbitatem, intemperantiam, nimiumque tumorem spectat, pudet me illius, vel meminisse; & tamen causa veritatis, quam agimus, cogit nos, etiam loqui de illo. Id verò generaliter testari sinceriſſimè liceat, nullum me, quantum memini, aliquando legisse, vel vidisse, librum ullius Auctoris Catholici adversùs alios viros Catholicos, qui acriori utatur stylo.

176. Porrò, ut præteream, quòd Auctores nostros passim Jansenianis annumeret, aut aliis apud omnes de Jansenismo multùm suspectis, quibus, ut inventoribus, ac præcipuis propugnatoribus, sententiā nostram ubique tribuit; quod, licèt nimis atrox calumnia sit, cùm tamen multam ineruditionem, vulgaremque ignorantiam supponat, risui cum aliis similibus fabellis deputari potiùs oportet: ut hoc, inquam, præteream, Doctores, qui propugnant sen-

sententiam nostram (quales, & quantos suo loco patebit, nec ignotum est in Ecclesia), jam generatim omnes, jam speciatim aliquos, quorum nomina exprimit, & superstites adhuc sunt, passim appellat *miserè, vel miserrimè hallucinatos, utentes non humano, sed ferino, ac frendenti stylo, ignorantes, valdè imprudentes, debachantes pueriliter, vertigine laborantes, judicio suo nimium tribuentes, nimisque de se ipsis præsumentes, audaces, garrientes, latrantes, Reformatores, tristes legislatores, paradoxos, miserè, aut voluntariè cæcutientes, truncantes infideliter, ac de industria testimonia Auctorum, quos referunt*: unde de cunctis generatim affirmat, *cautissimè legendos esse, nec credendos, donec Auctorum scripta propriis oculis legantur*. Avertimus hinc calamum non nisi rubrum atramentum reddentem. Tu, Lector, vide loca ad marginē notata, ubi hæc, & alia multa, etiam graviora reperies.

In ipsa Operis introductione multa invenies acerbè, & invidiosè dicta. Deinde totum Opus numeris cōtinuatis distinctum est. Vide saltem sequentes 2. 7. 70. 74. 79. 83. 86. 153. 181. 201. 208. 209. 219. 222. 226. 230. 263. 269. 278. 280. 297. 301. 315. 316. 332. 397. à nu. 443. usque ad finem.

177. Sed quæso te, ne legere prætermittas *admonitionem* (ut ipse appellat), & conclusionem totius Operis, ubi producit verba D. Bernardi serm. 3. de Resurrect. quibus homines leprâ proprii judicii, propriæque voluntatis infectos, adeò aculeato, ac pungenti stylo suggillat, & exagitat mellifluus Doctor (generaliter quidem, ut oportebat, & neminem omninò designans per specialem aliquam notam), ut vix auderet quis in aliquem, aut aliquos designatos hæreticos obstinatissimos, ac perniciosissimos ejusmodi verba proferre.

178. Et his conceptis verbis paternè, ac salutariter alloquitur, & admonet, pro conclusione totius Operis, hic Recentior gravissimus, & ab eo morbo alienissimus, Auctores, qui propugnant nostram sententiam, quorum plures, ut diximus, hodie superstites, & ubique sapientiâ, ac pietate suâ notissimos, nec parùm in Ecclesia Dei eminentes, propriis suis nominibus expresserat. Et quasi per decursum totius Operis nec dum satis eos vexasset, sigillatim deinde, & ex professo, novis, ac longis animadversionibus in singulos eorum invectus fuerat nimis ardenter, & intemperanter. Vide saltem, si placeat, verba, quæ profert in prælaudatum P. Palancum initio peculiaris animadversionis in ipsum, & seriò apud te cogita, an auderes talia proferre in aliquem nebulonem.

Totum Opus concluditur paginis 256. in quarto. Ferè autem 100 impendit his peculiaribus animadversionibus, scilicet a pag. 161. usque ad finem propemodum ipsius Operis.

179. Quod autem urbanè subjungit, nolle se absolutè affirmare, Antiprobabilistas, de quibus loquitur, vitiis adeò pestiferis, ac horrendis, infectos esse, (*licèt vix*, inquit, *me continere possum, quin eos hac lepra consilii proprii, aut infectos credam, aut certè pertimescam*) prodesset sibi ad dissimulandam, vel tegendam utcunque contumeliam, si cum fatuis, aut pueris ratione vix utentibus loqueretur. Id verò apud cordatos injuriam non evacuat, sed auget potiùs; tum quia contemnit illos, quibus fucum, ut pueris facturum se arbitratur; tum quia ostendit apertè, ipsum etiam puduisse talia effutire, prætulisse tamen pudori libidinem maledicendi.

180. Cæterùm est magnopere notandum (quippe notatione dignissimum) quod hic idem Recentior nihil in Opere vehementiùs accusat, nihil ardentiùs carpit, de nullo frequentiùs conqueritur, quàm de nimia Nostrorum styli acerbitate, & specialiter, quòd censere, aut notare, de improbabilitate præsumpserint aliquas opiniones satis communes inter suos Probabilistas.

181. Non negamus omninò, neque laudamus, quod aliqui neoterici Antiprobabilistæ in Probabilismum modernum, & quandoque in ipsius propugnatores, ardentiùs sint invecti, quàm expediret. Sed, omissis pro nunc multis haud levibus excusationibus, quæ non parùm diminuunt culpam ipsorum, præsertim facta comparatione ad Probabilistas mo-

modernos, qui non minùs hìc peccant (ne quid plus dixero), neque similiter possunt excusari: his, inquam, prætermissis, certum est, Antiprobabilistas Recẽtiores plerunque non in Auctores ipsos, sed in eorum opininiones irasci, etsi aliquando, ut diximus, & in hoc ipso modum excedant, indeque in ipsos earum Auctores, quasi indirectè, & per resultantiam, vehementiores etiam incurrant.

182. Sed aliud est, dum aliquis zelo Christiano insequitur errorem, quem odit, & quem pernicioſum existimat, non nihil lædere personam errantis, quam Christianè debet diligere, ut medicus, dum morbum unicè insequitur, quandoque graviùs vexat ægrotum, quàm postularet morbi curatio: aliud autem, & multò inexcusabiliùs appetere à consilio, & directè, personas ipsas, etiam vitâ non functas, coràmque, ac quasi in facie contumeliis lacessere, ut lacessit, & appetit ultra modum, queribundus iste Recentior. Nonne Apostolum habet, contra se nimis duram, timendamque sententiam dicentem, *Inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas?* Quid verò, si non eadem, sed & multò pejora? Ad Roma. 2.

183. At opiniones sæpè multorum, atque doctorum Probabilistarum Antiprobabilistæ notare, & duriùs impetere solent. Hic totus dolor Recentiorum est, quidquid aliud dolere fruſtrà prætexant: nam *ubi morbus est, ibi & dolor*, ut fert medicorum parœmia. Sed de latente hoc morbo sanè graviſſimo, de ipsius causa, effectibus, medicina, latiùs mox nobis dicendum est. Interim verò, ut constet, quàm sit & in hoc genere lacessẽdi inexcusabilis Auctor Lydii lapidis, placet ex multis ejus duo tantùm loca producere, quibus de nostra, & suæ adversa sententia, in controversia ista pugnaciſſima, totiusque Theologiæ momentoſiſſima, benignè ipse censet, & loquitur.

184. Ergo in admonitione, & concluſione operis, postquam sententiæ suæ benignæ tumentibus, ac plenis buccinis plausit, ita concludit. *Si enim ita est, quis sententiam benignam suo calculo firmare prudenter renuet? Quis à castris tot, & talium Catholiciſſimorum virorum ad Lovanienses de Janseniſmo multùm suspectos, sine maxima nota velit transire?* Itaque, hoc Recentiore judice, nemo Probabiliſmo Recentiorum dissentiri prudenter potest: nemo ab illo discedere sine maxima nota, & quin hoc ipso à castris Catholiciſſimorum virorum transeat ad Lovanienses, ipsosque vix Catholicos, ut ait Recentior, (nos etenim haud ita de Lovanienſibus indiscretè loquimur) quasi non alios habeat sententia moderata patronos. Hic est humanus, & pacatus stylus urbaniſſimi Recentioris, justisſimè proinde passim querentis *de ferino, ac frendenti* nostrorum Doctorum stylo. Lyd. Lap. n. 445.

185. At fortè in Oratoria, atque Rhetorica peroratione licuit paulò liberiùs habenas eloquentiæ laxare. Nimia certè videtur, & pluſquàm nimia Christiani, & humaniſimi Oratoris, etiam in perorando, obloquendi licentia. Liceat verò, si placeat, Recentiori Oratoriè, ac Rhetoricè peroranti sic eloquentiæ suæ laxare habenas.

186. Cæterùm audi ipsum intra metas ipsius disputationis terminis decretoriis, presſisque differentem. Videlicet, ubi sui reflexi, ultimique conscientiæ dictaminis absolutam propugnat certitudinem, opponit sibi ex P. Munieſſa, qui nondum tunc excesserat è vivis, aut saltem excesſiſſe, nec dum scire poterat Recentior, & quem sapientiâ, ac pietate celebrem, Aragoniæque Provincialem Parmæ in Italia, dum Romam petit ad nostram generalem Congregationem, non sine magno sui desiderio obeuntem, frequentiùs,

ac

ac liberiùs Recentior ipse per totum suum lapidosum Opusculum immodicis convitiis lacessit, ultra quàm aliquis facile credat: opponit, inquam, sibi: *Instat* (Munniessa); *nos, qui jam sumus plures* (hæc non Munniessæ verba, sed Recentioris sunt) *negamus, quod dictamen fundatum supra opinionem probabilem cognitam* (in sensu Recentioris scilicet) *certum esse possit, immò & quod sit verum: ergo ad summum erit probabile.*

Lyd. Lap. sect. 23. n. 230.

187. Ad objectionem sic à se propositam respondet continenter his verbis: *Respondeo* (inquit) *nos parùm curare de hominibus, qui audent contra Magistros Ecclesiæ, per integrum saltem sæculum, immò & per anteriora omnia, ut planum fecimus. Deinde vos dicitis, requiri dictamen ita firmum, ut quidquid in oppositum insurgat, prudenter despiciatur, ut scrupulus inanis: hæc autem apud nos est certitudo, nec aliam postulamus: nihil enim curamus de hominibus requirentibus ex una parte judicium certum, & ex alia falsissimè dicentibus, illud judicium solùm esse opinativum. Nostrum ergo judicium ultimum certum non potest dejici à sua certitudine per vestras ratiunculas, quas videmus inanes.* Sic ille modestissimè, & humanissimè, censet, & loquitur de sententia nostra (quæ vero illa, satis constat ex dictis, & ex dicendis clariùs adhuc constabit), quam non modò probabilem dicere non dignatur, vel sua laxa probabilitate, cum qua cohæret, falsam, & esse, & apparere; sed appellat *audaciam contra Ecclesiæ Magistros* (idest, contra Probabilistas), de qua, & Auctoribus eam docentibus ex ratiunculis tantùm inanibus, nihil omninò curandum sit.

188. Absit, ut nos ab isto novo Magistro Ecclesiæ hanc styli modestiam, & humanitatem discamus. Absit, ut ipsi vicem rependere velimus. Immò nolumus illum aliâ pœnâ mulctare, quàm simplici suorum dictorum narratione, & sincerâ notitiâ, atque judicio de toto suo Opusculo glorioso, quod extra mentem suam videndo, ipsum saltem fortassè non delectabit.

189. Quas verò contra nostram Societatem, quasi per speciem blandiendi, ingentes calumnias spargit, maximè in ipsa Operis introductione, & prima sectione, cujus præsertim numerus septimus supra modum est invidiosus, ac injuriosus, & ipsi Societati, & gravissimis ejus Scriptoribus, quos maximè revereri debuerat: calumnias, inquam, istas non omittimus (neque enim licet nobis), sed transmittimus in locum opportunum, ac proprium, ubi de his non obviter dicturi sumus.

§. III.

Reflexio ad Libri Auctorem, necnon ad Censores ejusdem.

190. Denique pro dictorum coronide hanc unam reflexionem nolim, Lector, omittas. Scilicet hoc tantum, tamque præcelsum Opus, in quo Auctor ipsius dat Urbi, & Orbi jura vivendi, asserit Regnum Probabilismi, ipsumque decadentem statuit, (velut, sententiam Magistrorum Ecclesiæ), sapientes quosque dirigit, & emendat in controversia (ob nimiam contentionem, artificia, pugnacesque conatus Probabilistarum recentiũ) totius Theologiæ gravissima, intricatissima, profundissima, latissima, & universalissima, in cujus nempè resolutione vertitur generalis regula morum; ac demum multos sibi adversantes Doctores non mediocriter graves, atque sapientes, qui pietate, doctrina, scriptis, meritis, fama, dignitate, haud parùm etiam hodie, eminent in Ecclesia Dei, quique sacram doctrinam per multos annos in celebrioribus Orbis academiis disputando, ac docendo, consenuerunt, tam audacter objurgat, tamque severè mulctat, ac corripit.

Hoc

191. Hoc nempè tantum Opus prodit in lucem mundi (dictu mirabile!) sub nomine cujusdam adolescentis, optimi quidem, magni, præcellentisque ingenii, de quo tempore suo maturo, & opportuno nihil non magnum expectari posset; sed qui vix suam adolescentiam egressus, quique Theologiam, nusquam hactenus docuerit, repentè prodit Magister Ecclesiæ, id est, recentis Doctor Probabilismi, quem pro ætate sua, studiis, professione, vix summis ipsis labris delibasse, mundus credebat. Certe properātes, & præcoces arborum fructus resecari Dominus jubet, & comedi penitus, prohibet. *Sic sunt aliqui* (ajebat Bernardus), *quorum fructus, quia nimis properè, minùs prosperè oriūtur.*

Levit. 19.

Bernard. serm. de S. Benedic

192. Et ego quidem, dum video juvenem, ferè tyronem in militia Theologica, tantâ jactantiâ provocantem ad pugnam strenuum illum, ac veteranum Ducem toto Christiano orbe notissimum, cujus Opus egregium, ac solidissimum de recto usu opinionum moralium, incredibili plausu Europæ totius exceptum, communi calculo sapientium probatum, duodecieſque intra annum recusum, se libro suo singulariter petere Recentior iste palàm profitetur, facilè eventum ipsi, non prosperum præsagio, nec me contineo, quin Hieronymi verbis amicè, atque salubriter ipsum admoneam: *Certè nec ætate, nec scientia, nec totius orbis testimonio major illo es. Si ætatem quæris, juvenis ad senem scribes: si scientiam, non sic eruditus ad doctum; licèt te fautores tui disertiorem Demosthene, acutiorem Chrysippo, sapientiorem Platone contendant, & tibi ipsi fortè persuaserint.*

Hieron. adversus erro. Ioan. Hierosol. pag. mihi 55.

193. Verùm quid de censura libri hujus egregii, (quæ parùm abfuit, ut librum ipsum latitudine superaret, immodicas laudes ipsius, idemque libri argumentum promovens) luce planè, ac prælo dignissimâ, quæ seorsim etiam à libro vulgata est celebritatis causa? Brevi dicam compendio: Libro per omnia similis est: nullam opinor Censor laudem hac majorem optabit. Sed neque nos tribuere debuimus. Ad argumenta verò sanè urgentissima, quæ contra nostram sententiam congerit grandi sonantium verborum strepitu, nec sine magno styli labore, respondere quidquam haud possumus. Nos porrò in nostro Opere alterius generis argumentis utimur. Augustinianum illud iterasse sufficiat: *Desinant talibus agere, ut quemadmodum ille ait, separatis nugis locorum communium, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione confligat.*

Aug. li. de utilit. cred. c. 1.

194. Laude item non modica dignus est alter etiam libri encomiastes: meâ tamen sententiâ majorem mereretur, si librum nec laudasset, neque probasset. Ille igitur, ne in causa Recentiorum communi, officio suo deesse videretur, præter encomia libri multò plura, & grandiora, paucis, & cultis verbis expressa, suum quoque suppeditat argumentum pro benigno Probabilismo non sanè facili solutione donandum. Quidni verò? Concludit ex sacra pagina (ex illis nempè verbis *cunctus populus videbat voces*), legis obligationem ut subditos obstringat, instar lucis esse debere, quæ oculis ipsis hauriatur. Nonnè tibi videtur satis ampla benignitas? Illam Probabilismus benignissimus profectò non excessit; quin nec æquavit.

Exo. 20.

195. Hic est in summa liber iste novissimus sincerè, atque fideliter repræsentatus, & per hoc ipsum solum plusquam abundanter rejectus; quem audio nihilominùs à quibusdam probari, & laudibus etiam efferri: sed à quibusdam tantùm Probabilistis, qui se totos cæco quodam affectus impetu Probabilismo suo devoverunt, ut nihil unquam legere, vel audire pro contraria sententia velint (hoc ipsi sponte etiam, & glorianter fatentur, & profitentur). Hos verò in causa ista judices recusamus,

quos

quos ipsa in primis veritas recusat, & accusat, & aliquando etiam districtè judicabit.

§. IV.

Prædicti Auctoris instantiæ, & objectiones.

INstat ille primò, & retorquet præcedens argumentum. Judex in foro interno, nimirùm Confessarius, licitè potest judicare, & absolvere secundùm opinionem sibi minùs probabilem, dummodò probabilis sit, *ut docuit* (inquit) *tota antiquitas, & omnes modò, etiam consentiente Muniessa, contra paucos alios*: immò potest, fatente insigni quodam Antiprobabilista, si opinio pœnitentis sit multorum graviũ Doctorum, quamvis Confessario videatur minùs probabilis; tunc enim potest judicium suum deponere, & conformari illorum judicio. Et tamen hinc non licet arguere ad judicem externi fori, qui nimirùm non judicat de licito, aut illicito litigantium, sed speculative duntaxat de jure uniuscuiusque ad rem, de qua contendunt. Est ergo fallax argumentum nostrum, & à nobis etiam solvendum.

196. Secundò: judex in casu æqualis probabilitatis adhuc potest ferre sententiam, vel dividendo rem, si sit dividua, vel causam aliter decidendo. At Theologus in æquè probabilibus non deberet judicare, ut ex Bonaventura contendit Muniessa. Est ergo discrimen.

197. Tertiò: judex non potest, adhuc per Superioris sui præceptum, vel mutare judicium, vel judicare contra probabiliorem opinionem. At per nos, accedente Superioris præcepto, subditus potest mutare suum judicium, & agere cõtra opinionem, quæ sibi probabilior videbatur antecedenter ad præceptum: ergo absque dubio latet discrimen à nobis etiam necessariò quærendum.

198. Si dixeris ex P. Muniessa, judicem etiam posse propter Prælati sui auctoritatem, atque rationes, & mutare judicium, & judicare, contra quod probabilius antecedenter sibi videbatur: *Contra* (ait Author Lydii Lapidis): *nam, ut demonstravi supra, præceptum Superioris non est ratio, ut subditus judicet de re secundùm prædicata intrinseca, & speculativè; sed practicè de re hìc, & nunc*. Ideò, solùm est ratio, ut faciamus honestè id, quod nobis præcipitur, sive sit in se honestum, sive inhonestum: non verò, ut esse honestum re verâ, & coram Deo, ulla ratione nobis persuadeamus. Et hæc est magna obedientiæ virtus, quam Author hic generaliter docet, quamque demonstratam relinquit, & ex qua facilè, ut passim ipse jactat, sententiam nostram impugnat, & expugnat. Verùm de hac mirabili Theologia ipsius non nihil supra innuimus, & dicemus ubertim suo in loco. Lyd. Lap. nu. 269.

199. His autem instantiunculis præmissis, duas deinde adhibet ad nostrum argumentum, vel solutiones, vel disparitates. Primam ex illa vulgari doctrina, & distinctione opinionis probabilis practicè, vel speculativè. Nimirùm judex in eventu proposito non habet ullam opinionem probabilem, nisi purè speculativè, qua possit uti ad ferendam sententiam; quia nulla est opinio probabilis, quæ affirmet, ipsum licitè posse judicare pro jure æquè, vel minùs sibi probabili. *At nos* (inquit) *asserimus, posse unumquemque licitè operari, quando habet opinionem certò probabilem de licito operationis: ergo, quòd illicitum sit judici judicare secundùm sententiam speculativam minùs probabilem, & nihil resolvendo circa licitum, non probat contra casum nostrum, in quo datur opinio de licito.* Hæc Lapidarius, & nihil ultra de prima ista disparitate.

200. Secundam verò petit ex eo, quòd judex simul cum munere ipso suscipit specialem obligationem judicandi ex rigore legum, & sine

personarum acceptione, ut constat ex Jure civili, ubi dicitur, judices debere etiam juramentum præstare faciendi, *secundùm quod eis visum fuerit justius, & melius*. At nihil speciale invenitur, quod obstringat cæteros homines ad non agendum id, quod sciunt ab aliis prudenter approbari, tanquam honestum, etiamsi sibi oppositum probabilius videatur: ergo non licet argumentum ducere à judice ad cæteros homines: sicut non liceret arguere ab eo, qui per votum liberè se obligasset ad sequendam ubique, vel in casu particulari opinionem tutiorem, sive probabiliorem, ad reliquos, qui similem obligationem non suscepissent.

201. Opponit autem sibi, judicem quoque scire, alios Doctores prudenter negare id, quod sibi videtur probabilius de jure partium: & tamen non propterea potest se conformare eorum opinioni cõtra propriam: ergo nec poterunt cæteri homines agere contra propriã ex aliena opinione. Ad hanc superfluam replicam, quæ nihil addit supra ea, quæ dixerat, nihil etiam novum respondet, sed negata illatione, repetit eandem doctrinam de obligatione speciali judicis, & distinctione probabilitatis practicæ, vel speculativæ.

Hæ sunt disparitates, & solutiones nostri argumenti, ultra quas nihil addit, & quibus tandem confidẽter acquiescit novus hic Magister. Ipsum vide, si placet à nu. 266. ad 274.

202. Quòd, si me roges, cur illis referendis supervacaneè tempus insumpsero, cum easdem & latiùs ex Terillo supra produxerim, & plusquàm sufficienter discusserim? Reponam, me non illas ideò repetere, quasi novam facessant difficultatem, aut novam solutionem deposcant, sed unicè ut statim novelli hujus lapidis glorioſi, & soliditatis ipsius manifestum darem specimen, quo facilè conjicias, *Quid dignum tanto promet hic promissor hiatu*. Horat. in Arte Poet.

Obviter etiam poteris experimentum capere illius novæ artis, & miræ disputandi rationis, quam in hoc Recentiore observasse me dixi. Rogo namque, qui legerit sententiæ nostræ Auctores, an non passim in illis ejusmodi evasiones, & solutiones recentium Probabilistarum inveniantur latè rejectæ, & solidis rationibus impugnatæ; quas tamen lapidarius silentio premit? Cur non hic usurpemus, quod de simili alio Recentiore, licèt non ita jactabundo, ac glorioso, opportunè dixit Munies-sa; *Egregium sane Atlanta sortitus est in sui decadentia Probabilismus*.

§. V.

Ad productas instantias.

203. JAm verò instantiæ productæ à Recentiore inanes etiam sunt, & quæ nullam facessant contra sententiam nostram difficultatem, maximam verò contra ipsius sententiam.

Et prima quidem tangit difficultatem, in qua Theologi, præsertim antiquiores, satis confusè locuti sunt. Illam nos ex professo in 2. par. tractabimus, & quanta claritate, atque distinctione possimus, ex solidis principiis resolvemus: ubi etiam clarè monstrabimus, sensum eorum veterum Theologorum, qui assertionem illam docuerunt (nec enim omnium est, ut falsò, & gratis Lapidarius affirmat) longè esse diversum, & perquàm alienissimum à sensu Probabilistarum, quidquid sit de doctrinæ consequentia, quam fateor plures saltem ipsorum non satis attendisse videntur.

204. Quidquid verò de hoc sit, quòd ad præsens spectat, certum omninò est, nullum Antiprobabilistam, sive antiquum, sive modernum, aliquando docuisse, Confessarium debere, aut posse, licitè absolvere pœnitentem, qui utatur opinione minùs tuta, & quam pœnitens ipse iudi-

dicet simul minùs probabilem: quare in eventu posito, nec pœnitens, nec Confessarius minùs probabili opinione utitur. Non quidem pœnitens, qui opinionem illam, probabiliorem putat, ac veram: nec item Confessarius, qui eâ ipse opinione non utitur, sed solùm sinit, ut pœnitens utatur, quia in illis circunstantiis non debet (ut Auctores prædicti significare, aut docere videntur) pœnitentem ipsum deducere ab eo incerto errore, quo fortè ducitur involuntariè.

205. Monent tamen plerique ex præfatis Doctoribus, debere Confessarium pœnitentem monere, ut rem illam in posterùm diligentiùs examinet, eò quòd viri docti falsam existiment opinionem illam. Quare (quod est magnopere notandum) clarè videntur loqui, non de opinionis prædictæ praxi in ordine ad agendum in posterùm, sed in ordine ad opus ex illa jam patratum, & quod attinet ad formādum judicium de peccato præterito pœnitentis: qui certè sensus non modò alienus est à sensu novi Probabilismi, verùm etiā ab omni specie inconsequentiæ, vel falsitatis.

206. Audi (ne quid videamur gratis asserere) Antoninum ex Paludano, Richardo, & Gotfrido de Fontibus, quos ipse refert, & (ut videtur satis verosimile) ex communi veterum mente, cautè, atque prudentissimè in rem istam loquentem: *Quod si Confessarius dubitaret* (inquit ex Paludano), *utrum illud, de quo confitens non pœnitet, nec confitetur, esset mortale, & ipse confitens dicit, quòd consilio peritorum illud fecit, de quibus ex vita, & scientia probabile est, quòd non consulerent, nisi benè, illi judicio* (perpende verba ista) *se potest conformare; secus autem esset, si esset certus de opposito*. Hic adducit Richardum, & Gotfridum, ex quo ita subjungit: *Debet* (Confessarius) *proponere confitenti, quòd benè studeat de hoc se ipsum per prudentes informare, eò quòd alii teneant contrariam opinionem*. Hæc modò de re ista prælibasse sufficiat, ut clarè pateat, quantum antiquitas abhorreat in omnibus à novitate Theologiæ benignæ.

Anton. 1. p. Sum. ti 3. c. 10. §. 10. ex Palud. in 4. dist. 17.

207. Ex hac ergo doctrina veterum Theologorum quid instantiæ potest deduci contra præcedens argumentum nostrum, aut quo veri colore potest inflecti contra sententiam moderatam, & veram? Nihil profectò ineptius, aut importunius. Habet verò vim maximam ad comprobandam inconsequentiam recentium Probabilistarum, & ad firmandum argumentum nostrum doctrina circa Confessarium, quam tradunt ipsi Probabilistæ. Utique juxtà ipsos Confessarius tenetur pœnitentem absolvere, qui velit agere ex opinione, & minùs tuta, & sibi, etiam minùs probabili, hocque pœnitētis propositum, non modò negativè, aut permissivè, verùm & positivè, probare, atque laudare, Confessarius potest, ac debet. Ergo, & probare debet, atque laudare, simile propositum judicis, qui non minori prudentiā utitur, dum judicare statuit ex minùs probabilibus. Præterea Confessarius in illo foro interno jam utitur in ferenda sententia opinione minùs probabili: ergo & poterit judex eā uti dum judicat in foro externo. En prima instantia Lapidarii nostri.

208. Secunda verò æquivocatio est. Bonaventura, & cæteri Doctores (exceptis Recentioribus Probabilistis, nec tamen omnibus, ut in loco monstravimus) rectè, ac sapienter docent, eo in eventu, Theologum nihil posse prudenter, judicare absoluto judicio de altera parte determinata illius peculiaris quæstionis, sive de intrinseca actionis illius honestate, aut inhonestate. Haud tamen negant, sed ut certum supponunt, posse aliā viā dubium decidere, nempè, vel judicando, rem esse dividendam, vel sequendam tutiorem partem, vel aliter pro variis circunstantiis. Id ipsum docent consequenter, ac verè, de

judice in similibus eventibus. Quænam est ergo instantia contra communem nostram, antiquamque Teologorum sententiam?

209. Sanè cõtra modernos Probabilistas indeclinabilis omninò est; ipsi nanque cõtendunt, Theologum, in hypothesi dicta, posse rectè, ac prudenter resolvere quæstionem pro alterutra parte determinatè, utrilibet rem totam, de qua contenditur, tribuendo per sententiam absolutam: ergo, & id ipsum potest judex externi fori; quæ est consequentia recta, ac legitima, concludens simul, ac indivisim, & damnatum articulum de judicis licentia, & damnandi benigni falsitatem Probabilismi.

210. Tertia demum instantia similis præcedentibus, similiter non nostram, sed Recentiorum sententiam urget. Utique nos libenter fatemur, judicem, si contingat ipsum constitui in raro aliquo, ac possibili eventu, in quo legitimus Superior ipsius præcipiat ipsi sententiam ferre secundum id, quod sibi ante præceptum æquè, aut minùs probabile videbatur, (verbi gratia si Summus Pontifex præcipiat Episcopo, aut Inquisitori, ut in causa aliqua doctrinali hanc, aut illam sententiam ferat) æquè, ac reliquos subditos, obedire posse, ac debere; neque enim ulla est ratio, ut excipiamus judicem à generali rectæ obedientiæ lege.

211. Quomodò verò subditus in rebus ex se dubiis honestè, ac laudabiliter obedire possit, ac debeat, non quidem retinendo judicium proprium, & (quod in idem redit) contemnendo Superioris judicium, simulque legem ipsam divinam (quam obedientiam Probabilistæ docent, ut nos existimamus, & demonstramus); sed accipiendo potiùs Superioris judicium, & voluntatem, tanquam normam, ac regulam proprii judicii, propriæque voluntatis, ut verè se conformet voluntati divinæ; quæ vera est, & sancta obedientia, quam ex pagina sacra, & SS. Ecclesiæ Doctoribus sapientissimè docet, demonstratque S. P. N. Ignatius: id, inquam, nos jam supra obviter expoluimus, fusiùsque, & exactissimè mox exponemus etiam, ut speramus, admirante lectore, quòd toties ex hoc loco Probabilistæ sententiam nostram audeant lacessere; est enim procul dubio admiratione longè dignissimum. En igitur instantia Recentioris, ne tangit quidem sententiam nostram. Sup. lib. 1. controv. 5. a. 11.

212. Sententiam verò ipsorum Recentiorum non urget modò, sed evertit omninò. Nam lex obedientiæ juxtà nova principia Recentiorum, vel subditum obstringit, ut volunt plures, vel, ut contendunt alii non pauci, qui commodiorem obedientiam docent (& quidem consequenter ad principia benigna), saltem indulget ipsi, ut obedire possit contra opinionem propriam, adeòque sibi probabiliorem, de iniquitate Prælati præcipientis, & ipsius rei, quæ præcipitur: quam opinionem subditus, ut obediat, non tenetur deponere, quin neque potest rationabiliter; nam, ut ait Auctor Lydii lapidis de communi, ut contendit (falsum tamen) sensu suorum, & ut demõstrandum relinquit, *præceptum Superioris non est ratio, ut subditus judicet de re secundùm prædicata intrinseca, & speculativè, sed practicè de re hic, & nunc*. Nonne hæc est obedientia verè mirabilis, quam docent Recentiores Probabilistæ, & per quam sibi plaudunt, tanquam totius rectæ disciplinæ assertoribus?

213. Cur igitur & judex non debebit, aut cur saltem non poterit ferre sententiam contra opinionem, etiam sibi probabiliorem, ut obediat, & exequatur sui in tali causa legitimi Superioris præceptum? Negant id Recentiores, ut fugiant damnationem Ecclesiæ. Sed Ecclesia damnavit consequens illud; nõ verò consequentiam, per quam deducitur ex principiis benigni Probabilismi rectè, ac infallibiliter, ut ostendimus,

eva-

evaſionibus omnibus Recentiorum, atque diſparitatibus latè præcluſis.

214. Hæc adeò inefficacia, niſi contra ſe ipſum, opponit novus Probabiliſmi vindex contra præmiſſum argumentum noſtrum. Quibus ſubjungit etiam mirabilem illum diſcurſum, quo utebatur alter Recentior, quem refellimus ſupra, de tacita videlicet approbatione ſententiæ benignæ, quam colligere licet ex damnatione expreſſa hujus ſecundi articuli, & aliorum, juxtà regulam illam, *Exceptio firmat regulam, &c.* Sed de diſcurſu iſto nimis vulgari, & inconſiderato ſatis ibidem diximus, neque decet, ut diutiùs eidem immoremur.

Sup. controv. 2. a. 4. §. 2.

215. Hìc igitur parumper dimittamus novum hunc Magiſtrum; quem ſatis ſit feciſſe cognoſci, quemque in decurſu Operis cognoſcendum intimiùs dabimus: ut accedamus ad expediendam ingentem illam difficultatem oppoſitam ad finem præcedentis articuli, quam ipſe quoque Lapidarius opponit, ut probet abſolutè, non unàm, & eandem agendi regulam, ſed diverſam, ac ſpecialem, à nobis etiam eſſe tradendam, quoad praxim opinionis probabilis, quoties ex tali praxi præter periculum violandi legem imminet etiam ſpeciale periculum inferendi proximo damnum ſpirituale, vel temporale; ſignanter verò in Sanctis Eccleſiæ Sacramentis adminiſtrandis, & adhibendis corporum medicinis.

CONTROVERSIA QUARTA.

Utrum in conficiendis, miniſtrandiſve Sacramentis, in adhibendis corporum medicinis, in bellis inferendis, & in aliis materiis conſimilibus, eâdem, an diversâ, agendi regulâ utendum ſit? Ubi moderni Probabiliſmi falſitas multipliciter denuò convincitur.

1. NIſi principia, fundamentaque, quibus innititur doctrina noſtra, adeò forent ſolida, ac firma, ut de abſoluta eorum veritate nihil formidare poſſimus, haud mediocriter nobis timenda eſſet hujus controverſiæ deciſio. Nec tamen fateor penitùs timore vacat, ne fortè in uſu, & applicatione eorumdem certorum principiorum deflectat aliquatenus noſtra tenuitas à recto tramite veritatis, quam ſinceriſſimè inveſtigamus: optaremuſque vehementer aliorum prudentiorum, ac ſapientiorum, in re iſta graviſſima veſtigia premere, potiùs quàm alicui præire. Sed nemo, quem ſciam, ex noſtræ ſententiæ Doctoribus difficultatem iſtam, ut prænotavimus, exactè adhuc expedire tentavit, quod non modico nobis timori eſt. Verùm, cùm propter dicta ad finem articuli quinti proximè præcedentis controverſiæ, pedem referre nobis minimè liceat, tentabimus pro modulo noſtro difficultatem hanc expedire, quàm maxima poſſimus ſoliditate, ac perſpicuitate doctrinæ, parati à peritioribus facilè corrigi, etiam cum actione gratiarum, ubi nos aliquatenùs defeciſſe, aut deceptos eſſe monſtraverint.

Pro ſolidiori verò difficultatis reſolutione, & faciliori dicendorum captu, quædam præmittere, ac ſtatuere ex certis, & communibus apud omnes ſolidæ Theologiæ principiis, operæ pretium nobis viſum eſt, quæ, pro univerſa doctrina morum, magni quoque momenti erunt.

AR-

ARTICULUS I.

Pro resolutione quæstionis nonnulla prænotantur, & exponuntur.

§. I.

Unde, ut à fundamento, & à prima radice, oriatur obligatio universalis fugiendi actionem moraliter malam? Ubi quid malitia formalis?

2. QUoniam nostrum hoc Opus (quod nō semel jam admonuimus) utpotè versans argumentum commune, & ad Christianos omnes spectans, omnibus, si fieri possit, præsertim animarum rectoribus, cuperemus esse commune, & quod majori saltim ex parte, percipi ab illis, & intelligi posset; ubique, sed præsertim in rebus majoris momenti, operam, quantam possumus, damus, ut subtilitatem, rigoremque scholasticum, quem suo jure materia postulat, sic moderemur, atque temperemus, ut nec doctrinæ soliditatem, exactamque proprietatem verborum, nec intentam styli facilitatem, perspicuitatemque corrumpamus. Idcircò in magnæ hujus difficultatis resolutione, quam exponendam modò suscipimus, quęque totius ferè nostri Tractatus disputationem, quantum assequi possumus, operosissimam, subtilissimam, profundissimamque deposcit, prædictam diligentiam, & curam specialiter necessariam, speciali quoque attentione, quantum fit fas, adhibere conabimur.

3. Principio ergò statuendum est, teneri nos ubique, ac in omni eventu, vitare actionem moraliter malam. Quod adeò certum, & evidens est, ut sit principium moralis Philosophiæ primum, & omnium generalissimum, quod nemo unquam finitur ignorare, etiam si verbis illis clarissimis, *Declina à malo, & fac bonum*, expressum non esset à Deo; nihil etenim priùs naturalis sindéresis cuique dictat, *quàm bonum esse amandum, malum verò fugiendum*. Immò nihil omninò malum foret, nisi vitari semper deberet, cùm ideò malum aliquid sit, quia fieri à nobis non debuit. Psal. 36.

Unde autem oriatur, ut à prima radice, ac fundamento, tanta hæc in hominibus, & tam universalis obligatio, etsi diversis vocibus exponatur à Theologis, res tamen ipsa eadem semper est, nec ulla potest esse dissensio, nisi de modo tantùm loquendi, ut liquidum post pauca faciemus.

4. Ut ergo vocibus amandatis, rem ipsam exponamus, supponimus, actionem dici moraliter malam per respectum ad regulam moralis honestatis, à qua talis actio recedit, & cui proinde opponitur, ac contrariatur, cùm operans deberet eidem conformari in operando, per actionem oppositam honestam positivè, vel saltem negativè. Utique regula recti, & obliqui (quod in moralibus est bonum, & malum) una, & eadem est, ut sæpè Philosophus docet, diverso modo considerata. Nempè actio recta, sive bona moraliter, respicit regulam per accessum, & conformitatem ad ipsam: actio autem obliqua, seu moraliter mala, eandem respicit per recessum, & oppositionem cum illa. Ut enim actio recta, & honesta, ideò talis evadit, quia conformatur cum regula honestatis, ita similiter actio mala à contrario, propterea talis est, quia regulæ non congruit, sed eidem potiùs opponitur.

5. Eadem igitur honestatis regula utranque actionem regulat, ac mensurat, diverso tamen, & opposito modo, bonam scilicet approbando, & ostendendo ipsius rectitudinem; malam autem è contra re-

reprobando, ejusque irrectitudinem ostendendo. Sic una, & eadem Dialecticæ regula ostendit syllogismi rectitudinem, & sophismatis pravitatem; una, & eadem regula syntaxeos solæcismi defectum, & congruæ locutionis rectitudinem, & sic de cunctis aliis cujuscunque generis regulis.

6. Ex hoc principio apud omnes certo facile sit videre, unde, ut à fundamento, & à prima radice, oriatur in hominibus obligatio vitandi actionem moraliter malam: ex ipsa nempè honestatis regula, quam homo quærere semper tenetur, & operari conformiter ad illam, vel saltem nunquam ab illa recedere per actionem eidem positivè contrariam. Quod addimus, ut modò non implicemur vulgaribus dissidiis hìc importunis, de pura omissione morali, & de actione individua indifferenti, & neque bona, neque mala moraliter, quas contra communiorem sensum Doctorum falsò, ut nos judicamus, Theologi non pauci tuentur. Ideò quoties in simili de necessaria actionis honestate sermonem nobis esse contigerit, sub nomine honestatis comprehendimus etiam negativam, si fortè aliqua possibilis est; vel ab hoc potiùs semper præscindimus.

7. Illatio verò nostra se ipsâ patet. Nam, si actio aliqua propterea mala est, quia recedit, ac deficit à sua regula: ergo propterea operans debet illam vitare, quia tenetur à regula non deficere, sed ipsam potiùs quærere, ut eidem concordet in operando. Sanè deficere per operationem à regula, quam operans quærere non tenetur, nec eidem se conformare, malum non est, ut patet inprimis inductione perenni per omnes prorsus regulas cujuscunque rationis, cujuslibet disciplinæ, vel artis. Enimverò pictor, ut talis, non reprehenditur aliquando, nec malus est in sua propria arte, eò quòd non observet militiæ regulas, neque miles è contra, eò quòd regulas pictoriæ non servet: itidem sæcularis malè non agit, quia Religiosi regulam non observat; sed neque Religiosus, quia non adimplet regulam peculiarem, alteriusque Religionis propriam, quam scilicet ipse non profitetur; & sic posset inductio sine exceptione per omnes alias regulas ire, nisi foret supervacaneum.

8. Ratione insuper evidenti id ipsum demonstrare facile sit. Nempè malum morale, quatenus tale est, (& idem est de quolibet malo secundùm suam propriam rationem) non est pura negatio rectitudinis, sive conformitatis cum regula honestatis, sed est privatio moralis bonitatis, idest carentia debitæ rectitudinis, & conformitatis ad regulam, ut docet sæpè, ac probat Angelicus Magister, præsertim li. 3 cont. Gent. c. 9. ergo supponit in operante debitum aliquod, & obligationem quærendi, & amplectendi regulam ipsam: ergo ideò tenetur vitare actionem malam moraliter, quia tenetur regulam quærere, & eidem se conformare.

9. Quòd si quis velit contentiosè defendere, malum in esse talis non constitui per ipsam rectitudinis privationem, immò nec illam semper inducere; quia peccare quis potest, adeòque agere malè moraliter, etiam si non teneatur, dum peccat, ad positivam aliquam rectitudinem, sed unicè ad vitandum actionem malam per puram omissionem ipsius, aut per actionem indifferentem, quæ neque bona sit, neque mala: si quis, inquam, ita discurrat, in primis hæc opinio nova Theologia est, & paucorum recentium Theologorum, à Cajetano primùm inventa, contra mentem expressam D. Thomæ. Oppositа verò sententia communis est apud veteres Theologos (quibus nempè, loquendo generaliter, auctoritas, & doctrina Sanctorum magis in corde, & in ore erat), adeò ut Magnus Suarius, postquàm illam pro-

Sua. d. 11. M.t. s. 1.n. 3

proposuit, sic pronutiaverit: *Hanc doctrinam amplectuntur omnes Theologi*, Cajetano videlicet excepto, & uno, aut altero, quos inferiùs excipit, & eo in loco nò considerauit, utpote singulariter recedentes à communi sensu Doctorum.

10. Cæterùm, quod majoris ponderis est, communis hæc Theologorum sententia adeò constanter, atque frequenter à SS. Ecclesiæ Doctoribus non modò traditur verbis expressis, verùm etiam ostenditur ex professò multis efficacissimis, optimisque rationibus, præsertim verò à SS. Dionysio Areopagita, Chrysostomo, Augustino, & Anselmo, ut etiam si rationes oppositæ, non tantùm robustissimæ, verùm, & insolubiles mihi apparerent, eas promptè contemnere non dubitarem; aut certè parùm in Theologia valet auctoritas sacrorum Doctorum, quos *Sanctæ Ecclesiæ lumina*, & *optimos Doctores*, utique suos, appellat ipsa Ecclesia Catholica? Re verà tamen rationes insinuatæ, & aliæ omnes, quibus innititur illa Neotoricorum singularis opinio, licèt ad speciē subtiles, debiles tamen sunt, neque difficili solutione donantur. Vide, si libeat, P. Esparza communem, & veram sententiam optimè, ac eruditè propugnantem, argumentaque Recentiorum haud magno cum labore solventem.

Eccl. sin Offi. Docto.

Espar q. 19. d. act. huma

11. Jam, quod spectat ad Doctorem Angelicum, communem Scholarum Magistrum, mirum sit, quòd potuerit de mente ipsius aliquis dubitare, ne dum errare, ac decipi, ut deceptus est Cajetanus. Porrò Angelicus Doctor non obviter, aut semel, sed pluries datâ operâ, & in terminis propriis, quæstionem istam subtilissimè versat: ubique verò statuit pro conclusione (quam pro suo profundo, atque synoptico disputandi more, latè probat, atque propugnat), malum ut tale, seu formaliter sumptum, non esse aliud, quàm meram absentiam, defectum, corruptionem, seu privationem boni, Videatur locis hic adnotatis.

S. Tho. 1. p. tota q. 48. 1. 2. q. 71. a. 6. corp. & q. 72. a. 1. corp. q. 1. & 2. d. Ma. & 3. cont Gēt. c. 6. 7. 8. & 9.

12. Quod verò S. Doctor illa q. 48. a. 1. ad 2. ac sæpè aliàs docet: *Malum, quod est differentia constitutiva, in moralibus est quoddam bonum adjunctum privationi alterius boni*, quod quibusdā fortasse occasio fuit, vel errandi, vel ambigendi circa mentem S. Doctoris: id verò solùm probat, malum non esse privationem aliquam suo modo existētem à parte rei separatam ab omni alio positivo, ac reali ente, ut volunt aliqui parùm Philosophi; sed esse materialiter, ac re ipsa, aliquod verum, & reale ens, adeòque verū aliquod bonum: quod utique verissimum est, ut Augustinus sæpè, & docet, & demonstrat acutissimè. Id tamen bonum, sive ens, positivum unicè habet rationem mali formaliter, ac propriè sumpti, non ut aliquod bonum, & positivum est (nam hoc in ipsis terminis implicat); sed unicè ut corrumpit, excluditque à subjecto, cujus est bonum, aliquod aliud bonum, non qualecunque, sed quod subjecto inesse deberet.

13. Utrunque tradidit satis perspicuè ipse Angelicus Doctor locis jàm insinuatis: *Dicendum* (inquit) *quod peccatum non est pura privatio, sed est actus debito ordine privatus*. Quod verò non entitate, ut tali, sed privatione potiùs formaliter sit malus, clarè docuerat inquiens: *Habet autem actus humanus, quod sit malus, ex eo quòd caret debita cōmensuratione*, scilicet ad regulam rationis, ut ibidem exponit S. Doctor: carentia verò debitæ commensurationis ad regulam privatio debitæ rectitudinis est. Vide Petavium nostrum li. 8. Theolog. Dogmat. c. 4.

D. Tho. illa q. 72. a. 1. ad 2.

q. præced a. 6 corp.

14. Veruntamen, quidquid sit re ipsa de hac communi, solida, ac mihi prorsus certa doctrina, veritas infallibilis nostræ assertionis, & illationis ab ejus veritate non pendet. Porrò juxtà opinionem particularem istorum Theologorum, qui constituunt malum morale formaliter,

ac

ac propriè sumptum, intendentia reali, ac positiva, ut tali, contra divinam legem, seu regulam moralis rectitudinis, ideò quis peccat actu, seu malè moraliter agit, quia liberè, ac moraliter contrariatur eidem regulæ per operationem actualem; hanc enim ipsi rationem à priori pro sua illa opinione reddunt, nempè, quòd per tendentiam positivam, ut talem, & ante omnem formalem privationem, formaliter violatur divina lex, & operans repugnat, ac contrariatur regulæ honestatis moralis: ergo quia tenebatur illi non contrariari, aut repugnare: ergo quia tenebatur eidem regulæ se conformare positivè, vel saltem negativè: ergo quia tenebatur regulam ipsam quærere, cui conformaret se in operando: ergo ideò quis peccat, aut malè agit, quia contrariatur regulæ, quam tenebatur quærere, ut eidem se conformaret.

15. Utique nemo peccat, aut malè agit, ex eo quòd repugnet, aut contrarietur regulæ, quam quærere non debet, ut illi se conformet in operando, ut evidenter patet ipso rationis lumine, & exemplis à nobis nuper prolatis. Ergo ideò tenemur actionem moraliter malam semper, & ubique vitare, quia semper, & ubique, si quidquam agere liberè velimus, tenemur quærere honestatis regulam, cui modo jam exposito nos conformemus in operando.

16. Patet ergo radicem universalem, & fundamentum tantæ obligationis vitandi actionem moraliter malam, esse regulam ipsam moralis honestatis, seu rectitudinis, quam quærere semper debemus, ut nostras illi conformemus actiones positivè juxtà communem, & veram Theologorum sententiam, vel (quod alii contendunt, & ad præsens nihil spectat) saltem negativè aliquando, hoc est per actum indifferentem, vel puram omissionem actus prohibiti.

§. II.

Regula honestatis moralis, à qua tanquam à primo, & universali principio descendit obligatio fugiendi actionem moraliter malam, est lex æterna, seu voluntas Dei aliquid præcipiens, aut prohibens: ubi refellitur de re ista singularis opinio P. Vazquez.

17. LEgem, seu voluntatem æternam Dei, esse regulam primam, universalemque, moralis honestatis, in ipso nostri Operis limine sine disputatione posuimus, tanquam ejusdem Operis fundamentum, primum, atque potissimum principium. Et quidem jure merito de illo disputare nō oportebat; nam, ut ibidem etiam ostendebamus, res est, quoad suam saltem substantiam, & prout facit ad nostrum institutum, & ex principiis fidei divinæ, & ex ipso rationis lumine, nota. Nec curare debemus voluntarias quorundam, atque vocales, neque minùs inutiles quæstiones, maximè, cùm & voces, quibus nos utimur, vel in Scholis ipsis, communissimæ sint.

18. Scio, P. Vazquez, acerrimi, ac mirabilis ingenii virum, quem deinde Mæratius secutus est, opinionem tenuisse de re ista admodùm singularem, ideòque cæteris communiter Theologis nimis ingratam, & inverosimilem. Adeò nullus est homo, qui non verbo labatur, si loquatur ex homine.

Docuit nimirum, legem naturalem, & consequenter primam honestatis moralis regulam omnium nostrarum operationum, quæ naturalem legem concernunt, non esse imperium aliquod divinæ, vel rationis, vel voluntatis, neque item dictamen nostræ rationis; sed esse ipsam rationalem naturam secundùm sua prædicata essentialia non implicantia contradictionem, quæ antecedit, re ipsa, omne dictamen nostrum actua-

Vazq. t. 2. d. 97. c. 3. & d. 160. c. 1. & 3. ac sæpè aliàs.

actuale, & objectivè saltem, aut logicè, omnem divinā prohibitionem.

18. Unicum fundamētum istius opinionis singularis ex eo P. Vazquez petebat, quòd objecta, quæ intrinsecam, ac invariabilem habent in se ipsis, vel malitiam, vel bonitatem, non ideò mala, vel bona sunt, quia divina, aut humana, sive ratione, sive voluntate, prohibentur, aut præcipiuntur; sed è converso potiùs, propterea præcipiuntur, aut prohibentur, quia pro priori, & antecedenter, sunt in se ipsis bona, vel mala: aliàs possent, nec bona, nec mala esse, (quod impossibile prorsus est); quia possent, neque præcipi, neque prohiberi de facto. At nihil bonum, vel malum est, nisi per respectum ad legem, aut regulam moralem, cui repugnet, aut consonet: ergo assignare oportet regulam aliquam, quæ antecedat omnem rationis, vel voluntatis operationem, sive humanam, sive divinam. Regula verò hujusmodi alia esse non potest, quàm ipsa rationalis natura secundùm sua prædicata essentialia, cui objecta illa propriâ naturâ suâ, vel convenientia sunt, vel repugnantia.

19. Hoc tamen fundamentum est manifestè falsum, & nullum; unde mirum non est, si falsam opinionem, prorsusque inverisimilem, ingeneraverit. Nam, quod nihil esse, aut concipi possit verè, ac propriè moraliter bonum, aut malum, non intellecta lege, seu regula rationis, cui consonet, aut dissonet, tanquam propriæ mensuræ, suæ malitiæ, vel bonitatis, meritò Vazquius ipse supponit, & constat evidenter ex dictis. Quòd verò regula, seu mensura ista non sit ipsa rationalis natura penes sua essētialia prædicata, videtur manifestum. Quia mensura, ac regula propria moralis bonitatis, vel malitiæ, debet esse lex aliqua propriè talis, & imperium legitimi Superioris objectum prohibētis, aut præcipientis, quale non esse constat naturam rationalem secundùm sua prædicata essentialia.

20. Id in primis constat apertè ex Scriptura Sacra, & ex Sanctis Ecclesiæ Patribus. Ex Regio Vate ajente, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Quæ verba sic expendit Angelicus Magister: *Unde cum Psalmista dixisset*, Sacrificate sacrificium justitiæ; *quasi quibusdam quærentibus, quæ sunt justitiæ opera? subjungit*: Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? *Huic quæstioni respondens dicit*: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. *Quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum, & quid malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud sit, quàm impressio divini luminis in nobis. Unde patet, quod lex naturalis nihil aliud est, quàm participatio legis æternæ in rationali creatura.* Hæc D. Thomas. Quo verò sensu dictamen ipsum nostræ rationis dicatur esse lex naturalis, exponemus statim ex eodem S. Doctore.

Psal. 4.

D. Tho. 1. 2. q. 91. a. 2. corp.

21. Itidem ex Apostolo: *Cum igitur gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Quid clarius contra Vazquii opinionem? Sed quòd peccatum omne sit contra legem aliquam verè talem, clariùs adhuc deinde docuit idem Apostolus absolutè pronuntians, *Ubi non est lex, nec prævaricatio*; licèt enim loquatur de lege scripta determinatè, sententia tamen ipsa, quam profert, non limitata, sed absoluta est, & sensus ejus universalis.

Ad Roma. 2.

Ibi. c. 4.

22. Præterea SS. Patres id ipsum docent verbis perspicuis. Primò Augustinus tradens ipsam peccati definitionem à cunctis Theologis posteà receptam, *Dictum, factum, concupitum contra legem æternam Dei. Est autem lex æterna ratio, vel voluntas Dei.* Secundò ipse Augustinus ad illa verba Psalmi 118. *Prævarican-*

Aug. li. 22. cont. Faust. c. 26.

cantes reputavi omnes peccatores terræ: ex quibus ita arguit: *Si prævaricatores sunt omnes peccatores terræ, nullum est utique sine prævaricatione peccatum: nulla est prævaricatio sine lege: nullum est igitur, nisi in lege peccatum*. Tertiò idem Augustinus: *Neque peccatum erit, si quid erit, si non divinitùs jubeatur, ut non sit*. Quartò Ambrosius: *Peccatum* (inquit) *est divinæ legis prævaricatio, & cælestium inobedientia mandatorum*. Et rursus: *Non consisteret peccatum: si interdictio non existeret*. Similia tradunt Damascenus, Hieronymus, & reliqui Patres frequenter, à quorum verbis referendis abstineo in re comperta, brevitatis causâ.

Idem Aug. li. de Peccator. merit. & remiss. c. 16.

23. Nec Vasquii fundamentum momenti est. Audiatur Angelicus Doctor, qui propugnans Augustinianam, & receptam ab omnibus definitionem peccati, id ipsum sibi objicit per hæc verba: *Ex hoc dicitur aliquid esse prohibitum, quod legi contrariatur: sed non omnia peccata sunt mala, quia prohibita, sed quædam sunt prohibita, quia mala: non ergo in communi definitione peccati debuit poni, quod sit contra legem Dei*. Cui argumento respondet: *Ad quartum dicendum, quòd cùm dicitur, quòd non omne peccatum ideò est malum, quia prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per jus positivum. Si autem referatur ad jus naturale, quod continetur* (observa verba ista) *primo quidem in lege æterna: secundariò verò in naturali judicatorio rationis humanæ; tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum. Ex hoc enim ipso, quòd est inordinatum, juri naturali repugnat*. Hæc Angelicus Doctor, quibus nihil restat addendum.

D. Tho. 1. 2. q. 71. a. 6.

24. Quod verò P. Vazquez deducebat tanquàm absurdum, & absurdissimum re verâ est, fore nimirum, ut objecta illa possent esse non bona, neque mala moraliter, quia possent neque præcipi, neque prohiberi de facto: hoc verò falsum omninò est, neque rectè deducitur ex illo antecedenti, id est, ex vera, & communi sententia. Ratio est: nam, ut aliquod objectum necessariò, & non contingenter, à Deo præcipiatur, aut prohibeatur, opus non est, ut habeat pro priori ad legem divinam præcipientem, aut prohibentem, propriam, ac consummatam, bonitatem moralem, aut malitiam, sed sufficit, quòd sit per se ipsum, vel repugnans, vel necessarium ultimo fini naturæ rationalis, atque adeò eidem naturæ, vel conveniens per se, vel disconveniens; hoc enim ipso debet necessariò, vel præcipi de facto, vel prohiberi ab Auctore talis naturæ, ne alioqui deficiat à proprio suo munere, & providentia, quod in ipsum non cadit, ut per se constat.

25. Hoc verò non est, illud objectum, de quo loquimur, habere antecedenter ad ipsam legem per quam præcipitur, aut prohibetur, bonitatem moralem, vel malitiam consummatam, atque perfectam, sed vialem duntaxat, inchoatam, & imperfectam, quæ dici solet fundamentalis, id est, quæ per se fundat prohibitionem, cum ipsâque necessariò connectitur: ad differentiam objecti indifferentis, & nec boni, nec mali naturâ suâ, quod potest contingenter præcipi, aut prohiberi per legem aliquam positivam, cum qua non est de se connexum.

26. Igitur P. Vazquez in eo deceptus est, quòd intrinsecam illam, aut necessariam disconvenientiam, aut dissonantiam objecti per se turpis, ac mali cum ipsa rationali natura (idem est vice versa de convenientia intrinseca objecti per se honesti) dixerit malitiam moralem propriam, perfectam, ac consummatam. Unde, cùm illa sit quodammodò prior omni divina prohibitione, omnique nostræ rationis dictamine, respiciatque immediatè, ac directè ipsam rationalem naturam secundùm sua prædicata essentialia, coactus est asserere, naturam ipsam esse legem, mensuram, ac primam

regulam, per ordinem ad quam absolutè prædicta malitia desumitur, quod ex jam dictis constat esse falsum; præsertim ex testimoniis paginæ sacræ, & Sanctorum Doctorum nuper expensis; juvat tamen id ipsum ulteriùs demonstrare, ut evidentiùs constet, quàm sit certum, & evidens principium istud à nobis statutum, non solùm quoad substantiam, & rem ipsam, sed quoad modum etiam loquendi.

§. III.

Demonstratur ulteriùs falsitas opinionis prædictæ, & exposito proprio legis naturalis conceptu, præcedentis paragraphi promovetur assumptum.

27. ENimverò malitia actionis moralis, propria videlicet, ac consummata, desumi nequit per respectum ad regulam, quæ mortuo quodam modo, ac purè materialiter regulet, aut mensuret (hæc utique non regula dici meretur, sed mensura, aut quasi mensura, quæ multò latiùs patet, quàm regula); sed per respectum potiùs ad regulam rationis verè talem, quæ nimirùm vitali, ac rationali modo regulet eandem actionem, ostendendo videlicet, atque significando ex præjudicata sententia regulantis, aut mensurantis, objectum illud esse fugiendum; hoc enim differt rationis regula, ut propria est actionis moralis, ab aliis regulis purè objectivis, emortuis, atque materialibus, quæ non tam regulæ, quàm mensuræ sunt, quòd sit præ illis quædam intentionalis lux (aut illam immediatè, ac per se præsupponat) instruens, aut dirigens operantem non velut casu quodam, sed ex propria intentione, consilio, ac providentia dirigentis, ad amplectendum, vel fugiendum objectum, juxtà illud, *Præceptum Domini lucidum illuminãs oculos*, & *Mandatum lucerna est, & lex lux*, quibus consonat illud, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. Manifestum est autem, hæc omnia propriè cadere haud posse in ipsam rationalem naturam, prout antecedit omnem legem divinam, omneque humanæ rationis dictamen.

Psal. 18.

Prov. 6.

Psal. 118.

28. Confirmatur ulteriùs, & declaratur. Regula vera, ac propria actionis moralis, per ordinem, ad quam, tanquam ad primam ejus mensuram, desumitur malitia talis actionis (idem est respectivè de bonitate) præ cunctis aliis regulis regulat, ac mensurat in ordine ad ultimum finem, nimirum hominem verè, ac propriè obligando, ut abstineat ab ea actione, tanquam ejusdem finis impeditiva, alioquin homo verè non teneretur regulam istam quærere, ut se illi conformet in operando, unde nec malè moraliter ageret ab illa voluntariè recedendo, neque irrogaret regulanti injuriam, neque propterea dignus evaderet pœna aliqua sustinenda: quæ patet esse evidenter falsa.

29. At non minùs est evidens, naturam rationalem secundùm se minimè posse hoc pacto regulare, vel mensurare moralem actionem; etenim regulare modo dicto, idest, verè, & propriè obligando, est munus proprium legis veræ, ac propriæ, aut præcepti, alicujus Superioris ut talis, qualis esse nõ potest natura hominis respectu sui ipsius, ut ex ipsis terminis patet. Evidens ergo est, naturam rationalem secundùm sua prædicata essentialia non esse primam regulam moralis honestatis, per ordinem ad quam desumi possit moralis malitia, propria videlicet, atque consummata.

30. Dicis: hæc nimium probare videntur; nam juxta hanc doctrinam, nec naturale ipsum rationis humanæ dictamen erit mensura, aut regula propria actionis moralis ut talis, neque obligare poterit ad aliquid agendum, vel omittẽdum, cùm nõ sit alicujus Superioris præcipientis,

tis, aut prohibentis. Id verò falsum esse, plusquàm certum videtur, cùm nihil sit frequentiùs, non solùm apud Theologos, sed etiam apud SS. Ecclesiæ Patres, quàm lumen nostræ rationis naturalis, quo naturaliter dijudicamus, & bonum à malo discernimus, esse legem ipsam naturæ, qua verè homines obligantur ad agendum id, quod præscribit, alioqui verè, & propriè peccaturi, ideòque malè acturi moraliter.

31. *Lex naturæ* (inquit Maximus) *est ratio naturalis, quæ captivum tenet sensum ad delendam vim irrationalem*. Item Lactantius ex verbis Tullii, & communi sapientium sensu, ita describit legem naturalem. *Est quidem vera lex recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando &c.* quibus similia plurima obvia sunt apud PP. Quin D. Thomas ipse id etiam clarè docet verbis supra productis, ac sæpè aliàs. At lex naturæ secundùm omnes vera mensura est, & regula moralium actionum, per ordinem ad quam illæ dicuntur, & verè sunt moraliter bonæ, vel malæ. Ergo.

Maxim. to. 5. Biblioth. centu. 5. c. 13.

Lactant. li. 6. de ver. cul. c. 8. ex Tull. li. de Rep.

D. Tho. §. præced. nu. 24.

32. Objectio hæc non paucis Theologis nimiam facessit difficultatem, quàm dum clarè, & exactè volunt exponere, terminos, & voces accumulant, quibus rem egregiè cõfundunt; cùm tamen sit facillimæ expositionis, & res ipsa probè intellecta penitùs certa, ac indubitabilis. Eam nos alibi dilucidè exposuimus, dum Tractatum de Legibus dictaremus discipulis, & iterùm nunc breviter, luculenterque exponimus, ut tradita à nobis doctrina, quæ debet esse apud omnes certa, ex occasione difficultatis objectæ faciliùs percipiatur, & illustretur magis.

33. Notandum ergo est, (quod alibi jam observavimus ex D. Thoma), legem naturæ, (& idem de qualibet alia cum sua proportione dicendum) posse dupliciter considerari: vel prout existit in ipso Deo, tanquam in vero Legislatore, & ejusdem legis auctore dirigente per ipsam, ac regulante creaturas suas (rationales scilicet, quæ verè sunt directionis capaces); vel prout est in hominibus tanquam in subditis per legem dirigendis, ac regulandis. *Lex* (inquit S. Doctor), *cum sit regula, & mensura, dupliciter potest esse in aliquo: uno modo sicut in regulante, & mensurante; alio modo, sicut in regulato, & mensurato*.

D. Tho. dict. q. 91. a 2. corp.

34. Lex naturæ, prout est in ipso Deo, nihil est aliud, quàm voluntas ipsius sempiterna, atque necessaria (vel ratio, si placuerit legem constitui in actu rationis, de quo nobis non est curandum) prohibens, aut præcipiens necessariò, ac per se quidquid est per se turpe, vel honestum modo nuper exposito, hoc est, rationali naturæ per se conveniens, aut disconveniens in ordine ad suum finem ultimum consequendum. Eadem verò lex, prout existit in homine, est naturale ipsius dictamen proponens legem ipsam, seu voluntatem æternam Dei sic præcipientem, aut prohibentem.

35. Ubi nota, dum dicimus, objecta per se honesta præcipi per legem naturæ, sensum non esse, omnia, quæ intrinseca honestate prædita sunt, præcipi rigoroso, & stricto præcepto; sed ea tantùm, quorum honestas est per se necessaria ad finem ultimum consequendum. Cætera verò virtutis opera, quamvis excellentissima naturâ suâ, & honestissima per se sint, probantur quidem maximè, commendantur, atque consuluntur à Deo; strictè tamen minimè præcipiuntur per generalem naturæ legem; licèt possint per legem particularem strictè quoque aliquando præcipi, quia ex aliquo accidenti fieri possunt ad finem ultimum necessaria simpliciter, ratione scilicet peculiaris status, præcepti humani, professionis, aut voti, de quo post pauca.

36. Igitur lex naturæ, prout exi-

existit in Deo, id est, æterna illa voluntas Dei prohibens, aut præcipiens necessariò objecta per se turpia, aut honesta, est verè, propriè, & unicè, ratione sui, ac formaliter, lex naturalis, adeòque vera regula, ac mensura cunctarum actionum moralium, quæ præfata objecta respiciunt, per ordinem ad quam, tanquàm ad primam honestatis regulam, desumitur earundem actionum honestas, aut malitia moralis: ipsum verò dictamen nostræ rationis proponens nobis eadem objecta, velut prosequenda, aut vitanda, non est lex naturalis propriè, ac simpliciter, sed participativè duntaxat, secundariò, & secundùm quid: nempè lex naturalis, non absolutè, sed ut applicata, & prout existens in nobis ipsis, *sicut in regulatis, ac mensuratis*, ut ajebat Doctor Angelicus: consequenter non potest esse regula prima moralis honestatis; sed regula tantummodò proxima, ac secundaria unicè regulans per conformitatem ad primam honestatis moralis regulam, id est, ad legem ipsam naturæ, quam nobis proximè proponit, & applicat.

37. Atque hoc est, quod supra docebat Angelicus Præceptor, nempè *Jus naturale contineri primo quidem in lege æterna* (hoc est in voluntate, seu ratione divina æterna, ac necessaria): *secundariò verò in naturali judicatorio rationis humanæ*, id est, in naturali rationis humanæ dictamine, quo discernit bonũ à malo.

D. Tho. citat. q. 71. a. 6 ad 4.

38. Ratio verò patet ex dictis; quia sola voluntas divina regulat morales actiones per modum veri, ac proprii præcepti legitimi, ac supremi Superioris dirigentis subditos suos ad suum ultimum finem obtinendum, & illos sua auctoritate obligantis per voluntatem suam ipsis significatam ad prosequendas, aut vitandas actiones necessarias ad ipsum finem, vel ejusdem impeditivas. Aliunde verò ejusmodi voluntas est per se ipsam essentialiter sancta, moraliter recta, & honesta, immò moralis ipsa sãctitas, rectitudo, & honestas, nec regulat per conformitatem ad superiorem illam voluntatem. Est ergo per se ipsam lex naturalis, adeòque intuitu prædictarum actionum prima, ac suprema regula honestatis moralis.

39. At verò naturale humanæ rationis dictamen secundùm se præcisè consideratum non regulat, nec potest, ratione sui, hominem verè, ac propriè obligando, sed unicè quatenus nobis actualiter proponit, & applicat voluntatem legitimi Superioris, quæ solùm habet vim obligandi, id est, legem æternam, seu voluntatem illam Dei necessariam, qua memorata objecta jubet, aut prohibet; ut illativa, vel impeditiva consecutionis ultimi finis, ad quem Deus per legem suam dirigit creaturas rationales.

40. Dictamen ergo humanæ rationis unicè potest regulare, aut dirigere, per modum proximæ applicationis legis æternæ, seu voluntatis Dei, adeòque solùm regulat per ordinem, & conformitatem ad ipsam voluntatem divinam tanquam ad veram legem, ac regulam per suam essentialem rectitudinem unicè, absolutè, ac simpliciter, dirigentem, ac regulantem. Unde dictamen ipsum non tam est regula, quàm regulatio ipsa, sicut non tam est lex, quàm legis propositio, & applicatio: vel ad summum poterit dici regula secundaria, & subalterna, & ipsi voluntati divinæ tanquàm regulæ primæ subordinatæ. Vide, quæ diximus li. præced. ad controv. 6. toto art. 6. & 7.

41. Quòd verò ejusmodi dictamen rationis frequenter dici soleat à Theologis, & Patribus, lex naturalis, cùm tamen verè ratione sui simpliciter, ac propriè non sit lex (de quo nemo potest ambigere), varia, ac multiplex ratio facilè reddi valet, & satis congrua.

Prima, quia generaliter cogni-

tio-

tionem objecti, cùm objectum contineat intentionaliter, accipere solemus pro ipso objecto. Secunda, & peculiaris, quia dictamen prædictum ab ipsa lege æterna procedit tanquam effectus proprius, & specialis impressio ipsius, ut supra ajebat Angelicus Doctor, ratione cujus legem ipsam æternam specialiter repræsentat. Tertia, quia est commune, & uniforme in cunctis hominibus, saltem quoad prima principia moralia, quorum notitia est eadem apud omnes gentes, quantuncunque incultas, ac barbaras; *Nulla enim anima est* (ait Augustinus), *quæ ratiocinari possit, in cujus conscientia non loquatur Deus*, nempe per legis naturalis notitiam.

Aug. li. 2. de Sermo. Do i. in mon. c. 9.

42. Quarta, quia ratio nostra, quatenus exprimit legem naturalem, specialiter ipsam imitatur, in eo quòd sit constans, necessaria, indefectibilis, & invariabilis. Quinta demùm, quia specialiter habet secundùm prima illa, & universalia dictamina imperare libero arbitrio, mentem illuminare connaturaliter, hominem gubernare, ac dirigere, quæ sunt propria, ac præcipua legis naturalis officia; non enim pendens est, sicut aliarum legum notitia ab exercitio libero voluntatis ipsius hominis, sed necessariò potiùs, atque cõnaturaliter ab ipsa natura dimanat. Vide Eximium Doctorem, à quo doctrinam istam ferè totam sumus mutuati, quam ipse latiùs, & copiosiùs illustrat.

Sua. li. 2. de legi. c. 5. & 6.

43. Propter has ergo, & alias satis cõgruentes rationes meritò naturale humanæ rationis dictamen lex naturalis appellatur frequenter: quod, quo sensu sit verum, clarè monstratum est. Nec nimiùm esse oportet de modo loquendi solicitos, ubi rem ipsam liquidò teneamus. Nam quòd lex naturæ propriæ talis, per ordinem ad quam tanquam ad primam honestatis regulam desumi debeat bonitas, aut malitia moralis cũctarum humanarum actionum versantium circa objecta per se, ac intrinsecè turpia, vel honesta, non sit dictamen ipsum naturalis rationis, neque item ipsa rationalis natura secundùm sua prædicata essentialia, ut P. Vazquez malè contendebat; sed sola lex æterna, seu voluntas divina prædicta objecta jubens, aut prohibens: id, inquam, certum, & extra controversiam apud omnes esse debere, manifestum, ac liquidum factum est.

44. Cæterùm audi ulteriùs Augustinum egregiè de re ista differentem, & ad nostrum propositum opportunissimè. Nimirùm cùm dixisset li. 1. cont. Academ. in prima, quam instituit, disputatione, *Quid censes, inquam, esse aliud beatè* (hoc est, honestè) *vivere, nisi secundùm illud, quod in homine optimum est, vivere?* Hæc verba postea emendat, aut distinctiùs exponit 1. Retract. c. 1. inquiens: *Hoc quidem verum est. Nam quantum attinet ad hominis naturam, nihil est in eo melius, quàm mens, & ratio: sed non secundùm ipsam debet vivere, qui beatè vult vivere* (nempè, sistendo in illa, tanquam in prima, ac suprema regula), *alioquin secundùm hominem vivit, cùm secundùm Deum vivendum sit, ut possit ad beatitudinem prevenire, propter quam consequendam non se ipsâ debet esse contenta, sed Deo mens nostra subdenda est.* Hæc Magnus Pater, quibus nihil sapientius dictum. Aug.

§. IV.

Nova tandem, ac penitus convincenti ratione, demonstratâ cõmuni Theologorum sententiâ, perficitur idem assumptum.

45. SEd verò, quòd non aliquid creatum, & finitæ duntaxat bonitatis, sed sola lex æterna, sev voluntas divina, sit prima, universalis, unica, atque suprema, regula honestatis moralis respectu omnium moralium actionum universaliter, & in om-

omni materia, demonstrari facilè potest hac unica ratione penitùs convincenti.

Regula prima moralis honestatis, per ordinem ad quam cujusvis moralis actionis bonitas, vel malitia desumitur, ubique debet esse sine exceptione ullâ tantæ excellentiæ, atque bonitatis, ut secundùm rectam rationem ipsius valor, & æstimabilitas præpōderet omnibus bonis creatis, atque creabilibus: adeò ut, si foret opus, deberet potiùs quis carere bonis omnibus possibilibus, & sustinere quæcunque mala, quàm à prædicta regula voluntariè recedere per actionem quamcunque, etiam leviſſimè eidem repugnantem.

46. Hanc positionem puto nemo Theologus, immò nemo Catholicus inficiabitur; est enim fidei supernaturalis, & rationis ipsius lumine compertum, ac notissimum principium, malum morale, quodcunque demum sit, præponderare malis omnibus physicis, tàm positivis, quàm negativis, ita ut in nullo prorsus eventu possibili, vel cogitabili, possit eligi honestè, secundùm rectam rationem, propter vitanda quæcunque mala, vel obtinenda quæcunque bona.

47. At bonum adeò excellens, ut debeat modo dicto juxtà rectam rationem præferri bonis, ac malis omnibus, nequit esse finitæ, limitatæque bonitatis, sed increatæ potiùs, & infinitæ, ut manifestum est ex ipsa terminorum acceptione. Ergo regula prima moralis honestatis, per ordinem ad quam desumi debet, ac mensurari, moralis bonitas, aut malitia quarunlibet humanarum actionum, nullibi potest esse aliquid limitatum, ac finitum, sed debet potiùs esse ubique, & in omni materia, divinum aliquid, & increatum.

48. Jam, si divinum aliquid esse debeat, nō potest munus regulæ moralis honestatis universalis, primæ, ac supremæ, in aliquid congruentiùs referri, quàm in divinam voluntatem, ut talem, quæ inter omnia divina prædicata primo intelligitur, universaliter dirigens, ac movens creaturam rationalem ad suum finem ultimum consequendum, reprobans omne objectum turpe, & approbās omne objectum honestum; illud propriè, & strictè prohibendo, hoc verò precipiendo, vel strictè, vel latè, idque, vel necessariò, ac per legem naturæ, vel contingenter potiùs, & liberè per legem aliquam positivam, & naturali juri superadditam juxtà cujuslibet objecti naturam. Ergo divina voluntas, ut talis, est prima, universalis, atque suprema regula totius honestatis moralis.

49. Porrò: natura ipsa divina, & ratio ultimi finis, ut à divina voluntate distinctæ eo modo, quo ab ipsa distingui possunt, mensurant quidem morales actiones per naturalem ipsam bonitatem, essentialemque suam rectitudinem, nec verò omnes, sed illas tantùm, quæ intrinsecæ, ac naturâ suâ, moraliter sunt bonæ, vel malæ; non tamen eas regulant verè, ac propriè: alias autem actiones nec regulant, neque mensurant antecedenter ad contingentem, liberamque determinationem ipsius voluntatis divinæ illas, vel præcipientis, vel prohibentis, cùm ante illam, nullam omninò habeant, neque malitiam, neque bonitatem. Idem dicendum de sapientia divina, nisi quòd hæc strictiùs, magisque propriè, habere possit rationem regulæ; sed quæ similiter regulare nequeat omnes omninò morales actiones antecedenter ad voluntatem: fortè item non regulat per modum imperii, vel legis, quod verosimilius putamus.

50. Sola ergo voluntas primò intelligitur universaliter reprobare, vel approbare omnes omninò morales actiones, illas vel necessariò, vel contingenter, juxta propriam naturam uniuscujusque, prohibendo, vel imperando, adeòque adinstar regulæ verissimè, ac propriissimè regulantis. Ergo sola voluntas præ cæteris di-

divinis prædicatis dici debet regula prima, universalis, atque suprema, totius honestatis moralis, per ordinem ad quam desumi debet in omni materia cunctarum humanarum actionum bonitas, aut malitia moralis.

51. Fateor, nihil ad nostrum institutum referre, quòd prima regula moralis honestatis, modò divinum aliquid semper sit, constituatur formaliter, ac propriè, in hoc, vel illo divino prædicato. Sed quia modus loquendi usitatissimus apud Patres, & Theologos id munus voluntati, seu legi Dei æternæ, semper attribuit, optimo quidem jure, ut ostendimus: ideò & nos ita claritatis gratiâ, & hactenùs locuti sumus, & deinceps semper loquemur.

§. V.

Concluditur ex dictis, ut sacræ paginæ apprimè consentaneum, strictam, & generalem obligationem vitandi semper malum omne morale, oriri ut ex principio, primoque fundamento, ex voluntate, seu lege Dei æterna summè à nobis amanda, atque pro viribus semper quærenda, ut nostras illi conformemus actiones.

52. HÆc conclusio ex doctrina, quam per totum articulum stabilivimus, tanquàm ex Præmissis legitimis, nec minùs evidentibus, ultrò descendit. Quare brevi tantummodò reflexione, seu terminorum eget explicatione.

Enim verò, principium, ac primum fundamentum, ex quo procedit universalis, ac stricta hominum obligatio fugiendi semper malum omne morale, est prima, atque suprema, regula honestatis moralis, quam homo ubique quærere debet, ut se illi conformet in operando, ut demonstratum est §. 1. Deinde primam istam, universalemque regulam morum, esse legem æternam, seu voluntatem Dei, duobus præcedentibus §§. haud minùs evidenter ostensum est. Ex his verò concluditur evidenter per illationem immediatam, & claram, primum principium, ac fundamentum strictæ, & universalis obligationis vitandi actionem moraliter malam, esse legem æternam, seu voluntatem Dei, quam summè ubique amare, ac quærere debemus, ut cunctas nostras illi conformemus actiones. Quid precor evidentiùs?

53. Nihil profectò magis consentaneum obviis Scripturarum locutionibus, communi Sanctorum doctrinæ ex Scripturis ipsis more ipsorum depromptæ, cunctorum denique Catholicorum, immò & communi mortalium sensui.

Nam Scriptura Sacra nihil frequentiùs nobis, impensiùsve commendat, quàm diligens studium, & indefessam solicitudinem, diligendi, ac quærendi voluntatem, & legem Dei, quippè in qua tota sit, vita, salus, felicitas, sapientia, fortitudo, & beatitudo nostra.

54. Hinc crebra illa, ignitaque suspiria SS. Patriarcharum, & Prophetarum, præsertim Regii Vatis à Deo, tanquam votorum summam petentis, & ardentissimè desiderantis, cognitionem divinæ voluntatis, & legis, ad illam semper, & ubique servandam: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Psal. 142. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* Psal. 118. *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.* Psal. 24. *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Sap. 9. *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam quid acceptum sit apud te*: & alia hujusmodi.

55. Hinc illa summa, frenquentiaque præconia, quibus ipsius voluntatis divinæ sanctitas, excellentia, dulcedo, salubritas, utilitas commendatur: *Vita in voluntate ejus.* Psal. 29. *Quærite Deum, & vivet anima vestra.* Psal. 68. *Lex tua in medio cordis mei.* Psal. 39. *Judicia Domini vera justificata in semetipsa.* Psal. 18.

ipsa. Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel, & favum. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis. Nam, si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna. Nosse enim te consummata justitia est: & scire justitiam, & virtutem tuam radix est immortalitatis: quibus similia plurima passim occurrunt.

Pſal. 118. Ibidem. Pſal. 111. Baruch 3. Sap. 15.

56. Hinc illæ eximiæ laudes charitatis, quæ voluntates nostras perfectè cum divina conjungit, & nos quodammodò transfundit in Deum; sine qua nihil nobis prodesse potest: quæ bonis omnibus est præferenda: quam dum non ammittamus, nihil ultrà boni requirere, nihilque mali timere debeamus. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Qui adhæret Domino, unus spiritus est. Si charitatem non habuero, nihil sum: nihil mihi prodest. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Mihi autem adhærere Deo bonum est. Finis autem præcepti est charitas. Quid enim mihi est in Cœlo, & à te quid volui super terram? Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Unam petii à Domino, hanc requiram. Porrò unum est necessarium.*

1. Ioan. 4. 1. Ad Corint. 6. 13. Ad Coloſ. 3. Pſal. 72. 1. Ad Timoth. 1. Pſal. 72. Pſal. 26. Pſal. eod. Luc. 10.

57. Eòdem etiam tendunt illa magnifica, neque minùs crebra præconia, quibus commendatur sapientia, per quam in Scripturis frequenter intelligitur non solùm maxima intellectus perfectio, sed etiam pia affectio, rectitudoque voluntatis, immò & universalis morum honestas juxta illud, *Timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.*

Iob 28.

58. Denique eòdem referri debent frequentissima encomia ipsius Dei timoris, per quem nempe cavemus omne peccatum, & à Dei voluntate nunquam recedimus. Quas verò de sapientia, atque timore Dei Scriptura laudes accumulat, prolixum foret nimis, vel ex parte, velle colligere. Sufficiat de sapientia, quod dicitur, *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* Et paulò post: *Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* De timore autem: *Timenti Dominum non occurrent mala.* Et rursus: *Timentis Dominum beata est anima ejus.*

Sap. 7. Eccli. 33.

59. Quid verò per hæc omnia docere voluit nos Deus noster? Sanè non aliud, quàm nostram conclusionem: nimirùm voluntatem, seu legem Dei debere nobis esse potissimum, aut unicum potiùs principium nostrarum omnium operationum, totius nostræ solicitudinis, nostrarumque curarum scopum, in quem respicere semper debeamus juxta illud Apostoli, *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis: omnia in gloriam Dei facite*: ita ut si quid nos avocet à voluntate Dei, quantumvis commodissimum contingere nobis videatur, incunctanter respuendum sit; quidquid verò non avocat, sed eidem potiùs conjungit, etsi nobis alioqui incommodum, aut durum appareat, totis animæ viribus amplecti, toto cordis affectu prosequi non gravemur: si quid præter hæc omnia reliquum sit, quod ex se neque avocet, neque conjungat, quia præter Dei voluntatem est, nihil prorsus fiat, nec quidquam pensi habeamus illud vel possidere, vel amittere.

1. Ad Corinth. 10.

60. Denique hoc unum universale bonum eminentissimè bona omnia complectens, unicè à nobis quærendum est, illudque tanquam unica mensura nostrorum omnium bonorum, aut malorum præfigendum, & accipiendum, à quo nempè si quando per aliquam actionem separari contingat, nihil boni simpliciter reliquum sit: quandiù autem ab illo non recedamus, nihil mali censere, nc-

neque formidare velimus juxta illud Psalmistæ, *Tunc non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis*, & illud D. Petri, *Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* Quidquid ergo faciēdum, vel omittendum nobis occurrit, propterea vel omittere, vel facere debemus, quia tenemur ubique, & in cunctis nostris actionibus quærere diligenter, & super omnia voluntatem, & legem Dei, nunquamque ab illa, vel leviter, recedere propter quodcunque bonum habendum, vel quodlibet malum vitandum.

Psal. 118.

S. Petr. 3.

61. Hanc signatissimam ipsius Dei doctrinam adeò frequenter nobis SS. Patres Ecclesiæ exponentes præfata sacræ paginæ verba, ingerunt, commendant, inculcant, ut eorum congerere testimonia prolixus foret, ac dispendiosus labor, cùm ibidem videri facile possint.

§. VI.

Ipso rationis lumine naturali eadem Veritas nota est.

62. IMmò veritas ista non modò fidei lumine ex Scripturis Sacris per Sanctos Ecclesiæ Doctores expositis, & illustratis, cunctis Catholicis notissima est, sed omnium etiam mortalium intellectibus naturali lumine insita, ut minimùm sub ratione communi, & quoad suam saltem substantiam.

Equidem nulla est creatura rationis particeps, quæ non censeat amandum super omnia, & non amet ultimum finem, id est, beatitudinem suam, quæ est maxima perfectio, & summa ipsius creaturæ felicitas, ut patet ex Philosopho, Augustino, & Doctore Angelico, id non semel docentibus tanquam principium maximè notum. *Pro verissimo* (inquit Augustinus) *certissimoque posuimus, beatè vivere omnes homines velle*. Subjungitque post pauca, *Nec de hoc Academicus ille Cicero dubitavit, qui cùm vellet in Hortensio Dialogo ab aliqua re certa, de qua nullus ambigeret, sumere suæ disputationis exordium: beati certè, inquit, omnes esse volumus*. Vides, qua firmitate censuerit Augustinus, principium hoc esse omnibus notum?

Aug. li. 13. de Tri. c. 4.

63. Hanc verò naturalem, & firmissimam omnium persuasionem comitatur, aut sequitur necessariò judicium aliud, quo certò judicemus, omnes actiones nostras juxta à rectam rationem ad eum finem esse referendas, nunquamque committendum, ut per ipsarum aliquam ab illo recedamus, vel periculum aliquod (quantùm in nobis fuerit) incurramus possessionis illius amittendæ, alioqui bonum illud non esset maximum, neque cæteris omnibus præferēdum. Nam, ut ajebat idem Augustinus, *Illud est finis boni nostri, propter quod appetenda sunt cætera, ipsum autem propter se ipsum*. Nihil ergo cavere, aut fugere debemus, nisi quia nos simpliciter avertit à nostri finis consecutione, vel quia saltem constituit in aliquo periculo possessionem illius non assequendi. Sanè, quod nec avartit ab eo fine, nec in præfatum periculum deducit, aut est bonum simpliciter, adeòque nō fugiendum, vel saltem est indifferens, & neque ex se conducens ad finem, neque ipsum aliquomodò impediens, adeòque nec fugiendum, nec amandum, sed nihili potiùs faciendum.

Aug. li. 19 de Civit. Dei c. 1.

64. Patet ergo, principium stabilitum non solùm esse certum, & evidens ex Scriptura Sacra, ex SS. Patribus, ex principiis Theologicis, verùm etiam ex ipsa ratione naturali, sub communi saltem ratione, quatenus notum omnibus est, & ab ipsa natura inditum, nihil fieri à nobis, aut vitari debere, nisi propter ultimum finem, quicunque tandem ille dicatur, in cujus possessione, videlicet, collocatur ab omnibus summa felicitas, & beatitudo perfecta hominis, præ cæteris bonis optanda, & à cunctis semper quærenda.

65. Cæterùm, cùm in ista veritate summa mortalium omnium consensio sit, ut præmittit Philosophus in principio Ethicorum, nihilominùs tamen *de felicitate* (ut subjungit), *quænam sit* (nempè in particulari) *dissentiunt*. Quid *dissentiunt*? Non alibi turpiùs; ac largiùs, mundi sapientes deliravare, adeò ut pænè ad tercentas diversæ eorum opiniones extiterint, teste eodem Philosopho, & Augustino Marcum Varronem referente; quod idem Augustinus, tum ibidem, tum alibi, meritò vehementer miratur.

Aristo. 1. Ethi. c. 4.

August. de Civit. ubi nuper, & li. 13. de Tri. c. 4.

66. Causas verò, cur illi tam turpiter erraverint in applicatione principii usque adeò apud omnes certi, exponit Augustinus ibidem, apud quem, si libuerit, videri poterunt, nec sine fructu; deservient enim, ut facilè quis videat, quàm sit intellectus humanus monstrosè fallax, atque delirus, ubi temperies morum, & ab inordinatis affectionibus voluntatis puritas desit, de quo infrà plura magnopere notanda.

67. Nos tamen, qui per summum, ac singulare Dei beneficium eâdem certitudine novimus, ultimum finem nostrum, cujus vera possessio verè nos beatos constituit, non alium esse, quàm Deum ipsum; ex illo principio notissimo ab Ethnicis Philosophis mundi sapientiâ, id est, verâ stultitiâ tumidis, ac superbis, adeò infeliciter intellecto, facilè quoque, ac certò concludimus, omnes actiones nostras morales referendas in Deum esse. Cùmque nobis id ipsum voluntate, seu lege sua, tanquam primariâ regulâ morum, determinatè Deus ipse præscribat, fit tandem, ut certissimum nobis sit, nihil à nobis fieri, caverive debere, nisi propter divinam voluntatem, quam summè ubique amare, & quærere semper debemus, ut nostras illi conformemus actiones, tanquàm primæ mensuræ, atque supremæ regulæ morum.

68. Patet igitur, primum, & universale principium, ex quo tota descedit moralis obligatio ad aliquid agendum, vel omittendum, esse voluntatem divinam, ita ut illâ non intellectâ ut regula nos dirigente, nihil prorsus hujusmodi possit intelligi; sed quidquid fortè præter illam sit, neque fieri à nobis, neque caveri debeat, sed tanquam nihil prorsus contemni, & nihil omninò curari.

ARTICULUS II.

Resolvitur ex dictis quæstio instituta sub quadam generali ratione.

§. I.

Corollarium deductum immediatè ex proximè statuta doctrina, ad præfatam quæstionis resolutionem immediatè quoque deducens.

69. TOta doctrina præcedētis articuli non modò vera, ac solida est, sed usque adeò in Theologia certa, ut à nemine possit, qui terminos intelligat, in quæstionem unquàm adduci.

Ex illa verò statim apparet evidenter, principium unicum, ac generale, primamque adæquatam rationem, unde tota descendit obligatio, qua vitare tenemur quodcunque malum proximi, aut periculum ejus inferendi, esse voluntatem divinam, quæ malum illud fieri prohibet, adeò ut, illâ formaliter non intellectâ, nulla possit intelligi moralis obligatio ad prædictum malum cavendum.

70. Ratio ex proximè dictis evidens est: nam malū quodvis proximi physicum, aut morale, ideo præcisè cavere tenemur, quia nisi diligenter caverimus, malè moraliter operamur, adeòque non illud cavere, propriè, ac moraliter malum est, Utique, si moraliter malum non esset non cavere ejusmodi malum, qui sponte non caveret, vel benè ageret, vel saltem ageret indifferenter: ne-

mo

mo verò obligatur abstinere ab actione, quæ bona est, aut saltem indifferens, ut est ex terminis manifestum.

71. At nihil malum est, nisi quid opponitur voluntati divinæ, quam homo impensè amare, & quærere diligenter tenetur, ut se illi conformet in operando, tanquàm primæ, ac supremæ regulæ morum, ut dictum, demonstratumque est: ergo ideò tenemur quodcunque malum proximi, ipsiusque periculum inferendi cavere, quia tenemur omninò nihil agere contra voluntatem divinam: ergo primum principium, & adæquata ratio, ex qua tota descendit obligatio cavendi malum quodcunque proximi, ejusve inferendi periculum, est divina voluntas, à qua tenemur nunquam in agendo recedere.

72. Eadem verò ratio sub eadem forma procedit in materia Sacramẽtorum, & generaliter in quacunque materia; nullibi nanque quisquam obligari ad aliquid potest, vel agendum, vel omittendum, nisi quia voluntas divina, vel omittendum illud, vel agendum præscribat, cùm nihil possit esse bonum, aut malum, nisi per respectum ad ipsam. Igitur, seu immineat ex nostra actione, seu non immineat proximo malum, seu sit spirituale, seu temporale, seu grave sit, seu leve, seu reparabile, seu irreparabile, principium unicum, & adæquata ratio, cur ab actione illa abstinere, vel illam exercere debeamus, eadem semper est, scilicet voluntas, seu lex divina, actionem illam fieri vel præcipiens, vel prohibens, seu graviter, seu leviter, juxtà naturam ipsius actionis.

73. Tota ergo materia, circa quam operamur, & objectorum specialis diversitas, quòd videlicet actio vergat in damnum proximi, quòd noxia nobis duntaxat sit, vel quòd unicè Deo debitam reverentiam, aut honorem imminuat: tota, inquam, hæc differentia, & alia quævis particularis, quæ sub his generalibus rationibus, vel cogitari potest, vel contingere, quod spectat ad nostram obligationem inducendam ejusmodi actionis vitandæ, non nisi purè materialis est, & eadem ubique ratio formalis, idemque adæquatum principium, scilicet divina voluntas, quam, quia debemus super omnia diligere, & studiosè semper investigare, ut nihil contra illam aliquando faciamus, ideò, ut propter rationem unicam, ac primariam, in quam resolvitur tota nostra obligatio, tenemur fugere, vel amplecti, quidquid nobis ipse præscribit, vel fugiendum, vel amplectendum.

§. II.

Comprobatur ex D. Thoma.

74. DOctrinam hãc certissimam, & de qua nullus, quantùm ad rem ipsam, dubitare potest, ut vidimus, omnes Doctores, & Theologi scholastici, passim traduat, atque supponunt; attamen terminis obscurioribus, & ad scholæ normam accomodatis, proindeque non omnibus captu facilibus.

Sed verò Magister Angelicus, qui profunditatem Theologicam, & scholasticæ subtilitatis rigorem, cum magna claritate, & styli facilitate, ubique miro modo conjungit (quod in S. Doctoris dotibus verè Angelicis, ac mirificis non ultimum obtinet locum) doctrinam etiam istam satis distinctè, ac clarè tradidisse videtur. Nempè, ubi exponit definitionem peccati ex Augustino communiter receptam, notat, duo in peccato considerari posse, nimirùm, & quòd actus humanus sit, & quòd sit actus moraliter malus. Quòd humanus sit, inquit, habet ex eò quòd sit voluntarius: quòd verò malus moraliter sit, ex eo quòd à regula prima moralis honestatis deficiat, videlicet à lege Dei. Post hæc autem corpus articuli concludit S. Doctor his verbis: *Et ideò Augustinus in definitione peccati po-*

D. Tho. 1. 2 q. 71. a. 6. corp.

posuit duo: unum, quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale in peccato, cùm dixit dictum, vel factum, vel concupitum: *aliud autem, quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cùm dixit*, contra legem æternam. Hæc Angelicus Doctor.

75. Ecce oppositio ad legem, seu voluntatem Dei, est juxta D. Thomam veluti tota forma, sive ratio formalis, qua peccatum est malum, atque adeò fugiendum: reliqua verò omnia, nempè specialis actus natura, respectusque ad objectum creatum, sunt quasi aliquid materiale: ergo non sunt quid malum, neque fugiendum, nisi propter oppositionem ad voluntatem, seu legem Dei: ergo quòd actus malus inferat damnum proximo, vel non inferat, quòd sit in hac, aut illa speciali materia, de materiali omninò se habet, quod attinet ad obligationem, qua tenemur illum vitare: igitur tota ratio, propter quam illum vitare debemus, est quia repugnat voluntati divinæ: igitur hæc est ratio adæquata, & unicum principium obligationis vitandi actum moraliter malum, quicunque demum sit, & in quamcunque materiam incidens.

76. An verò, & quatenùs, licèt adæquata, & unica ratio formalis, propter quam actus malus vitari debet, sit voluntas divina, cui contrariatur; ipsum tamen objectum, & materia specialis, quam actus respicit, debeat quoque considerari pro taxanda malitia ipsius actus, adeòque quantitate obligationis, qua tenemur illum vitare, accuratè exponetur art. seq.; est enim proprius, atque potissimus hujus gravissimæ controversiæ scopus.

§. III.

Alterum Corollarium pro quæstionis ejusdem generali resolutione.

77. POrrò ex hucusque dictis immediatè, & quasi sponte sua consequitur, regulam humanæ conscientiæ, nimirum secundariam, ac proximam (sumpram scilicet pro judicio rationis, quo nobis prima regula moralis honestatis proponitur, & applicatur) eandem esse ubique, & ejusdem prorsus rationis, formaliter, & per se loquendo, neque ex ulla materiæ diversitate aliquam variationem sortiri posse, nisi ut summum accidentalem, & quasi materialem duntaxat.

78. Patet ex hactenus statutis principiis, & denuò à nobis proximè expensis. Nempè conscientiæ regula secundaria nullâ ratione variari potest formaliter, aut substantialiter, primâ honestatis regulâ non variatâ, cùm hæc sit primum, unicumque principium, adeòque mensura adæquata, totius rectitudinis illius. Utique regula secundaria conscientiæ ex proprio, & essentiali suo conceptu (ut sæpiùs est à nobis expositum, & à nemine dubitatur) subordinata est regulæ primæ, quam nobis proponit, & applicat, adeòque totâ ipsius rectitudo consistit in conformitate cum ipsa prima regula, quam proponit, tanquàm primam mensuram rectitudinis; etenim si deficiat, aut aliquomodo discrepet ab ea, non modò recta regula non erit, sed neque erit hoc ipso regula, juxta sententiam illam Bernardi alibi jam à nobis adductam, *Alioquin regula jam non est regula, quia non recta*. Bern. in Apolog. ad Guil. el. Abba. Evidens verò est, vel ex terminis ipsis, regulam hac ratione subordinatam regulæ primæ nullo modo variari posse, nisi varietur ipsa regula prima.

79. At prima regula moralis hone-

neſtatis ex nulla variatione, aut diverſitate materiæ, ſive objectorum actionum humanarum, variatur ſubſtantialiter, aut formaliter, ſed ut ſummùm variari poteſt, velut accidentaliter, aut materialiter, eo ſcilicet ſenſu, quem exactè exponemus ſequenti art.

80. Enim verò, quæcunque materia ſit, circa quam actio noſtra verſatur, una eſt ſemper, & eadem regula noſtra, propter quam illam facere, aut cavere debeamus, ſcilicet voluntas divina talem actionem nobis, aut præcipiens, aut vetans; hæc enim eſt, ut manet demonſtratum, menſura univerſalis, unica, & adæquata, totius bonitatis, vel malitiæ cujuslibet actionis humanæ, adeò ut, menſurâ iſtâ non intellectâ, nulla intelligi poſſit, in aliqua materia cogitabili, moralis bonitas, aut malitia, propter quam actio à nobis fieri debeat, vel evitari. Conſtat igitur, primam, univerſalemque regulam moris nulla ratione variari poſſe, ſaltem formaliter, & quoad ſubſtantiam, ex variatione aliqua materiæ, aut objectorum diverſitate.

81. Unde legitimè tandem concluditur corollarium modò propoſitum, quod eſt præcipuæ quæſtionis reſolutio ſub quadam generali ratione, nimirùm regulam humanæ conſcientiæ (utique ſecundariam, ac proximam) eandem eſſe in omni materia formaliter, & quoad ſubſtantiam, nec variationem aliquam ſubire poſſe ex variatione ipſius materiæ, niſi accidentalem ut ſummùm, & quaſi materialem duntaxat.

82 Ergo non ſecùs licet (reclamat Lydius noſter Lapidarius) uti opinione tantùm probabili de valore Sacramentorum, de medicinæ ſalubritate, de honeſtate, aut juſtitia belli, quàm de quavis alia materia. Id verò palam eſſe non ſolùm abſolutè falſum; verùm etiam nunquam licere medico, vel miniſtro Sacramentorum (de his tantùm expreſsè loquitur ipſe) uti opinione ulla directa, quæ minùs tuta ſit, & ſimul probabilis tantùm, ſed opus ſemper eſſe judicio certo, & oppoſitum eſſe manifeſtè damnatum in illo primo damnato articulo de praxi opinionis probabilis in materia Sacramentorum, non probat Lapidarius, nec diſputat, ſed ubique ſupponit tanquam indubitabile: immò hinc paſſim argumentum noſtrum, & alia, quæ ex his locis producimus, retorquet evidenter more ſuo, præſertim tota illa ſect. 27.

83. Certitudo verò judicii, quam Lapidarius exigit in præfata materia, debet eſſe perfecta, & abſoluta, quæ ſcilicet conſtituat tale judicium ultra ſphæram judicii opinativi, & aliquatenus formidoloſi; ipſe nanque ſæpè contendit nulli judicio merè opinativo, etiamſi ſit probabile juxtà noſtra principia (hoc eſt, conceptum ex fundamentis notabiliter præminentibus, indeque non inconſtans, aut fluctuans, ſed ſtabile potiùs, ac firmum, qualia ſunt judicia prudentum) attribui poſſe certitudinem ullam, niſi per valde ineptam, & arbitrariam vocum abuſionem.

84. Hinc P. Generalem Societatis vix non irridet, immò irridet indignè, eò quòd V. C. Bellarminum, Cajetanum, & alios plures Doctores, exigentes pro regula conſcientiæ judicium certum de honeſtate operis, exponat de judicio verè probabili, quod meritò ex Philoſopho, & D. Thoma vocari ſolet judicium certum, certitudine ſcilicet morali, & imperfecta, quæ propria eſt materiæ moralis, & humanorum actuum naturæ conſentanea. Cæterùm hoc pro ſua conſueta urbanitate, atque modeſtia, appellat ipſe *Manifeſtum paradoxum contra D. Thomam, & omnes Theologos*, adeòque ut tale ab omnibus deſpiciendum ſupponit. Lyd. Lap. num. 222.

85. Verùm hæc omnia aſſerta Lapidarii plena ſunt falſitatibus, & hallucinationibus; quod per decurſum Operis facilè demonſtrabimus. Interim verò quieſcat Lapidarius

opor-

oportet, dum controversiam istam prægravem distinctiùs adhuc, & exactiùs resolvimus, ut tandem regrediamur ad retorsiones ejus, quibus nos passim urgeri gloriatur; neque enim immemores sumus oneris à nobis suscepti, haud sanè levis ob materiam ipsam, non verò propter ejus argumenta; quæ nullius momenti esse planè constabit.

ARTICULUS III.

Eadem potissima quæstio clariùs, ac distinctiùs resolvitur.

86. EX principio certissimo hactenus statuto, de cujus evidenti veritate neminem posse ambigere demonstravimus, rectè quidem concluditur, ut ostensum proximè est, regulam honestatis moralis (utique secundariam, de qua cum Recetioribus disputamus) eandem esse ubique, & in omni materia formaliter, & quoad suam substantiam, nec nisi materialem, & quasi accidentalem variationem sortiri ex variatione ipsius materiæ. Hinc tamen minimè licet deducere, eandem esse ubique diligentiam præstandam in cavendo erroris periculo sine ullo prorsus discrimine, eandemque dictaminis actionem regulantis firmitatem, ac certitudinem, in qualibet materia indifferenter, & in quibuslibet circunstantiis, requiri. Id verò ut luculenter ostendamus, oportet adhuc accuratiùs reflectere supra principium proximè stabilitum, ipsumque intimiùs enucleare.

§. I.

Prælibatur non nihil de voluntate Dei generali, qua creaturas omnes movet, & ordinat in proprium finem suum, secundùm propriam cujuscunque naturam.

87. TOta doctrina nostra, & sententia, quam propugnamus, innititur memorato principio, in ipsumque resolvitur admodùm immediatè, ut præmonuimus ad Operis initium; non in principia recens fabricata, & Theologis antiquis inaudita, qualia esse principia Probabilismi affatim jam à nobis ostensum est. Ex eodem ergo principio veritatem, quam modò investigamus, pariter debemus elicere.

88. Ergo Deus gloriosus, sicuti de thesauris sapientiæ, bonitatis, atque potentiæ suæ, nulla cogente necessitate, sed ex sua absoluta, & libera determinatione, creaturas omnes producit, ita jam existentes tenentur tanquam optimus, ac prudentissimus, auctor eorum, ordinatè producere in proprios fines, namquanque movendo, ac dirigendo secundùm propriam ejus naturam; neque enim potest opera sua, ne minimum quidem eorum, vel odisse, vel oblivisci, ut dicitur in libro Sapientiæ, *Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Sap. 11. Nihil verò moveri, quin neque permanere, aut conservari potest, nisi ex influxu divinæ voluntatis, ut ibidem etiam subjungitur: *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?*

89. Quælibet autem creatura movetur, tenditque naturaliter in proprium finem, mediis suis operationibus, quibus acquirit perfectionem propriam, ad quam est naturaliter ordinata. Debuit igitur Deus singulis quibuscunque rebus creatis imprimere propensionem intrinsecam, & innatam inclinationem ad operationes prædictas, ut sic omnia forent intrinsecè ad suum proprium finem ordinata: & velle insuper, ut operentur secundùm istam suam innatam propensionem, ut sic tandem re ipsa, & cum effectu, finem sibi præfixum connaturaliter assequantur.

90. Hæc verò generalis voluntas Dei in hac latitudine sumpta appellatur communiter lex æterna, cujus pro-

Aug. l. 22. cont. Faust. c. 27.

proprium conceptum Augustinus optimè exposuit: *Lex æterna* (inquit) *est ratio, vel voluntas Dei ordinem naturæ servari præcipiens, & dissipari vetans*. Servat autem naturæ ordinem, *Secundùm quod est directiva omnium actuum, & motionum*, ut inquit Magister Angelicus, id est, quatenùs movet omnes, & singulas creaturas ad proprias suas operationes, quibus finem suum assequantur; in hoc enim constitit naturæ ordo.

D. Tho. 1. 2. q. 93. a. 1. corp.

91. Cæterùm, quia inter ipsas creaturas discrimen est quàm maximum, nimirùm substantiale, sive essentiale, cùm aliæ sint rationis expertes, adeòque directionis propriè, ac strictè talis, penitus incapaces, quippè quæ nequeunt liberè, & electivè operationes suas determinare; aliæ sint autem rationales, ac liberæ, quæ nimirùm non purè naturaliter, sed per operationes liberè, & electivè à se ipsis determinandas, adeòque verè liberas, & morales, ad proprium finem multò excellentiorem contendere possint, ac debeant; propterea voluntas divina infinitè prudens, ac sapiens, utrasque creaturas in suos fines proprios ordinatissimè movet, ac dirigit, motione scilicet valde dissimili, utpotè propriis earum naturis congruenti, & attemperata.

92. Igitur creaturas irrationales, præter illam intrinsecam propensionem, & inclinationem innatam, quam ipsis ab origine indidit, movet insuper Deus per voluntatem suam, qua, decreto efficaci, absoluto, ac determinato statuit cum eisdem concurrere ad proprias, atque naturales earundem operationes. At verò creaturæ rationales habent quidem, & ipsæ inditam sibi à Deo propensionem innatam ad rectas, & honestas operationes (saltem ordinis naturalis) quibus ad finem sibi destinatum naturali cursu contendunt. Immò, cùm liberaliter ab ipso Deo ordinatæ de facto sint ad finem supernaturalem, videlicet ad Deum ipsum immediatè videndum, & amandum, habent etiam intrinsecam propensionem per gratiam habitualem, & alia dona supernaturalia à Deo ipso communicatam sibi, qua in finem hunc altiorem, ac divinum, propendeant, adeòque in rectas operationes eidem fini proportionatas.

93. Utraque tamen ista propensio rationalium creaturarum non est efficax absolutè, aut per modum naturæ determinata, sed potiùs absolutè frustrabilis, & subjecta libero arbitrio; idest, quæ aliquomodò inclinet, alliciatque naturam ad honestè operandum, non tamen cogat, necessitetve, ne pereat libertas, & meritum. Consequenter, voluntas universalis, per quam Deus hujusmodi creaturas in finem proprium suum specialiter movet, & ordinat (non enim modò loquimur de decreto communi physicè concurrendi cum omni creatura ad omnem ipsius actionem, cujus consideratio hujus loci non est) extrinsecè se habet, & objectivè tantùm, hoc est, per modum regulæ verè talis præscribentis, quid agere, quidve omittere debeant, ut assequantur finem præfatum: quare non nisi ut cognita movere potest, adeòque dependenter ab exercitio libero voluntatis creatæ.

94. Unde patet, ejusmodi voluntatem divinam relatè ad creaturas rationales verè, propriè, ac strictè, legem esse, cùm verè sit voluntas legitimi, ac supremi legislatoris sapienter statuentis, ac præcipientis, subditis directionis strictæ, adeòque verè præcepti capacibus: quod secùs est dicendum ob rationem oppositam de eadem voluntate movente irrationales creaturas non objectivè, aut per modum regulæ, sed physicè duntaxat, & per modum principii, sive causæ efficientis universalis efficaciter decernentis, & inferentis infallibiliter actiones naturales earum absque aliquo arbitrio, aut electione ex parte ipsarum creaturarum. De

hac ergo voluntate nihil hìc ultra. Illam verò, quæ propriè rationem legis habet, verèque actiones nostras regulat, prosequamur.

§. II.

Qualiter eadem voluntas divina regulet nostras morales actiones?

95. LEx igitur æterna, seu divina voluntas, creaturam intellectualem movet, ac dirigit in suum ultimum finem (utique supernaturalem, ad quem nempè de facto gratiosè, ac liberaliter est elevata) viam ei designando, per quam incedat, & lucem insuper præferendo, ut viam designatam videre possit, & nunquam ab illa deflectere, neque ad dexteram, neque ad sinistram.

69. Designat autem viam, quatenùs præscribit eidem per modum imperii, seu regulæ, quid agere ipsa, quidve fugere debeat ad sui finis cõsecutionem. Lucem verò præsefert, quatenùs in ipsius intellectum derivat sufficientem notitiam ejusdem imperii, seu regulæ, ut semper juxtà ipsam honestè, ac laudabiliter operetur. Utrumque Vates Regius vividè expressit inquiens, *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, & exquiram eam semper. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* Psal. 118.

97. Itaque *lex æterna* (ait Angelicus Doctor) *primò, & principaliter ordinat hominem ad finem: consequenter autem facit, benè se habere circa ea, quæ sunt ad finem.* Primariò igitur, & ante omnia præcipit homini diligentissimè ex toto corde, & ex tota mente finem ultimum suum, idest, Deum ipsum inquirere, ipsum diligere super omnia, omnesque suas operationes ad ipsum cõsequendum referre. Consequenter non potest nõ præcipere quidquid est necessarium ad talis finis consecutionem, omnemirùm opus, cujus omissio eidem fini aliquomodò opponitur: pariterque non potest non prohibere quidquid per se, & intrinsecè obstat ejusdem finis assecutioni; sive quia ab illo simpliciter avertit, qualis est omnis actus incompossibilis cum amore prædicto, qui cùm perimat charitatem, destruit simpliciter ordinem ad finem, æternamque propterea inducit privationem ipsius; sive quia ab illo saltem aliquomodò avocat, ac divertit, quatenùs per se tendit, atque disponit ad destructionem ipsius charitatis, unde saltem ad tempus impedit finis assecutionem; non enim verè potest, quandiù duraverit, prava hæc dispositio ad finem cohærere re ipsa cum actuali ejusdem finis assecutione, per se saltem loquendo, & attentis rerum naturis. D. Tho. 1. 2. q. 71. a. 6 ad 3.

98. Verùm, cùm multa sint opera creaturæ determinatè non necessaria ad finis ultimi consecutionem, hæc quidem omnia lex, seu voluntas divina, per semetipsam immediatè non præcipit determinatè, necessariò, ac per se (eadem ratio est in ordine ad prohibitionem de objectis, quæ per se, ac naturâ suâ, non sunt impeditiva determinatè assecutionis ejusdem finis); potest tamen, & solet liberè, & contingenter, aliqua eorum per se ipsam præcipere: alia verò non per se ipsam, sed per voluntatem creatam legitima fungentem potestate ab ipso Deo communicata ad præcipiendum nomine ipsius Dei, & ut instrumentum ejusdem, multa, quæ per se ipsum Deus immediatè non præcipit.

99. Tandem reliqua omnia, quæ neque per se ipsum, neque per Superiorem creatum, determinatè præcipit Deus, eò ipso relinquit liberæ determinationi, & electioni voluntatis creatæ; nisi fortè homo ipse (ut ad illum sermonem restringamus) aliqua eorum sibi perpetuò, vel ad tempus, determinaverit per votum temporale, vel perpetuum, quo Deo sponte quidquam promiserit, ad

quod

quod aliòqui non tenebatur; etenim hac suppositâ ipsius hominis determinatione, jam illud absolutè, atque determinatè fit necessarium ad finis ultimi consecutionem, adeòque jam præcipitur ab ipso Deo lege, seu voluntate necessaria ex prædicta suppositione. Quod idem dic de operibus per legem contingentem, ac positivam, præceptis, & determinatis.

§. III.

Præcedentis doctrinæ luculentior expressio.

100. REm pro morum doctrina momentosissimam, ac scitu dignissimam, distinctiùs exponamus.

Ut homo finem ultimum, idest, Deum, auctorem suum, propriis operationibus, & meritis elicitis speciali auxilio divinæ gratiæ supernaturalis (suppositâ gratuitâ ipsius hominis elevatione ad supernaturalem beatitudinem) assequatur re ipsa per veram possessionem inamissibilem, & æternam, per se, ac determinatè, necessarium in primis est Deum ipsum diligere super omnia, ipsius dictis fidem habere, ejus promissionibus fidere, ipsum desiderare, voluntatem ejus inquirere, ipsum timere, revereri, adorare, colere, laudare, memoriam, & nomen ejus sanctum honorare, dignum denique obsequium, ac famulatum eidem, tanquàm Domino, & Creatori infinitæ excellentiæ, & majestatis, tanquàm parenti optimo, tanquàm legislatori, auxiliatori, benefactori liberalissimo, totis animæ viribus exhibere.

101. Hæc quidem omnia opera primariò, atque potissimùm præcipit Deus determinatè, & illis oppositâ prohibet per suam immediatam voluntatem, eamque penitùs necessariam; neque enim potest liberum esse Deo volenti, & præcipienti, ut homo finem suum honestè, ac laudabiliter assequatur, eidem non præcipere ex primaria intentione, ea, quæ per se primò sunt necessaria ad finem, aut similiter ipsi non prohibere, quæ per se primò impediunt assecutionem ejusdem finis.

102. Et hæc voluntas necessaria Dei dicitur lex, aut jus naturale primarium, continens tria illa potissima præcepta, quæ Deum ipsum immediatè respiciunt, & ab eodem olim expressa sunt in prima Decalogi tabula. In qua præterea continebatur præceptum de Sabbati sanctificatione, quod positivum erat quoad determinationem certi diei; non enim simpliciter est necessarium, atque adeò nec naturale: quin neque fuit perpetuum, sed pro tempore tantùm legis scriptæ.

103. Præter hæc omnia ad eundem finem necessarium insuper est probare, laudare, ac diligere opera etiam ipsius Dei, maximè verò reliquas creaturas ejusdem nobiscum naturæ, quas nimirùm communis omnium Creator fecit, sicut & nos, ad imaginem suam, capaces ejus amicitiæ, & gratiæ, & ad eundem finem nobiscum ordinatas; neque enim verè potest Deo placere, ipsumve super omnia diligere, qui creaturas ejus, præsertim rationales, quas tàm ardenti amore Deus ipse prosequitur, tamque speciali providentia curat, verè quoque non diligat, & attendat, ut lumine rationis notum est. Hinc fit, ut absolutè necessarium homini sit ad suum ultimum finem consequendum reliquos omnes homines, quicunque sint (damnatis tantummodò exceptis) ut proximos, amicos, & fratres, veræ charitate complecti, ipsos curare, fovere, juvare, quantum vires propriæ permiserint, & eorum necessitas postulaverit.

104. Hujusmodi fraternæ dilectionis necessitas facit etiam, ut Deus non possit non præcipere hominibus per voluntatem suam immediatam eas omnes actiones determinatè, quæ necessariæ sunt per se, ac de-

terminatè, ad mutuum hoc juvamen præstandum. Hinc præceptum divinum, ac naturale verè, & ex corde diligendi proximum, etiam pravum, aut infidelem, etiam inimicum, ac noxium, ipsi in necessitatibus, vel animæ, vel corporis subveniendi, & (uno verbo) faciendi cum ipso, quidquid nobiscum volumus fieri.

105. Hinc rursus generale præceptum negativum prohibens omnem actum per se contrarium fraternæ charitati, & continens sub se multa particularia, neminem scandalizandi, neminèm occidendi, aut percutiendi privata auctoritate, neminem judicandi, calumniandi, infamandi, decipiendi, neminem denique sine causa lædendi in bonis ejus propriis, etiam externis, aut temporalibus.

106. Et hæc voluntas necessaria Dei, quæ memorata omnia per se immediatè præcipit, aut vetat, dicitur jus naturæ secundarium, fundatum proximè, & immediatè in jure naturæ primario (nimirùm in prædicta necessitate Deum ipsum amandi, & honorandi), & distinctum per septuplex præceptum in tabula secunda Decalogi.

107. Præterea, cuncta hæc, quæ voluntas divina per se immediatè præcipit, ac determinat secundùm designatas rationes, aut pleraque saltem eorum, possunt absolutè adimpleri per opera nimis varia, ac diversa, cum quorum singulis finis ultimus hominis determinatè non est connexus.

108. Adhibeamus exempla. Colere Deum, cultu etiam externo, ejusque majestatem supremam, & excellentiam infinitam testari aliquibus sensibilibus signis, per se, ac determinatè, sub hac ratione debitum, ac necessarium penitùs est ad finis ultimi consecutionem, adeòque necessariò per voluntatem Dei, seu legem naturalem, determinatum, atque præscriptum. Quòd verò id fiat per hæc, aut illa signa, per has, vel illas laudes determinatas, cæremonias, aut sacrificia, hoc finis ultimus per se non exigit, nec voluntas divina necessariò determinat.

109. Itidem. Carnem continere, aut frenare, quantum necessum sit, ne spiritum extinguat, idest, ne nimiùm deprimat ad delectationes sensibiles, quibus homo avocetur, & abducatur ab attentione sui proprii finis, rerumque divinarum contemplatione, quæ primum, ac potissimum esse debet animæ rationalis studium, per se requiritur determinatè ad finem ultimum consequendum, propterea que voluntate divina, & lege naturali præcipitur. Quòd verò quis ejusmodi temperantiam exerceat per hæc potiùs, quàm illa determinata opera, per has, vel illas carnis afflictiones, per hæc, aut illa determinata jejunia, id, sicut finis ultimus non requirit, ita nec lex divina naturalis per se ipsam determinat, aut præscribit. Et his similia in aliis materiis possent alia exempla adhiberi, nisi abunde sufficerent hìc adhibita.

110. Ex his autem operibus, aut variis exercitiis, quæ voluntas divina necessaria, seu (quod eòdem redit) lex naturalis indeterminata relinquit, quædam Deus determinat immediatè per voluntatem suam cõtingentem, ac liberam, quæ lex divina positiva vocatur, ut in exemplis nuper appositis plurima olim determinavit, atque præcepit populo Israelitico sacrificia, observantias, ac cæremonias pro cultu sibi debito præstanda: quædam item certa jejunia, aliaque temperantiæ, seu pœnitentiæ opera pro necessaria continentia carnis. In lege quoque gratiæ quędam, etsi multò pauciora, eâdem voluntate immediatâ, seu lege positivâ divinâ, præcepta sunt, ac determinata, circa usum Sacramentorum, eorumque legitimam constitutionem.

111. Restant tamen adhuc innumera, secundùm aliquas peculiares ra-

rationes, à Deo non determinata per ullam immediatam voluntatem, ex quibus plurima humana potestas, nõ solùm Ecclesiastica, sed & civilis, auctoritate ab ipso Deo accepta, & in virtute, ac nomine ipsius, per leges suas determinavit, & in dies passim determinat, præceptis, vel communibus, vel privatis, vel temporalibus, vel perpetuis, prout recta gubernatio Reipublicæ sibi commissæ, & rerum circunstantiæ deposcunt.

112. Id ostendunt apertè leges Canonicæ de jejunio observando certis anni temporibus, de Missa audienda diebus festis, de Canonicis horis recitandis, & reliqua omnia præcepta, seu generalia, seu particularia, imposita à Prælatis Ecclesiasticis secundùm potestatem unicuique concessam, & pro personis tali potestati subjectis. Tantundem præstant in genere suo, & in materia sibi proportionata, leges omnes civiles, seu procedentes à Laica potestate.

113. Veruntamen, his omnibus determinationibus positis, supersunt adhuc plurimæ actiones nullo ex præfatis juribus determinatæ. Ex his possunt, & solent privati homines, libera sua electione, & arbitrio, nonnullas sibi determinare, scilicet per votum, aut juramentum, quo liberè se obligant ad aliquid faciendum, vel immediatè in obsequium Dei, vel in aliorum hominum utilitatem: idque, vel pro totius mortalis vitæ tempore, ut faciunt Religiosi per professionem suam, vel pro tempore tantùm determinato.

114. Sed verò cunctas istas liberas promissiones, seu determinationes particulares, sicut & omnes illas, quæ fiunt per præcepta potestatis humanæ, sive per leges positivas humanas, universaliter firmat, ac roborat lex ipsa naturalis, seu voluntas Dei necessaria; ideò etenim omnes vim habent obligandi, quia jus ipsum naturæ sub generali ratione præcipit exequi justa omnia cujuslibet legitimi Superioris humani munere suo ritè fungentis, & adimplere promissiones omnes voto, vel juramento ritè firmatas.

115. Utrunque clarè constat ex Scriptura ipsa: *Honora patrem tuum, & matrem tuam*. Quæ verba à Christo Domino allegantur in Evangelio, & significant generaliter juxtà communem expositionem, cunctis legitimis Superioribus non modò reverentiam, & honorem, sed & obedientiam præstãdam. Clariùs autem Apostolus: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. De iis verò, quæ voto, aut juramento unusquisque sibi determinat, extat lex generalis: *Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento: non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit*. Porrò his, ac similibus sacris eloquiis non condi legem novam, aut positivam, sed enuntiari tantùm, ac exprimi, jus ipsum necessarium, ac naturale, apud omnes compertum est.

Exo. 20. Math. 5. Ad Hæbr. 13. Ad Roma. 13. Num. 30.

116. Tandem reliqua objecta, quæ à memoratis omnibus determinationibus abeunt, quippe quæ nullâ earum comprehensa sunt, reliquuntur optioni, liberæque electioni voluntatis humanæ, quæ impunè potest pro libitu suo illa respuere, vel amplecti, dummodò honestè semper, & laudabiliter operetur.

§. IV.

Appendicula de objectis non præceptis, quomodo in finem ultimum sint referenda?

117. PRo quo nota, hæc objecta liberæ nostræ optioni permissa esse in duplici differentia. Alia etenim sunt excellentiora quædam virtutis opera, quæ per se quidem sunt honestissima, maximèque conducunt ad finis ultimi consecutionem, eandemque certiorem, atque pleniorem reddunt; nullum tamen ip-

ipsorum determinatè acceptum, per se loquendo, necessarium est ad finem ipsum absolutè obtinendum. & hæc vocari solent supererogationis, majoris beneplaciti, sive consilii opera, qualia sunt continentia perpetua, professio Religiosa, extraordinaria carnis afflictio, paupertas voluntaria, & alia id genus. Alia verò sunt opera, quæ nullam ex se habēt honestatem, aut inhonestatem intrinsecam, quia per se non conducunt ad finem hominis, potiùs quàm eorum omissio, ut sedere, vel deambulare, exercere hanc artem præ illa, & reliquæ omnes actiones, quæ dicuntur indifferentes.

118. Opera primi generis per se considerata, & nisi vitientur per accidens ex fine aliquo inordinato, aut aliâ circunstantiâ pravâ, non modò permittuntur per voluntatem Dei, verùm etiam eidem maximè placent: unde & commendantur magnopere, probantur, consuluntur à Deo, licèt verè non præcipiantur præcepto propriè, ac strictè tali, quod nimirùm generet obligationem aliquam in conscientia. At verò posterioris generis opera secundùm se præcisè considerata, nec displicent, nec placent in linea moris, adeòque nec probantur, nec reprobantur, sed unicè permittuntur à Deo quoad absolutam eorum electionem.

119. Cæterùm, quisquis velit liberè agere circa ejusmodi objecta indifferentia, quanvis possit pro suo arbitrio utrumlibet extremum amplecti, debet attamen semper actionem suam, quæcunque tandem sit, in finem honestum referre, adeòque in finem ultimum implicitè, aut virtualiter saltem; alioqui turpiter, ac vitiosè operabitur secundùm communiorem, ac veriorem Theologiam, quam docet Angelicus Doctor, & quæ mihi semper admodùm placuit.

120. Et verò nemo aliquando mihi persuadeat, quòd homo, dum agit ut homo, hoc est, ex sufficienti rationis deliberatione, non debeat sem per agere ex fine rationali, proprioque hominis: sed ex fine tantùm communi cæteris animantibus irrationalibus. Profectò turpiter ratione utitur, qui belluis in agendo non præstat.

121. Illa ergo cælestia Doctoris gentium monita, *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud aliquid facitis: omnia in gloriam Dei facite*: & rursus, *omne, quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum*: hæc, inquam, salutaria documenta non sunt existimanda pura consilia, immò neque præcepta positiva duntaxat; sed jus ipsum naturæ generale, atque necessarium, quod nobis denuntians Apostolus, nostræ nos commonet obligationis, qua operari semper tenemur ex aliquo motivo virtutis, & per omnem nostram actionem ad Deum finem nostrum contendere: ita ut per omnem determinatam, ac deliberatam actionem, nisi laudabiliter agimus, hoc ipso necessariò peccemus. Nam, ut ait Augustinus, *Omne factum, si rectè factum non est, peccatum est*, quibus verbis clariùs non potuit communem hanc sentētiam docere.

1. Ad Cor. 10. Ad Colos. 4. Aug. de utilit. cred. c. 12.

§. V.

Ergo regula agendi formaliter, & quoad substantiam, eadem semper est: haud tamen idcò ubique usurpanda similiter sine ullo prorsus discrimine, aut sine respectu ad materiam, ac speciales alias operis circunstantias: ubi mirabili Augustini doctrinâ, tota, quam nos tradidimus, comprobatur.

122. EXpositus hic ordo intellectualis creaturæ, omniumque ejusdem operationum ad ultimum finem ipsius (quem multi pænè ignorant, pauci perfectè intelligunt, pauciſſimi satis considerant) potissimus, aut unicus cardo est, quo to-

tota vertitur intellectualis, ac moralis hominum vita.

123. Ex illo utique derivatur, ut ex prima mensura, & universali principio, tota necessitas, dignitas, præstantia, series, connexio, & harmonia virtutum: ex illo, per contrarium respectum, tota fæditas, turpitudo, & inordinatio vitiorum: ex illo, tota actualis malitia, offensa, injuria, gravitas, diversitas, & inæqualitas peccatorum: ex illo denique, honestas universa, aut inhonestas humanarum actionum.

124. Nam voluntas Dei, prima, & universalis regula morum, nihil nobis præscribit, aut agendum, aut omittendum, nisi per respectum ad finem, ad quem nos, sicut condidit, sic directione sua perducere contendit. Cùm verò ad finem istum assequendum aliæ actiones sint aliis immediatiores, efficaciores, inexcusabiliores: aliæ item ordine inverso immediatiùs, quàm aliæ, eidem fini consequendo obstent, efficaciùs illum impediant, longiùs ab illo avocent, aut irrevocabiliùs (quia firmiùs, ac tenaciùs affigunt voluntatem objectis fini suo contrariis), aut alio denique quocunque modo constituant hominem magis ineptum, ac deteriùs se habentem ad ipsum finem: fit inde, ut ipsa voluntas divina, quæ rectissimè omnia, & ordinatissimè amat, perfectissimèque disponit, non unico, & eodem modo feratur in easdem actiones hominis, & in propria earum objecta; sed ununquodque potiùs eorum secundùm propriam ejus naturam, & habitudinem, quam habet ad finem, magis, aut minùs amet, aut oderit, adeòque principaliùs, severiùs, aut rigidiùs, vel illud jubeat, vel prohibeat hominibus, proposita videlicet pro legis transgressione, aut observantia, vel gravioris supplicii comminatione, vel pollicitatione abundantioris præmii; per id nanque explicatur magis, minùsve stricta obligatio, & severitas divinæ legis, intensiorque propensio voluntatis divinæ in se ipsa invariabilis, ac penitùs indivisibilis.

125. Finis ergo, quemadmodùm prima mensura est, origo, & fundamentum universale totius bonitatis, vel malitiæ cunctarum actionum moralium, ita etiam est quædam quasi mensura, aut norma, ipsius voluntatis divinæ, ut dirigentis, ac regulantis eadem actiones morales; neque enim illas jubet, aut prohibet quasi arbitrariè, aut pro libitu suo, sed sapientissimè, ac ordinatissimè, cum debito respectu ad finem ipsum, & quatenùs ad ipsum assequendum, vel necessariæ sunt, vel repugnantes, & consequenter eò severiùs, eò efficacius, eò principaliùs, quò magis ipsæ conducunt, aut obstant ejusdem finis consecutioni.

126. Equidem *Rectitudo voluntatis* (inquit Doctor Angelicus) *requiritur ad beatitudinem, cùm nihil aliud sit, quàm debitus ordo voluntatis ad ultimum finem*. Rectus autem, ac debitus ordo voluntatis exposcit, ut sicut finem propter se ipsum, adeòque principaliter amat, sic & reliqua omnia, quæ propter finem amat, eò magis amet, aut minùs, quò minùs illa, aut magis ad eundem finem accedunt: & eadem est ratio per oppositum respuendi, ac amovendi magis, aut minùs, ea, quæ fini ipsi contraria sunt. Hic porrò, si uspiam aliàs, maximè locum habet vulgare illud effatum, quo sæpè Philosophus utitur, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Id, quod apparet etiam in propensione ipsa naturali creaturarũ irrationabilium, quæ recta ubique, & ordinata est, utpote regulata per infinitam sapientiam Creatoris: fertur autem impensiùs, & efficaciùs, primariò in proprium finem, deinde verò cum sua proportione in ea, quæ se habent ad finem. D. Tho. 1. 2. q. 5. a. 7. corp.

127. Hinc jam liquidò patet, cur aliquod honestum objectum sit excellentius, aut præstantius altero (& ea-

eadem est ratio de objectis turpibus per contrarium respectum) : ratio nanque à priori, & fundamentalis, ut ajunt, desumitur ex ultimo fine, tanquàm à fundamento, vel mensura; à voluntate verò divina, tanquam à propria regula dirigente, & movente moraliter, & objectivè, hoc est, magis, aut minùs approbante, vel reprobante singula objecta humanarum actionum modo, & ordine exposito, nimirum per respectum ad ipsum finem. Quid autem interSup. art. 1. ad init. §. 4. sit discriminis inter regulam verè, ac strictè talem, & meram actionis mensuram, adnotatum supra relinquimus.

128. Libet modò subtexere mirabilem doctrinam Augustini exponentis præceptum charitatis, totumque ipsius ordinem, & universalem influxum in cætera omnia præcepta, unde tota descendit rectitudo, honestasque moralium actionum. Igitur postquam latè, piissimè, atque sapientissimè, de re ista disseruit Augustinus, totam doctrinam traditam velut in summam colligens, ita concludit:

Aug. li. 1. de Doctr. Christia. c. 26. *Ergo quoniam præcepto non est opus, ut se quisque, & corpus suum diligat ..... restabat, ut de illo, quod supra nos est, & de illo, quod juxtà nos est, præcepta sumeremus.* Diliges, *inquit*, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & diliges proximum tuum tanquam te ipsum: Matth. 22. 1. Ad Timoth. 1. *in his duobus præceptis universa lex pendet, & Prophetæ, finis itaque præcepti est dilectio, & ea gemina, id est, Dei, & proximi. Quod si te totum intelligis, id est, animam, & corpus tuum, & proximum tuum, id est, animam, & corpus ejus ... nullum rerum diligendarum genus in his duobus præceptis prætermissum est. Cùm præcurrat dilectio Dei, ejusque dilectionis modus præscriptus appareat, ita ut cætera in illum consluant, de dilectione tua nihil dictum videtur. Sed, cum dictum est,* Diliges proximum tuum, tanquam te ipsum, *simul, & tui ad te dilectio non prætermissa est.*

Ille autem (prosequitur continenter) *justè, & sanctè vivit, qui rerum integer æstimator est. Ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet: ne, aut diligat, quod non est diligendum, aut non diligat, quod est diligendum, aut minùs diligat, quod minùs est diligendum, aut æquè diligat, quod, vel minùs, vel amplius, diligendum est, aut minùs, vel amplius, quod æquè diligendum est. Omnis peccator &c.* Invitus planè avellor ab hac summi Doctoris tam cælesti doctrina fusiùs hìc exscribēda, quam ipse ferè per totum illum librum copiosissimè exponit, & illustrat. Omittere tamen haud possumus pauca quædam ex iis, quæ subjungit inferiùs. Cap. 27.

129. *Omnium igitur* (inquit), *quæ prædicta sunt, ex quo de rebus tractamus, hæc summa est, ut intelligatur, legis, & omnium divinarum Scripturarum plenitudo, & finis, esse dilectio rei, qua fruendum est, & rei, quæ nobiscum ea re frui potest, quia ut se quisque diligat, præcepto non est opus. Hoc ergo ut nosceremus, atque possemus, facta est tota pro salute nostra per divinam providentiā dispensatio temporalis, qua debemus uti, non quasi mansoria quadam dilectione, atque delectatione, sed transitoria potiùs tanquam, viæ, tanquam vehiculorum, & aliorum quorumlibet instrumentorum, aut siquid congruentiùs dici potest, ut ea, quibus ferimur, propter illud, ad quod ferimur, diligamus.* Idem Aug. ibi. c. 31. Hactenus Augustinus Doctorum Doctor, qui vocibus paulò diversis doctrinam, quam per totum articulum fusiùs nos dedimus, & exposuimus, velut in compendium redactam mirificè commendat, & exhibet.

130. Ex hac ergo doctrina clarè, nisi fallor, exposita, per quam etiam Angelicus Doctor totam secundæ partis primam, & secundam contexit, facilè sit videre, quod in-

præ-

præsentis §. titulo concludendum nobis proponimus. Nimirum, regulam moralis honestatis, seu primam, seu secundam, sive objectivam, sive formalem, eandem quidem esse, & omninò invariabilem in quacunque materia formaliter, & quoad substantiam (quod luculenter opinor demonstratum relinquimus): hinc tamen neutiquàm licere concludere, eandem esse ubique diligentiam præstandam in cavendo erroris periculo, eandemque dictaminis actionem regulantis firmitatem, ac certitudinem in qualibet materia indifferenter, & in quibuslibet circunstantiis requiri, ut non minùs ineptè, quàm confidenter, modernus Lapidarius concludebat superiùs. Quam doctrinam ut magis illustremus, rationem ex præmissis claram, ac facilem exhibeamus.

§. VI.

Illustratâ doctrinâ præcedentis paragraphi, perficitur ipsius assumptum.

131. RAtio itaque ex dictis in promptu est. Nam, si voluntas Dei est regula, & mensura voluntatis humanæ, cui in cunctis suis actibus conformare se debeat, ita ut nihil, vel prosequi, vel cavere teneatur, nisi quia eidem voluntati divinæ, vel consentaneum est, vel repugnans, ut dictum hactenus, demonstratumque est: ergo, ubi major fuerit in aliquod objectum volũtatis divinæ (de præceptiva loquimur) affectio, seu propensio, eò humana voluntas majori quoque propensione, ac studio, amplecti debet idem objectum: pariterque per motum contrarium majori diligentia, atque solicitudine, fugere, atque cavere objectum illud, quod eadem voluntas divina severiùs aversatur, ac prohibet; alioqui planè discrepabit ab illa, atque adeò recta non erit, utpotè nõ conformis regulæ primæ.

132. Enim verò, ubi causa universalis concurrens cum particulari, ipsamque movens ad aliquem effectum, efficaciorem præstat (quantum in ipsa est) influxum in eundem effectum, majoremque conatum impendit, nequit effectus ipse non egredi intensior, & major, nisi causa particularis deficiat à munere suo, & à debita subjectione, conformitateque cum causa universali. At voluntas divina (prima regula morum) est causa prima, & universalis, concurrens cum humana voluntate, tanquàm cum causa particulari, & secunda, & efficaciùs movet, quantum in ipsa est, ad amorem, aut fugam quorumdam objectorum per ordinem ad ultimum finem juxtà doctrinam proximè traditam: ergo, nisi humana voluntas efficaciùs quoque feratur, majoremque conatum impendat in eadem objecta, vel fugienda, vel amplectenda, planè deficiet à munere suo, nec conformabitur cum regula sua, atque adeò recta non erit.

133. Confirmatur, & declaratur. Quò voluntas divina per modum imperii, seu legis, magis propendet in aliquod objectum, illudque strictiùs, ac severiùs injungit, eò objectum hujusmodi honestius est, honestate nimirùm determinatè exacta, & necessaria ad ultimum finem, (& eadem est ratio quoad turpitudinem, de objecto, quod divina voluntas districtius aversatur, ac prohibet); quo nihil evidentiùs ex stabilito principio. At, quò objectum est turpius, vel honestius honestate prædicta, eò humana voluntas pluris illud facere debet, majorique conatu, atque diligentiâ moveri in illud, vel fugiendum, vel amplectendum; quod nemo opinor sanæ mentis negaverit: ergo, quò voluntas divina impensiùs fertur in aliquod objectum, eò quoque humana voluntas impensiùs debet, ac studiosiùs in idem objectum moveri. At major hæc divinæ voluntatis propensio in aliqua objecta

præ aliis, evidens est ex proximè dictis. Evidens ergo est voluntatis humanæ major quoque necessitas, strictiorque obligatio, ad eadem objecta, vel fugienda, vel amplectenda. Nam humana voluntas agere ubique debet ad normam voluntatis divinæ, & juxta modum sibi ab eadem divina voluntate præscriptum. Denique, ut Apostolus loquitur, non ex arbi-
2. Ad Cor. 10. trio, aut libitu proprio, *Sed secundùm mensuram regulæ, quam mensus est nobis Deus*.

134. Jam si voluntas hominis non pari conatu, ac studio debet ferri in objecta præcepta, vel prohibita, sed in æquali potiùs, & majori, aut minori, pro inæquali motione, & ductu voluntatis divinæ per modum primæ regulæ dirigentis, cui voluntas humana, ut recta sit, omnes actiones suas conformare tenetur: evidens etiam fit, non parem, & eandem diligentiam, & curam adhibendam ubique esse, ut operans cognoscat veritatem de intrinseca malitia, vel honestate objecti, quod ex præscripto ejusdem voluntatis divinæ, vel fugere tenetur, vel amplecti.

135. Equidem, ut Eximius Suarius sapienter supponit, ac docet, tota obligatio hominis inquirendi, & sciendi legem Dei, & proprium ipsius objectum, nascitur immediatè
Suar. to. 5. in 3. p. d. 4. s. 8. n. 15. ex illo principio notissimo, *In debito faciendi, intrinsecè includitur obligatio sciendi; quia nullus potest suas obligationes implere, nisi ipsas cognoscat*, ut explòratum est. Ex hoc autem principio evidenter etiam deducitur, quòd, ubi major fuerit, strictiorque obligatio faciendi, strictior quoque sit, & major obligatio inquirendi, sciendique malitiam, vel honestatem propriam objecti ipsius legis, seu voluntatis Dei, ut illud, vel fugiendo, vel amplectendo, suam quis voluntatem, & moralem operationem conformet cum eadem voluntate divina.

136. Nam quicunque judicio errat circa honestatem, aut malitiam objecti, aberret voluntate necessum est ab ipsa voluntate divina, à qua nimirum tota desumitur objectorum malitia, vel honestas; non enim potest humana voluntas divinæ conformari voluntati, ipsamve per affectum, & amorem complecti, si aliud à divina voluntate repræsentetur ipsi per judicium sui intellectus, ut lumine rationis notum est. Ergo, quò magis homo satagere tenetur, majoremque conatum impendere, ut suæ voluntatis actionem conformet cum divina voluntate, eò etiam impensiùs debet inquirere ipsam voluntatem divinam per veram notitiam ipsius, proindeque studiosiùs, atque diligentiùs cavere omnem intellectus errorem circa divinam ipsam voluntatem, aut legem.

137. Patet igitur, regulam moralis honestatis (nempè judicium nostræ rationis, quo proximè ad agendum dirigimur) eandem esse in omni materia formaliter, & quoad substantiam, cùm eandem ubique applicet, ac proponat regulam primam, videlicet divinam voluntatem, & legem: haud tamen ideò ubique usurpandam eodem modo sine ullo prorsus discrimine, aut respectu ad ipsam materiam, alioqui per hoc ipsum non rectè concordaret cum ipsa prima regula. Hæc utique, etsi eadem ubique sit, non tamen uno, & eodem modo regulat in omni materia; sed ordinatissimè potiùs, & cum respectu debito ad finem ultimum, aliqua præ alijs objectis severiùs, ac districtiùs præscribit, vel fugienda, vel prosequenda.

138. Debet igitur homo regulæ suæ ductum, atque directionem sequendo, majori quoque propensione, ac studio, ad eadem objecta moveri, adeòque non eundem, sed majorem conatum, atque diligentiam, præstare in eisdem objectis cognoscendis, per judicium videlicet firmius, ac certius, adeòque ab omni falsitatis specie, erroriscque periculo longiùs recedens: aliàs planè non erit

erit *rerum integer æstimator*, neque *ordinatam dilectionem* habebit, ut constat ex doctrina Augustini debitum dilectionis ordinem exponentis. Enimverò, *Quod veritas judicat præponendum, id charius amplectendum ordo postulat charitatis*, optimè Bernardus ajebat.

Bern. serm. 49. in Cant.

ARTICULUS IV.

Concluditur ex hactenus dictis decisio controversiæ propositæ sub terminis particularibus, quibus à nobis est instituta.

139. PArum abest, ut verear, ne cui fortè videamur multò longiores hìc moras traxisse, quàm præsens difficultas postularet. Ut quid enim fuit opus doctrinam adeò certam adeò accuratè exponere, adeò fusè, ac exactè comprobare? Fateor otiosum foret, si alteriùs conditionis materiam tractaremus. At verò, dum modernum confutamus Probabilismum, vix quidquam ita certum nobis occurrat, ut non illud exactè demonstrare, latèque expendere necessum sit. Et verò precor te, candide Lector, quid non latè exponendum, quid non exactè ostendendum sit ei, qui totius sui moliminis unicum sibi scopum præfigat hanc unam veritatem ostendere, *Neminilicet agere ex vi alicujus artificii reflexi id, quod operans ipse agnoscit, ac fatetur, vel æquè verosimile, vel etiam sibi verosimilius esse, quod sit ne ipsa contra legem Dei illud sub pœna æternæ damnationis reprobantis, ac prohibentis?* Id vellemus seriò consideret, quisquis in hac, aut aliis controversiis, prolixitatis nos accusabit.

§. I.

In conficiendis igitur Ecclesiæ Sacramentis, in adhibendis corporum medicinis, in bellis, ac in aliis materiis consimilibus, non alia, sed eadem formaliter, & quoad substantiam agendi regula utendum est.

140. ID verò ex jam expositis, ac stabilitis principiis adeò legitimè, & immediatè sequitur, ut nova ulla probatione non egeat; est enim specialis, seu particularis assertio, quæ per eosdem terminos formales sub ratione communi acceptos continetur implicitè in universali assertione, ex qua proinde infertur immediatè, ac legitimè per distributivum descensum secundùm tritam Dialecticæ regulam: haud secus, ac ex ista assertione generalissima, *omnis actio causæ secundæ dependet essentialiter ab unica, & eadem causa prima*, legitimè concluditur particularis hæc, seu minùs generalis assertio: *ergo omnis actio rationalis agentis non ab alia diversa, sed ab eadem prima causa dependet.*

141. Enimverò universa moralium actionum honestas duobus illis clauditur generalibus terminis, quos nobis Propheta præfixit, *Declina à malo, & fac bonum*, & Apostolus iterùm, *Odientes malum, & adhærentes bono*: ut scilicet semper, & ubique fugiamus malum omne morale, & ut faciamus omne bonum honestum ad nostri finis ultimi consecutionem necessarium. At nullum malum fugere, aut bonum amplecti tenemur, nisi quia per divinam voluntatem nobis, vel interdicitur, vel jubetur, cùm nihil malum, aut bonum sit, nisi per respectum, & ordinem ad ipsam voluntatem divinam, tanquàm ad primam regulam totius honestatis, à qua tenemur nunquàm recedere.

Psal. 36.

Ad Roma. 12.

142. Quæcunque ergo materia sit, in qua moraliter operamur, seu

magni scilicet, seu exigui momenti, seu Deum immediatè, seu mediatè tantùm respiciat, seu immineat, seu non immineat, ex nostra actione proximo malum, spirituale, vel temporale, maximum, vel exiguum, irreparabile, vel reparabile, & si quam aliam cogitare velis, materiæ, hoc est, objecti, aut actionis, diversitatem: eadem semper, & ubique est regula prima moralis honestatis; videlicet divina voluntas, quam diligenter semper inquirere debemus, ut nostram illi conformemus actionem, alioqui non honestè, sed turpiter operaturi: nec aliquam potest subire ex varia, atque diversa conditione materiæ diversitatem, aut variationem formaliter, & quoad substantiam. Ergo & regula proxima, ac immediata (nempè judicium nostræ rationis, quo proximè ad agendum dirigimur), quæ utique variari non potest, non variatâ regulâ primâ, quam nobis proponit, & applicat, eadem est in omni materia formaliter, & quoad substantiam. Hæc perspicuè, & exactè ostensa à nobis sunt, fortè etiam prolixiùs, quàm oporteret. Sed verò nimiùm nobis nihil videatur, si rem tanti momenti fecerimus satis intelligi.

143. Igitur, quòd materia, circa quam agimus, sit tantæ gravitatis, quantæ meritò habetur valida administratio, aut constitutio Sacramentorum, tum propter propriam eorum dignitatem, cùm propter gravissima mala, quæ ex irrita eorundem collatione animabus possunt accidere (quod idem est de belli justitia, & alia quacumque materia): quòd, inquam, hæc materia magni momenti sit, & in qua humani judicii error ingentia possit mala producere, quacunque tandem fide, seu intentione agas, eadem semper formaliter erit regula tuæ actionis directiva, scilicet rationis dictamen, quia eadem formaliter est regula prima moralis honestatis, quam per dictamen illud inquiris, & cui tuam intendis actionem conformare.

144. Roga alioqui Sacramentorum ministrum verè pium, ac religiosum, cur tantopere invigilet in ipsis conficiendis, ne quem fortè errorem incurrat circa eorum legitimam, vel materiam, vel formam? Respondet incunctâter: quia ex ejusmodi errore fieret irritum Sacramentum. Recte. Sed roga iterùm, cur tanti facis, ne Sacramentum irritum fiat? Quoniam, inquit, id exigit urgentissimè & propria dignitas ipsius Sacramenti, & simul animarum permagna spiritualis, vel necessitas, vel utilitas. Urge adhuc: quid verò, quòd id exigat adeò urgenter, & Sacramenti dignitas, & utilitas animarum? Cur exigentiam istam tam solicitè curas? Reponit tibi, quia, nisi sic curarem, gravissimum peccatum committerem, quod super omnia mala cavere debeo, cùm sit ex suo genere malorum maximorum, scilicet malum morale præponderans omnibus malis. Optimè, ac prudenter per omnia.

145. Cæterùm quære tandem ab illo: cur illa incuria tua in eo Sacramenti defectu præcavendo, adeò foret mala moraliter, proindeque tam seriò, tàmque diligenter cavenda? Nonne ad quæstionem istam obstupens, vix non demum iratus responderet, incuriam suam inde malam futuram, & futuram admodùm malam, unde omnis actio, vel omissio mala moraliter, mala est, & ubique diligenter vitanda, nempè ex oppositione ad voluntatem Dei districtiùs, ac severiùs præcipientis oppositam diligentiam, & curam, quam voluntatem seriò, ac studiosè operans tenetur inquirere, ut nihil contra illam ex quocumque motivo aliquando, vel agat, vel omittat.

146. Vides ne totam malitiam actionis, seu (quod in idem redit) omissionis moralis, totamque obligationem illam cavendi, resolvi in hac materia, sicut in alia qualibet, in unicum, & idem principium, ni-

mi-

mirùm in divinam voluntatem, tanquam in primam honestatis regulam, quam, ut scopum primum, & ultimum primariò, & ante omnia respiciendum ubique nobis præfigere debeamus, adeò ut nihil agendum, vel omittendum sit, nisi quia ab eo scopo recedere nunquam debemus?

147. Finge alioqui, voluntatem divinam nihil prorsus curare, ne Sacramentum irritum fiat, nec quidquam nobis unquàm præscripsisse de ipsius defectu vitando. Porrò id esse chimericum absolutè, nemo ambigere potest. Cæterùm hac fictione mente concepta, neque defectus ille malus moraliter intelligitur, neque obligatio ulla ipsius præcavendi potest intelligi. Unde nanque malitia? Unde obligatio, si nulla supereſt regula honestatis, cui defectus ille repugnet, aut à qua deficiens recedat, cùm illi se conformare deberet?

148. Nec verò nobis opponat quis illam subtilem, vel futilem potiùs quorundam Recētiorum distinctionem de peccato Theologico, & purè Philosophico, quorum prius repugnet voluntati, aut legi divinæ, posteriùs verò soli rationali naturæ, aut naturali ejusdem dictamini. Siquidem rationalis natura, aut dictamen ipsius naturale, nullo modo potest habere rationem primæ regulæ moris, neque ullam inducere obligationem in cōscientia ratione sui præcisè, sed unicè quatenus applicat regulam honestatis primam, atque supremam, videlicet divinam voluntatem: aliàs humana ratio foret naturâ suâ, ac per se ipsam recta, utpotè nulli regulæ subordinata, adeòque foret prima regula moris, quod patet esse evidenter falsum.

149. Quapropter, si fingatur actio, aut omissio deliberata repugnans soli rationali naturæ, aut dictamini ipsius naturali, illa verè non esset mala simpliciter, neque peccatum in linea moris, sed in linea physica tantùm: foret, sicut defectus circa regulas artis, v. g., Rhetoricæ, vel Pictoriæ, qui impropriè, & abusivè solet appellari peccatum. Sanè malum morale ex propriis suis terminis præpōderat malis omnibus physicis, quod habere non potest, nisi ex oppositione ad regulam verè divinam infinitæ excellentiæ, & majestatis, prout urgebamus supra solidè, ut autumo. Sup. a. 2. §. 4.

150. Patet ergo in materia de valore Sacramentorum non aliam, sed eandem regulam esse (videlicet divinam voluntatem), unde tota desumitur actionum, vel malitia, vel honestas, adeòque, unde tota descendit obligatio adhibendi diligentiam quàm maximam in omni defectu cavendo. Unde tandem concluditur, eandem quoque esse formaliter loquendo regulam secundariam, ac proximam, scilicet rationis judicium, per quod regula prima proponitur, & applicatur.

§. II.

Obvius scrupulus amovetur.

151. AT fortè quis scholæ rigori, pressilque ipsius terminis nimiùm assuetus, obstrepat præstitutæ doctrinæ. Nonne, inquiet, virtutes invicem ad se ipsas collatæ (& idem est de peccatis, ac vitiis) specificè differunt inter se, atque adeò formaliter, & essentialiter? Quid in Theologia certius? Nihil planè. Ergo & ipsarum virtutum actus diversam habent honestatem moralem, pariterque peccata diversam turpitudinem, ac malitiam, & quidem substantialem, atque formalem. At honestas formaliter, substantialiterque diversa (quod idem per oppositum de malitia dicendum) desumi nequit per respectum ad regulam, quæ verè diversa non sit substantialiter, ac formaliter, ut patet ex eodem nostro discursu. Falsum igitur est principium, quod adstruximus, nimirùm regulam moralis ho-

honestatis unicam esse in omni materia, eandemque formaliter, ac substantialiter, neque variari aliquando posse pro materiæ, aut objecti diversitate.

152. Videatur fortè alicui objectio ista magni momenti. Sed nihil magis frivolum, aut importunum pro doctrina, quam dedimus, labefactanda.

Nam virtutes inter se differre specificè, atque formaliter (quod est in Theologia certissimũ) nihil aliud significat apud Theologos, quàm unamquãque earum respicere per se materiam specialem, atque determinatam, quæ, prout magis, aut minùs, conducit ad ultimum finem, majorem arguit in ipsa virtute, & in actibus ejus, minoremve honestatem. Id verò quid ad regulam moralis honestatis in sensu, quo negavimus, variandam?

153. Profectò tota bonitas, & honestas virtutum desumitur ex ordine, quem unaquæque ipsarum proximè, vel remotè, mediatè, aut immediatè, dicit ad finem ultimum, qui, ut sæpè est dictum, ostensumque, & passim ex Philosopho tradit Doctor Angelicus, primum principium est in agibilibus, causans scilicet per modum fundamenti, & universalis mensuræ, totam nostrorum actuum moralem honestatem. Utique generaliter loquendo verissimum, ac certissimum est, quod ipse S. Doctor absolutissimè pronuntiavit, *Rectitudo voluntatis est propter debitum ordinem ad finem ultimum*. Undè nulla in virtutibus rectitudo, aut honestas, seu minima, seu maxima, reperitur, quæ ex hoc uno principio non derivetur, cùm tota rectitudo virtutum sit constituere voluntatem rectam, hoc est, benè dispositam, ordinatamque ad finem ultimum.

Arist. 2 Physic. tex. 89.

S. Tho. 1. 2. q. 4. a. 4. corp.

154. Quod igitur unaquæque virtutum propriam, ac specialem honestatem præseferat, penes quam differt à cæteris omnibus, solùm significat specialem respectum, quem ad finem ultimum dicit, quatenùs per se respicit præ cunctis aliis specialem quandam materiam, & penes specialem ipsius habitudinem ad eundem ultimum finem, pro cujus nempè consecutione alia objecta præ aliis sunt magis necessaria, vel conducentia, juxta doctrinam superiùs traditam.

155. Verùm, quia finis ultimus, etsi verè mensuret honestatem actuũ moralium, propriè tamen non regulat (ut supra animadvertimus), nisi ut nobis propositus per voluntatem Dei, quæ solùm habet rationem veræ regulæ, per quam ipse, ut supremus Legifer noster, ut sapientissimus Gubernator, verè nos movet, dirigit, & illuminat, viam nobis præscribens, & manifestans, qua semper incedentes mediis virtutum actibus, nec declinando ad dexteram, vel sinistram, ad ipsum tandem Deum sine fine videndum, & amandum, ut nostrum finem ultimum, pervenire possimus: ideò nostrarum omnium actionum tota rectitudo, & honestas formaliter, ac propriè desumitur ex respectu, & conformitate ad ipsam voluntatem divinam, ut propositam nobis, & applicatam per dictamen nostrę rationis rectum, idest, conforme eidem voluntati divinæ, ut primæ regulæ moralis honestatis; neque enim potest ulla in nostris actibus honestas inveniri, quæ ab hoc unico fonte non dimanet, sicut nec ulla bonitas, aut perfectio in creaturis reperiri potest, quæ non sit à divina Omnipotentia, tanquam à principio efficienti, & causâ rerum omnium universali.

156. Audi, scholastice, communem, ac cælestem Theologicæ scholæ Magistrum, qui, cùm universaliter statuisset, tunc in aliquo actu peccatum inveniri, *Cùm non habet debitum ordinem ad finem ... debitus autem ordo ad finem secundùm aliquam regulam mensuratur &c.* subjungit: *In his verò, quæ aguntur per voluntatem, regula proxima est ratio hu-*

D. Tho. 1. 2. q. 21. a. 1. corp.

humana, regula autem suprema est lex æterna: quandocunque ergo actus hominis procedit in finem secundùm ordinem rationis, & legis æternæ, tunc actus est rectus: quando autem ab hac rectitudine obliquatur, tunc dicitur peccatum. Manifestum est autem ex præmissis, quòd omnis actus voluntarius est malus per hoc quòd recedit ab ordine rationis, & legis æternæ, & omnis actus bonus concordat rationi, & legi æternæ. Unde sequitur, quòd actus humanus, ex hoc quòd est bonus, vel malus, habeat rationem rectitudinis, vel peccati. Ecce Doctor Angelicus totam constituit nostrorum actuum moralem bonitatem, aut malitiam, in habitudine ad finem ultimum per accessum, aut per recessum.

157. Instans: ex hac doctrina S. Doctoris solùm habetur, bonitatem in genere desumi ex ordine, ac conformitate ad primam regulam, quod nemo in dubium vertit: quòd verò bonitas specialis, penes quam unus actus differt specie ab alio, desumatur ex eo ordine, S. Thomas non docet, neque verum videtur; quia non possunt actus differre per respectum communem ad eandem omninò regulam, ut videtur ex terminis manifestum: ergo differunt unicè per respectum particularem, quem unusquisque actus dicit ad suum peculiarem objectum, ut specie diversum ab omni alio.

158. At frustrà niteris vocibus ludens. Siquidem D. Thomas apertè docet, bonitatem actus moralis totam consistere in habitudine, & tendentia ad ultimum finem secundùm directionem legis æternæ, & per conformitatem ad ipsam. Nulla ergo in aliquo actu moralis bonitas invenitur, quæ ab hoc principio non derivetur, quæcunque tandem sit in se ipsa, scilicet major, aut minor, hujus, vel illius rationis: *Quia in omnibus regulatis, ac mensuratis* (ait idem S. Doctor) *bonum consideratur, per hoc quòd aliquid propriam regulam attingit.* D. Tho. 2. 2. q. 17. a. 1. corp.

159. Quod verò bonitas unius actus sit specialis, & ab alia diversa, nihil aliud significat, ut dicebamus, quàm specialem ordinem objecti seu materiæ, & consequenter actus eandem respicientis, ad ipsum finem ultimum, adeòque ad legem, seu voluntatem Dei, quatenus immediatiùs, ac remotiùs tanquàm quid magis, aut minùs necessarium, & exigatur ab ipso fine, & à lege divina præscribatur.

160. Jam, quòd aliquis actus, & objectum ipsius, respiciat specialiter finem ultimum, sitque, magis vel minùs, ad ipsum assequendum, vel conducens per se, vel necessarium, ex quo magis, aut minùs bonum evadit, nihil penitus obstat, quo minùs totam quantam bonitatem habuerit, participet ad eodem fine, tanquàm à suprema mensura, & ab eadem voluntate divina, tanquam à prima, & suprema regula totius bonitatis moralis, qua videlicet regula non intellectâ, nulla moralis bonitas in actu, aut in objecto, possit intelligi. Nam *Ea, quæ sunt ad finem* (ait D. Thomas) *non dicuntur bona, nisi in ordine ad finem*: quare nec specialiter bona dicuntur, nisi ex speciali habitudine, qua respiciunt eundem finem. D. Tho. 2. 2. q. 23. a. 7. corp.

161. Utique objecta omnia creata, licèt habeant inter se ordinem, & unum referatur ad aliud, tanquàm ad finem immediatum, ac proximum, omnia tamen sunt media relatè ad finem ultimum, à quo proinde cuncta participant totam bonitatem, quam habent, tanquàm à primo, & unico bonitatis principio; neque enim haberent ullam, vel minimam, bonitatem moralem, si ad finem ultimum non ordinarentur, vel mediatè, vel immediatè.

162. Patet igitur, totam objectorum, & actionum moralium bonitatem (eadem ratio est per ordinem inversum de malitia morali) cujuscunque rationis, & in quacunque specie sit constituta, ab unico, & eo-

& eodem principio derivari, nimirùm ab eodem ultimo fine, tanquàm à fundamento, supremaque mensura; à voluntate verò divina, tanquàm à prima, & unica regula totius bonitatis moralis. Eadem ergo, & unica est in qualibet materia, sive speciei virtutis, regula prima moralis honestatis, à qua descendit tota obligatio, vel exercendi actus earundem virtutum, vel actus contrarios vitandi.

163. Denique, ut eximamus omnem scrupulum, si quis insistat, voluntatem divinam, ut regulantem actiones morales, adeò per se diversas, non posse non contrahere diversitatem aliquam, aut distinctionem saltem rationis, ut cõmuniter Theologi loquuntur de providentia, aut scientia Dei: si id, inquam, quis contendat, inutili dissidio non immorabor.

164. Licet ergo, si placet, regulam primam, hoc est, divinam voluntatem, aut legem, partiri in plures veluti subjectivas, & actuales ejusdem partes, quarum quælibet per rationem differat quodammodò ab aliis, ut dici solet de providentia. Id verò prorsùs impertinenter ad nostrum institutum se habet, quandoquidem verissimum semper est, nullam in actibus, aut objectis reperiri malitiam, aut bonitatem, quæ tota non descendat à voluntate Dei, tanquàm à prima regula moralis honestatis, quod nos unicè intendimus, & ad nostrum propositum unicè facit; quidquid sit, utrùm eadem voluntas Dei ex respectu ad materiam specialem, quam regulat, dicenda sit differre quodammodò, nimirùm per rationem à se ipsa, ut regulante materiam aliam, de quo profectò nihil curamus.

165. Id utique probabit ut summùm, ex variatione propria, & diversitate materiæ, refundi in ipsam regulam diversitatem quandam, veluti accidentalem, ac materialem; semper tamen manebit, regulam honestatis moralis unam esse, & eadem in qualibet materia formaliter, & quoad substantiam, nimirùm voluntatem divinam, à qua tota descendat obligatio, vel fugiendi, vel amplectendi quodlibet objectum morale.

166. Maneat ergo, in materia Sacramentorum, sicut in alia quavis materia, non aliam, sed eandem regulam esse, cui actiones nostras conformare debeamus, & propter quam eorundem defectus magna cum diligentia, & speciali solicitudine, præcavere semper teneamur.

167. Unde tandem concluditur (juxta ea, quæ dicta, ac demonstrata manent), eandem quoque esse regulam formalem, ac proximam, idest, judicium nostræ rationis, per quod regula prima proponitur, & applicatur. Utique judicium hujusmodi, cùm non tam regula simpliciter sit, quàm regulatio ipsa, sive applicatio regulæ primæ simpliciter, & propriè regulantis, nullam habere potest rectitudinem, nisi per commensurationem, & conformitatem cum ipsa, nimirùm cum divina voluntate; quandoquidem hæc *est prima regula, à qua etiam humana ratio regulanda est*, ut inquit D. Thomas, quod apud omnes verè principium est. D. Thom. ubi supra a. 6 corp.

§. III.

Etsi sit eadem agendi regula in materia Sacramentorum, ac in alia quavis materia, ejusdem tamen regulæ rectitudo, & conformitas cum prima regula, non pari diligentia, ac studio, sed majori, ac vigilantiori, in hac materia quærenda est, quàm in pluribus aliis per se loquendo.

168. REctitudinem regulæ, nimirùm secundariæ, idest veritatem dictaminis, seù judicii nostræ rationis, de valore Sacramentorum, majori diligentia quæri debere, nihil est aliud, quàm judicium ipsum debere certius, ac immobilius esse, per quod scilicet intellectus cum majori adhæsione, & firmitate veri-

ta-

ratem illàm enuntiet, adeòque cum minori deceptionis formidine, longiùsque constitutus ab omni periculo erroris.

169. Hæc assertio ex principio stabilito evidens quoque est, nec nisi brevi indiget terminorum explicatione.

Enim verò, ubi prima regula, videlicet divina voluntas, fortiùs, ac efficaciùs movet, & obligat ad aliquod objectum speciale, vel fugiendum, vel amplectendum, majori quoque diligentia, ac studio, objectum illud ab operante, vel amplectendum est, vel cavendum, adeòque diligentiùs vitandus est error circa idem objectum, per quem nimirùm operans aberraret ab ipsa voluntate divina, cui in sua operatione conformari tenetur: voluntati quippè divinæ severiùs, ac strictiùs jubenti, vel prohibenti aliquod objectum, atque adeò efficaciùs de se moventi ad illud amplectendum, vel fugiendum, non se operans conformaret, nisi majori studio, atque diligentiâ curaret illud ipsum objectum fugere, vel amplecti, proindeque diligentiùs cavere falsitatem sui judicii, seu deceptionem circa idem objectum.

170. Illud verò judicium, cujus falsitas diligentiori studio cavetur, & per quod operans longiùs recedit ab omni deceptionis periculo, nequit non esse certius, ac firmius, ut vel ex terminorum acceptione liqueścit. Hæc, & de se perspicua, & à nobis sunt jam ostensa.

171. At voluntas divina severiùs procul dubio, multòque strictiùs præcipit ratam, validamque Sacramentorum administrationem, & prohibet eorum collationem invalidam, quàm alia plura objecta jubeat, aut vetet, ut omnes meritò supponunt, ac docent, & manifestè constat ex doctrina data, ac expensa; tum quoniam Sacramenta sunt ritus sacratissimi, atque gravissimi, ab ipso Deo immediatè instituti, valdè proximè, ac maximè conducentes ad honorem, & cultum divinæ majestatis; tum quia in eis, & per ea Deus ipse operatur specialissimè, ut causa principalis, & peculiaris auctor ipsorum, effectus nobilissimos, ac perfectissimos, nimirùm gratiam sanctificantem, charitatem, & reliquas supernaturales virtutes, quæ *Maxima*, & *pretiosa* dona sunt, ut loquitur Apostolus Petrus, & quibus bonitatẽ immensam, & charitatem suam maximè ostendit: hos verò Dei effectus nobilissimos adeò specialiter ab ipso intentos frustraret, quisquis suâ, vel malitiâ, vel negligentiâ, aliquod Sacramentum faceret irritum; tum demùm quia privaret suscipientem donis illis pretiosis, & inæstimabilibus, quibus posset ad Deum maximè accedere. 2. Petr. 1.

172. Voluntas autem Dei sapientissima ordinatissimè cuncta disponens, adeò præcipua objecta, adeòque proximè conducentia ad finem, quem tam ardenter intendit, & amat, non potest non respicere, & amplecti specialissima quadam propensione, proindeque non potest speciali efficacia non movere creaturam, quam dirigit ad ipsum finem, ad eadem objecta amplectenda, eorumque frustrationem vitandam. Debuit igitur Deus hominibus præcipere ratam, atque legitimam Sacramentorum administrationem, adeòque prohibere irritam, ac frustraneam collationem eorum, multò strictiùs, atque severiùs, quàm alia objecta minùs principalia absolutè præcipiat, vel prohibeat. Ergo & homines debent cavere omnem errorem, seu falsitatem sui judicii, majori diligentiâ, ac studio, in hac, quàm in aliis materiis. Ergo quærere debent de veritate judicium magis firmum, ac certum; aliàs non sequerentur directionem regulæ primæ, nec eidem se conformarent, contrà quàm semper facere tenentur.

173. Patet ergo, dum agitur de valida, aut invalida Sacramenti ali-

cujus collatione, licèt formaliter, & quoad substantiam non alia sit, sed eadem regula agendi, ac in alia quavis materia, videlicet judicium rationis non aliam, sed eandem regulam primam applicans, & proponens, nimirum voluntatem divinam; majori tamen diligentia, ac studio, teneri nos curare rectitudinem ejus, hoc est, judicii nostri, quo ad agendum dirigimur, veritatem, per quam concordet regulæ primæ.

174. Atqui judicium, cujus veritatem diligentiùs investigamus, oppositum errorem vigilantiùs cavendo, est judicium certiùs, ac firmiùs, per quod scilicet intellectus longiùs recedit à periculo errandi, adeòque tutiùs, & impavidiùs, objectum suum amplectendum proponit. Ergo judicium, quo ad agendum dirigimur in materia Sacramentorum (& idem est de aliis similis, aut æqualis momenti) debet per se loquendo firmius, ac certius esse, quàm debeat esse in aliis minoris gravitatis materiis.

175. Unde tandem concluditur utraque pars resolutionis nostræ, nimirùm regulam secundariam agendi (id est, judicium nostræ rationis, quo ad agendum dirigimur mediatè, aut immediatè) unam esse, & eandem substantialiter, ac veluti formaliter loquendo, generaliter in quacunque materia, atque adeò in materia, de qua tractamus; haud tamen in eadem, & in aliis similibus, usurpandam eodem modo, sed cum majori potiùs solicitudine de rectitudine ipsius regulæ, seu, quod eòdem redit, de veritate talis judicii, quod proinde per se loquendo debebit esse certius, ac firmius.

176. Dixi *judicii, quo ad agendum dirigimur mediatè, aut immediatè*: quia nihil hìc soliciti sumus, an judicium, per quod sententiam ferimus de valore alicujus Sacramenti, regulet immediatè nostram actionem, qua ad usum talis Sacramenti procedimus, an mediatè duntaxat, quatenus per se fundat aliud judicium immediatum, ac practicum de honestate ejusdem actionis, de quo modò differere abs re foret; utrunlibet nanque dicatur, nihil facit ad rem præsentem: nam, vel judicium immediatum, ac practicum, si fortè sit distinctum, & resultans ex illo, certius esse non potest, quàm judicium præcedens, ex quo resultat, unde eadem est ratio de utroque: vel quamvis certius esset, certitudo tamen ipsius ita dependet à certitudine judicii præcedentis, atque fundantis, ut nullo modo possit subsistere, nisi judicium ipsum præcedens sit etiam certius per se loquendo in hac, quàm in aliis materiis, ut clarius adhuc fiet ex his, quæ subjiciemus.

Verùm non quiescès adhuc, sed in re tanti ponderis, tui solicitus cuperes opinor scire.

ARTICULUS V.

Quanta esse debeat certitudo judicii de valore Sacramentorum, ut honestè quis agat in illis conficiendis, aut conferendis?

177. QUæstionem moves sanè difficilem, & plusquàm mediocriter lubricam; cujus tamen resolutione nos minimè indigemus ad propositum nostrum, ut ex hoc loco scilicet, doctrinæ nostræ concludamus legitimè veritatem, atque constantiam, pariterque moderni Probabiliſmi inconsequentiam, & falsitatem; id, quod ex infra dicendis, ubi utrumque præstabimus, palàm erit. Sed quia quæstio non modò non est inutilis, sed magni potiùs absolutè momenti, quæque possit haud parùm ad praxim deservire, insuperque ad doctrinæ traditæ, atque tradendæ faciliorem intelligentiam; & in hoc etiam morem Lectori nostro gerere non gravabimur, cui valdè nos obnoxios fatemur, si nostrum opus legere non contemnat, dummodò à nobis majora

jora non flagitet, quàm præstare possimus pro nostra tenuitate. Parcè itaque, & cautè per varias assertiones proferemus judicium nostrum sapientiorum judicio, & correctioni ingenuo candore subjectum.

§. I.

Sæpiùs, immò plerunque, licitum est uti judicio non absolutè certo, sed purè, verè tamen probabili, hoc est, in sensu veræ sententiæ.

178. PRimò igitur mihi certum omninò est, nimis errare Lydium Lapidarium, dum fidenter contendit, nunquam licere uti judicio aliquo opinativo de valore alicujus Sacramenti, quantunvis verè probabile sit, hoc est, conceptum juxta principia nostra, ipse namque supponit, & tanquàm exploratum propugnat, memoratum judicium semper in hac materia sine exceptione ulla, extra casum necessitatis, debere esse penitùs certum absoluta, & perfecta certitudine, quæ nimirùm excludat à judicante omnem deceptionis formidinem.

179. Immò verò supponit solitâ confidentiâ suâ, oppositum esse damnatum, & ex hac damnatione evidenter, ut ipse jactat, sententiam nostram instat, & urget: nam vel sponte fateri tenemur discrimen præsentis materiæ, adeòque nostri argumenti fallaciam; vel tenemur asserere universaliter, in nulla materia licere uti judicio aliquo directo de actionis honestate, quod sit purè probabile, immò etiam probabilissimum, sicuti non licere in præsenti materia constat ex Pontificia definitione; quod tamen est apertè contra aliud Decretum Pontificium, nempè Alexandri VIII. damnantis, inquit, hanc propositionem contra Antiprobabilistas, *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam*. Ita frequenter inclytus Lapidarius intrepidissimè more suo.

Lyd. Lap. præsertim dict. sect. 27.

Verùm hæc omnia palàm ostendunt, quantam præcipitatio, & inconsideratio, tribuat hominibus facilitatem dicendi. Nam assertionem nostram esse evidentem, & quæ a nullo cordato Theologo, vel non Theologo, possit, vel in dubium adduci, demonstratu sit quàm facillimum.

180. Alioqui Lapidarium rogemus, an Confessarius licitè pœnitentem absolvat, qui præbet signa ex se sufficienter doloris expressiva, suppositis cæteris omnibus ad Sacramenti valorem requisitis? Non opinor negabit. Sed rogo iterùm, judicium Confessarii de existentia veri doloris, adeòque de valore Sacramenti, est ne absolutè certum, & omninò infallibile, ita ut omne periculum deceptionis, omnemque timorem excludat? Nemo non stultus affirmet; nisi fortasse Lapidarius voluerit, ut nunquàm Confessarius licitè possit, saltem nisi specialis urgeat necessitas, Sacramentalem absolutionem impendere, quin priùs certam habeat revelationem, aut lucem aliquam supernaturalem, qua clarè intueatur cor pœnitentis. Videat hic novus iste Magister, quid sibi tandem optandum sit, si nolit adhuc assertionem suam apertè falsam, & absurdam fateri.

181. Quidquid autem ei libeat, nobis profectò licet evidenter concludere, ad usum licitum Sacramenti apprimè hominibus necessarii, & maximè omnium frequentis, sufficere judicium opinativum de ipsius Sacramenti valore, modò sit verè prudens, atque probabile, neque requiri judicium certum absoluta, ac perfecta certitudine, quę scilicet formidinem omnem, omneque expellat deceptionis periculum.

Omitto hic, quod nonnunquam audivi de possessione stante in hac hypothesi pro pœnitente contra Sacramentum; neque enim ineptias omnes curare debemus, aut possumus, nisi nos quoque ineptire velimus.

182. Præterea, ut Parochus, aut alius quivis, licitè conferat Sacramentum Baptismatis, sufficit testimonium parentis, vel alterius personæ fide dignæ affirmantis, infantem non esse baptizatum, ut satis clarè colligi videtur ex cap. *Parvulos* dist. 4. de Consecrat.; quis enim amplius exigat per se loquendo? At testimonium istud fallere multipliciter potest ex errore, ex scrupulo, ex malitia, aut ex ignorantia testantis, ut facilè omnes concedent. En judicium Ministri de valore Baptismatis conferendi nititur fundamento absolutè fallibili, adeòque ut summum potest esse probabile, non verò certum absolutè, & simpliciter. Et tamen nemo prudens, ut arbitror, Ministrum baptizantem ex præfato judicio irreverentiæ, temeritatis, alicujus culpæ rerum pronuntiet.

183. Sed quoniam de Batpismate sermo incidit, ascendamus gradatim per Sacramenta reliqua.

Unde precor Episcopus evidenter sciet, Chrisma, quo utitur in Confirmatione, & à quo valor Sacramenti dependet, esse purum re ipsa, & incorruptum? Quis non videat, contingere multipliciter posse, ut re verà Chrisma non sit? Quid Lapidarius hic? Appellabit fortasse ad possessionem stantem pro ampulla.

184. De Sacramento Pœnitentiæ jam diximus, & possemus ulteriùs innumeros casus afferre, in quibus Confessarii judicium circa valorem ejus sit inculpatè falsum ob occultum defectum, vel pœnitentis, vel Confessarii ipsius, nisi otiosum id esset, cùm facilè cuique se offerant.

185. Item in divinissimo Sacramento Eucharistiæ conficiendo non ne possunt contingere plures defectus, & substantiales quidem, vel ex parte materiæ, vel ex parte Ministri, quos tamen hic moraliter, nec cognoscere potest, nec cavere, & quorum proinde periculum haud imprudenter possit timere? An propterea procedere licitè, ac prudenter non poterit ad conficiendum tremendum illud, ac venerabile Sacramentum? Sanè, si non id liceat, Sacerdotes non homines, sed Angelos duntaxat, ordinare Christus debuisset. At Sacerdotes homines naturâ sunt, licèt deberent gratiâ Angeli quodammodò fieri. Tantundem facilè cogitari potest in tribus reliquis Sacramentis, ut non sit nobis opus sigillatim ire per omnia.

186. Verùm quid immorer? Audeo, fidenter quidem, sed neque temerè pronuntiare, rarò, seu potiùs nunquam omninò, absolutè fieri posse (moraliter, ac per se loquendo, de providentia scilicet ordinaria) ut alicujus Sacramenti minister in eo conficiendo, seu conferendo, utatur absoluto judicio de ipsius Sacramẽti valore, quod omne deceptionis periculum, omnẽque timorem excludat, adeòque, quod sit certum absolutè, constitutum videlicet ultrà sphæram judicii opinativi; quod ex discursu proximè facto satis evidenter apparet.

187. Et verò quoties valor Sacramenti pendet (quod plerunque contingit) ab intentione propria subjecti recipientis, vel ex hoc uno capite conferentis judicium evadit absolutè fallibile; unde etenim Sacramenti minister citrà specialem revelationem Dei poterit evidenter scire, hominem accedentem ad illud esse pium, atque sincerum, & non re verà fictum, & impium, qui nempè non recipere, sed fingere, atque irridere Sacramentum intendat? Utique externa signa, quæcunque sint, manifestantia cordis affectum, poterunt intellectum movere ad assensum illius opinativum prudentem quidem, atque probabilem: at quòd movere debeant ad evidentem, & absolutè certum, nemo prudens credat.

188. En igitur, quot modis judicium de valore Sacramenti sit obnoxium errori; cujus tamen periculum

lum non impediat licitam, ac prudentem administrationem ipsius. Adeò verus est Lapidarius in sua propugnanda assertione, quam dicit definitam ab Ecclesia, adeòque felix ejus conatus in nostra oppugnanda sententia.

189. Igitur, quidquid ipse loquatur, concludamus indubitanter, plerunque, aut potiùs semper esse licitum in administratione Sacramentorum uti judicio de ipsorum valore verè quidem probabili, atque prudenti, sed & simpliciter opinativo, quodque ex se non sufficiat ad depellendam omnem omninò deceptionis formidinem. Quid ni verò? Profectò majorem certitudinem, quàm imperfectam, etiam in Sanctis Sacramentis tractandis, aut cautiorem prudentiam, quàm humanam, non exigit ab hominibus Deus.

190. Nam, cùm Sacramenta, licèt rebus physicis constent, sint tamen quædam moralia composita, quorum constitutionem essentialem ingrediantur necesse est plures quoque actiones humanæ, & quidem singulares, internæ, ac individuæ, quæ de se incertæ sunt, & contingentes, quæque ab hominibus cognosci non possint, nisi per conjecturas absolutè fallibiles, vix certè, aut ne vix quidem, fieri potest, ut de Sacramenti existentia practica, individua, ac reali, majorem certitudinem habeamus, quàm moralem, & imperfectam, propriam scilicet judicii opinativi, verè quidem probabilis, ac prudentis, sed tamen absolutè fallibilis, atque adeò aliquatenus formidolosi.

191. Ridet hìc Lapidarius, quia ridiculum putat, judicium absolutè formidolosum, & simpliciter non infallibile, quale judicium omne opinativum est, dicere moraliter certum. At judicio non certo, sed probabili tantùm, licitum esse uti in collatione Sacramentorum, nemo Catholicus audeat affirmare, cùm hic sit procul dubio primus articulus ab Innocentio XI. damnatus; quid enim ille ajebat, nisi *non esse illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori*? Immò nec ita amplè Auctores ejus id asserebant, cùm in ipsa sua assertione distinctè, & expressè caverent, ne praxi talis opinionis probabilis obviaret *lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi*. Et tamen eorum assertio cum hac restrictione damnatur. Quid ergo fiet de assertione nostra universali, & illimitatâ?

192. Sed risus, & discursus Lapidarii contemnendus est, ac ridendus, & Lapidarius ipse increpandus, aut certè miserandus est, qui rem non modò apud sapientes certam, verùm & obviam, atque vulgarem, non solùm falsam, sed ridiculam censeat.

Nam quid notius, atque vulgarius, quàm practica judicia prudentum de rebus agilibus, ac moralibus, concepta ex conjecturis fallibilibus, adeòque opinativa, & incerta simpliciter, passim ab Aristotele, D. Thoma, & à cunctis aliis sapientibus æthicæ doctrinæ Magistris, appellari certa moraliter, id est, non absolutâ, sed imperfectâ quâdam certitudine, quæ propria est materiæ moralis? Hoc planè notius est quàm ut ostendi seriò deberet. Ostendetur attamen posteà ad pudorem ridentis Lapidarii. Sensum item articuli damnati planum, atque sincerum mox eliciemus, qui tamen Recentioribus benignis, neque benignus sit, neque jucundus. Nunc in resolutione institutæ quæstionis procedamus.

§. II.

Eniti tamen quàm maximè debemus ad veram certitudinem memorati judicii, quantum humano modo fieri possit, & quidem propensiori conamine in hac, quàm in aliis materiis.

193. HAnc assertionem facilè omnes dabunt. Ea verò non

non pugnat cum præcedenti,sed optimè congruit eidem.

Enim verò judicium de valore absoluto Sacramentorum, quo regulentur homines mediatè,aut immediatè, in ipsis conficiendis, aut conferendis, propterea certum esse absolura, & perfecta certitudine,neutiquàm debere posuimus,quia, licèt id exigere per se videatur maximum materiæ momentum, & dignitas ipsorum Sacramentorum, excedit tamen modum, facultatem, & conditionem humanæ prudentiæ, cùm vix, aut nunquam fieri possit, quacunque adhibita diligentia, ut omne omninò deceptionis periculum sic ab aliquo homine præcaveatur,ut de veritate judicii, quo Sacramentum judicat validum absolutè futurum, prudenter formidare nō possit. Deus verò non exigit ab hominibus, quod supra facultatem moralem,& conditionem humanam est.

194. Cæterùm quia humani judicii imperfecta, & moralis certitudo ad prudenter agendum ubique necessaria, indivisibile quid non est, sed quamdam etiam admittit latitudinem,quatenus per majorem conatum, vigilantioremque diligentiam adhibitam ab operante in veritate quærenda, & invenienda, quanvis moraliter, ac per se loquendo ad absolutam judicii certitudinem pertingere intellectus non valeat,potest tamen adquirere majorem quandam securitatem, vi cujus intrepidiùs, ac firmiùs adhæreat objecto proposito, longiùsque constituatur ab erroris periculo: ideò, dum agitur de Sacramento aliquo validè administrando, vel conficiendo, plusquàm communi studio, immò valdè speciali solicitudine, enitendum omninò est quàm maximam possimus certitudinem, securitatemque comparare de absoluto ejusdem valore; id nanque per se exigit ipsa materiæ gravitas, vel, ut aptiùs loquamur, obligatio, qua obstringimur erga Deum, & ejus voluntatem, quam profectò nequaquàm adæquaremus, si ad objectum majoris propensionis divinæ propensiùs quoque non moveremur, juxta doctrinam superiùs traditam.

195. Sanè, quod aliquod Sacramentum fiat re ipsa invalidum, ingentia procul dubio,& maximè specialia mala producit. Igitur ejus evētus periculum magni à nobis momenti censeri debet. Ergo magnam debemus curam impendere eidem removendo, ac præcavendo. Utique juxta veræ prudentiæ leges, *ubi periculum maius intenditur, ibi procul dubio est plenius consulendum*, ut habetur in Jure; quæ est regula certissima, ac prudentissima, ipso rationis lumine nota. Cap. 3. de Elect. in 6.

196. Hinc consequenter dicimus: ubi de vera materia, forma, aut aliquo quocunque requisito essentiali, ex quo dependet veritas, ac valor Sacramenti,cognitionem vel certam absolutè, vel propiùs accedentem ad certitudinē absolutam, aut habemus, aut possumus, moraliter loquendo, comparare, non licet nobis uti cognitione, aut judicio minùs certo. Quare, si sit ad manus, vel habere facilè possem materiam citra omne dubium legitimam, peccarem procul dubio, si adhiberem materiam minùs certam, quamvis esset valdè probabilis;quia in re tanti momenti voluntariè subire aliquod, vel exiguum, deceptionis periculum, nequit non esse contra prudentiam.

197. Porrò, licèt realis Sacramenti existentia, & valor absolutus ipsius, pendeat non ab hoc tantùm, vel ab illo constitutivo, sed ab omnibus potiùs simul acceptis, quia tamen ita pendet ab omnibus,ut etiam à singulis pendeat, ideò teneor de singulis comparare, quam possim certitudinem maximam; nam certitudo, aut incertitudo cujuslibet constitutivi necessariò refūditur in compositum,atque adeò non potest istius existentia certa esse,si vel unius constitutivi existentia incerta sit, ut facile Philosophia demonstrat.

Eâ-

198. Eâdem igitur diligentiâ curare debeo veram, atque realem cujuslibet constitutivi, aut essentialis requisiti, existêtiam, qua teneor procurare Sacramenti alicujus absolutam, & veram constitutionem. Immò, quanvis non possim de absoluto valore Sacramenti perfectam certitudinem comparare, quippè valor ipsius absolutus pendet ab omnibus constitutivis, de quorum singulis certus esse non possim, nisi ut summũ moraliter, ac imperfectè; non tamen ideò prætermittere debeo, quàm maximam potuero, certitudinem de quolibet eorum sigillatim acquirere, ut minimo, quàm possim, frustrationis periculo Sacramentum ipsum exponam, licèt ab omni prorsus rarò, vel nunquam, absolutè cavere possim, ut proximè demonstratum est.

199. Dicis: hæc ex doctrina superiùs data per nimis evidentem consequentiam deduci: quin immò per se ipsa videri tibi penitus certa, & quæ negari possint à nemine; quis enim nesciat, ex lege subjectionis, & veræ charitatis erga Deum, debere nos, etiam universaliter, & in quacunque omninò materia, quàm maximâ possimus (moraliter loquendo) diligentiâ cavere omne, vel exiguum periculum violandi legem ipsius Dei, adeòque quàm, maximè eniti ad habendam notitiam certam de nostræ operationis honestate, seu, quod eòdem redit, conformitate cum ipsa lege, sive voluntate divina? Hanc item diligentiam multò majorem, ac propensiorem esse debere in materia, de qua disserimus, utpotè multò majoris momenti. De his te utique non ambigere. Sed scire te cupere certam, ac definitam, in materia saltem præsenti, hujus diligentiæ mensuram, infra quam licitè non agamus, seu quam non implendo peccemus.

200. Teneo te. Probè scio, quid optes. Sed illud planè optas, quod à me obtinere non possis: immò nescio, an ab homine mortali, siquidem loquatur ex homine; non enim videtur humanum, &, ut illud Poeticum tibi objiciam, *Non est mortale, quod optas*.

Sanè me prudentiorem, atque doctiorem nullo negotio invenias, certus sum. At, qui in eo, quod optas, plenè tibi aliquando satisfaciat, an aliquem invenias, plurimùm ambigo: quin nullum te inventurum, vix non sum certus. Tantum abest, ut tibi id de me ipso spondere præsumam. Cæterùm, quia, quod optas, plenè tibi præstare minimè possum, non propterea, quod possum, quantuluncunque id sit, præstare nõ debeo.

201. Igitur ultra dicta, quædam alia adnotare non prætermittam, quibus, si ad optatum scopum pertingere omninò non possis, ad ipsum tamen propiùs accedens, minùs saltem perplexus, minùsque solicitus sis. Eò verò libentiùs in gratiam tui propositũ laborem suscipiam, quòd doctrina tradenda sit ex se generalis, & absoluta, quaque non inutiliter uti possis cum debita attentione, & proportione, pro reliquis etiam materiis.

§. III.

Exactæ diligentiæ mensura paulò adhuc distinctiùs insinuatur.

202. Denique non tam tibi certò determinare, atque taxare, quid omninò facere debeas, quàm quid possis omittere citra grave saltem piaculum, utcunque tibi exponere, saltem ex parte, nostræ intentionis scopus est.

203. Quoniam igitur diximus, enitendum omninò, quàm maximâ possimus diligentiâ cavere omne deceptionis periculum circa validam, ac realem Sacramentorum constitutionem, adeòque circa veram existentiam omnium, & singularum partium ipsorum, ex hac nostra asser-

sertione sit fortè, qui concludat, neminem posse licitè (nisi necessitas aliqua cogat) adhibere materiam, aut aliud requisitum, à quo dependeat valor Sacramenti, nisi tantam habuerit de veritate ipsius certitudinem, ut nihil in oppositum se offerat, ex quo, vel tenuis ulla deceptionis species, aut levis aliqua periculi umbra, se se operantis menti possit objicere. Hinc peccaturum graviter, qui uteretur materiâ verbi gratia, contra cujus realem, & veram aptitudinem aliqua extiterit aliquando opinio, vel unius gravis Auctoris, siquidem possit materiam adhibere, cujus veritas nunquam in quæstionem inciderit.

204. Cæterùm non id credam: quia ejusmodi periculum per se loquendo nullum fundat prudentem deceptionis timorem, adeòque nihili faciendum est. Enimverò, quòd unus, alterve, etiam clari nominis, Doctor aliquam veritatem in quæstionẽ adduxerit, aut etiã obstinatè negaverit contra communem reliquorum consensum, per se, & ex terminis non est sufficiens, ut dubia, vel incerta, ne quidem leviter, debeat reputari: alioqui planè vix aliquod principium absolutè certum, & evidens, non solùm in moralibus, sed neque in metaphysicis haberemus; quid enim est, vel ipso lumine naturæ notum, in quo mortales omnes ita consentiant, ut nemo eorum aliquando dissenserit? Instar miraculi planè sit summa hæc humanorum intellectuum in aliqua sententia concordia. Quòd, cum sit cuique notum, & vel solâ experientiâ certum, otiosum planè foret exemplis passim obviis velle ostendere, aut causas necessarias hujus discordiæ, plurimas quidem illas, & satis notas, sigillatim hic recensere.

205. Quoties igitur veritas Sacramenti, aut alicujus ex ejus requisitis, passim à Theologis certa esse putatur, concludique legitimè, ac proximè, ex principiis notis, ac certis circa constitutionem Sacramentorum, opinio singularis opposita unius, vel alterius Doctoris, nullo modo æstimanda est, sed censeri debet exotica, quæque nullum creet periculum moraliter considerabile: quare licitum erit per se loquendo, etiam absque speciali necessitate, communi illâ sententiâ uti, & ex illa procedere, quoties occasio id tulerit, ad tale Sacramentum conficiendum, aut conferendum.

206. Sed quid, si illa singularis opinio sit recenter excogitata ob speciale aliquod fundamentum à cæteris Doctoribus prætermissum, aut non satis consideratum; maximè verò si Auctor ipsius fundamenta communis, & antiquæ sententiæ diligenter se perpendisse, & congruè dissolvisse profiteatur? Respondeo eventum vix esse possibilem, præsertim in materia, de qua tractamus.

207. Quidquid verò de hoc sit, assertio à nobis posita ad hanc hypothesim non est trahenda; in illa namque fateor nemo prudenter posset veteri, atque recepta sententia uti, nisi, novo præmisso, diligentique examine veritatis, opinionis denuò insurgentis, & fundamentorum ipsius inanitatem satis comperisset. Utique opinio quælibet, quanvis nova videatur, aut singularis, si tamen ea sit, quæ in hypothesi, aut fingitur, aut supponitur, sufficiens planè est, ut fundet non exiguum deceptionis periculum, & timorem prudenter non contemnendum, nisi post prædictum examen.

208. Assertio itaque nostra solùm procedit de illis opinionibus singularibus, post quas inventas, & consideratas, sententiæ nihilominùs oppositæ sic apud Theologos prævaluerunt, ut nulla jam de illis quæstio moveatur; ejusmodi namque opiniones, nisi denuò instaurentur, & novis argumentis fulciantur, contemnendas esse censemus.

209. Verùm ecce Terillus, & Recentiores post ipsum passim (sed

La-

Lapidarius noster præ ipso, & ante omnes), quasi ex insidiis subitò prodeuntes, hic se se triumphabundi nobis objiciunt. Nonne, inquiunt, sententia nostra benigna Theologis communissima est? Nonne sententia rigida (sic nostram ipsi appellant) opinio quædam singularis est unius, vel alterius miserè hallucinantis, & sententiæ benignæ, ne sensum quidem intelligentis? Nonne viri plures doctissimi, quidquid pro illa noviter excogitatum est, diligentissimè examinarunt, & nihil invenerunt præter inania quædam sophismata, & futiles æquivocationes? Cur ergo inhæsitanter non concludamus, neque attendendam esse, neque curandam, sed intrepidè potiùs contemnèdam, tanquàm *audaciam* (inquit Lapidarius) *contra Magistros Ecclesiæ*? Id patenter evincit, si quidquam valet, doctrina tua proximè tradita, nec aliis argumentis indigemus ad vestram opinionem conclamandam.

Lyd. Lap. ubi sup.

210. Audis hæc, Lector? Obstupebis opinor, & vix credes oculis tuis, dum apud Recentiores hæc, & alia similia, passim leges. Sed oro te, nihil illis movearis. En tantum argumentum ad hominem nullo negotio solvimus humanè, ac pacatissimè. Si per jocum sic arguunt, ridemus etiam nos: si verò seriò, iterùm ridemus. Pluribus non est opus, nec nugis immorari nos decet, qui ad gravia, & seria tempus accepimus.

§. IV.

Non nihil adhuc extenditur assertio.

211. IGitur assertionem præcedentem non modò veram, certamque putamus, sed & addendum ulteriùs censeremus (si fortè prudentioribus non displiceamus): licèt opinio negans Sacramenti valorem, aut alicujus partis, seu requisiti ipsius, realem aptitudinem, ac veritatem, non adeò sit exorbitans à communi sensu Doctorum, ut plures etiam graves pro se non habeat, non ideò statim ullus opinionis hujusmodi necessarius censeri debet pro talis Sacramenti constitutione; quia potest adhuc sententia opposita auctoritatis, atque rationis adeò firmis, ac solidis argumentis muniri, ut sufficientem afferat certitudinem de ipsius Sacramenti valore, ratione cujus possit ad praxim licitè, ac prudenter deduci.

212. Accipe in Sacramento pœnitentiæ, circa cujus constitutiva major occurrit opinionum varietas, unum, aut alterum luculentū exemplum, ex quo assertionis nostræ legitimum sensum intelligas.

Commune quidem est, & satis apud Theologos receptum, dolorem requisitum, tanquam materiam propriam, & intrinsecam ad valorem prædicti Sacramenti, dummodò quoad substantiam, essentiamve, talis re vera sit, qualis est designatus à Christo Domino, expositusque à Sacra Synodo Tridentina, nullum ultrà requirere certæ intentionis, aut durationis, determinatum gradum, aut modum. Oppositum nihilominus docuerunt gravissimi sanè Doctores: nempè quoad durationem Scotus, Almainus, Cajetanus, saltem ex parte, quatenùs docet, Deum aliquando expectare certam aliquam actus durationem, antequam illum acceptet absolutè ad veram contritionem, ultimamque dispositionem ad gratiam: quoad intensionem verò Bonaventura, Durandus, Richardus, Adrianus, Petrus de Soto.

Trident. sess. 14. c. 4.

213. Itidem Cajetanus ipse, necnon Sylvester, Angelus, (& alii fortasse non pauci, de quorum mente nunc disputare operæ pretium non est) censuerunt, simplicem doloris actum, quo sub ratione quadam communi cuncta sua peccata pœnitens detestetur, non esse Sacramenti pœnitentiæ materiam sufficientem, & veram, sed opus esse totidem actibus, quot fuerint exponenda peccata, aut

saltem unico (si possibilis sit), qui cuncta, & singula peccata exposita expressè, atque distinctè detestetur. Oppositа tamen sententia communis est apud reliquos Theologos.

214. Denique, ut alia mittam, accipe difficilius exemplum. Communis hodie sententia est, illum doloris motum, qui dicitur attritio, seu contritio imperfecta (de qua Tridentinum supponit, se sola non sufficere extra ipsum reale Sacramentum ad peccatorum veniam obtinendam) esse materiam veram, atque legitimam ejusdem Sacramenti pœnitentiæ, nec ad hoc opus esse, ut perfecta contritio existimetur à Confessario, aut à pœnitente, quidquid sit (quod alterius longè diversæ, neque parùm difficilis, quæstionis est, de qua modò non disputamus), an debeat esse vera aliqua charitas, saltem inchoata, & imperfecta.

215. Ab oppositо tamen stant Doctores alii numero haud pauci, neque de trivio, ut ajunt, sed de primoribus Theologorum, videlicet Magister sententiarum, Bonaventura, Alensis, Hugo, & Richardus de S. Victore, Altisiodorensis, OKam, Abulensis, Thomas de Argentinas, Gabriel, & ejus Supplementum, Major, Adrianus, Medina, Corduba, Vega, uterque Sotus, Victoria, Ledesma, & re ipsa (ut mihi videtur) Navarrus, licèt suboscurè, & satis confusè locutus. En quot, quantique viri abjerunt in re ista à communi sententia, cui tamen hodie communiter acquiescitur sine ulla pænè quæstione.

216. Censeo ergo, prædictas opiniones, & si quæ aliæ similes sunt, neutiquam impedire, quominùs Sacramentum pœnitentiæ suscipi, ac confici prudenter possit, secundùm opiniones, seu sententias oppositas, quæ nempè ex inconcussis Catholicæ Fidei principiis adeò legitimè concluduntur, adeòque gravibus, & efficacibus, auctoritatis, ac rationis momentis, meritò roboratæ putantur, ut reddant Sacramenti veritatem satis certam, atque compertam, quantum exigere ab hominibus possunt, & Sacramenti ipsius reverentia, & fructus, sive utilitas suscipientis; quanvis (ut jam sincerè professi sumus) exactam certitudinem istam positivè, & exactè determinare prudentiam nostram multùm excedat. Dicemus tamen adhuc de illa, quantum fas sit exiguitati nostræ.

217. Dicis: non ne longiùs aberimus ab omni deceptionis periculo, si à præfatis sententiis abstineamus? Cur ergo non tenebimur, cùm reverentia Sacramento debita, & gravissimum damnum spirituale ex frustratione ipsius imminens suscipienti, id jure suo postulare videantur? Sanè nos ipsi supra, veluti per se notum supponebamus, debere nos ex lege veræ prudentiæ, & subjectionis debitæ Deo, quàm maximè possimus, moraliter loquendo, cavere omne deceptionis periculum, specialiter verò in materia, de qua tractamus. Hæc autem suppositio cum assertione proximè statuta pugnare manifestè videtur.

218. Resp. de præfata suppositione in vero, ac sano sensu intellecta nemini dubitare fas esse, indubitatum esse censemus. Sed neque ullatenùs ipsi contradicere, sed optimè potiùs congruere, proximam assertionem existimamus. Enim verò periculum deceptionis, quod imminet in præfatis eventibus, neque moraliter æstimabile esse, neque item moraliter evitabile, judicium nostrum est, qua par est summissione, sapientiorum judicio, atque correctioni subjectum; sed ut confidimus, minimè singulare, immò nulli prudenti, ut credimus, displicitурum: quod ex alia assertione difficiliori §. sequenti statuenda, velut à fortiori suadebitur.

Interim non moramur, neque metuimus, sæpè iteratas minas Lapidarii, qui in hac tantùm materia, ubi præter periculum violandi legem

sem Dei, aliquod ultrà damnum Proximo imminet, non utique benignum Probabiliſtam, ſed Tutioriſtam rigidiſſimum agit. Quàm verò conſequenter, quàm feliciter, conſtabit ex inferiùs dicendis.

§. V.

Difficilior aſſertio.

219. PRo qua iſtituenda præſupponendum eſt. Obligatio moralis (id eſt, quæ conſcientiam obſtringit) ad aliquod periculum præcavendum excludit abſolutam impotentiam, ſupponitque eſſentialiter potentiam abſolutam ad id præſtandum, ut lumine rationis notum eſt, & vel pueris, ac fœminis decantatiſſimum juxtà notam, ac celebrem Auguſtini ſententiam.

220. Quò verò periculum aliquod majoris ponderis, ac momenti eſt, atque adeò pluris faciendum (ſeu quia mali majoris, ſeu quia faciliùs potentis contingere, & frequentiùs re ipſa contingentis), eò minor potentia requiritur, ac ſufficit, ut abſolutam afferat obligationem ejuſmodi periculi præcavendi; hoc etenim nihil aliud ſignificat, quàm unumquenque ex lege prudentiæ teneri ſuperare difficultatem eò majorem, & adhibere media eò difficiliora, ac moleſtiora, ad aliquod periculum præcavendum, quò ipſum fuerit gravius, majoriſque abſolutè momenti. Quod ultra dubium omne poſitum eſt.

221. Prætereà, ut quis non debeat cavere periculum mali, abſolutè quidem poſſibilis, cæterùm non plerunque, ſed rarò contingentis, & infrequenter, non requiri (per ſe ſaltem loquendo) impotentiam abſolutam, ac phyſicam, etiam in materia præſenti, licèt graviſſima, ac momentoſiſſima; ſed ſufficere quandam impotentiam moralem: certum quoque nobis videtur, & niſi egregiè fallimur, nemini videri non debeat.

222. Nam nemo tenetur, per ſe loquendo, cavere memoratum periculum per media quæque aſperrima, ac difficillima, & difficultatem quamcunque abſolutè vincibilem ſuperando; quod opinor nemo negabit: & ut negaret aliquis, facilè redarguetur ex ſtatim dicendis. Id verò, & nihil aliud, ſignificare intendimus, dum dicimus ſufficere moralem impotentiam, ut abſit obligatio moralis ejuſmodi periculi præcavendi. Hæc ut certa præmittimus.

223. Cæterùm, quia moralis impotentia non in aliquo punto fixo, ac indiviſibili conſiſtit, ſed ſuam quoque haud parvam latitudinem habet, ſicuti de morali certitudine diximus: ut regulam minùs confuſam, ſeu magis practicam tibi tradamus, addimus. Ut periculum mali (& ad materiam iſtam ſermonem contrahendo) erroris de abſoluto Sacramenti valore, quale de ſe præfefert ex ſuo genere materia moralis, hoc eſt, mali aliquando, non attamen plerunque, ſed (ut frequenter loquitur D. Thomas) *ut in paucioribus contingentis*, ſive, cujus oppoſitum (ut Philoſophus loquitur) *ferè ſemper ſolet fieri*: ut id, inquam, periculi cavere quis non debeat per ſe loquendo, non magna aliqua difficultas requiritur, qualis in adhibendo medio arduo, ac moleſto, reperitur, ſed ſufficit utplurimùm difficultas communis conſiſtens in moleſtia nimiæ ſolicitudinis, & anxietatis, quæ invenitur in adhibendis mediis extraordinariis, & excedentibus conſuetam diligentiam, quam adhibere ſolent viri probi, ac prudentes, in negotiis ſeriis, & gravibus. Ariſto. 2. Rethor. c. 2.

224. Hæc aſſertio fortaſſe difficilis videatur. Et mihi quoque fateor per ſe ipſam inſpecta haud parum negotii faceſſeret, niſi piorum hominum, pariterque ſapientium, conſuetam, ac communem praxim attenderem, de cujus honeſtate dubitare non audeo.

225. Et verò, exempla illa, quibus ad initium articuli primam assertionem ostendimus, licèt majori ex parte non sint hìc opportuna, cùm plerunque procedant de periculo erroris nullâ, aut vix ullâ diligentiâ vitando; quædam tamen eorum hìc etiam valent, ut attentè intuenti liquidum fiet. Iis verò quædam alia superaddemus, quæ & assertionis nostræ sensum illustrent, & ejus pariter veritatem convincant, nisi totus ego desipio.

226. Sanè posse aliquando, nec nimis rarò, deceptionem contingere circa materiam exempli gratia Sacrosanti Eucharistiæ Sacramenti, dum ad ejus periculum præcavendum adhibetur tantummodò diligentia ordinaria juxtà communem praxim piorum, ac timoratorum, & res ipsa per se, & experientia ipsa demonstrat. Puto autem nemo damnabit Sacerdotem celebraturum, qui, dum nullum occurrat motivum peculiare timoris, præfatæ diligentiæ, ac providentiæ, aliorum ministrorum confisus, ampullas per se ipsum non præparet, nec solicitè inquirat de veritate panis, & vini. Quis hìc nobis repugnet? Væ Christi Sacerdotibus, si fallamur! Est autē memoratum periculum mali longè gravissimi, in quo scilicet vertitur, non modò tanti Sacramenti valor, sed etiam Sacrificii fructus immensus, & prætereà adoratio, atque adeò cultus latriæ exhibendus re ipsa creaturæ ex illius erroris suppositione: hic verò cultus idololatria est, quæ est ex genere suo peccatum omniū maximum, ac gravissimum, ut non semel insinuat, supponitque M. Angelicus, ac tandem ex professo disputat, & resolvit.

D. Tho. 2. 2. q. 94. a. 3. corp.

227. Sit alterum exemplum. Parochus, qui oleum sacrum ab Episcopo benedictum pro ungendis infirmis in articulo mortis committat idoneo ministro deferendum, ac custodiendum, quod per se ipsum immediatè deferre, aut saltem custodire facilè posset, nullius culpæ ab aliquo, per se loquendo, reus censeatur. Potest tamen contingere, ut minister, quia fortè casu aliquo oleum benedictum effudit, ne defectus ipsius deprehendatur, admiscuerit oleū commune in æquali, aut majore quantitate, vel per errorem alium, aut similem æquivocationem culpabilem, vel inculpabilem, supponat oleum non benedictum, ex quo fieret irritum Sacramentum extremæ unctionis.

228. Tantundem posset Episcopo contingere circa materiam Confirmationis, videlicet circa sacrum chrisma ex balsamo, & oleo confectum, & à se, aut alio Episcopo benedictum: immò & circa materiam offerendam iis, qui suscipiunt Ordines sacros, quorum attamen veritas tanti momenti est, ut ponderatione non egeat.

229. Prætereà, qui per alium fidum, ac probum ab Ordinario petit, & obtinet facultatem audiendi confessiones, aut absolvendi à casibus reservatis, quam per se ipsum petere facilè posset, prudenter utitur facultate prædicta, nec ullius prudentis in hoc usu, ut puto, reprehensionem mereatur. Quis verò nesciat, nō esse impossibile, ut nulla re ipsa facultas absolutè cōcessa sit? Et sic possent in hoc, immò & in cunctis aliis Sacramentis quàmplura exempla cogitari similia.

230. In illis verò omnibus procul dubio possent Ministri per diligentiam extraordinariam, & adhibendo media haud nimiùm difficilia, si non prorsus vitare omne deceptionis periculum, longiùs saltem illud avertere, & certitudinem comparare de veritate Sacramentorum aliquantò majorem, atque firmiorem, ut sufficienter insinuatum est, & ipsa adducta exempla per se ipsa demonstrant. Credimus tamen, neminem teneri rigorosâ, ac strictâ obligatione (regulariter saltem, atque per se loquendo) ad peculiarem

istam

istam certitudinem procurandam, neque illam exigere Christum Dominum à ministris suorum Sacramentorum, ut necessariam ex rigore præcepti: fortè quoque, nec decens, nec expediens est absolutè.

231. Verùm quid, si in re tanta miserè cæcutimus? Misereor certè ex animo non mei tantùm, meique similium, sed & aliorum plurium sapientum, ac piorum, valdèque memorum muneris sui. Interim tamen aliter non sapiam, dum me doctiores alii, aut, quæ doctrix est omnium, Petri Sedes, veritatis Magistra, aliter me sapere doceant.

§. VI.

Objectioni occurritur, & rationibus etiam non incongruis comprobatur proxima assertio.

232. OPponis: ergo assertio, quam secundo loco posuimus, & §. 2. propugnabamus, falsa est, ut quæ maximè, quippè quæ apertè pugnet cum assertione proximè adjecta. Utique juxtà istam assertionem, nec tenemur eniti, quàm maximè possimus ad veram certitudinem judicii de valore Sacramentorum, nec in hac materia præ aliis speciali debemus solicitudine cavere deceptionis periculum. Utrumque verò, (quod unum est) ibidem tanquàm certum statuebamus.

233. Verùm negamus firmiter sequelam quoad utranque partem ipsius. Equidem certitudo judicii de valore alicujus Sacramenti, quam per se, ac regulariter possumus comparare, major esse non potest, moraliter loquendo, quàm quæ à nobis hìc statuitur. Id exempla producta, de quorum veritate nullus, ut credimus, contendere potest, adeò efficaciter nobis suadent, ut si rationem assequi non valeremus, tenuitati nostræ imputandum, neque propterea ab asserto hoc discedendum arbitraremur.

234. Cæterùm ratio quoque satis congrua non deficit. Nempè, cùm Sacramenta per homines tractari, & humanis actionibus cõstitui debeant, non oportuit, ut Deus exigeret ab ipsorum ministris majorem diligentiam, quàm humanam, hoc est, quam homines probi, ac cordati adhibere solent communiter in negotiis seriis, & gravibus; neque certitudinem aliam majorem, quàm moralem, & imperfectam, qualis exposita à nobis est, & multò adhuc magis mox exponetur.

235. Hujus mensuræ, moderatæ quidem, cæterùm æquæ, ac rectæ, ut putamus, plures certè rationes, ac congruentiæ satis opportunæ cogitari facilè possunt.

Nimirùm usus Sacramentorum est de se valde frequens hominibus, & ministerium proprium, ordinarium, ac veluti moraliter continuum Ministris ad id deputatis: aliundè verò maximè fructuosus, & mirificè utilis, aut etiam necessarius, humanæ infirmitati, propter quam adjuvandam, ac roborandam, Sacramenta instituta sunt à Nostro benignissimo Salvatore. Non expediebat autem, ut ipsorum tractatio nimis foret hominibus onerosa, quæque magnam ipsis afferret solicitudinem, & anxietatem, ne ab usu eorum retraherentur, si valdè extraordinarium agendi modum adhibere deberent in actione frequenti, & de se admodùm ordinaria, unde periret fructus, & finis, quem intendit directè, & principaliter (post gloriam suam) Sacramentorum ipsorum Auctor. Debuit igitur cura, ac diligentia, in ipsis Sacramentis constituendis, atque tractandis, sic mensurari, atque temperari, ut & eorum debitæ reverentiæ, & simul hominum infirmitati, necessitati, & utilitati, inspecta propria ipsorum conditione, & ordinario operandi modo, attendatur, & consulatur. Utique verò fini congruere satis videtur diligentia, quæ à nobis est designata.

Ha-

236. Habes exemplum peropportunum in Missæ Sacrificio tremendo, ac sacrosancto, cujus, si seorsim, aut unicè, debita reverentia attendatur, parùm profectò foret duas, aut plures continuas horas celebrationi ejusdem insumere: hoc tamen tempus juxta rectam rationem (utinam plerunque non contra!) valde contrahitur, & coarctatur, propter infirmam hominum conditionem, qui & Sacrificium ipsum offerre, & eidem debent assistere: ita quidem, ut habita utriusque ratione, certa quædam, communiter, mensura temporis designetur satis moderata, ac benigna, nec nimiùm hominibus gravis, vel mediocriter saltem piis, ac religiosis. Utique impiorum, ac indevotorum ratio non est habenda, nisi in judicio Dei, quod multò procul dubio imminet terribilius Sacerdotibus (heu!) plusquam multis nimis in celebrando liberalibus, qui ne fortè displiceant irreligiosis sæculi hominibus, vel in tremendo ipso propitiationis altari, Deo, ac Judici suo displicere non timent. Hoc obviter, ab aliis digniùs tractandum.

337. Scilicet divina sapientia, Ex Sap. 8. *Attingens à fine usque ad finem, & disponens omnia suaviter in numero, pondere, & mensura*, cunctas in fines proprios creaturas suas perducit, singulis se se attemperans secundùm propriam eorum conditionem. Ergo, quemadmodum per irrationales non unos, & eosdem causat effectus, sed diversos, ac varios juxta naturam propriam, & vires singularum: ita etiam intellectuales, etsi in eundem finem, diverso tamen modo perducit secundùm conditionem ipsarum.

238. Alia profectò obsequia (maximè quoad modum agendi) exigit ab hominibus, alia ab Angelis Deus, alia à Beatis, alia à viatoribus, Psal. 102. *Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum*, & tenebras, quibus obvolvimur, dum lutea ista vasa portamus. Sic etiam Rex humanus, aut Princeps, aliter à proceribus, & urbanis, aliter ab agrestibus, & rusticis hominibus attenditur, & honoratur. Et tamen omnes pariter impariter agendo obligationis propriæ mensuram adimplere possunt, ac debent.

239. Accedit, quod Ministri Sacramentorum ex eorundem administratione nullum commodum sibi spirituale capiunt immediatè, ac directè, quantum est ex vi ipsorum Sacramentorum. Aliunde verò, cùm ad hoc munus suscipiendum, & obeundum, nemo per se obligetur ex lege Dei, sed ex libera potiùs electione, ac mero desiderio magis Deo placendi in animarum salute procuranda, acceptetur (non hìc attendimus, aut curamus turpem multorum ambitionem, & quæstum, qui non *quæ Jesu Christi*, sed *quæ sua sunt, quærunt*) sanè, si extraordinariam, & exquisitam quandam diligentiam adhibere semper deberent ad cavendum quodcunque, vel exiguum periculum erroris, circa singulas partes, aut requisita Sacramentorum, fieret ipsis eorundem administratio ultra modum molesta, & onerosa, occasioque frequenter labendi, & offendendi.

240. Hinc verò, quid accideret, nisi ut sapientes, ac timorati omnes semper, aut ferè semper, munus hoc vehementer averfarentur, & suscipere detrectarent? Unde (quod necessarium consequens est) eos tantùm ministros Ecclesia Christi haberet, qui lucris temporalibus inhiant, & venalem animam habent, nempè, qui æternæ suæ saluti commoda carnalia præponunt, & inanem hominum gloriam. His verò, non pastoribus, sed lupis, non custodibus, sed prædonibus, oves suas dilectas Christus commiserit? Profectò, nec earum salutem, nec ipsorum Sacramentorum debitam reverentiam curasset; cùm tamen aliquam earum negligere in infinitam ejus sapientiam, atque bonitatem non cadat.

241. Cæterùm estò (quod difficile est), non defuturos adhuc Ecclesiæ

cleſiæ Sanctæ, Miniſtros verè religioſos, ac pios, qui munus hoc ſpontè ſuſciperent. Enimverò, cùm nequeãt humanam conditionem exuere, ſi ex proprio ſuo munere obſtricti ſint ad operandum jugiter, & ordinariè, modo nimis difficili, ac planè extraordinario, qui ſanè humanam conditionem excedit, ipſa profectò nimia ſolicitudo, & continuus timor errandi pareret anxietatem, & turbationem, ut ſcrupuloſis contingit; unde ſæpiùs offenderent vel inviti, frequentiùſque re ipſa deflecterent ab ſcopo ſibi præfixo: ſicut infans, qui viam non ſatis firmis greſſibus agens, ſibi quidem relictus rectâ progreditur, &, quanvis tardo gradu, ad terminum tandem accedit; ſi tamen nimiùm feſtinus incedere, & ultra ſuum modulum properare cogatur, ſingulis pænè paſſibus titubat, offendit ſæpiùs, labitur frequenter, & ſic vel nunquam, vel multò ſeriùs, ad deſtinatam metam pertingit.

242. Non ergo meliùs proviſum eſſet, immò multò deteriùs foret conſultum, & animarum utilitati, & reverentiæ Sacramentorum, per obligationem ſtrictam cavendi diligẽtiùs deceptionis periculum, quàm à nobis manet expoſitum. Equidem, ſi jumẽto plus oneris imponas, quàm vires ejus ferant, ſuccumbit, &, cùm totum non poſſit, nihil portat.

§. VII.

Modica paræneſis, valdè tamen notanda, pro morum doctrina tradenda.

243. ET hæc ratio notanda multùm eſt pro tradenda morum doctrina generaliter in quacunque materia, ne plus juſto ab extremo nimiæ indulgentiæ declinare volentes, ruamus in extremum oppoſitum nimiæ ſeveritatis, & rigoris, quod non eſt minùs moribus exitiale, quippè quod, licèt viâ diversâ, eundem tandem cauſat effectum relaxationis legum divinarum. Utique, velle ultra modum reſtringere, non eſt reſtringere, ſed laxare; nam ut ſapienter ajebat Nazianzenus, *virtutem defectus, & exceſſus peraquè labefactant, non ſecus ac regulam additio aliqua, aut ſubtractio.* Nazian. Orat. 26.

244. Quo in genere profectò plurimùm peccant, non modò Janſeniani, qui Calvinianum virus malè diſſimulant ſub ſpecie Chriſtianæ ſeveritatis; verùm etiam haud pauci viri Catholici, qui intentione longè diverſa, & zelo ſano, ac pio, *non tamen ſecundùm ſcientiam*, dum nimiam laxitatem Probabiliſmi immoderato ardore inſectantur, regulam agendi, aut re ipſa, aut terminis, & vocibus (quod magis credo, & de pleriſque certum mihi eſt) adeò ſeveram, & ſtrictam conſignant, ut veritatem ipſam, quam adeo enixè ſuadere moliuntur, odioſam potiùs cunctis, ac planè incredibilem faciant: qui ſanè infelix eſt, & omnium peſſimus laxandi modus, ſub obtentu nimirùm, immò cum pia, ac ſana intentione pietatis, & juſtitiæ fovendæ, juſtitiam ipſam impoſſibilem facere, indeque legum omnium contemptum inevitabilem, ac neceſſarium. Adeò verum eſt illud, *In vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte.* Horat.

245. Ars autem hoc in genere non alia eſt, quàm humilis ſubjectio, & conformitas, tùm in docendo, cùm in operando, ad unicam rectitudinis regulam, ſcilicet voluntatem Dei: ut nempè leges ejus rectiſſimas, atque ſanctiſſimas neque laxemus, neque reſtringamus, ultrà quàm Deus ipſe reſtrinxit, aut laxavit, cùm non magis, quin multò minùs, datum nobis id ſit, quàm ſolis curſum regere, aut Cælorum motum taxare. *Menſuram ſerva: modus in re eſt optimus omni.* Hic verò non optimus tantùm, ſed & neceſſarius omninò. Heſiod.

246. Nemo igitur ſibi fruſtrà blandiatur de reſtricta moderni Proba-

babilismi regula nimis laxa, si tamen illam sine modo restrinxerit, & non cum debito prudentiæ moderamine, id est, non ex ingenio, aut arbitrio proprio, sed, ut supra ajebat Apostolus, *Secundùm mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus*; utrâque nanque viâ, nimirùm tum laxando, tum restringendo, si præter hujus regulæ mensuram fiat, deflectimus à via veritatis, adeòque à regula veræ rectitudinis, & (ut inquit Hieronymus), *Si à recta via paululùm declinaveris, non interest, utrùm ad dexteram vadas, an ad sinistram, cùm verum iter amiseris*.

2. Ad Corin. 10.

Hieronym. in c. 6. Math.

247. Porrò nihil sapientius, nihil verius Ethnici dicto, *Est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultrà, citràque nequit consistere rectum*. Non ergo licet nobis in designanda regula agendi hos certos fines ultrà, citràve præterire, alioquin non regulam, sed errorem trademus, quo non in vitam homines dirigantur, sed in æternam mortem præcipitentur; ut enim Scriptura nos docet, *Vir, qui erraverit à via doctrinæ, in cœtu Gigantum commorabitur*, id est *dæmonum*, ut Salazarius noster ex communi Interpretum mente exponit in eundem locum, qui de hac morali doctrina intelligi communiter solet. Utique viam Cœli per errores probabiles, & reflexiones Probabilismi, Scriptura Sacra non docet, neque SS. Doctores agnoverunt, ut satis clarè patet, vel ex proximè datis verbis Hieronymi, cui alii omnes perpetuò consonant.

Horat.

Prov. 21.

248. Modus ergo in tradenda morum doctrina (id est, medium realis veritatis) tenendus nobis omninò est, si rectum tenere velimus. *Tene medium* (inquit Bernardus), *si non vis perdere modum. Locus medius tutus est. Medium sedes modi, & modus virtus. Omnem extra modum habitationem sapiens exilium reputat*. En horrendum, & formidandum Doctorum moralium periculum, ob quod salubriter admonemur, *Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes, quoniam majus judicium sumitis*.

Bern. li. 2. de consid. propiùs ad fin., quàm ad med.

Iacob. 3.

249. Quam magnum sit, quamque verè timendum hoc docendi periculum, præsertim in materia fidei, & morum, quàmque frequenter soleat accidere, ut dum ab uno errore volumus sine modo refugere, in errorem oppositum miserabiliter impingamus, Augustinus non modò auctoritate sua confirmat, sed etiam plurimis productis exemplis, & experientiis in Ecclesia Catholica non minùs miseris, quàm frequentibus, luculenter, ac fusè demonstrat.

250. *Errant* (inquit) *homines non servantes modum, & cum in unam partem proclivi ire cæperint, non respiciunt divinæ auctoritatis alia testimonia, quibus possint ab illa intentione revocari, & in ea, quæ ex utrisque temperata est, veritate, ac moderatione consistere. Nec in hac re tantùm, de qua nunc quæstio est, sed etiam in aliis multis. Nam quidam intuentes &c.* Subjicit postea plurima exempla, quibus nos alia plura haud minùs miseranda post Augustini tempora facilè possemus adjicere, nisi nimis forent notoria.

Aug. li. de Fid. & ope. c. 4.

251. Hæc seriò videant, & maturè considerent, qui immoderato ardore Probabilismum impugnantes in Tutiorismum Jansenismi prolem (sive spuriam, sive legitimam, à Jansenianis tamen certò progenitam), vel re ipsa, vel saltem incautis vocibus, non parvo detrimento veræ doctrinæ morum, aut deflexêre, aut vulgò deflexisse putantur.

252. *Nemo igitur* (concludat Nazianzenus) *sapientior sit, quàm conveniat, nec lege exactior, nec luce splendidior, nec normâ rectior, nec præcepto divino sublimior*. Ecce quanta præsumptio, quantum sit crimen præter legem docere. Quis hic non horreat docendi munus, nisi jussus à Deo doceat? Verùm de his uberiùs in ultima Operis parte. Nunc ad nostrum propositum regrediamur, à quo tantillùm, puto non inutiliter,

Nazian. ibidem.

ter,

ter, per occasionem digressi sumus.

§. VIII.

Posterior pars sequelæ objectionis oppositæ propulsatur.

253. IGitur congruentiæ, & rationes à nobis insinuatæ (quibus, si placeat, alii subtilioris ingenii facilè plures alias adjicient), sicut se solis assertionem nostram neutiquam nobis persuadere sufficerent, ita communi piorum praxi, & exemplis productis roboratæ, ac fulcitæ, satis, ut credimus, efficaces sunt ad eam ostendendam, atque firmandam, ut citrà omnem temeritatis notam illius veritatem absolutam firmiter sustinere valeamus.

254. Non igitur destruimus assertionem, quam §. 2. propugnavimus, nempè enitendum, quàm maximè possimus, ad veram certitudinem judicii de valore Sacramentorum: immò constanter illam hic, & ubique ut indubitatam tenemus. Censemus attamen, certitudinem istam, & diligentiam maximam in ea procuranda, quam adhibere semper debemus, juxta proximam hanc assertionem intelligendam esse, & exponendam, neque debere, aut posse majorem esse, vel exactiorem, moraliter, ac per se loquendo: id, quod præfatis exemplis, & rationibus videtur nobis satis persuaderi. Quòd sicut fortè imparia, & minùs efficacia videantur ad tam difficilem assertionem suadendam, licèt per nos in suo sensu abundet, dummodò nos patiatur sensum istum tenere, quem absolutè verum putamus.

255. Cæterùm nunquàm fiet, ut acceptemus posteriorem partem sequelæ, quæ ex assertione nostra malè deducebatur, nimirùm diligentiam adhibendam in cavendo erroris periculo, & (quod eòdem redit) judicii certitudinem de veritate objecti, exactam ad honestè operandum, eandem esse ubique, neque debere majorem postulari in hac, quàm in aliis materiis. Id verò nos cum primis falsum, & absurdum censemus, quippè quod apertè repugnet principio ex se evidenti, & ubertim à nobis exposito, ac firmato per articulos præcedentes. Sed neque rectè colligi ex assertione nostra, haud difficulter potest ostendi.

256. Certè, etsi diligentia adhibenda communiter, etiam in hac materia, ad cavendum periculum deceptionis, non excedat humanum, & ordinarium agendi modum, quo in negotiis seriis, ac gravibus, viri cordati, ac probi se gerunt, ut exemplis appositis, & congruentiis etiam, nisi fallimur, non importunis, comprobatum à nobis est; is tamen ordinarius modus agendi non excludit, immò deposcit, majorem vigilantiam, & curam, ubi periculum erroris vitandi majoris apparuerit momenti; hic enim est humanus, & ordinarius agendi modus proborum, atque cordatorum, juxtà veræ prudentiæ, & charitatis leges: nam, *quod veritas judicat præponendum, id charius amplectendum ordo postulat charitatis*, quod supra Bernardus docebat. Sup. a. 3. §. 6.

257. Et verò exempla ipsa, quæ superiùs producebamus ad nostram assertionem suadendam, si attentiùs inspiciantur, hunc prudentiæ respectum minimè excludunt, sed apertè potiùs præseferunt.

Enimverò Ministri Sacramentorum licitè utuntur operâ, ac ministerio aliorum Ministrorum inferiorum, in rebus absolutè necessariis ad Sacramenta ipsa conficienda, custodiendis, ac præparandis, neque tenentur, per se loquendo, & ubi nulla ratio peculiaris occurrit, anxiè, ac solicitè examinare, aut per se ipsos immediatè curare (etiam si possent non difficulter) veritatem materiæ sibi appositæ; sed ministrantium prudentiæ, ac diligentiæ non imprudenter fidere possunt.

258. Sed enim in hoc etiam

agendi modo, qui sanè ex suo genere ordinarius est, & humanus, adeòque absolutè fallibilis, non prætermittitur respectus debitus ad gravitatem hujus materiæ, nec absolutè deficit diligentia specialis cavendi deceptionis periculum ipsi materiæ proportionata: tum, quia præfati ministri inferiores speciali cura eliguntur ab ipsis superioribus ministris (si secus fiat, non de his loquimur: judicium suum portabunt utrique), nec nisi diligentes, ac timorati ad ministerium hoc admittuntur juxta mentem, & rectam Ecclesiæ Sanctæ gubernationem: tum, quia (quod inde necessariò consequitur) ipsi etiam agnoscunt, dignèque æstimant suscepti ministerii momentum, in eoque curando, ac sine defectu adimplendo, plus quàm vulgarem exhibent diligentiam pro materiæ, quam tractant, gravitate.

259. Ecce modus agendi in materia Sacramentorum (utique ex suo genere moralis, & humanus, adeòque absolutè fallibilis) non negligit juxtà nostram doctrinam specialem materiæ gravitatem, nec prætermittit curam ipsi commensuratam, per quam scilicet deceptionis periculum, etiam humano modo, diligentiùs caveatur. Cæterùm oro te, ut ad ea, quæ tibi de re ista subjicimus, animum diligentiùs intendas.

§. IX.

Diligentiam potissimùm adhibendam qualiter doceamur à Deo?

Sup. §. 6. 260. HUmano *modo*, diximus (quod supra per *humanam diligentiam* notanter, & signanter expressimus): nam diligentia, & studium nostrum pro cavendis periculis, & erroribus, præsertim in rebus moralibus, cui tenemur ubique maximè incumbere, & cui potissimùm fidere debemus, est accessus ad Deum per vitæ puritatem, & frequentem ad ipsum orationem, quia *Sine ipsius lumine nemo valet ad lumẽ veritatis usquequaque pertingere.* S. Tho. in Proem. ad Opusc. de usu. ut verè, ac piè dixit Doctor Angelicus.

261. Sunt tamen aliqui (nescio cujus spiritus), qui recursum ejusmodi sapere dicant spiritum hæreticorum, qui ad illuminationem, & internam cordis motionem, cuncta sibi agenda devolvant. Veruntamen insulsa hæc cogitatio palàm facit homines istos, neque se ipsos verè, neque suam insufficientiam homines propriam agnoscere; quid enim homines habemus ex nobis, *nisi mendacium, & peccatum*? Aut quis nos veritatem, & legem suam docere poteſt, nisi ille, cui dicitur, *Deus meus, illumina tenebras meas: Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu*? Nonne *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei*? Nonne *Error, & tenebræ peccatoribus concreata sunt*? Nonne *Sufficientia nostra ex Deo est*? Pſal. 17. Pſal. 142. Sap. 13. Eccli. 17. 2. Ad Corin. 3.

262. Sed verò relinquamus homines istos, qui suo proprio ingenio, & industriâ nihil non se posse arbitrantur; quibus jurè cum Christo dicere possumus, *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei*: nam de hoc in decursu multa sumus dicturi. Iob 21. Matth. 22.

263. Hìc cum verè sapientibus supponamus, non omittendam quidem industriam, atque diligentiam humanam, & specialem ipsam in hac materia pro momento periculi vitandi, juxtà ea, quæ nuper expendebamus. Cæterùm diligentiam, & industriam, quæ facit maximè ad cavendos errores, assequendamque veritatem, & honestatem nostrarum actionum, adeòque, cui debeamus potissimùm inniti, esse accessum ad Deum per vitæ puritatem, & innocentiam, per jugeque orationis studium, juxtà illud Prophetæ, *Accedite ad Deum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur: Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.* Pſal. 33. Pſal. 93.

In

264. In diligentia ista peculiari (quam possumus, si placeat, appellare *Christianam*, ut illam distinguamus hoc nomine ab ea, quam *humanam* dicebamus) potissimùm apparere debet vigilantia, & studium speciale, quo excellere tenentur Christi Ministri in Sanctis Sacramentis Ecclesiæ conferendis, atque tractandis, inque omni periculo deceptionis, & frustrationis ipsorum præcavendo.

265. Porrò hujusmodi studium in omni actione nostra morali firmissimum, & unicum præsidium est humanæ infirmitatis, & ignorantiæ, quo nempè vanæ, ac timidæ cogitationes, incertæque providentiæ nostræ solidantur, atque firmantur; non enim possūt fallere promissiones divinæ, quibus pagina sacra plena est: Luc. 11. *Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Quantò magis Pater vester de Cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* Iaco. 1. *Si quis autem vestrum indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Eccli. 32. *Qui quærit legem, replebitur ab ea.* Psal. 118. Psal. 33. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Non delinquet omnes, qui sperant in eo. Tunc non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.* Psal. 118. *Inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.* Psal. 33. *Qui confidunt in illo, intelligent veritatem.* Sap. 3. Nonne vides, quàm magnam possumus per diligentiam istam comparare securitatem nō aberrandi à via veritatis, nec deficiendi in munere nostro; nisi fortè fidem non damus Deo toties loquenti, & spondenti?

266. Quid verò tota humana diligentia, & industria mortalium valeat, si cælesti hoc præsidio destituatur; haud minùs luculenter, & frequenter, Deus ipse nos docet. Audi alioqui quid sentiat de se ipso mortalium sapientissimus, eruditus à Deo: *Ego... homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum judicii, & legum. Nam etsi quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur*: Sap. 9. & paulò inferiùs, *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ*: & plurima in id ipsum per totum caput, immò per totum divinum librum. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*: Psal. 93. *Universa vanitas omnis homo vivens: Omnis homo mendax: Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant*: Psal. 38. Psal. 115. *Iter impiorum quasi sepes spinarum*: Prov. 4. 15 *via justorum absque offendiculo: Perversæ enim cogitationes separant à Deo*: Sap. 1. & rursus *In malevolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis.*

267. Hæc est Theologia, quam Deus docet nos de invenienda morali veritate, & hic est spiritus ejus: à quo nec latum unguem abire posse spiritum Catholicæ Ecclesiæ, nemo verè Catholicus inficietur. Lege precor attentè orationes piissimas, ac devotissimas, quibus illa frequenter in Missali, & Breviario, divinum implorat auxilium, & implorare nos omnes docet, pro nostris dirigendis actionibus; & facilè cognosces, si ex Deo es, quid de te ipso possis confidere, & ubi tuam debeas spem reponere, an nempe in tua industria, studio, vel ingenio, an in auxilio potiùs gratiæ divinæ.

268. Accipe in specimen aliquas, quæ me fateor, dum lego, valde delectant: Eccles. Catho in Breviar. & Missal. Roma *Mentes nostras, quæsumus Domine, lumine tuæ claritatis illustra: ut videre possumus, quæ agenda sunt; & quæ recta sunt, agere valeamus: Deus, à quo bona cuncta procedunt, largire simplicibus tuis: ut cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt, & te gubernante, eadem faciamus: Deus, à quo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera: da servis &c. Largire nobis quæsumus Domine,*

semper spiritum cogitandi, quæ recta sunt, propitius & agendi, ut qui sine te non esse non possumus, secundùm te vivere valeamus: Custodi Domine, quæsumus, Ecclesiam tuam propitiatione perpetua: & quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis & abstrahatur à noxiis, & ad salutaria dirigatur. Deus in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris: & quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, ut in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi, & actione placeamus: Sancti nominis tui, Domine timorem pariter, & amorem fac nos habere perpetuum: quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis.

269. Prolixus fortè videar aliquibus: haud tamen multùm verear displicere Lectori meo, si verè pius est, & hujus magnæ Matris Ecclesiæ spiritum se gaudet habere. Cæterùm quisque accipiat, ut volet: sanè doctrinam istam opportunam hìc esse facilè apparet. Quàm fuerit autem firmiter stabilienda divinâ, ac infallibili auctoritate, apparebit etiam inferiùs, ubi ex hoc loco fortiter pugnandum est adversus Theologos Recentiores, tum Jansenistas, tum Probabilistas, qui per vias diversas, quin & extremè oppositas, uno tamen agmine facto, simul ad congressum venientes, intentione dissimili, simili tamen impetu pugnant, atque violentas simul, & inimicas manus eidem inferunt veritati; qua nulla in tota morali doctrina majoris inveniatur momenti.

270. Jam verò, quòd ministri Sacramentorum in ipsis conficiendis, atque tractandis, specialiter debeant esse soliciti pro ejusmodi lumine, & auxilio divino procurando, nemo prudens non videat; id enim adeò clarè per se ipsum, & alio quovis argumento secluso, ministerium ipsum ostendit, ut ulteriori aliqua probatione, aut ponderatione non egeat, suppositio principio capitali, quod per superiores articulos adeò copiosè, ac solidè stabilivimus, & evidens esse monstravimus,

271. Audi, Christi Sacerdos, & disce à bono Ecclesiæ Magistro periculum animæ tuæ, & orationis necessitatem: *Si prose unusquisque vix poterit in die judicii reddere rationem, quid de Sacerdotibus futurum est, à quibus sunt omnium animæ requirendæ? Et ideò considerantes periculum nostrum, orate pro nobis.* Aug. li. 50. Homiliar. Homil. 7. Hæc non alius, quàm ille Summus Doctorum Doctor, Augustinus. Vide, quantum tu ipse pro te ipso debeas orare.

272. Enimverò ad honestè, & prudenter agendum, duo, teste Bernardo, ubique nobis sunt necessaria, nimirum *unctio*, & *lectio*, quibus internam mentis illustrationem, quæ per orationem acquiritur, & insuper studium, atque industriam humanam, significat Doctor Mellifluus: *Unctio tamen* (ait ipse) *magis necessaria, quippe quæ sola docet de omnibus*, & sine qua, ut ajebat Doctor Angelicus, *nemo valet ad lumen veritatis usquequaque pertingere.* Bern. D. Tho. ubi sup. Cùm igitur ministri Sacramentorum, ut suo munere ritè fungantur in eorundem administratione teneantur peculiari solicitudine cavere omne deceptionis periculum, consequens est, ut debeant peculiari quoque conatu per vitæ puritatem, & honestatem, per jugeque orationis studium accedere ad divini luminis fontem, ut ab eodem illuminari mereantur. Id utique significat, vel ipsa sensibilis unctio, qua ex more Ecclesiæ in sui ordinatione specialiter Deo consecrantur.

273. Porrò, ut ait Christus Dominus in Evangelio, *Qui ambulat in tenebris, nescit, quo vadat*, sive, ut ajebat Sapiens, *Nescit ubi corruat.* Ergo, qui ex peculiari munere suo tenetur peculiari diligētia cognoscere viā, qua graditur, & vitare casum in illa, non potest pariter non teneri ad peculiarem curam, & studium, fugiendi tenebras, & quærendi lu- Joan. 12.

cem

Ioan. 1. cem nimirùm Christum ipsum, qui est *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, & quæ de se pronuntiat Ioan. 8. absolutissimè, *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

§. X.

Specialem hanc diligentiam, cui Sacramentorum ministris peculiariter est insistendum, non tam onus, quàm oneris levamen, & esse, & censeri debere.

274. NEc verò peculiaris hæc obligatio, qua dicimus ex proprio munere suo obstrictos esse Christi ministros ad peculiarem vitæ puritatem, frequentisque orationis studium, onus est illi simile, Sup. §. 6. de quo supra differebamus, nequis fortè nos arguat inconsequentiæ. Sanè onus hoc non gravat ministrum Sacramenti in commodum aliorum duntaxat; sed immediate potiùs, ac directè in ingens, immò in summum spirituale bonum ipsius.

275. Præterea ex se non parit anxietatem, & turbationem, sed spiritualem lætitiam, & internum animi gaudium, ex quo procedit vera libertas, non carnis, sed spiri- 2. Ad Corin. 3. tus, ajente Apostolo, *Ubi spiritus Dei, ibi libertas*. Unde tandem re verà non est contra moralem, & humanum agendi modum, (quod durum, ac violentum est); sed potiùs hominum infirmitati valdè propitium, ac consentaneum, quippe quod vires nõ tam premat, quàm tribuat; est enim, ut ajebat Bernar- Bern. Epist. 72. dus, *Onus exonerans* instar rotarum currus, & instar volatilium alarum, quod nempè vires præbet ad se, & Aug. serm. 32. de verb. Apost. ad alia onera portanda. Vide Augustinum (ex quo Bernardus didicit) hoc argumentum mirificè versantem.

276. Nimirum diligens orationis studium, & familiaris cum Deo conversatio, conscientiam, dum illuminat, mundat, atque lætificat juxtà illud Prophetæ, *Accedite ad Deum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur*: conscientia verò munda, & exhilarata, non solùm orationem onus non reputat, immò semper ad ipsam magis afficitur, & mirificè illâ delectatur: *Ipsa mundities cordis tui delectabit te, & faciet te orare*, ait Augustinus propriâ experientiâ doctus. Adeò non grave onus oratio est, sed oneris potiùs levamen. Quare, qui ex illo familiari suo, & specioso benignitatis prætextu, orandi obligationem nimiùm extenuant, & ad nihilum pænè redigunt, ut legis onus levius, ac facilius fiat hominibus, perinde mihi facere videntur, ac si quadrigæ unam, aut plures rotas auferant, ut plaustrum levius ad portandum fiat, aut si pennis aves spolient, ut sint expeditiores ad volandum, quibus uterque cælestis Doctor, Augustinus, atque Bernardus, similitudinibus utitur.

277. Non igitur hoc onere Ministri Ecclesiæ supra modum gravari, sed alleviari potiùs censendi sunt. Quomodo nanque onus nimis gravans dicatur intimum commertium cum Deo, in quo nimirùm *Vivimus, & movemur, & sumus*, & cui nisi accedamus, nihil nisi vanitas sumus? Act. 17. Ideò Dominus ipse, *Qui nos* (ut ait Ecclesia) *mirabiliter condidit, & mirabiliùs reformavit*, utrunque verò, Eccle. in Offi. ordinar. Missæ. ut verè vivamus, veræ vitæ principium, fontemque unicum, & viam pariter ad ipsum inveniendum, pridem nobis ostenderat per Prophetam dicentem, *Quærite Deum, & vivet anima vestra: Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem ejus semper. Quærite* (ait Augustinus) *per orationem*; neque enim alia est via quærendi, & inveniendi. Psal. 33. & 104. Aug. in illa verb. *Quærite, & invenietis.*

278. Sed quia *tassari* potiùs *in via iniquitatis*, & mori tandem miserè maluimus, ideò *Ille, qui solus noverat mortuos*, & *poterat facere vivos*, quique, ut ipse testatur, venit ad hoc ut vitam habeamus, & ut abun- Sap. 5. Aug. serm. 44. de verb. Dom. Ioan. 10.

abundantiùs habeamus, eundem vitæ fontem, non jam quærendum tantùm, & inveniendum, sed, & sitientem nos, & quærentem, iterum per se ipsum clarissimè demonstrat non semel: *Si quis sitit, veniat ad me: Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ecce non modò vitam, sed & vitam felicem (quantum infelix nostrum exilium patitur), id est, simul cum requie, & vero laborum levamine, in accessu ad se ipsum Dominus nobis offert. Quis igitur exercitium orandi, quo accedimus ad Deum, nostram vitam, & requiem, reputet onus ultra modum nos gravans?

Ioan. 7. Ioan. 11. Math. 11.

279. Audire mihi videor (expertus loquor) quosdam sciolos pænè irridentes nos, & ajentes, hoc esse concionari ad populum, non cum Theologis disputare: hæc omnia, quæ producimus, in vulgaribus libris spiritualibus, vel imperitum quemque invenire facile posse: se verò assuetos esse libris Theologicis, qui more Theologico disputent, & argumentis Theologicis utantur.

280. O vos præclaros Theologos, quibus libri vulgares spirituales valde sapientum, ac piorum hominum Theologici libri non sunt, & quibus sacræ paginæ verba, ac doctrina SS. Patrum ex sacra pagina semper loquentium, non sunt argumenta Theologica! Fateor in libris recentium Probabilistarum parùm, aut ferè nihil invenire de his sit. Jam, si solùm hi libri apud vos Theologici sunt, fatemur libros spirituales Theologicos libros non esse. Sed quid ubique Apostolus spirituali opponat, sciunt veri Theologi. Valete.

281. Tu verò prudens Ecclesiæ Minister, si mihi credis, immò si credis Deo, & veris Ecclesiæ Magistris, non in studio, & industria tua (quæ tamen non omittere, quin diligenter adhibere debes) spem tuam repones pro tuo munere rectè adimplendo; sed in vitæ innocentia, ac puritate, & in studio sanctæ, humilisque orationis, per quam à Patre luminum veræ sapientiæ lumen descendit: *Insipiens est enim, & insanus quicunque in aliis vitæ meritis, quicunque in alia regione* (fortè religione) *seu sapientiâ, nisi in sola humilitate confidit*, ajebat verè sapiens Bernardus. Bern. Serm. 26. de div.

282. Hoc utique præsidio si destitutus sis, quanvis totam adhibeas diligentiam, totamque industriam tuam humanam: etiam si sis doctissimus, *& inter filios hominum consummatus, ministerium tuum non implebis, sed in nihilum computaberis*: passim, mihi crede, deficies, passim periclitaberis, pasim labèris, & in errores plurimos passim impinges, etiam dum securissimè incedere tibi videaris; stabunt enim semper verba divina, *Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant: cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Ex quibus Augustinus sententiam illam suam concluśit consideratione dignissimam: *Errat quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cùm adhuc nequiter vivat.* Aug. li. de Agon. Christia.

283. Denique quid moramur? Profectò ad sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta ritè tractanda, opus esse Ministris vera luce, pietate, religione, prudentiâ, nimis cæcus sit, qui non videat. Audi verò Chrysostomum, bonum utique Theologum, & verum item Ecclesiæ Magistrum: *Cùm video quempiam* (inquit) *non amantem orandi studium, neque hujus rei fervida, diligentique cura teneri, continuò mihi palàm est, eum nihil egregiæ dotis in animo possidere.* Magna, & mira sententia: sed verissima, neque minùs terribilis, maximè Sacerdotibus. Vide ergo, quam possis prudenter expectare in materia tàm gravi, tàmque difficili, veram judicii tui certitudinem de veri- Chrysost. li. 1. de oran. Deo.

ritate objecti, quam inquiris, & rectitudine tuarum actionum, si negligas orationis studium.

284. Cùm igitur tenearis ex instituto tuo, & ex munere ipso, quod geris, licèt voluntariè susceptо, divina Sacramenta dignè tractare; eorumque defectus contingentes, & pericula frustrationis diligentissimè præcavere, vide tandem quid facere te oporteat, & quò tibi sit confugiendum.

§. XI.

Mensuram orationis exactè definire supra nostram prudentiam est: ipsa tamen oratio, quantum satis sit, docet, ut veram tribuat securitatem; non tamen vacuam vero timore, sed in eodem prorsus fundatam.

285. Als mihi, cuncta hec videri tibi verissima: sed cupere te ad quietem animi tui, ut diligentiæ hujus specialis, cui potissimùm fidere, & insistere debeas pro Sanctis Sacramentis ritè tractandis, utque in eorum administratione cavere satis possis omne deceptionis periculum determinatâ regulam tibi præscribam: signanter verò certam orationis meniuram, quoties scilicet orandum tibi sit, & quantum temporis orationi impendendum?

286. Breviter dico tibi: quantum rei momentum deposcit, quantum tua ignorantia, & infirmitas postulat, quantum sit satis, ut obtineas à Deo, ut ipse *dirigat gressus tuos secundùm eloquium suum, ut non dominetur tui omnis injustitia*. Reponis verò mihi, id unum esse, quod maximè nescias, & quod omninò mensurare non possis. Sed quis amabò te poterit, aut sciet, nisi qui nihil non novit, & potest? (Ex Psal. 118.

287. Invenias passim Theologos benignos, qui tibi intrepidissimè, ac determinatissimè præfigant quoties debeas in vita, vel in anno divinæ fidei mysteria credere, quoties desiderare æternam beatitudinem, quoties orare, quoties Deum diligere. Non hæc invenias in D. Thoma, Bonaventura, Magistro sententiarum, Scoto, Alberto, Bellarmino, Suarez, aliisque celebrioribus, summisque Theologis. Cæterùm Recentiores res hujusmodi certâ veluti clepsydrâ facillimè mensurant, plerunque tamen laxâ de more suo. Id verò nobis vix non risum facit, & oporteret nobis edisserant, qua mensura sint mensi Deum, & homines, ut adeò exactè definire valeant determinatam indigentiæ nostræ, & debiti obsequii mensuram.

288. Roga puerum ingenuum, an verè patrem diligat? Respondet incunctanter: & maximè. Quòd si iterùm roges: quoties diligis patrem in anno, vel in mense? Quæstionem demiratur, aut ridet. Ait utique, se patrem semper diligere (quod verum est moraliter loquendo); quia semper est paratus, quoties occasio id ferat, ad debitum obsequium ipsi præstandum, ad ipsum per officia filialia propitium, ac benevolum sibi faciendum, quantum satis sit, ut non temerè expectare possit ab ipso alimenta, vestitum, educationem, directionem, consilium, & cæterâ, quæ sibi sunt necessaria ad vitam commodè transigendam, & quæ accipere ab alio non speret: denique ad præcavendam quocunque suo incommodo omnem offensionem ipsius, maximè in rebus gravioris momenti.

289. Hanc ego tibi regulam, neque magis exactam: hanc unicè mensuram cum proportione debita rectè applicatam amoris Dei, spei, orationis, aliorumque similium tibi præfigo. Aut, si fortasse hæc regula tibi non placet, accipe aliam ex Augustino, cujus verba afferuntur in Libro de Ecclesiasticis Dogmatibus. *Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire: nullum invitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari: nullum nisi orantem,* Aug. li. de Eccles. dogmat. c. 56.

tem auxilium mereri. Vide modò quàm egeas auxilio Dei, maximè in rebus arduis, ac difficilibus, & orationis necessitatem tuam facilè potes inde concludere. Quòd si nec dum quieveris, & exactiorem adhuc mensuram omninò tibi designandam cõtendas, mecum sanè non ultrà litigabis: illud ejusdem tibi Augustini reponam: *Quæras Augustino doctiorem; sed vide ne invenias præsumptorem.* Aug. de Spi. & litt. c. 34.

290. Sed verò quæso te, ne deficias, quasi hæc nimis generalia videantur, nec ulla humana industria, scientia, vel prudentia securum te, dum practicè operaris, aliquando reddere possit. Docebit te certissimè, mihi crede, in singulis actionibus oratio ipsa (*quippe quæ sola docet de omnibus*, ut supra Bernardus ajebat) modum, quem practicè debeas tenere, ut verè non deficias à tuo munere, utque veram re ipsa securitatem habeas: non tamen fateor, ut eandem agnoscas, nisi utsummùm prudenti, atque probabili conjecturâ, quæ non omnem formidinem, etiam valdè prudentem eximat tibi, sufficiat tamen, ut *cum metu, & tremore verè salutem tuam operaris* secundùm Apostolicum præceptum: sciens utique te judicandum, *non ab humano die*, sed à Deo, cujus judicia sunt inscrutabilia, & infinitè à nostris distantia, ideòque dicẽs interim cum Prophetа, *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me*, & cum B. Job, *Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ.* Ex Epis. ad Philip. 2. Ex 1. Ad Corin. 4. Psal. 18. Iob. 9.

291. Hæc haud dubito sanctum timorem tibi incutiant: & utinam, si modò sine modo non timeas, sed moderatè, ac sobriè, ut sis prodenter cautus, atque solicitus; non verò scrupulosus, ac pusillanimis. Tum verò quid? *Vereberis omnia opera tua*, quod vir ille purissimæ, & innocentissimæ vitæ, cui nempe (ipsa veritate testante) similis non erat in terra, de se ipso fateri non erubescit: *servies Domino cum timore, & exultabis ei cum tremore*: facies, quod *sapiens*, qui nempè, *timet, & declinat à malo*: non quod *stultus*, qui *transilit, & confidit*. Et, ut summatim dixero, non eris Pharisæus superbus *in te tanquam justus confidens*, plenus arrogantiâ, & tumore, re verà tamen vacuus, & vanus: denique *dives, & nullius egens* in tua vana, ac falsa præsumptione; in Dei autem judicio æquissimo, ac verissimo *miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*; quæ (ut Augustinus sapienter observat) summa, & extrema hominum miseria est, eorum peccatorum videlicet, qui *De suis viribus præsumentes, adiutorium gratiæ non implorant, & addunt infirmitati superbiam*, ut insanabiles omninò sint. Ex Iob 9. Ex Pfal. 2. Prov. 14. Ex Lu. 18. Ex Apoc. 3. Aug. epis. 89. ad Hilar. in respons. ad quæst. 3.

292. Ab hujusmodi, inquam, procul aberis. Sed eris potiùs humilis corde, parvulus in oculis tuis, *pauperculus, & contritus spiritu, tremens sermones Dei*, & unus de Christi pusillis, *cum quo sit ejus sermocinatio, cui revelet occulta, & incerta sapientiæ suæ*, quæ *abscondit à sapientibus, & prudentibus*, quem Deus ipse *abscondat in ab scondito faciei suæ*, quem *protegat sub ombra alarum suarum, custodiatque ut pupillam oculi sui*, quo nihil felicius, aut tutius, nisi quis fortè credat, omnipotentem pupillam sui oculi, aut re vera non posse, aut nescire, aut nolle tueri: discesne in summa experientiâ, re ipsâ, quàm sit ex vero dictum, *Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam*. Ex Isa. 66. Ex Prov. 3. Ex Psal. 50. Matth. 11. Ex Psal. 30. & 16. Psal. 72.

293. Denique vera cordis lætitia, lux, sapientia, prudentia, fortitudo, constantia, magnanimitas, fiducia, regnum Cælorum, id est, pax omnem sensum exsuperans, & gaudium in Spiritu Sancto: postremò bona cuncta spiritualia, quæ verè bona sunt, tecum erunt, aut certè non erunt in terra. Vide, quæ grandia mala ex illa incertitudine, & beata ignorantia tibi immineant, si ex illa proficere velis.

294. Hæc non de nostri cerebri di-

discursibus, aut inanibus reflexionibus, sed de verbis expressis, ac promissionibus ipsius Dei, qui fallere nescit, certissimè tibi spondemus, ut hunc timorem Domini timere nolis, sed ardentissimè potiùs amare, & nullam præter ipsum securitatem quærere, dum peregrinaris à Domino; neque enim aliam ullam veram invenies.

295. Nihil planè frequentiùs in Sanctis Scripturis. Sed, quanvis multa hìc, multaque in præcedentibus expresserimus, accipe nihilominùs præterea verba verè divina ex Breviario Romano (bono utique libro Theologico), in quod ex Ecclesiastico translata sunt, quibus tot inter fluctus periculorum, ac miseriarum, quibus in hoc exilio jactaris, non modò cor erigere possis, verùm etiam repleri consolatione, & gaudio superabundare.

296. *Timor Domini gloria, &* Eccli. 1. & 34. *gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum. Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Et rursus: *Spiritus timentium Deum quæritur, & in respectu illius benedicetur. Spes enim illorum in salvantem illos, & oculi Dei in diligentes se. Qui timet Dominum* (nota ænigma divinũ) *nihil trepidabit, & non pavebit: quoniam ipse est spes ejus. Timentis Dominum beata est anima ejus. Ad quem respicit, & quis est fortitudo ejus? Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem.* Hactenus Dei verba.

297. Quid dulcius? Quid jucundius? An non, qui Deum timet, miserum esse, periculis circundatum, ignorantem, felicitati deputare potest? An non cum Magno Ambrosio Ambro. meritò dicat, *Felix necessitas, quæ ad meliora compellit?* Apagè ergo vanos, & fictitios horrores, quibus timoris hujus verè vivifici timorem tibi lethalem ingerere contendunt aliqui per inanes fallacias, & parùm pias cogitationes.

298. Hæc est vera securitas, hæc benignitas, quam tibi spondet Theologia nostra, si, quam designat regulam, tenere velis. Hæc ars verè mirabilis, verè divina, nunquam pavendi, nunquam trepidandi, nempe semper timere, semper pavere: *Beatus homo, qui semper est pavidus:* Prov. 28. *Qui timet Dominum* (rem admirabilem!) *nihil trepidabit, & non pavebit.* Simile videtur enigmati: sed nihil hoc ænigmate certius. Scilicet, timebit, & *nihil trepidabit*: pavidus semper erit, *& non pavebit.* Quare? *Spes enim illorum in salvantem illos, & oculi Domini super timentes eum.* Quid verò timeant? Utique non deficient: quia *Non deliquent omnes* Psal. 33. *qui sperant in eo.*

§. XII.

Certitudo, & securitas in agendo, quam Probabilismus spondet, omninò fallax est, & inanis, per omniaque contraria doctrinæ Dei, indeque supra modum moribus noxia.

299. ALia est valde benignitas, alia securitas, & aliunde omninò quæsita, quam tibi spondet nova, & benigna Theologia Recentiorum: per quam scilicet in omni actione tua certus omninò sis, te non delinquere, & ita quidem certus, ut si delictum grave, dum quidquam agis, vel leviter timueris, graviter eo ipso delinquas.

300. Sed unde precor certitudo tanta in tot, & tantis errorum periculis? Unde conscientiis filiorum hominum tanta, & tam clara sapientiæ lux in tantis ignorantiæ tenebris? Profectò non aliunde (dictu mirabile!), quàm à sententia conscientiæ tuæ ipsius, & proprii tui judicii dicta-

ctamine: quo nempè apud te judicas certò, & infallibiliter judicio singulari, absoluto, ac determinato, te nihil omisisse de diligentia debita ad quærendam sincerè, & inveniendam, veritatem, & legem Dei nulla te passione obcæcari, nullum impedimentum objecisse divino lumini, tuæ erga Deum obligationis exactam impleviſſe mensuram: denique rectum esse coram Deo, verèque irreprehensibile cor tuum; cùm tamen Deus ipse de omni humano corde generatim enuntiet *pravum esse, & inescrutabile*. Id nisi certò judices in omni actione tua citrà omnem formidinem deceptionis, certò peccas hoc ipso secundùm Recentiorum Theologiam. Adeò non est à timore Dei, neque à Christiana humilitate imitanda ista securitas. Sed verò, neque à Deo esse potest, cujus scilicet *Omnes viæ veritas*, ut Deus ipse sæpè testatur.

Ex Hierem. 17.

Psal. 118.

301. Sanè, si vera illa, & necessaria foret ad honestè operandum, & non potiùs inanis, & aerea, ut toties demonstravimus, & demonstrandum ulteriùs est, non solùm anxiaretur cor meum, sed de mea salute penitus desperarem: alioqui verò justorum omnium, sive in Cælis triunphantium, sive militantium in terris, conscientias omnes testes appello.

302. Et tamen Lapidarius, & novus *Ecclesiæ Magister*, hanc suam certitudinem infallibilem, & conscientiæ in agendo usque adeò monstrosam securitatem, adeò existimat certam, & indispensabiliter necessariam (scilicet agendo quod probabilius credas esse prohibitum), ut inde suæ benignæ sententiæ immodicis laudibus plaudat, & nostram vehementer accuset: arguens nos insuper inconsequentiæ evidentis, ut ipse jactat; quia ex una parte dicimus, timorem deceptionis, & lapsus, quem in agendo servare debemus, esse valde prudentem, & commendabilem; ex alia verò licitè à nobis, & prudenter posse contemni, aliàs nihil honestè, & prudenter operaremur.

303. Sed leviusculam istam, & futilem æquivocationem, verèque apud sapientes miserandam ipsarum vocum inintelligentiam, qua multas implet paginas, & solitâ jactantiâ triumphat, facilè nos contemnimus, ac ridemus, neque timere possumus cum Apostolo decipi. Latiùs mox de illa dicemus.

304. Nunc verò id unum adnotare placuit notatione planè dignissimum: nempè præfatam securitatem, & certitudinem Recentiorum, illo celebri suo principio niti, quòd opinio de actionis honestate minùs, aut æquè tantùm probabilis, licèt contingat esse re ipsa falsam, & contra legem, seu voluntatem Dei (quod esse æquè, aut magis verosimile operans ipse negare non potest), est tamen ignorantia veritatis, & legis, penitùs inculpabilis, ac invincibilis: quare sufficiens est, ut omnem prorsus in agendo timorem de veritate ipsa, ac lege violanda, eximere possit, ac debeat; nam, quidquid veritas re ipsa habeat, actio non potest non esse honesta, adeòque nihil de illa formidandum, immò nec formidare licitè potes, si operari de facto velis. Ecce principium certè non Dei, *cujus sermonum principium veritas*, ut testatur Propheta Regius.

Ex Psal. 118.

305. Hæc est Theologia *Magistrorum Ecclesiæ* certissima, uti contendunt, tutissima, piissima, Religiosissima, suavissima, utilissima, inexcusabilis orbi Christiano, & clavis unica Regni Cælorum, sine qua ipsorum janua (quam nempè nostra sententia claudit) hominibus patere non potest, cujus denique laudes libri non capiunt, & quam nisi firmaveris calculo tuo, etiam de hæresi fias suspectus. Vide quæso te, quò processerit impavida Recentiorum benignitas, & (ut moderatissimè dixerim) incredibilis confidentia.

306. Veruntamen, præter dicta, & di-

& dicenda, accipe saltem unum syllogismum (ne concionari nos & non disputare causentur), quo traditæ nostræ doctrinæ irrefragabilem videas efficaciam; neque enim artificium Dialecticum doctrinæ vires præbet, sed demonstrat.

Theologia, quæ non consonat, sed è diametro opponitur Theologiæ Dei, & Sanctorum ejus, qui citrà controversiam veri sunt Ecclesiæ Magistri, non est verissima, certissima, tutissima, religiosissima, vel piissima, sed falsissima potius, incertissima, periculosissima &c. At hujusmodi est Theologia, seu sententia benigna, Probabilistarum recentium. Ergo non est verissima, nec certissima, sed certissimè potiùs falsa. De consequentia nemo dubitabit Dialecticus: de Majore nemo Catholicus. Minor verò an probent evidenter testimonia à nobis producta, æquum, ac sincerum Lectorem judicem fidenter appello.

Possemus alia plura sine termino superaddere ex Scriptura, & PP. si necessum id foret, aut locus ferret. Duo tantùm tibi subjicio, alterum Augustini, & alterum Bernardi, quos esse bonos Theologos, & veros Ecclesiæ Magistros (quanvis benigni Probabilistæ non sint), nec Lapidarius ipse negaverit.

Aug. li. 22. de Civit. c. 23.

307. Igitur Augustinus sic ajebat: *Continuis vigiliis excubant* (justi), *ne optnio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant, ne, quod bonum est, malum, quod malum est, bonum esse dicatur; ne ab iis, quæ agenda sunt, metus revocet; ne in ea, quæ agenda non sunt, cupido præcipitet.* Quæ verò ratio tanti timoris, & continuæ in agendo solicitudinis? Unde tantum impendet periculum errandi tanti faciendum? Respondet S. Doctor: *Nam voluntatis propensio auctoritatem vitiis quærit, & quod malum est, bonum, aut bono proximum esse suadet.* Sic Magnus Augustinus.

Serm. 12. de tẽp ac sæpe alias.

308. Accipito Bernardum: *Sapiens* (inquit) *veretur omnia opera sua, scrutatur, discutit, & dijudicat universa. Honorat quippe* (ea ratio, Probabilista) *veritatem: qui & se, & sua omnia in eo statu, quo veritas habet, & agnoscit veraciter, & humiliter confitetur.* Ex hoc principio rursus hoc salutare documentum elicit: *Pone providentiæ modum, ne tibi sapiens videaris: Semper & ubique, atque in omnibus operibus time, ne forte excedas in aliquo. Hinc B. Job*, Verebar, *inquit*, omnia opera mea, sciens, quòd non parceres delinquenti. Ita verbis docebat cælestis hic Magister. Qualiter autem factis, testatur ejus vita; non enim erat similis mei, & aliorum, qui nempè dicimus, & non facimus: expressit autem ipse verbis paucis, sed multum significantibus: *Vereor* (inquit) *omnia opera mea, & quod operor, non intelligo.*

Bern. serm. 3. de Adv. Dom. paulò ante fin.

In tract. de formu. honest. vit. ad med.

Epist. 306.

309. Ecce securitas, ecce certitudo, ecce justorum agendi modus, secundùm Augustini, & Bernardi Theologiam, a qua nec abeunt, nec abire possunt reliqui Sancti Ecclesiæ Doctores, quia nec minùs expressa, nec minùs frequens, in ipsis Dei Scripturis est. Tu modò confer illam, Lector Christiane, cum benigna Theologia Recentiorum, & luce ipsa clariùs videbis, non manifestiùs tenebras luci opponi, quàm illi in omnibus, & per omnia opponatur, Probabilistarum Theologia.

310. Videant ergo, vel ipsi Recentiores, quid non evidens sit in proximo discursu nostro, quem legitimum esse certum est, nisi tota Logica erret. Ipse verò concludit evidentem (ut temperatè dixero) falsitatem doctrinæ, quam Probabilistæ moderni, omnium verò confidentissimè Lapidarius, unanimiter jam propugnant, & eximiè nobis commendant, tanquàm optimum fructum Probabilismi sui, dantis per artificium, subtilium reflexionum absolutam cõscientiæ certitudinem, & plenam adeò securitatem, ut sit prorsùs incomposibilis cum omni

Bern. serm. 8 in Psal. Qui habit.

peccandi timore. *O fiduciæ privilegium! O prærogativam securitatis perfectæ!* licet cum Bernardo exclamare.

311. Hoc nempè privilegio omnimodis egebat Probabilismus, ut posset aliquandiù subsistere, maximè, postquam concuti, & oppugnari vehementiùs cæpit. Utique nihil eos, quibus nimia placet libertas, & jucunda ipsius benignitas, sic in sententia firmat, & immobiles pænè facit, sicut fallax hæc certitudo, & inanis securitas, quam promittit.

312. Hinc fit, ut multi ipsorum non tantùm omne studium de re ista summa contemnant, sed & fugiendum prorsus existiment: adeò ut, si quid interdum invitos eos audire contingat, quo dubitare incipiant, aut timere, statim diligenter ab eo, quod audierint, mentem avertant, & in suam reflectant beatam certitudinem, qua possint per reflexa dictamina in omni opere suo, juxtà sententiam benignam agendo, adeò manere quieti, ac securi, ut peccatum nec leviter timere debeant, quidquid sit, an agant re ipsa contra divinam voluntatem, ac legem. O, avertat Deus à Christianorum cordibus tàm pernicioſam securitatem.

§. XIII.

Compendiaria complexio doctrinæ datæ per totam controversiam.

313. UT tandem aliquando accedamus ad demonstrandam inanitatem retorsionis nostri argumenti proximè præcedēti controvesia producti, quam ex articulo primo damnato de praxi opinionis probabilis in materia Sacramentorum nonnulli Recentiores Probabilistæ contra sententiam moliuntur, (omnium verò cōfidentissimè Lydius Lapidarius); quæ retorsio, ut vidisti, occasionem præstitit nobis ad controversiam istam gravissimam tractandam (admodùm fusè fateor, non tamen inutiliter, ut spero): en totius doctrinæ traditæ brevem tibi sistimus summam, ut ad illam deinceps utranque agendi regulam comparemus, nostram scilicet, & Recentiorum, & utra earum veritati concordet, utra verò repugnet, facilè videas.

314. Igitur obligatio fugiendi semper malum omne morale, & amplectendi bonum quodvis honestum (necessarium videlicet ad finem ultimum), oritur ut à primo principio, universalique fundamento, à prima regula moralis honestatis, per ordinem ad quam omnis actio moralis dicitur, vel bona, vel mala, prout scilicet ipsi concordat, aut repugnat.

315. Regula verò prima moralis honestatis est lex, seu voluntas divina; quidquid sit, an in Deo cogitari possit à nobis regula alia ratione distincta, de quo nihil ad præsens curandum est, dummodò prima regula dicatur esse aliquid divinum, de quo non est ab aliquo dubitandum.

316. Ex his concluditur, totam obligationem (utique generalem, ac summam) vitandi semper omne malum morale, & prosequendi omne bonum honestum, oriri ut à principio, primoque fundamento, à voluntate, seu lege Dei, summè à nobis amanda, atque semper pro viribus quærenda, ut nostras illi conformemus actiones.

317. Hoc stabilito principio, statim evidenter apparet, totam obligationem, qua in omni actione nostra tenemur diligenter cavere omnem errorem, seu deceptionem, ex qua sequatur proximo malum, quodcunque demùm sit, spirituale scilicet, vel corporale, temporale, aut æternum, irreparabile, vel reparabile, descendere ut à prima radice, adæquato principio, universalique fundamento, & ab ipsa prima regula honestatis, id est, voluntate divina, prohibente prædictum malum

lum inferre, seu (quod eòdem redit) præcipiente, ut illud caveamus: adeò ut, hac voluntate non intellecta tanquam primâ mensurâ obligationis nostræ, nulla possit in nobis intelligi moralis obligatio. Unde, si per possibile, vel impossibile, malum imminens proximo ex nostra actione, à voluntate Dei non prohibeatur, nulla obligatione morali tenebimur illud vitare, neque verè peccabimus, si non vitemus, etiam scienter, ac voluntariè; quia nullus aliquando peccare potest, nisi recedat à voluntate Dei, seu prima regula moralis honestatis, cùm non aliud peccare sit, quàm recedere à regula, cui moralem suam actionem operans conformare deberet.

318. Hinc rursus patet in materia præsenti: primò, ministrum Sacramentorum ideò (tanquam propter rationem adæquatam, in quam tota resolvitur obligatio) teneri diligenter cavere omne periculum frustrationis ipsorum, & (quod eòdem redit) omni studio contendere ad habendum judicium verum de reali, ac legitima cujusvis Sacramenti constitutione, quia id ipsi præscribit voluntas Dei severissimè, ac strictissimè. Secundò, eandem esse regulam primam moralis honestatis in hac, ac in aliis materiis, saltem formaliter, & quoad substantiam, videlicet divinam voluntatem.

319. Tertiò hinc, secundariam, & proximam agendi regulam (id est, judicium nostræ rationis, quo proximè dirigimur ad agendum) eandem quoque esse, nec ex ulla materiæ diversitate aliquam varietatem sortiri posse, nisi ut summùm accidentalem, & quasi materialem duntaxat. Utique nulla regulâ secunda, ut talis, variari aliquomodo potest non variatâ regulâ prima, cui nempè omninò commensurari debet, & conformari, alioqui non erit recta, adeòque nec regula erit.

320. Cæterùm, quia voluntas divina, estò sit una, & eadem in se ipsa, multa tamen nobis præscribit, vel fugienda, vel amplectenda, omnia autem ordinatissimè, & cum respectu debito ad finem nostrum ultimum, ad quem nos ut regula movet; hinc fit, ut omnia objecta non eodem modo præcipiat, sed diversò, ac proportionato ipsorum objectorum naturæ, & ordini, quem habent ex se ad eundem ultimum finem. Cùm igitur objecta, alia sint aliis immediatiora, efficaciora, magis necessaria, ad finis ultimi consecutionem; itemque per oppositum alia magis contraria, immediatiùs opposita, efficaciùs impeditiva, quæque longiùs removeant, & irrevocabiliùs ab ipso fine: consequens est, ut voluntas Dei sapientissima, atque rectissima, efficaciùs feratur, ac propensiùs in aliqua objecta præ aliis, unumquodque eorũ scilicet strictiùs, ac severiùs, vel jubendo, vel prohibendo secũdùm propriam cujuscunque naturam, & ordinem, quem habent ad finem ultimum.

321. Hinc voluntas creata efficaciori quoque conatu, propensiorique studio, ac diligentiâ in eadem objecta moveri debet, alioqui voluntatis divinæ directionem, & ductum non sequetur, proindeque deficiet à suo munere, nec primæ suæ regulæ conformabitur, indeque mala moraliter erit; quod tamen summo studio debet vitare.

322. Jam, cùm recta, ac legitima administratio Sacramentorum sit objectum naturâ suâ admodùm excellens, ac nobile, quodque pluribus titulis magni momenti habeat ad finem ultimum ordinem, ac respectum admodùm proximum, necessum est, ut lex, seu voluntas divina strictè admodùm & urgenter hominibus illud præcipiat præ pluribus aliis objectis: unde fit consequenter, ut voluntas etiam humana valde speciali diligentiâ, ac studio ad illud exequendum moveri debeat.

323. At quisquis specialiter obstrictus est ad exequendum aliquod ob-

objectum, tenetur pro mensura obligationis adhibere specialem diligentiam ad inquirendam veritatem, & legem, adeòque ad cavendum errorem circa memoratum objectum. Cavere autem diligentiùs errorem, seu veritatem studiosiùs inquirere, est procurare certiorem notitiam, judiciumque ad agendum firmius, ac immobilius, per quod nimirùm operans longiùs recedat ab omni deceptionis periculo.

324. Patet ergo ministrum Sacramentorum, ad quorum rectam administrationem adeò specialiter obligatur, debere, ex proprio munere suo, speciali conatu veritatem inquirere, atque adeò judicium, quo ad agendum dirigitur, debere esse firmius, ac certius in ipsis conficiendis, aut conferendis, quàm debeat esse in aliis materiis, quæ tanti momenti non sunt.

325. Cæterùm hujus diligentiæ specialis determinatam, certamque mensuram exactè definire nemo valeat: nos certè nec scimus, nec audemus. Illud verò certissimum existimamus, diligentiam, cui maximè fidendum, & specialiter insistendum sit, non esse studium, & industriam humanam (quãvis hæc etiam debeãt adhiberi, & accuratiùs in præsenti materia), sed accessum ad Deum sapientiæ fontem per vitæ puritatem, & juge orationis studium.

326. Veruntamen, nõ credimus fieri posse, moraliter, ac per se loquendo, ut Sacramentorum minister, etiam adhibitâ diligentiâ debitâ, assequatur judicium certum, absolutâ, & perfectâ certitudine de veritate Sacramenti, quod conficit, & rectitudine suæ operationis. Quare nec credimus esse necessarium, sed sufficere omninò judicium prudens, verèque probabile, quod dici solet certum pro conditione materiæ moralis, nempè, quod non excludat omnem deceptionis timorem, sufficiat tamen ad ipsum superandum (idest, ad agendum oppositum, non obstante timore illo) citrà omnem temeritatem.

327. Porrò nulla est temeritas, sed prudentia maxima à Deo, & Sanctis omnibus, summis ubique laudibus commendata, operari cum aliquo deceptionis timore, dummodò simul judices actu prudenter, verèque probabiliter, te re ipsa non decipi, quanvis possit contingere, ut decipiaris. Sic mihi Deum oro operari contingat, dum fuero in hujus sæculi caliginosa nocte, *Donec dies* Ex 2. Petr. *eluceſcat, & lucifer oriatur in corde* 1. *meo*; interim namque, neque in doctrina ipsius, neque in Sanctorum ejus verbis, aut factis, principium aliud verum invenio veræ, ac perfectæ securitatis.

328. Ubi nota (quod fusiùs mox exponemus, ne fortè interim ex Lapidario nimis vulgariter hallucineris), memoratum timorem deceptionis ideò à nobis prudentem, & sanctum appellari ex Dei, & Sanctorum doctrina: non quasi tunc dum actu operamur, habeamus aliquod fundamentum sufficiens ad prudenter credendum, quòd decipiamur; hoc enim non cohæret in via nostra cum judicio absoluto verè probabili de rectitudine nostræ operationis, quale omninò requiritur ad honestè operandum: sed ideò, quia motivum nostri judicii, licèt à nobis verum absolutè credatur, videmus tamen esse naturâ suâ absolutè fallibile, quodque ex se nõ repugnet actu conjungi cum ejusdem judicii falsitate. Id verò sufficit ad fundandum timorem verè prudentem, & maximè laudabilem, ne fortè nobis actu contingat, quod videmus posse contingere, licèt quod non cõtingat de facto, probabiliter judicemus, & ideò contradictum timorem non temerè, sed prudenter agamus, prout suo loco latè exponemus, & exemplis perspicuis explicabimus.

329. En tibi lapidarie Lapidator noster, ne te diutiùs suspensum detineamus, quid apud nos significet,

cet, & apud omnes ſapientes, & cordatos, contemnere prudenter timorem, quem honeſtè, & prudenter, dum operamur, poſſumus, ac debemus habere. Tu autem, ut apparet, exiſtimaſti, dum dicimus, prudentem timorem prudenter etiam poſſe contemni, ſignificare nos intendiſſe, ipſum eſſe omninò abjiciendum conſpuendum, aut conculcandum. Quapropter oro te benevolè, & amicabiliter, ut de tuo glorioſo, nec tamen magno libro, illa ſaltem non pauca folia decerpas, quæ tam inani hallucinatione impleviſti; neque enim decet in materia adeò ſeria, & cum tot viris adeò prudentibus (licèt eos tu paſſim non prudenter contemnas) adeò clara æquivocatione nugari, neque nugari ſolùm parùm, aut ſemel, ſed nimis tumidâ, ac frequenti jactantiâ.

330. Hìc verò concludamus ex doctrinæ ſumma præmiſſa, regulam ſecundam agendi (hoc eſt, judicium, quo ad agẽdum dirigimur) in materia Sacramentorum aliam non eſſe, ſed eandem omninò, ſaltem formaliter, & quoad ſubſtantiam, quia eandem nobis applicat regulam primam, videlicet divinam volũtatem, in hac, ac in aliis materiis: habere tamen hìc, & in aliis ſimilibus ob ſpecialem gravitatem ipſarum diverſitatem quandam, veluti accidentalem, ac materialem, quam ex reſpectu ad ipſam materiam ipſa quoque ſubinduit regula prima. Hæc utique, etſi una, & eadem ſit, non tamen omnia objecta eodem modo reſpicit, ſed diverſo, ac proportionato ipſorum objectorum naturæ: nempè, quæ ſunt majoris momenti, ſeveriùs, ac ſtrictiùs jubet, aut prohibet. Unde & ſecunda regula, ut conformetur primæ, diverſo modo, nempè firmiùs, ac certiùs, regulam primam applicare debet ad memorata objecta, quàm ad alia, quæ non ſint æqualis momenti. Hæc omnia in præcedentibus latè, expoſita relinquimus, & oſtenſa.

ARTICULUS VI.

Doctrinæ traditæ noſtra, & vera ſententia, non modò nulla ex parte repugnat, quin immò ex illa validè comprobatur.

§. I.

Regula agendi juxta noſtra principia breviter, ac dilucidè expoſita.

331. Sæpè jam in decurſu eam ſatis diſtinctè, prout occaſio ferebat, indicavimus. Hìc verò, ut retorſionis Recentiorum inanitas evidentior appareat, paulò diſtinctiùs exponenda eſt, & cum doctrina tradita comparanda.

Igitur in noſtris principiis ad agendum prudenter, & heneſtè, neceſſarium eſt, & ſufficiens, judicium abſolutum, atque directum, de veritate, & honeſtate objecti, quo nempè, poſt quæſitam ſincerè, ac diligenter legem Dei, operans judicet probabiliter, id eſt, rationabiliter, ac prudenter objectum eſſe re ipſa honeſtum, & (quod in idem redit) actionem ſuam circa tale objectum nullatenùs opponi, ſed potiùs conformari re verà cum ipſa lege, ſeu voluntate Dei, illud, vel per ſe ipſam immediatè, vel medio imperio humani legislatoris, præcipiente, vel ſaltem approbante, aut objectum oppoſitum prohibente.

332. Judicium verò prudens, ac rationale, eſt illud, quod innititur fundamento, aut motivo, intrinſeco, aut extrinſeco (id eſt, rationis, vel auctoritatis, quæ ſiquid valet, in rationem reſolvitur) quod vel ſit unicè veroſimile, vel, ſi ſit ab oppoſito motivum aliud conſiderabile, ita ipſi præponderet, ut poſt ſeriò libratum utriuſque momentum, appareat operanti connexum abſolutè, ac determinatè (licèt non connexione penitus infallibili) cum veritate objecti,

quam

quam inquirit, & de qua tale judicium fertur : alioqui temerè, & contra rationem intellectus de objecto judicaret. Sed nec temerè posse, nec ullo modo, latè demonstratum relinquimus ex communi, ac certa sententia Philosophorum, & Theologorum.

333. Cæterùm, non quicunque verisimilitudinis excessus sufficit in motivo præponderanti, ut prudens possit fundare judicium: nam si adeò exiguus, ac tenuis sit, ut motivum oppositū fortiter adhuc intellectum urgeat, ita ut non sinat ipsum in oppositum declinare, nisi utsummùm judicio nimiùm formidoloso, ac vacillanti, ut vix objecto adhereat meticulosè, & instabiliter : motivum, inquam, tale non est sufficiens, nec judicium ejusmodi prudens, ac rationale, quali utuntur cordati, ac probi viri in negotiis magni momenti, sed temerarium potiùs, & imprudens : immò, quod non judiciū, sed levis quædam veritatis præsumptio, aut suspicio dici mereatur.

334. Motivum ergo judicii prudentis illud duntaxat esse censemus, quod, licèt non omninò ratione sui intellectum determinet ad assensum, ut si velit, non possit judicium omne absolutè suspendere, ita tamen apparet cum veritate objecti connexum, ut vehementer admodùm alliciat ad absolutum ejus assensum, per quem nempè intellectus judicantis facilè, & quasi sponte à voluntate flecti se sinat, ut amplectatur illud objectum non leviter, aut fluctuanter, sed per judicium costans, ac firmum, quodammodòque immobile immmobilitate morali, à quo nimirum facilè dimoveri non posit, quodque, aut vix ullam, aut tenuem, & exiguam, deceptionis formidinem secum patiatur. Hoc est in genere judicium prudens, quod in principiis nostris unicè censetur probabile probabilitate conscientiæ, de qua in præsenti tantùm curamus, id est, quod necessarium omninò sit, pariterque sufficiens ex se ad licitè, & prudenter agendum.

335. Verùm, quia firmitas judicii nostri, & adhæsio ad objectum verum (quæ dicitur, & est objecti certitudo) potest esse minor, aut major, ideò non una, & eadem diligentiæ mensura ad comparandam certitudinem istam de objecti veritate, quam inquirimus, præscribitur in omni matetia, sed diversa, & major, aut minor, pro qualitate objecti, quod intendimus, & momento periculi deceptionis, quod ubique tenemur studiosè vitare.

336. Porrò per cunctas nostras actiones debere nos contendere ad finem nostrum ultimum, atque adeò omnes illas conformare cum voluntate, ac lege divina ad eum finem nos dirigente, ipso rationis lumine notum videtur, & nec ab ipsis Ethnicis ignoratum, saltem sub terminis generalibus, ut supra à nobis ostensum est. Dictat verò unicuique, vel stultissimo (nisi sit prorsus rationis expers) prudentia ipsa, & lumen naturale, objectum, quod majoris momenti sit relatè ad finem, in quem unicè tendimus, magisque necessarium ad assequendum ipsum, debere à nobis diligentiùs inquiri, adeòque propensius studium, majoremque conatum esse adhibendum, ut ab illo non deflectamus : ergo debemus diligentiùs cavere errorem ullum circa ipsum incurrere : ergo majori studio, ac conamine de tali objecto veritatem inquirere.

337. At veritatem aliquam studiosiùs, atque diligentiùs inquirere non est aliud, re verà, quàm procurare judicium, per quod certiùs eandem cognoscamus, & cum minori deceptionis periculo. Ergo, quo fuerit gravius, majorisque momenti, objectum, in quod tendimus, eò judicium nostrum, quo ad agendum dirigimur, debet esse firmius, ac certius.

338. Unde tandem concludes, agendi regulam, quam sententia nostra

ſtra deſignat, eſſe judicium verum (utique directum, ac proprium) de objecti, quod amplectimur, honeſtate, per quod nempè ſincerè, poſt ſufficientem diligentiam adhibitam ad errorem omnem cavendum, non leviter, aut vacillanter, ſed conſtanter, ac firmiter judicamus, actionem, quam elicimus, conformari re ipſa cum prima regula moralis honeſtatis, videlicet voluntate divina, quam per omnem noſtram actionem inquirere ſtudiosè, ac ſincerè debemus ex toto corde, & ex tota mente, ut eidem nos conformemus, nihilque unquàm contra illam agamus.

339. Judicium iſtud verum, firmum, ac conſtans, optimo jure dicitur, & eſt verè probabile; quia per ipſum objectum verè, ac prudenter probatur intellectui, hoc eſt, verum cenſetur, & enuntiatur, ex motivo prudenti, ac rationabili, licèt non penitùs infallibili. Dicitur etiam certum morali, & imperfecta certitudine, quæ propria eſt judicii non ſcientifici, ſed opinativi duntaxat.

340. Equidem ex genere ſuo certitudo judicii non eſt aliud, quàm firmitas, & adhæſio intellectus ad veritatem objecti, cui aſſentitur, quæ poteſt eſſe major, aut minor, adeòque & ipſa objecti certitudo eſſe poteſt minor, aut major. Si verò non ſit tanta, ut omnem penitùs depellat formidinem, & periculum deceptionis, dicitur certitudo moralis: intra quam etiam datur inæqualitas, quia nimirùm adhæſio ad veritatem, & firmitas judicii opinativi, poteſt intrà hanc lineam eſſe quoque inæqualis. Quare, & unum judicium probabile, & opinativum poteſt eſſe moraliter certius, quàm aliud: eſſe verò debebit, ut regulet actionem honeſtam, ubi objecti momentum majus ſit, & veritas ſtudioſiùs quærenda.

§. II.

Num vera probabilitas ſtare poſſit cum falſitate?

341. SEd inquiris: quid ſi contingat, judicium hoc probabile, quod adſtruimus, eſſe falſum re ipſa? Profectò poſſe accidere patet ex ipſis terminis judicii opinativi, atque fallibilis, cum non ſit aliud fallibile eſſe, quàm eſſe poſſe re ipſa falſum. Tu verò quid?

Reſpondimus diſtinctè, neque ſemel, tuæ quæſtioni, & reſponſionis noſtræ rationem dedimus certam, & infallibilem. Iterùm ergò dicimus: ſi judicium, quod nos probabile cenſemus, contingat eſſe falſum re ipſa (quod contingere facilè poſſe fatemur, & ideò ſemper prudenter, & humiliter timendum nobis eſſe certiſſimum putamus à Deo, & à Sanctis ejus edocti), erit etiam falsò probabile, nimirùm apparenter, & quoad nos tantùm, utique coràm Deo deceptos.

342. Quod ſi verò deceptio contingat ex paſſione, ex negligentia, aut incuria noſtra in quærenda divina lege (quod plerunque contingere fatemur etiam homines peccatores, ac miſeri, qui non gaudemus privilegio illo beatæ, atque perfectæ ſecuritatis, quo gaudere ſe putant Probabiliſtæ ex ſententiæ benignæ prærogativa) rei ſumus violatæ ipſius legis formaliter, & imputabiliter: Si verò nihil faciendum omiſimus, nec deceptio ſequatur ex culpa noſtra, ſed ex humana infirmitate tantummodò, legem quidem violamus re ipſa, & materialiter; violatio tamen ipſa ad culpam, vel ad pœnam nobis non imputatur. Tum verò quid? An nos cenſebimus verè probabile, quod niſi falsò, & ſolùm per errorem, neque probatur, neque poteſt probari? Perindè hoc nobis eſt, ac falſum eſſe verum: immò prorſus nihil eſt aliud.

343. Ut ergo nemo dicat, ma-

lum per se, ac simpliciter esse amabile (quia nihil aliud diceret, quàm malum esse bonum, quo nihil dici potest stultiùs), licèt per deceptionem amari possit, & de facto passim ametur, quia per errorem bonum existimatur: ita falsum re ipsa per se, ac simpliciter non est probabile, licèt probari possit, & non rarò probetur ab intellectu, nempè per deceptionem, qua putat esse re ipsa verum.

344. Verùm quid ad axioma, quod passim ex Philosopho Recentiores eructant, *Multa falsa sunt veris probabiliora?* Resp., axioma istud de trivo vulgi, non autem ex Philosopho petitum esse, apud quem nempe nusquàm invenitur: alioqui prodant locum, quod nemo fecit. Enim verò Philosophus, ut notum est, probabile aliquando dicit illud, *quod videtur sapientibus*: quod autem sit probabile, quod videtur errantibus, nusquàm (saltem in libris Ethicorum) invenietur, vel insinuasse. Immò nimis apertè docuit oppositum; etenim, quod judicium probabile sufficiat juxta ipsum ad bonam, & honestam electionem, compertum est: nullam verò electionem honestam esse posse, nisi judicio vero reguletur, conceptis verbis docet 6. Ethico. c. 2. ubi & id ipsum docet Angelicus Magister, ut paulò post ostendendum est, productis utriusque verbis.

345. Transeat verò, quod illud vulgare axioma Philosophus protulerit. Tum verò quid? Profectò eodē sensu dicere potuit, multa falsa certiora veris esse, quia sæpè falsa à nobis putantur certò vera. An ne propterea verè certa sunt? Ridiculus sit, qui non neget. De nostro saltem Lydio Lapidario, quin neget, dubitare non possumus, cum apud ipsum nihil, non modò falsum, verùm neque fallibile, certum sit, immò nec dici possit, nisi ridiculè, *per manifestumque paradoxum*.

346. Ut ergo, quæ decepti certa putamus, verè in se ipsis certa non sunt, sed quoad nos tantùm, falsò, & apparenter, &, si aliquando certa dicantur, in hoc sensu accipiendum est: ita, quæ per errorem probare possumus, aut de facto probamus, apparenter, & quoad nos solùm, non autem verè sunt probabilia, & in hoc sensu debet intelligi, si quando probabilia dicantur.

347. Denique haud minùs vulgatum est illud axioma, quod non falsò, sed verè ex Tullio circunfertur, *Nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile.* Dicant verò, si placet, Probabilistæ, etiam maximè incredibilia verè, ac re ipsa probabilia esse. Nō audebunt opinor. Tull. in Paradox.

348. Itaque vocem istam *probabile* valdè æquivocam esse, quàmplurésque diversas significationes admittere à controversia nostra nimis alienas, alibi jam notavimus, & ostēdimus. Nos verò pro probabili conscientiæ, quod propriè, ac verè probabile est, nihil prorsus recipimus, nisi verum, non quidem evidenter, sed tamen verè probabiliter cognitum. De cætero quàmplurima apud nos, etiam evidenter falsa, dicere probabilia non moramur in sensu latiori, ac improprio, de quo in præsenti nihil curamus.

349. Hæc, quæ nimiùm vulgaria in hac materia sunt, & vel tyronibus deberent esse nota, si Lapidarius, aut nosset, aut advertet, puderet ipsum ea, quæ sect. 18. in P. Generalem Societatis obloquitur, coram sapientibus effutire, quæ prudentes pudet, vel legere: neque veniam ab ipsis expectarem, si refellendis talibus tempus impenderem.

350. Tandem admiratione, quin etiam stupore dignum est, quod homines Christianos (filios utique lucis à Christo, vera luce, illuminatos) modus hic opinandi novus, atque benignus eò abduxerit, ut tenebras errorum circa morum doctrinam, non modò non exhorreāt, sed etiam tanti faciant, ut pænè scandalum ipsis

sis sit, si error quicunque graviumꝝ, doctorumque virorum (quo nullus certè pejor, aut nocentior moribus est) negetur esse verè probabilis, id est, regula agendi vera, ac rectaꝝ. Rem incredibilem; sed tamen certam, atque notoriam!

351. Sed agite quoniam error, si doctorum virorum sit, dici debet à nobis regula vera, ac recta operandi, dicite jam benigni Recentiores, quam regulam dicemus esse? an secundam? an primam? Mediam porrò nos haud agnoscimus; puto nec vos, nec Theologus ullus. Secundam patet dici non posse, nam regula secunda supponit primam, cui conformatur, si vera, ac recta regula est, ut est evidens apud omnes, & vel ex ipsis terminis patet: id verò errori repugnat evidenter.

352. Reliquum ergo est, ut error dici debeat regula prima agendi, nullam scilicet præsupponens: unde oportebit, ut ejus Auctor sit nobis alter Deus, & quidem Deo nostro mirabilior, atque potentior, qui nempè, etiam per errores suos, homines faciat rectos, & honestos. Repete præcedentis libri, si placet, controversiam decimam, ubi legem reflexam latè refellimus, & hanc ejus sequelam prorsus inevitabilemꝝ demonstravimus.

353. Qualiter verò judiciumꝝ probabile, quod rectam ponimus agendi regulam, possit esse prudentiæ opus, cum sit ex se fallibile, & admixtum formidini deceptionis: an sit opinio verè, ac propriè talis, an potiùs medium quid inter scientiam, & opinionem: & quæstiones alias ejusmodi haud parùm admiscentes de voce; disputare modò non possumus, quia nec earum hìc indigemus resolutione.

§. III.

Nostræ sententiæ veritas, & constantia.

354. NIhil verius, quàm *verum vero consonat*, ut habet vulgare proloquium. Sanè toti doctrinæ de agendi regula in materia Sacramentorumꝝ, quam per totamꝝ hanc controversiam latè tradidimus, & ostendimus, ita sententia nostra per omnia congruit, ut jure cum Bernardo affirmare possimus, *Nec est, quod nos aliquid horum dixisse pœniteat: ita totum subnixum est indubitata, & absolutissima veritate*: aut etiamꝝ cum Apostolo, *Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula*. Id ut facile pateat, opus non est, nisi breviter tantùm reflectamus ad dicta. Bern. serm. 82. in cant. non longè à princ. Ad Philip. 3.

355. Nam regula agendi (secundam, & formalem intelligimus per voces istas absolutè prolatas) nō est alia, sed eadem omninò formaliter, & quoad substantiam in materia Sacramentorum, ac in alia quavis materia: quia prima regula, quamꝝ proponit, & applicat, & cui debet omninò conformari, scilicet divina voluntas, una, & eadem ubique est, neque variatur ratione materiæ formaliter, & quoad substantiam.

356. Cæterùm, quia materiam ex se graviorem, & quæ majoris momenti sit in ordine ad ultimum finem, qualis est procul dubio materia hæc, propensiùs respicit, & efficaciùs, ideò & regula agendi, videlicet judicium nostræ rationis, firmiùs etiam, ac certiùs eandem primam regulam applicare, & proponere nobis debet: nam, cum sit malum majus recedere à divina voluntate in re illâ graviori, & strictiùs nobis præceptâ, diligentiùs debemus illud vitare secūdùm veræ prudentiæ leges, adeòque procurare judicium certius de nostræ actionis conformitate cum ipsa voluntateꝝ

divina, quod nimirùm nos reddat magis tutos à periculo deceptionis.

357. Est ergo agendi regula in hac materia eadem prorsus, ac in alia quacunque, formaliter, & quoad suam substantiam, quia eandem applicat regulam primam. Quia tamen illam applicat cum differentia aliqua, quantùm ad modum majoris firmitatis, ac certitudinis, propterea dicimus esse diversam, veluti accidentaliter, ac materialiter.

358. Huic regulæ non similis, sed eadem omninò est regula agendi à nobis designata, ut patet ex 2. §. Nempè nos generaliter, & in omni materia agendi regulam esse dicimus judicium prudens, verèque probabile, quia voluntatem Dei, regulam primam moralis honestatis, ubique nobis proponit, & applicat: determinatè in primis; non enim est indifferens ex se ad ipsam voluntatem, seu legem Dei, & ad non voluntatem, seu non legem, ut probabilitas Recentiorum, cum non sit, sicut ista, indifferens ad veritatem, sed potiùs sit determinatè verum, & materialiter, & formaliter: aliundè verò rationabiliter, & secundùm prudentiæ legem; quia prudentia in moralibus per se loquendo non requirit majorem certitudinem de rectitudine, & honestate actionis, quàm judicium verè probabile, per quod nimirùm operans non temerè, aut inconsideratè, sed maturè, ac rationabiliter judicat, actionem, quam elicit, conformari re ipsa cum voluntate Dei, quam sincerè, & ex corde quærit, prout omninò requiritur ad honestè operandum.

359. Sed quia prudentia dictat evidenter, ubi objecti momentum majus est, quia strictiùs, ac severiùs præcipitur divina lege, majorem diligentiam esse adhibendam pro cavendo periculo deceptionis, per quã ab ipsa lege recederemus; ideò & judicium ipsum de veritate objecti, & nostræ operationis rectitudine, (id est conformitate cum ipsa lege) debet esse firmius, ac certius, quodque magis nos tutos, & immunes constituat à præfato periculo violandi legem. Atqui rata collatio, seu recta constitutio Sacramentorum, est objectum hujusmodi, ut meritò supponitur, & demonstratum est. Ergo judicium de actionis honestate debet in hac materia juxtà principia nostra esse firmius, ac certius, quàm in aliis, quæ non sint æqualis momenti, nec periculum afferant tanti faciendum.

360. Est igitur agendi regula, quam sententia nostra designat in materia Sacramentorum, eadem prorsus, ac in alia quacunque, formaliter & quoad substantiam; cum modo tamen quodam diverso majoris certitudinis, ac firmitatis, quæ dici potest diversitas quædam, veluti accidentalis, ac materialis. Vide, quàm sit ubique sententiæ nostræ veritas constans, ac firma, quàmque nõ fallat in materia ista, neque in alia quacunque cogitabili.

§. IV.

Concluditur inanitas retorsionis, quam in sententiam nostram Recentiores intendunt.

361. AD argumentum nostrum planè convincens, quod ex secundo articulo damnato de facultate judicis ad judicandum juxtà opinionem, etiam minùs probabilem, per totam præcedentem controversiam expendimus, ac propugnavimus, vulgaris est (sed cui maximè fidant, aut potiùs unicè) Recẽtiorum solutio, trita illa distinctio de opinione probabili practicè, vel speculativè. Ajunt nempè opinionem minùs probabilem de jure Titii ad prædium ex. g. esse probabilem purè speculativè, secùs practicè: quia non affirmat licere judicii; id enim est omninò improbabile.

362. Dum verò urgentur: quare nõ fundat dictamen aliud pract: cum de licito, ut illud fundat extra illam ma-

materiam opinio, etiam minùs probabilis? Respondent, latum esse discrimen, & disparitatem apertam: nam ex sententia judicis juxtà opinionem illam, si falsa sit, sequeretur re ipsa Sempronio damnum, quod bona fides judicis impedire non potest, secùs verò contingit in usu similis opinionis, ubi non agitur de tertii damno; nam, licèt falsa sit, solùm sequitur, legem Dei violari re ipsa: id verò nemini noxium est, quia *Deus est incapax omnis mali*. Quare ab hac violatione operantem excusat bona fides, quam concipit ex prædicta opinione: à damno verò obventuro Sempronio judicem bona fides non excusaret; quia neque potest illam habere.

363. Ratio autem in summa est: quia judex nequit judicare prudenter licere sibi id agere, ex quo imminet tertio verum malum, & est verosimiliùs, aut æquè verosimile, quod sequetur re ipsa, quidquid sit de ipsius dictamine; aliàs non teneretur cavere malum proximi, quod nemo dicat: at verò quilibet prudenter judicat, licitum esse sibi id, ex quo solùm sequitur, etiam verosimiliùs, violatio legis, modò sit pariter verosimile, quod illa non sequetur re ipsa. Sed addere deberent: *quia talem violationem cavere non tenetur*, ut solutio præberet speciem saltem disparitatis; quod tamen quàm sit absurdum, nemo non videt.

364. Insuper instant argumentum nostrum, & in sententiam nostram illud retorquent *apertè & evidenter*, ait Lapidarius: quia ministro Sacramentorum, (& idem est de medico corporis) per se non licet uti opinione probabiliori, sive probabili in sensu nostro, si minùs tuta sit, cum hoc sit expressè damnatum; sed tenetur omninò sequi tutiorem, aut prorsus certam: reliqui verò minimè per se tenentur, & oppositum etiam damnatum est ab Alexandro VIII. Ergo & nos debemus fateri, non esse eandem regulam agendi in materia Sacramentorum, ac in alia quavis materia.

365. Quid hìc negabimus? An consequentiam, quæ, vel ex ipsis terminis, evidens statim apparet? An potiùs Antecedens, quoad alterutram partem ejus; quæ tamen utraque docetur ab Ecclesia? Tenebimur ergo fateri, vel in materia Sacramentorum licitum esse uti opinione purè probabili, quod damnat Innocentius XI. vel non licere in aliis materiis, quod Alexander VIII. damnat.

366. Sicut igitur hìc argumentum nostrum valet, quia Sacramentorum minister tenetur diligenter ex proprio munere cavere frustrationem ipsorum, quam bona fides operantis non impedit: ita neque valet in judice, quia ex officio suo tenetur cavere diligenter damnum tertii, quod damnum, si fallatur, re ipsa sequitur, quidquid judex ipse censuerit.

En tota Recentiorum solutio, en retorsio nostri argumenti, quà nimis aliqui jactanter exultant, maximè verò noster Lapidarius, qui nimirùm præ cæteris frequentiùs, & glorioſiùs triumphat.

367. Enimverò disparitas, aut solutio ista vulgaris, quàm sit superficialis, quàm diminuta, quantum implicantiæ in se ipsa, qualiaque inferat corollaria, abundè suo loco monstratum est, & in sequentibus abudantiùs monstrabitur. Nunc argumenti nostri retorsio, quàm sit inanis, & absque fundamento, ex proximè dictis apparet, ut quidquam addere non sit opus, sed ad illa tantùm reflectere.

368. Fatemur ergo spontè, licere generaliter, ac per se extra materiam Sacramentorum uti opinione verè probabili, licèt sit minùs tuta, & à lege deobligans; & damnationem Alexandri VIII. libenter in hoc sensu acceptamus (quamvis fortassè alium non adeò extensum habeat), quia nihil obest nostræ sententiæ, sed eandem potiùs confirmat, quare

non

non est cur illâ terreamur.

Lapid. nu. 180. 369. Unde, quod Lapidarius solita sua facilitate, & impunitate dicendi intrepidè pronuntiat, & absolutè, nempè nos fulmine Pontificio perculsos excogitasse siniſtram interpretationem articuli damnati ab Alexandro VIII. facile nos, ut alias similes calumnias cõtemnimus. Nos porrò nulla omninò præfatæ damnationis expositione, ne dum siniſtra interpretatione indigemus, cum noſtra ipsa sententia sit licere per se uti, non tantùm opinione probabiliſſima negante legis obligationem, quod ex eo Decreto cõstat; sed etiam generaliter opinione probabili, ad quod non se extendit Decretum, expresè saltem, atque signatè. Nonne vides, glorioſe Magiſter, quàm vanum triumphum agas, dum meram calumniam importas?

370. At id non licet (reclamat ipse) in materia Sacramentotum, ut evidenter constat ex primo articulo ab Innocentio XI. damnato: igitur aliam agendi regulam pro hac materia designare debetis.

Sed consequentia in primis nulla est. Præterea assumptio est evidenter falsa. Vide, quàm validum argumentum! & tamen millies illo Lapidarius triumphat, & excidium minatur sententiæ noſtræ. Utrunque verò perfacilè oſtendamus: prius quidem statim; posterius verò post alia pauca.

§. V.

Lapidarii argumentum fallax.

371. IGitur argumenti consequentia nulla penitus est: nam estò largiremur in materia Sacramentorum nunquàm licere uti opinione probabili minùs tuta, sed opus semper esse judicio omninò certo, & evidenti, quodque extra sphæram opinionis sit, ut novus hic benignus Tutioriſta absque fundamanto contendit, non ideò agendi regula diversa foret absolutè loquendo; quippè judicium evidens, & judicium verè probabile simpliciter non differunt in ratione regulæ agendi, cum utrunque non aliam regulam primam, sed eandem nobis proponat, nimirùm voluntatem divinam, cui regula secunda, quæcunque sit (si quidem vera regula est) conformari debet omninò, & à qua totam habet rationem regulæ.

372. Quod verò unum præ altero eandem primam regulam certiùs, aut minùs certè applicet, ac proponat, non variat simpliciter regulam, quia diversitas hæc ad regulæ substantiam non spectat, sed ad modum tantùm ipsius; substantia nanque regulæ secundæ nulla ratione variari potest, non variatâ regulâ primâ, ut ex terminis ipsis notum est, & ulteriùs à nobis demõstratum.

373. Et verò in sensu etiam metaphyſico certitudo, aut incertitudo, claritas, vel obscuritas, & aliæ plures similes notæ, non sunt substantia judicii rationis, ut absolutè objectum enuntiantis; sed affectiones tantùm, aut modi ejus, ut ex communi Philoſophia supponimus. Hanc verò regulæ diversitatem quoad modum, appellavimus sæpiùs accidentalem, & quasi materialem, eò quod non pertineat ad quidditatem, aut essentiam judicii, quæ est quasi forma, & substantia ejus.

374. Dices: ergo nec veritas, aut falsitas judicii variat agendi regulam quoad substantiam, contra quàm hucusque docuimus. Sequela patet facilè ex doctrina proximè tradita; quia veritas, aut falsitas non substantia judicii opinativi, sed affectiones quædam ipsius sunt, & quidem etiam physicè contingentes; quod, saltem in materia non necessaria, vera, & communis Philoſophia docet. Verùm nego sequelam, cujus non solùm nullitas, sed etiam falsitas facilè, & luculenter patet ex dictis.

375. Sanè, quidquid de physi-

ca,

ca, aut metaphysica, constitutione judicii sit, quod spectat ad mores, & in ratione regulæ agendi, tota, aut præcipua substantia ejus, est veritas enuntiationis, quam Logicam appellare solemus: quare, si hæc deficiat, regula vera, ac recta necessariò deficiet; nam judicium, si erroneum, aut falsum sit, non est regula recta, quin immò, ut sæpè diximus, neque regula propriè, sed abusivè tantùm.

376. Ratio autem in promptu est: quia judicium nostræ rationis totam rationem regulæ habet ex respectu, & conformitate ad primam regulam, quam proponit, & applicat, ut passim docet Angelicus Doctor, & evidens principium est. At judicium re ipsa falsum non conformatur regulæ primæ, sed eidem potiùs repugnat; ideò etenim falsum est. Igitur regula verè non est, sed deviatio potiùs à regula. Profectò jurè idem Doctor Angelicus, ut alibi adnotavimus, pronuntiavit, eum, qui de hoc dubitat, quæstionem ipsam non intelligere: quin nec simplicem vocis significationem assequitur; quid enim error intellectus est in materia, de qua nunc agimus, nisi aberratio à rationis regula? Unde facilè patet sequelæ nullitas, & disparitas evidens ad memoratos modos majoris, aut minoris certitudinis, proindèque, & fallacia consequentiæ à Lapidario deductæ.

377. Et, cum hæc ita sint, & usque adeò in Theologia certa, ut constat, vel ex ipsa à sæculis probata divisione conscientiæ in rectam, & erroneam, de qua nemo sapiens quæsierat, an esset recta regula agendi? adeò tamen hoc sæculo apud Probabilistas invaluit existimatio contraria, ut pænè irrideant nos, quòd negemus, errorem esse veram, rectamque agendi regulam, & (quod consequens est) viam rectam, ac tutam, ad veram, & æternam vitam nostram; cum tamen, ipsa Veritate docente, æterna nostra vita, & via unica ad ipsam consequendam, non nisi Christus unus nobis sit, qui non nisi veritas est.

§. VI.

Moderni quidam Antiprobabilistæ ex moderno, quem fugiunt, Probabilismo eundem pænè errorem traxêre.

378. AT non ita miramur Recentiores Probabilistas: miramur sanè nimis, neque parùm item dolemus, modernos quosdam Antiprobabilistas, qui Probabilismi principia, vel non satis dedocti, vel, quod deteriùs est, ab aliquibus doctis Probabilistis adhuc discentes, asserere non renuunt, conscientiam ex errore formatam esse posse nihilominùs rectam, vel, ut loquuntur alii, practicè, aut moraliter veram, estò sit falsa Logicè, sive speculativè; & quod inde consequitur, errorem esse posse, aut fundare, veram, ac rectam agendi regulam.

379. Item eum, qui agit ex opinione re ipsa falsa, quam tamen putat inculpatè veram, agere verè, ac propriè ex virtute prudentiæ presse sumptæ, atque conformiter ad rationem rectam, quod solùm Philosophus exigit ad rectè, & prudenter agendum; nõ enim ipse prudentiam definivit habitum agendi, aut consulendi, *cum vera ratione*, ut quidam malè vertunt, sed *cum recta ratione*. At ratio recta, inquiunt, nõ est idem, ac ratio vera; nam illa solùm dicit conformitatem ad appetitum rectum, ut sæpè idem Aristoteles docet: hæc verò dicit insuper conformitatem ad objectum, quæ potest aliquando deficere, quin propterea deficiat conformitas ad rectum appetitum, adeòque quin deficiat ratio recta.

380. Hæc, atque id genus alia, quæ legere contingit in quibusdam opusculis recens editis contra modernum Probabilismum, licèt ex mente suorum Auctorum non eundem omninò sensum habeant cum sen-

sensu ejusdem Probabilismi, nobis profectò magnoperè displicent; videntur nanque nobis quædam ipsius Probabilismi principia velle compingere, ac commiscere, cum principiis sententiæ nostræ, quod planè non est aliud, quàm velle lucem sociare cum tenebris.

381. Sanè Probabilistæ consequenter ad alia principia sua (licèt mille implicantiis, ut jam ostendimus, & inconsequentiis referta) dicere utcunque possunt, conscientiam esse practicè verâ, ac rectam, quamvis formetur ex opinione falsa de honestate intrinseca objecti, quia, etsi opinio directa falsa sit, dummodò sit probabilis juxtà principia ipsorum, datur in Deo lex, seu voluntas alia reflexa, qua Deus ex illius falsæ opinionis suppositione præcipit, aut approbat saltem, actionem eliciendam ex illa: quare dictamen ultimum conscientiæ id reflexè considerans, verè affirmare potest, actionem esse bonam, ac rectam, hoc est, conformem voluntati divinæ, non utique directæ, ac primariæ (sic enim esset manifestè falsum, sicut opinio ipsa directa, cum idem affirmaret objectum), sed secundariæ potiùs, atque reflexæ.

382. Itaque juxta Probabilistas ideò inter se cohærent judicium antecedens (vel subjectivum, vel objectivum tantùm), quod vocant speculativum, falsum re ipsa, & ultimum dictamen conscientiæ verum, quia non idem objectum utrunque respicit; prius enim judicium objectum comparat ad legem Dei directam, ac primariam, posterius verò ad legem reflexam.

383. Hæc qualia sint re ipsa jam vidimus, ut non sit opus illa denuò refellere. Sed rogo modò nostros Antiprobabilistas, an admittere libeat inauditum istud commentum de lege Dei reflexa, aut consequenti, qua subsistit inanis structura Probabilismi? Non libebit opinor: aut si cui fortè libeat, audacter dixero, nescit planè legem reflexam. Quapropter ipsum oro, ut omninò illam videat in libri præcedentis ultima controversia. Si verò cum antiqua, & vera Theologia non aliam primam regulam honestatis admittunt, quàm voluntatem, seu legem Dei, directam, atque antecedentem, qua consequentia dicere possunt, ultimum dictamen conscientiæ esse posse verum, ac rectum, si judicium directum, & antecedens de honestate objecti sit falsum? Id enim verò evidens contradictio est.

384. Rem ob oculos sistimus, ut nemo deinceps fallatur. Opinor probabiliter (in sensu à nobis nuper exposito ex Recentioribus Probabilistis), licere generaliter ob lucrum cessans aliquid ultra sortem accipere. Pono, hanc opinionem esse re ipsa falsam, quod mihi verissimum est: ex illa verò apud me concludo, licere hic, & nunc mihi sub eisdem omninò circunstantiis accipere ultra sortem quatuor, aut quinque: sit hoc dictamen conscientiæ meæ probabile, sit, si placeat, penitùs certum, nempè apparenter, & quoad me tantùm, inculpabiliter tamen deceptum.

385. Sanè utrunque dictamen, sive judicium meum, nempè particulare, ac generale, idem omninò objectum affirmat, nimirùm honestatem contractus aliquid accipiendi ultra sortem in mutuo, eo solùm discrimine, quòd alterum sub ratione communi, alterum sub ratione singulari; quod discrimen est prorsùs de materiali ad veritatem utriusque judicii, ut ex Dialectica notum est. Patet hoc; quia in utroque judicio contractus comparatur ad unam, & eandem regulam honestatis, videlicet ad eandem legem antecedentem, sive directam: & quidem alioqui judicium consequens non inferretur ex antecedenti. Ergo omninò repugnat, ut alterum sit verum, alterum falsum. Atqui judicium prius falsum est, ut supponitur: ergo po-

ste-

terius est etiam falsum.

386. Breviùs. Prius judicium ideò falsum est, quia affirmat esse in Deo voluntatem approbantem illum contractum (hoc enim est, si termini explicantur, affirmare contractum esse honestum), cùm re verà non sit, sed potiùs voluntas contraria, reprobans ipsum sub ratione communi, atque adeò sub omni particulari. At posterius judicium eandem voluntatem affirmat: ergo, cùm hæc, re ipsa, non sit, sed voluntas potiùs opposita, nequit etiam non esse judicium falsum. Quid evidentiùs?

387. Aliter. Judicium posterius, sive conscientiæ meæ dictamen determinatè, & absolutè affirmat, actionem meam, qua contractum ineo, conformari cum aliqua voluntate divina positivè approbante, vel saltem permittente mihi contractum; quid enim aliud est affirmare, posse me honestè contractum inire? Ergo, vel cum directâ, antecedentique; & hæc non datur, sed opposita potiùs: vel cum consequenti, ac reflexâ; & hic est recens Probabilismus, à quo supponimus esse fugiendum. Ergo falsum affirmat: ergo est dictamen falsum: ergo non rectum, sed erroneum est: ergo conscientia undique falsa est, & erronea, nempè ex antecedenti, & ex posteriori dictamine: ergo non est practicè vera, & speculativè falsa; transmissa improprietate locutionis de conscientia speculativa, quæ in ipsis terminis videtur implicare.

§. VII.

Quædam, sive solutio, sive objectio, refellitur.

388. Dicis: hæc planè ostendere, ultimum conscientiæ dictamen non posse dici practicè verum, aut rectum, quasi quod verè objectum enuntiet; hoc enim implicat manifestè, cùm objectum sit ex se turpe, & per tale dictamen affirmetur honestum: te verò in hoc sensu non loqui; sed propterea duntaxat dictamen illud dici à te practicè verum, ac rectum, quia intellectus in illis circunstantiis, & ex suppositione præcedentis erroris, (quem inculpabilem esse ponimus), neque debet, nec potest aliter judicare: ergo prudenter judicat hic, & nunc: ergo & voluntas honestè agit ex illo intellectus dictamine, formaliter saltem loquendo, licèt potentia utraque materialiter erret, quia deviat materialiter, & re ipsa ab objecto formaliter intento. Id verò apud te est, dictamen illud, practicè loquendo, verum, ac rectum esse, hoc est, in ordine ad operationem, quam scilicet infert formaliter honestam haud secùs, ac si foret re ipsa verum.

389. Verùm omnia confundis, & voce saltem tenùs Probabilismum geris, ac sonas, quem mente, & corde fugis, ac reprobas. Irascor rerum vicissitudini, quæ duram mihi passim, & satis injucundam necessitatem infert præmaturandi violenter multa, quæ ad postremam spectant Operis partem, & ibi sunt ex professo tractanda: hic verò prælibata, ac permixta, nec ipsa satis possunt facilè intelligi, & aliunde non nihil interturbant rectum doctrinæ ordinem, indèque confusionem aliquam pariunt, quam maximè cuperemus vitare. Cur tamen aliter facere non possimus, rationes aliquas sæpè insinuavimus.

390. Ad objectionem ergo breviter dicimus: ea, quæ proferuntur, unicè probant, intellectus errorem, & voluntatis lapsum, in hypothesi assumpta, esse involuntarios simpliciter, ideòque ad culpam minimè imputabiles. Id si solùm intendas significare, dum utramque præfatam operationem dicis esse prudentem, & honestam formaliter, haud dissentior: hac tamen locutione nollem uti, quia neque propria est, neque simpliciter, & in rigore vera. Maximè verò quia doctrinam sapit, quam

maximè reprobare debemus, recentium Probabilistarum ajentium, similes operationes esse formaliter prudentes, & honestas, hoc est, verè, simpliciter, ac positivè (id enim ipsi significare intendunt), adeòque meritorias, ac Cælo dignas; quod valde alienum est à veritate, & ab antiqua, ac solida Theologia Augustini, Bernardi, D. Thomæ, & aliorum SS. Patrum, atque veterum Theologorum, ut suo in loco monstrandum est, quidquid interim mussitet, & obloquatur Lapidarius.

391. Satiùs ergo dicentur operationes illæ prudentes, & honestè purè apparenter, seu negativè tantùm; quia licèt sint re ipsa turpes, atque prohibitæ, turpitudo tamen earum non est operanti imputabilis, quia inculpabiliter ignoratur, immò putantur esse positivè, ac re ipsa honestæ: hoc verò sufficit, ut dicantur honestæ apparenter, ac negativè, quia earum inhonestas, nec voluntaria est, nec imputabilis, eò quod sit inculpatè non cognita, unde non potest dici in genere moris inhonestas actualis, aut formalis.

392. At id non sufficit, ut dici possint formaliter honestæ propriè, & simpliciter; quia formalis honestas operationis non est honestas purè apparenter, sed vera potiùs, ac positiva, quæ non cadit in actum materialiter malum; non enim est simpliciter, & positivè bonus moraliter actus ille, qui bonitatem veram ex objecto quoque non habet, licèt è cõtra possit esse formaliter, & simpliciter malus, estò materialem malitiam ex objecto proprio non habeat: cujus discrimen vulgariter notum inter actum bonum, & malum passim apud Doctores reperitur, & egregiè, ac subtiliter Bernardus explicat.

Bernli. de Præcep. & disp. c. 18.

393. Ratio verò à priori potest etiam facilè reddi ex principiis certis, ac solidis sæpè à nobis stabilitis. Nempè actus moraliter bonus, & malus, tales sunt, & dicuntur per ordinem ad aliquam veram legem, tanquam ad regulam moralis honestatis: datur autem lex vera, & naturalis, cui verè contradicat agere quod conscientia malum dicit, etiam si bonum re ipsa sit; hoc enim est & Deum, & veram ejus legem contemnere, quod est malum intrinsecè, & legi naturæ repugnans: at non datur lex ulla jubens, aut approbans aliquando, quod conscientia operantis dicit bonum, si re ipsa sit in se malum, adeòque nullus actus, qui procedat ex tali errore, conformis est alicui veræ legi; foret enim lex consequens, & reflexa Probabilismi, quam non legem divinam, sed humanum commentum esse, recenti ipso Probabilismo recentius, & procul ab schola Theologica omnimodis eliminandum, abundè in loco demonstratum est, ultrà quàm fortè videatur necessarium.

394. Fatebor id, quod diximus, tales operationes non debere censeri in dicta hypothesi formaliter honestas, atque prudentes, sed purè negativè, & apparenter tantùm (dummodò non intendas sensum moderni Probabilismi), magna ex parte spectare ad modum loquendi tantummodò, non tamen contemnendum propter rationes jam insinuatas.

395. Quidquid verò de hoc sit, illud prorsus non tolerandum, nempè conscientiam ex judicio erroneo de honestate objecti formatam dici posse practicè veram, adeòque rectam regulam agendi; id enim esse falsum, & absurdum, satis clarè, ut existimo, monstratum est. Et quidem alioqui operatio ex illa elicienda foret honesta positivè, ac formaliter: nam operatio, quæ conformatur cum recta agendi regula, nequit non esse recta, & honesta simpliciter, ut ex ipsis terminis patet.

396. Nec verò insistas: saltem in hypothesi dicta operatio elicienda ex illo conscientiæ dictamine formaliter mala non est, adeòque potest, ac debet, dici bona, apparenter scilicet, & negativè saltem, ut nos ul-

ultrò concedimus, & negari non potest: igitur conscientiæ dictamen, quatenùs hoc affirmat, verum est: ergo est in aliquo sensu verum, adeòque recta regula agendi. Ne, inquam, sic insistas: nam frivolum hoc est; quia conscientiæ dictamen, neque id affirmat signatè, ac formaliter (saltem affirmare non debet): & ut id signatè affirmaret, non ideò verum esset in sensu aliquo absolutè loquendo.

397. Ratio facilis est: quia dictamen conscientiæ non potest affirmare, nisi temerè, & impiè, actionem esse honestam negativè, aut (quod eòdem redit) non formaliter malam, nisi simul, & indivisim affirmet esse honestam re ipsa, & positivè, hoc est, conformem voluntati divinæ saltem non prohibenti, sed indulgenti potiùs talem actionem libere exercere; alioqui præscinderet ab honestate ipsius objectiva, & intrinseca, quod esset operari cum dubio practico de licentia actionis, adeòque temerè legem contemnere: & simul affirmando non esse id illicitum, quod planè erroneum, & impium est. At conscientiæ dictamen in data hypothesi affirmare verè non potest, actionem esse honestam modo dicto, sive nulli legi contrariam, cùm supponamus id esse falsum. Ergo non verum aliquo modo, sed omnimodis falsum est. Hæc fusiùs, ac distinctiùs altero die.

§. VIII.

Ad Aristotelem importunè productum: ubi tantillùm de Patre Elizalde.

398. AD id, quod addebatur ex Aristotele, fateor ingenuè meam Græci sermonis imperitiam, ob quam exactè definire non possim, an illi, qui in prudentiæ definitione à Philosopho tradita 6. Ethi. c. 4. *cum vera ratione* verterunt, fideliter, & exactè servaverint proprietatem Græci dialecti. Illud tamen me haud parùm movet, quod non tantùm antiqua versio, qua D. Thomas utitur, cæterique Philosophi interpretes Latini communiter; sed etiam versio Argiropolitana (qua nos frequentiùs utimur) non *cum recta ratione*, sed *cum vera ratione* vertunt. Et, quod mihi majoris momenti est, ipse Angelicus Doctor Græci sermonis nō imperitus, neque item sensus Philosophi, sic refert, & exponit definitionem ejus: *Relinquitur, quòd prudentia sit habitus cum vera ratione activus*.

399. Cæterùm, quidquid sit de hoc, id mihi prorsùs indubitatum est, veram rationem, & rectam rationem in nihilo prorsus differre, nisi sono vocis duntaxat, juxtà Aristotelem, & D. Thomam, quia nihil differunt juxtà veritatem: & propterea, si fortè verbum Græcum in rigore, non *veram*, sed *rectam rationem* sonet, qui verterunt textum Philosophi, nihil inter hæc distinxerunt. Porrò rationem falsam rectam dicere, perindè omninò est, ac si obliquum dixeris rectum, qua nulla ineptior, falsiorve locutio. Longè alia profectò mens Augustini, qui scilicet rationem falsam non modò rectam negat esse dicendam, sed neque vult, ut ratio dicatur: *Ratio* (ait) *non est dicenda, aut existimanda, nisi vera*. Aug. li. de Quæst. ani.

400. At Philosophus, inquiunt, rationem rectam explicat ibi, & alibi, per respectum, & ordinem ad appetitum rectum: rectitudo verò appetitus cohæret optimè cum ratione falsa, quando nimirùm error inculpabilis est. Hoc argumento sæpiùs Terillus utitur, & alii Recentiores, qui transcribunt ex ipso: & hi quidem errantes quasi ex necessitate propter falsa principia, quibus utuntur, nostros, cum quibus loquimur, Antiprobabilistas incautè quoque errare fecerunt.

401. Sed, ut utrique errorem dediscant (quod de Probabilistis non

Ille gravissimè ignorat, & periculosissimè, qui errat circa principia: quia talis non potest reduci per alia principia priora D. Tho. q 3 de Ma. a. 13. corp.

ita facilè sperare sit, quia, ut D. Thomas ait, errantes in principiis, periculosissimè errant, & difficillimè corriguntur) audiant, & Philosophum ipsum, & ipsum insuper D. Thomam eodem li. 6. Ethi. c. 2. ubi quid requiratur, ad hoc ut appetitus rectus sit, seu (quod in idem recidit) ad hoc ut aliquis actus moralis verè sit studiosus, & honestus, adeòque verè virtutis actus, sic uterque definit: *Quare* (inquit Aristoteles) *quia moralis virtus habitus electivus: electio autem appetitus cõsiliativus: oportet quidem propter hoc, rationem veram esse; & appetitum rectum, siquidem electio studiosa; & eadem hanc quidem* (id est rationem) *dicere, hunc autem prosequi. Hæc quidem igitur mens, & veritas practica.* Sic Aristoteles.

Philos 6. Ethi. c. 2.

402. Doctor autem Angelicus in commentario sic: *Quia igitur ad electionem concurrit, & ratio, & appetitus, si electio debeat esse bona, quod requiritur ad rationem virtutis moralis, oportet, quod & ratio sit vera, & appetitus sit rectus, ita scilicet quòd eandem, quæ ratio dicit, id est, affirmas, appetitus prosequatur. Ad hoc enim* (attende rationem immediatam, & optimam, quæ generale principium est) *quod sit perfectio in actu, oportet, quod nullum principiorum ejus sit imperfectum* (hoc est deficiens in sua ratione). *Sed hæc mens, sive ratio, quæ sic concordat appetitui recto, & veritas ejus est practica.* Hæc S. Thomas, quæ magis in sequentibus exponit, & cõfirmat. Quid ultra?

D. Tho. in eundem locum.

403. Cur autem Aristoteles exponat rectitudinem, seu veritatem rationis practicæ per consensum, & ordinem potiùs ad appetitum, quàm ad objectum proprium, atque immediatum ipsius rationis; & de quo appetitu loquatur, finis videlicet, an mediorum, aut potiùs quomodo loquatur de utroque, videri ibidem potest apud eundem M. Angelicum, ne longiùs nos abire cogamur.

404. Desinant igitur Probabilistæ doctrinam suam utique novam, & ab ipsis heri progenitam cum doctrina Philosophi, & D. Thomæ à sæculis in scholis recepta inanibus discursibus velle compingere. Desinant item quidam Antiprobabilistæ recentiores doctrinam nostram nihilo diversam à doctrina Philosophi, & D. Thomæ, per incautam inadvertentiam commiscere doctrinæ Probabilismi; nam ex hac commixtione, mihi credant, non nisi multa ingentia, & prodigiosa monstra producent.

405. Ipsos igitur deprecor, quàm possum enixissimè, ut tandem aliquando, vel ab ipsa experientia discant, in exponenda verè, & exactè conscientia erronea, & recta (quod summi in hac materia momenti est), tantum se discessuros à veritate, quãtum discesserint à principiis, quæ statuit exquisitâ suâ sapientiâ, & à doctrinâ, quam illustrat, & firmat præcelsi ingenii sui subtilissimo acumine, sublimis ille Theologus, atque profundus Doctor rectæ morum doctrinæ, Pater Michael de Elizalde (cognomen hoc sub noto CellaDei anagrammate non tam celavit ipse in Opere suo, quàm opportunè dissimulavit) nunquam pro suo merito satis laudatus; cujus clarissimæ sapientiæ luci debere nos ingenuè fatemur benigni, ut vocant, Probabilismi tenebras aliquando vidisse. Quod idem plerique alii, qui post ipsum venêre, si ingenui sunt, sponte fatebuntur.

406. Virum hunc qui cognoverit (cognoscent autem omnes verè sapientes nullo doctrinæ oppositæ abrepti præjudicio), & imaginem ejus viderit à Terillo depictam, obstupebit non ambigo, quòd hunc alioqui doctum, acutum, & pium hominem, sic præconceptæ doctrinæ amor, & benignæ Theologiæ præjudicium abripere potuerit, ut de Elizalde, & ipsius Opere non erubuerit talia concipere; & proferre in conspectu mundi: & hoc, dum ex profes-

. esso doctrinam ejus, solidissimæ utique doctrinæ D. Thomæ perpetuò innixam, & communissimis Theologiæ principiis (licèt à multis non intellectam) impugnat, ex principiis à se adinventis pro construenda nova Probabilismi fabrica, quæ qualia sint re ipsa, patere fecimus toto præsertim præcedenti libro. Adeò profectò refert Auctorem quemque sedato animo, non in suo adversario, sed in se ipso potiùs videre, quod meritò Augustinus advertit, & exaggerat toto cap. 6. de utilit. cred.

407. Lapidarium igitur, & alios similes Recentiores non moror de Elizalde loquentes indignissimè, quem in se ipso nunquam viderunt, sed in suo tantùm Terillo, quem unum legere, & laudare dignantur. Sed audiant opus est Augustini sententiam: *Nihil profectò est* (ajebat ubi nuper) *temeritatis plenius, quæ nobis tunc pueris inerat, quàm quorumcunque librorum . . . sententiam requirere ab his qui conditoribus illorum, atque auctoribus acerbissimum, nescio qua cogente causa, bellum indixerunt.* Legi, & audivi aliquos Recentiores proferentes, quasi ex auditu, quædam Elizaldi argumenta, quæ ipsi, aut non intelligunt, aut referunt parùm fideliter, & tamen illa, & illorum auctorem eâ confidentiâ contemnunt, ut videantur magistri sapientissimi cum tyrone quodam agentes; qui certè, si Elizaldo conferantur, vix non pueri nobis videntur.

Aug. de utilit. cred. c6.

Hæc paucula pro magno Elizaldi nomine apud sapientes immortali futuro, & optimè apud ipsos de morali doctrina merito, veritas ipsa, & justitia poscebant, & à nobis data occasione veluti jure suo extorsêre, quæ puto Lector eruditus, ac prudens, æqui, bonique consulet, si veritatem diligit, & sapientum nomen honorat.

Æquo itidem animo, ut facilè confidimus, ferent viri humanissimi, & prudentissimi, sincerèque veritatem amantes, quos refutavimus à §. 6. ferè quoad modum tantùm loquendi, digressionem hanc nostram haud parvi, ut putamus, momenti, quippe qui probè noverint ex Apostolo, nihil nos posse adversùs veritatem, pro qua & ipsi strenuè decertât. Utique *Sanctum est* (ut ajebat Philosophus) *pro salute veritatis amicos etiã refellere*. Jam ad nostrum propositum regrediamur. Arist. 1. Ethi.

408. Firmum igitur sit, & deinceps à nemine jure negandum, nullum prorsùs judicium re ipsa falsum, esse posse, aut fundare rectam agendi regulam, proindèque ex doctrina, quam tradidimus de majori, aut minori judicii certitudine, quæ non variat simpliciter agendi regulam, non nisi fallax argumentum duci ad veritatem, aut falsitatem: quia veritas, in ordine ad moralem actionem regulandam, est ipsa substantia judicii, sine qua scilicet nequit intelligi conformitas ad regulam primam: sine hac verò conformitate nequit intelligi regula recta, quin neque regula simpliciter talis.

409. Unde tandem concluditur nullitas consequentiæ in argumento Lydii Lapidarii: nam, quanvis gratis ipsi largiamur, quod ubique supponit, nullibi probat, nempe ex vi damnationis Innocẽtianæ nunquàm uti licère in materiâ Sacramentorum opinione purè probabili, sed opus esse judicio omninò certo, & nullatenùs opinativo; inde tamen non sequitur agendi regulam in præfata materia esse aliam simpliciter, & quoad substantiam, sed unicè quoad modum majoris certitudinis. Id verò nihil prorsus sententiæ nostræ præjudicare, sed optimè cum illa congruere, affatim ostensum relinquimus.

§. IX.

§. IX.

Assumptio in argumento Lapidarii est etiam adeò evidenter falsa, ut vel ipse, si rem seriò adveniat, non possit de falsitate ipsius dubitare.

410. NOn licère in materia Sacramẽtorum uti opinione ulla, quantuncunque probabili de eorundem valore extra casum necessitatis, quod in suo argumento assumit, nullibi disputat Lapidarius, sed ubique supponit, & affirmat ut rem indubitabilem, & apud nullos Theologos disputationis aleam subituram post præfatum Decretum Pontificium. Mirum autem videtur, si iste Magister totus benignus hoc Ecclesiæ Decretum præter suum morem tàm crudè, ac rigidè velit intelligi. Verùm ars ejus facillimè se prodit.

411. Existimavit utique vir sagacissimus, rigorem hunc obesse nihil posse benigno suo Probabilismo; nam regula adeò stricta, ac severa certissimè non poterat ad alias materias extendi. Unde in primis ex illa benignam suam sententiam probat argumento petito ab illa trita, ac vulgari paremia ex utroque Jure desumpta, *exceptio firmat regulam in contrarium, &c.* quo eodem valde inconsideratè Recentior alter supra utebatur, & cujus nimiam absurditatem ibidem jam notavimus, & ostendimus.

412. Deinde arguit contra sententiam nostram argumento isto bicipiti, aut tricipiti potiùs, cujus vim fugere nullâ viâ possimus: nam vel extendimus regulam istam generaliter ad quãcunque materiam; & Alexandri damnationem incurrimus: vel restringimus illam ad hanc materiam; & jam diversam regulam pro ipsa adstruimus; quo tota vis argumenti nostri de judicis licentia damnata prorsus disparet, ac evanescit: vel denique, neque in ista materia regulam præfatam adstruimus; & sic palàm impingimus in Innocentium damnantem usum opinionis probabilis in materia Sacramentorum. Ita ille fortissimè, & acutissimè.

413. Cæterùm nihilominùs supereſt admiratio non modica: quia, etiam pro materia Sacramentorum tantùm, regulam memoratam adstruere, videtur rigidissimum, ac planè intolerabile; quis enim precor audeat, vel unum Sacramentum pœnitentiæ tractare, quod tamen omnium frequentissimum est, & aliundè præ omnibus onerosum, si per se, & extra casum necessitatis, judicium Confessarii de absoluto ipsius valore debeat esse absolutè certum, & infallibile? Quid igitur dicemus?

414. Sed frustra planè timeas Probabilissimi benignitati, ne verè ipse conscientias hominum aliquando nimiùm obstringat. Nempe principia Probabilistarum, cùm non sint firma, ac solida, sed fluxa, regulæ, quam ex illis eliciunt, videtur esse regula Lesbia, quæ sicubi restringi, aut contrahi nimis videatur, nullo negotio ad arbitrium utentis flecti possit, atque laxari.

415. Ad argumentum verò Lapidarii quoad duplex ejus caput nihil dicendum supereſt. Quoad tertium autem, quod ut certum assumit, & ubique supponit tanquàm indisputabile, id nos indubitanter in sensu, quem intendit, usque adeò falsum censemus, ut de evidenti ipsius falsitate dubitare nequeat, vel ipse. Frustrà verò, & otiosè hanc nostram existimationem hic iteratò demonstraremus, cùm id potissimùm egerimus toto arti. præced.

416. Nec verò Lapidarius Eximium suum Doctorem, quem utinam, ut nostrum, prout debebat, tractaret, & non ipsi quàmplures opiniones falsas, & absurdas affingeret contra honorem tanti Doctoris, & in obsequium sui Probabilismi, quem certè Magnus Suarez, dum con-

controversiam istam non ex aliorum sensu jam tunc in Scholis communi, sed ex propria sua sententia distinctè, ac ex professo tractat, atque resolvit loco superiùs jam adnotato, haud minùs clarè reprobat, quàm nos ipsi, quin & severiùs, saltem ad speciem, ut in secunda parte, productis latè verbis ipsius oculariter ostendemus: ne, inquam, Lapidarius opponat nobis Doctorem hunc eximium, docentem de communi Theologorum consensu, gravissimè delinquere Sacramenti ministrum utentem formâ, aut materiâ incertâ, etiam si sit probabilis, aut probabilior, dum potest uti commodè omninò certâ: nam & nos id ipsum docemus. Quomodò verò debeat intelligi assertio ista nobis verissima, quàmque crassè, ac patenter, Lapidarius hallucinetur, clarè, ac distinctè demõstratum relinquimus, ut quidquam ultra adjicere supervacaneum sit.

Sup l. 1. cõtrov. 6. a. 8. n. 122.

Sua to. 3. in 3. p. d. 16. sect. 2.

417. Illud modò ostendendum duntaxat superesse videatur, qua ratione minister Sacramentorum prudenter, & honestè se gerat, in ipsis conficiendis, aut conferendis, dum agit ex judicio simpliciter fallibili de absoluto eorum valore: maximè si non possit per dictamen reflexum de suæ operationis honestate ultimò firmare conscientiam, quod nos haud semel insinuasse videmur. Fieri profectò non potest, quin timeat prudentissimè Sacramenti, quod conficit, frustrationem, & maximum plerunque spirituale proximi damnum: quis verò dicat, eum, qui operatur cum timore prudenti tanti mali, prudenter, & honestè se gerere? Id enimverò nimis apparet falsum, & à nullo prudenti concedendum.

418. Difficultatem istam absolutè gravissimam ex professo tractare, & expedire, non est (ut sæpè diximus) hujus loci, ubi nostrum propositum non est docere positivè, ac directè, quænam sit regula moralis honestatis, seu, quod eòdem redit, quale sit dictamen conscientiæ, quo proximè ad agendum dirigimur; sed convellere regulam non verè talem recentium Probabilistarum, ejusque pravitatem demonstrare. Coacti tamen sumus per operis decursum haud pauca sparsim dicere de re ista, de qua tandem art. præced. alia non pauca superaddidimus, &, si non fallimur, satis solida, ac certa.

419. Cæterùm, quia præfata difficultas multos, etiam ex nostris, maximè movet, aliqua dictis addere operæ pretium duximus; tum ut apertè constet, sententiam nostram, & doctrinam hactenùs traditam, nulla ratione ab illa pendere; tum ut aliqui suas fallaces apprehensiones adversùs sensum à nobis insinuatum, vel corrigant omninò, vel moderentur saltem, interim dum in suo proprio loco solidè, atque copiosè demonstramus, sensum istum esse verissimum, & quo nihil sit in Theologia, vel conformius doctrinæ sanæ, ac Catholicæ, vel moribus Christianis salutarius.

420. Itaque dicimus in primis, judicium directum de reali valore Sacramenti, nec debere, nec posse regulariter saltem, atque per se loquendo, esse certum, & evidens absoluta, & omnimoda certitudine, quæ nempè cohærere non possit cum aliquo periculo, adeòque nec cum aliqua deceptionis formidine. Sanè, si secùs foret, vix unquàm aliquis, aut ne vix quidem, accederet ad aliquod Sacramentum, quia neque ullum qui conferret, inveniret, nisi deberet semper ad ipsum Angelus de Cœlo descendere, ut ad movendam aquam Probaticæ piscinæ Hierosolymis olim descendebat. Pro certo igitur debet ab omnibus haberi, nec necessarium esse, neque possibile, per se saltem loquendo, ut minister Sacramentorum in eorundem administratione prudenter, & honestè se gerat, judicium, quo directè, non purè probabiliter, aut opinativè dumtaxat, sed evidenter potiùs, & cum omni-

Joan. 5.

nimoda certitudine judicet, Sacramentum, quod conficit, verum esse re ipsa, & coram Deo.

421. Addimus verò modò, non esse necessarium, neque possibile, simile judicium reflexum. Quæ assertio forsàn tibi admirationis sit non mediocris: quis enim unquam sic deliravit, ut diceret, judicium reflexum de reali valore Sacramentorum esse posse certum, & evidens, si judicium directum certum non sit, sed tantum probabile? Fateor assertio nostra supervacanea, immò etiam ridicula videri posset, nisi moderni Probabilismi, Reflexistarum, & reflexionum, notum nobis esset ingenium; quid enim est, quod ipsi per familiares suas reflexiones expediri posse non censeant? Quid est, quod bona fides (quam ipsi dicunt) seu conscientia formata per reflexum dictamen probabilismi, non possit, aut non faciat, etiam contra leges divinas necessarias, & invariabiles?

422. Sanè haud mirarer multùm, si non defuisset aliquis Recentior, qui intrepidè docuisset (etiam vulgari idiomate, quo vulgi quoque auram posset captare), eum, qui bona fide, ideat, per errorem probabilem (utique in sensu Probabilismi sui) de valore alicujus Sacramenti illud de facto confert, aut suscipit, suscipere, aut conferre re vera, & coram Deo Sacramentum verum, ac ratum. Horres opinor: & quis non horreat? Sed vereor, ne præposterè horreas, horrore scilicet non benè collocato.

423. Enim verò, si horreas assertionem expressam absolutè consideratam, horrore tuo nihil prudentius. Si verò horreas timorem nostrum de eâdem assertione exprimendâ ab aliquo subtili Probabilista consequenter ratiocinante, horror tuus non prudentiæ tribuendus est, sed ignorantiæ Probabilismi, quem audis quidem auris auditu, fortè etiam corde probas, ac sequeris; mente tamen non percipis, nec ipsius principia penetras.

424. Non ne Deus per legem suam, & voluntatem antecedentem prohibuit generaliter omnem contractum per se, ac naturâ suâ, usurarium ex. g. Certum est. Nonne tamen ut certum in sententia benigna docetur, eum omnem, qui fretus opinione directa, etiam minùs probabili de honestate contractus per se, & naturâ suâ injusti, & usurarii, illum de facto init, irreprensibiliter agere, ita ut ipsius actio non tantùm usuraria non sit, sed absolutè potiùs positivè justa, & honesta? Quare? Respondet omnis Probabilista: quia Deus alia lege, cõsequenti nimirùm, atque reflexa, ex suppositione prædicta revocat, ac relaxat legem antecedentem excipiendo ab ipsius generali prohibitione contractum in hypothesi assumptum. Sed verò neque excipit tantùm, sed positivè quoque vel præcipit, vel consulit, aut saltem approbat; quia fieri non potest, ut Deus positivè nõ approbet tanquàm laudabilem, & honestam, actionem procedentem ex rationis dictamine verè probabili, atque prudenti, ut lumine rationis notum est.

425. Vides ne, objectum turpe, & injustum naturâ suâ, pariterque moralem actionem per se, & ex proprio objecto turpem, & injustam futuram, ex reflexo dictamine ad legem consequentem, ac reflexam, naturam suam prorsus mutare, ita ut objectum transeat in honestum, & justum, & consequenter actio circa ipsum elicita evadat positivè, ac formaliter justa? Vides qualiter Deus, qui sua voluntate antecedenti absolutè statuerat, objectum illud illicitum hominibus fore, & materiam contractus non justi, sed injusti, quem proinde si auderent facere, æternam damnationem incurrerent; tamen ex aliqua suppositione, scilicet erroris invincibilis, aut (quod eodem redit) in sensu tuo, per aliam voluntatem reflexam, aut subsequentem errorem istum, priorem voluntatem relaxat (& quidem necessariò,

quin

quin aliter facere possit), & oppositum prorsus statuit, nimirùm, ut præfatum objectum nõ sit illicitum, sed honestum re ipsa, & materia contractus re ipsa justi respectu hominis illum ineuntis ex illa falsa opinione probabili?

426. Cum igitur hæc sit in via Probabilistarum principium capitale, nemo Probabilista horrere potest ejusmodi assertionem in materia Sacramentorum, cùm sit, non tàm sequela, quàm ipsa in propriis terminis sententia illorum ad specialem materiam contracta. Nam nisi velimus diversam virtutem prudentiæ pro qualibet materiæ diversitate adstruere (quod foret paradoxum inauditum cõtra Ethicos omnes Theologos, & Philosophos) minister Sacramenti certò cognoscens, præfatam opinionem esse probabilem, prudenter illâ utetur, & memoratam materiam adhibebit honestè, ac irreprehensibiliter. Igitur Christus Dominus non potuit non positivè probare per voluntatem suam consequentem operationem istam sui Ministri, tanquàm verè fidelis, & prudentis dispensatõris. Ergo non potuit non velle, & statuere, ut materia, qua utitur in dicta hypothesi, sit vera, atque legitima Sacramenti materia, alioqui vellet (quod absit) ut Minister frustraret Sacramentum, omittendo materiam unicè præstitutam, & aliam illegitimam adhibendo per nullam voluntatem ab ipso Christo Domino designatam.

427. Quin & assertio hæc mea ex terminis multò facilior est, quàm tua communis assertio: quia objectum, quod assumitur in mea hypothesi, ex se, & naturâ suâ malum nõ est, sed bonum, aut saltem nulla ratione malum, quodque honestè potuerit à Christo amari; quid enim vetat, Dominum, si voluisset, designare per se, & ex primaria sua intentione, ut materiã propriam Baptismi, omnem aquam, quam obviam haberemus, seu naturalis foret, seu rosacea? Nemo profectò, nisi irrationabiliter, affirmabit id repugnare.

428. Ast verò objectum assertionis communis non hujus est naturæ, sed contrariæ, nimirùm ex se turpe, & injustum, quodque Deus non possit ulla ratione amare per voluntatem aliquam antecedentem: quin immò, quod non possit non odisse, ac severissimè prohibere. Quis verò non concipiat hanc voluntatem Dei consequentem, & efficaciam ejus mirificam ad immutandum objectum suum, multò difficiliorem, & ad speciem multò absurdiorem, quàm illam Christi Domini voluntatem? Cæcus planè sit, qui non videat, si alteram oporteret abjicere, hanc posteriorem Dei voluntatem, potiùs quàm illam Christi, fore negandam.

429. Patet ergo, non nisi falsò, & per inconsequentiam evidentem, restringi sententiam benignam, ut ad materiam Sacramentorum ipsius praxis non extendatur; nec hoc posse quemquam dubitare, nisi qui Reflexismi mirabilem structuram, non calleat.

ARTICULUS VII.

Mens Theologorum circa certitudinem ultimi conscientiæ dictaminis de absoluta honestate objecti: Ubi, multis deprehensis nimiùm absurdis Lapidarii hallucinationibus, ab istius quæstionis resolutione, doctrina nostra independens ostenditur.

430. NImirùm, quidquid sit, utrum Sacramenti minister, ut licitè, ac prudenter procedat ad ipsum constituendum, aut conferendum, debeat esse certus simpliciter de reali valore, seu veritate ipsius Sacramenti: immò supposito, quòd esse non debeat, ut stabilitum relinquimus; videndum supereſt, an saltem opus sit, ut apud se concludat, inspectis omnibus, judicio similiter certo operationis suæ eliciendæ ve-

ram, & absolutam honestatem? Pro cujus decisione quæstionis (à qua doctrina nostra non pendet, ut videbimus) præmittendam putavimus in hoc articulo generalem doctrinam, & sensum Theologorum de præfati dictaminis certitudine, ut quid in hac materia peculiari absolutè tenendum sit, firmiùs, atque distinctiùs concludamus.

§. I.

Quid de hac certitudine Theologi generaliter sentiant?

431. ANimus non est, ut advertimus, quæstionem hanc apud omnes gravissimam pro dignitate sua modò tractare, sed deliberare tantùm celeriter quantum satis sit, ut doctrinam in superioribus à nobis statutam, & regulam agendi præfixam pro hac speciali materia, ab istius ingentis difficultatis resolutione, quæcunque demùm sit, minimè pendere ostendamus adversùs Lapidarium nostrum, qui non minùs ineptè, quàm vehementer, sententiam nostram seriò, nec semel, ex hoc capite calumniatur.

432. Enimverò inter Theologos modernos, tam veræ, ac moderatæ, quàm benignæ sententiæ sectatores, non convenit omninò de re ista, sed multiplex potiùs est sēsus.

Nempe, etsi apud recentes, aut recentissimos Probabilistas, sit jam valde communis, atque recepta præfata certitudo absoluta (& quidem metaphysica juxtà plures eorum, quod videtur dictu incredibile) ultimi conscientiæ dictaminis, quod appellant practicè practicum: multi tamen ex illis, qui Probabilismum modernum recens in mundo natum, minùs cautè exceperunt, atque foverunt, existimarunt, non esse necessarium, neque ullo modo possibile in rebus de se dubiis, aut probabilibus ultimum conscientiæ dictamen certò, & infallibiliter concludens absolutam actionis honestatem; ita enim docuerunt Medina ipse, Probabilismi primus, ut creditur, Author, Vazquez, Sanchez, Lorca, Granados, Salas, & alii plures præcipuæ auctoritatis inter eos, quos Recentiores ipsi pro benigna sententia numerant.

433. Pariter inter nostros Antiprobabilistas nonnulla de re ista dissensio est. Porrò Theologi antiqui cum D. Thoma satis apertè, aut docent, aut supponunt communiter, judicium ipsum practicum directum, quo intellectus concludit probabiliter veram honestatem objecti, regulare immediatè operationem; nec agnoverunt aliquod artificium, quo operans deberet, aut posset, comparare ulteriorem certitudinem per aliquod artificium reflexum. Quare si quando insinuant, aut dicunt, judicium de honestate operationis certum esse debere, intendere censendi non sunt certitudinem aliquam reflexam, (cujus ne leve quidem vestigium inire apud ipsos sit), sed probabilitatem non vulgarem, aut latam, sed veram, firmamque, qualem superiùs nos exposuimus.

434. Hanc autem opportunè appellant certitudinem, non simpliciter talem, sed imperfectam tantùm juxta propriam materiæ conditionem, secundùm quam intelligi debent locutiones Doctorum absolutæ, ut multi etiam ipsorum distinctè ex Aristotele notaverunt, ac expresserunt. Videatur inter alios S. Antoninus, cujus verba mox afferemus. Aristo. 1. Ethic. 3. S. Antoni. 1. p. Sum. t. 3. c. 10. §. 10.

435. Similiter loquuntur, & intelligi debent Recentiores non pauci Antiprobabilistæ, qui ubique palàm, aut docent, aut supponunt, neminem aliquando prudenter agere, nisi qui certò judicat, objectum, quod amplectitur, honestum esse; nam, cùm nullibi doceant, aut insinuent, certitudinem istam esse absolutam, & nulli expositam deceptionis periculo, aptè, & congruè accipiuntur de imperfecta, ac mo-

ra-

rali juxtà propriam materiæ conditionem.

436. Nec refert, quòd nonnunquam quidam eorum conceptis verbis caveant, memoratum judicium ita certum esse debere, ut omne morale periculum, omnemque deceptionis formidinem à mente operantis excludat: ipsi nanque, & duplex periculum, & duplicem deceptionis formidinem considerant, atque distinguunt; quarum alterum vocant logicam, metaphysicam, aut physicam (id ipsum de periculo intelligunt), & alteram moralem, per quam significant timorem adeò magnum errandi, ut prudenter nequeat contemni, neque secum patiatur judicii firmitatem necessariam ad agẽdum prudenter, atque rationabiliter. Hanc posteriorem (secùs priorem illam) meritò affirmant necessariò excludendam: Unde diversis vocibus non aliud exigunt, quàm judicium verè probabile, quale nos ponimus, & exigimus, ut post pauca distinctiùs exponemus.

437. Neque item alium sensum re ipsa intendunt nonnulli, qui docuerunt cum Cajetano judicium necessarium ad agendum honestè debere non esse opinionem; nam opinio est regula ambigua, cui prudenter non possit operatio committi, ut Cajetanus olim arguebat. Porrò hi Auctores per opinionem intelligunt judicium turmidolosum formidine morali nuper exposita, quod meritò proinde negant sufficere: judicium verò firmum, ac constans, quod vocamus certum moraliter, quodque præfatam formidinem moralem, non verò logicam, omninò excludit, nolunt, ut dicatur opinio; quod unicè ad loquendi modum spectat, de quo contendere foret inutile.

438. Hanc esse Cajetani mentem genuinã, facilè evincit P.N. Generalis Thyrsus, productis verbis Cajetani ipsius, qui re vera nõ eget expositore apud eum, qui intelligat, quid nomine opinionis ipse significet. *Sed quia multi* (inquit ipse Cajetanus) *nesciunt discernere inter certitudinem moralem, & mathematicam, omnia quodammodò locant sub opinionibus*. Hæc Cajetani verba, si Lydius Lapidarius observasset, atque calluisset, non fuissent in his multis. Sed præoccupatus erat principio planè falso, quo necessariò hallucinabatur, ut statim palam faciemus. Cajet. in Sum. verb. *Opinio.*

439. Eundem sensum exprimit vocibus aliquantò diversis Doctor Antonius Charlas, in suo Opere solido, ac dilucido, quo novissimè nostram, & veram sententiam propugnat, dum docet non licere partem minùs tutam amplecti, quanvis illam censeamus probabiliorem, dum pars opposita magis tuta probabilis pariter est. Sensus quidem est idem: termini tamen mihi haud satis opportuni videntur, nec consentanei ad principia nostra; qui proinde, ut & alii, quibus hic Auctor non nunquam utitur, præbere possunt minùs intelligentibus aliquam occasionem errandi, quod experimento didicimus.

440. Tandem non desunt aliqui moderni Antiprobabilistæ, qui exigere omninò videantur ultimi conscientiæ dictaminis certitudinem absolutam: nam licet hoc non satis plerunque exprimant; cùm tamen exigant dictamen reflexum, quo tandem operans apud se concludat operationis suæ honestatem, satis clarè significant, non sufficere moralem certitudinem, quam secum affert juxta principia nostra judicium antecedens, atque directum.

441. Hic est in quæstione proposita Theologorum sensus summatim, sed & fideliter simul expressus. Facilè verò patiar, ut quis de mente unius, alteriusve, si libuerit sibi, contendat, dummodò nemo in dubium vocare, aut interpretari præsumat mentem Angelici Præceptoris; ipse nanque non semel de re ista adeò distinctè, & clarè locutus est, ut nullo prorsus egeat interprete, ut patebit statim ex proximè dicendis.

442. Utinam plurimæ locutiones ipsius aliquando nullum haberent; multi enim non quærunt sensum S. Doctoris de se plerunque facilem, ac perspicuum, sed proprium sensum altè præconceptum, & D. Thomæ sensui palàm contrarium per interpretationem sæpè ridiculam, ipsi S. Doctori valdè irreverenter affingunt. Profectò multò minùs ipsum offenderent, si simpliciter derelinquerent; quod in aliquo eventu rarò, etiam prudenter fieri posse, nemo prudens vertat in dubium: quanvis frequenter ipsi repugnare, præcipuè verò in doctrina morum, indicium sit haud leve animi pertinaciter decepti, neque sincerè veritatem amantis.

§. II.

De D. Thomæ mente insignis Lapidarii hallucinatio.

443. Hic ergo Recentiores non pauci objurgandi meritò sunt, sed omnium severissimè Lapidarius, qui, sicut præ omnibus audet, ita etiam frequenter præ omnibus delinquit. Nisi fortè ridendum quispiam duxerit, quòd D. Thomam Quodl. 8. q. 13. (ubi nostram potissimam cõtroversiam sub propriis terminis subtilissimè disputat, sapientissimèque resolvit, antiquam, & communem sententiam docens, & reprobans futurum multò post tempore Probabilismum, mirifica perspicuitate cum magna brevitate conjuncta, si quid unquam perspicuè, atque distinctè docuit) interpretatur in sẽsu reflexo; quasi videlicet S. Doctor, dum docet, nemini licitum esse ad partem minùs tutam declinare, nisi ipsa in se vera sit, & operans post diligens rei examen judicet ipsam veram judicio firmo, ac certo (qui est unicus eventus, in quo concedit licitum usum opinionis directæ minùs tutæ) intenderit tantummodò reflexam certitudinem, comparatam per artificium reflexionum Probabilissimi, præscindentem scilicet à certitudine, immò à reali etiam objecti veritate. In hac S. Doctoris interpretatione mirabili sectionem integram Lapidarius impedit, quod incredibile videretur. Sed hæc est hominis animositas, quæ nihil non faciat credibile.

444. At quodnam est fudamentum cogens, ut credamus, Angelicum Magistrum loqui non posse de alia certitudine, quàm de reflexa Probabilistarum, etiam dum verbis conceptis asserit requiri omninò ad honestè operandum non modò veritatem formalem, sed & realem, atque objectivam, eamque certò ab operante cognitam, quo nihil evidentiùs repugnans sententiæ Probabilistarum, & inanibus ejus reflexionibus? Fundamentum convincens aliud non est, quàm illud Lapidarii principium, nimirùm, quòd judicium probabile, & non excedens limites judicii opinativi, in nullo vero sensu possit dici judicium certum, nisi *per inauditum paradoxum*, quo pacto nemo dicat D. Thomam fuisse locutum. Non ergo loquitur de judicio directo ad honestè operandum necessario; nam hoc non debet esse plusquàm probabile, nec excedere sphæram opinionis, nisi fortè velimus Jansenizare, & Tutiorismum jam damnatum defendere, eundem affingentes D. Thomæ, ut ipsius auctoritate protegamus nostram sententiam.

445. Hoc est invictum Lapidarii principium, quod nemo in dubium vocare possit, nisi per *inauditum paradoxum*, quodque si ex libro ipsius demas, dimidium pænè libri detraxeris. Verùm principium istud indubitatum, ne verisimilis quidem assertio est, quam seriò à nobis debere convinci miserum planè sit, ac dolendum.

446. Porrò, ut alia prætream in re notissima; quis precor ethicæ disciplinæ adeò imperitus erit, ut ne-

neſciat, objectum ejus proprium, & eſſe, & dici ab omnibus certum moraliter, ipſamque ſcientiam, imperfectam quidem, cæterùm moraliter certam; cùm tamen certum pariter ſit, objectum ejus proprium ſimpliciter eſſe fallibile, quodque intra proprios limites opinabilis, ſeu probabilis tantùm, contineatur, ipſamque moralem ſcientiam, aut nihil unquàm, aut vix quidquam concludere, niſi per diſcurſus probabiles? Legat ſaltem Philoſophum Lapidarius in ipſis Ethicorum proemialibus, & D. Thomam eundem exponentem, & mirum, ſi rubore non ſuffundatur.

447. Aut, ſi fortaſsè citiùs diſcere velit, quid ſit certitudo moralis, auſcultet ſaltem D. Antoninum id ex ipſo Philoſopho adnotantem, tanquàm vulgare quid, ac notiſſimum: *Tertia* (inquit) *certitudo, ſcilicet moralis, ſeu civilis, tangitur in principio Ethicorum, ubi dicitur, quòd diſciplinati eſt in unaquaque re certitudinem quærere juxtà exigentiam materiæ. Æquè enim vitioſum eſt perſuadentem quærere mathematicum, & moralem demonſtrantem. Non enim conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus conjecturis groſſis, & figuralibus, magis ad unam partem, quàm ad aliam ſe habentibus. Dicitur autem probabile, quod pluribus, & maximè ſapientibus apparet verum. Ex his igitur ſequitur, quòd in humanis agibilibus, quæ tantam habent varietatem, teſte Ariſtotele, & experientia, ſufficit talis certitudo, quæ non ſemper ſcrupulos omnes adjiciat, ſed ſufficit, ut contemnat, ſeu ſuperet eos.* Hæc Antoninus, quæ paſſim alii notant, & nimis apud Theologos vulgaria ſunt; in quibus multa poteſt Lapidarius notare, ut multas ſuas æquivocationes contemnat.

Antoni. ubi al legatus ſup.

448. Itaque certitudo moralis ex ſuo genere imperfecta eſt, & certitudo tantùm ſecundùm quid. Quare quoties profertur abſolutè, niſi ex circunſtantiis adjunctis aliud intelligere liceat, in materia morali, de qua tractamus, ſolùm ſignificat probabilitatem, non quidem vagam, purèque apparentem, quæ nimirùm præſcindat à vero, & falſo, & utrique communis ſit, etiam formaliter, & in mente operantis, qualem adſtruit benignus Probabiliſmus (hæc enim nullo modo dici poteſt moralis certitudo, cùm nullam dicat determinationem, ſive inhęſionem ad veritatem, in qua adhæſione certitudo conſiſtit), ſed prudentem, ac ſolidam, connexamque moraliter cum veritate, qualem vera Theologia ſtatuit.

449. Unde quando probabile diſtinguimus à certo, vel per hoc tantùm volumus ſignificare notabiliorem aliquam, & inſigniorem probabilitatem, quæ à fallibilitate longiùs recedat, propriùſque ad perfectam accedat, abſolutamque certitudinem; vel certum uſurpamus pro eo, quod eſt tale perfectè, & abſolutè, nempè ſimpliciter infallibile, & excedens omninò ſphæram opinabilis, ſive probabilis, cujus eſt propria moralis certitudo, nempè imperfecta, & ſecundùm quid. Porrò certitudo abſoluta propriè non eſt certitudo moralis, licèt quandoque talis dicatur; ſed aliud certitudinis genus diverſum à morali certitudine, & affectio ſpecialis, ſeu proprietas fidei divinæ, & ſcientiæ ſimpliciter, ac propriè talis. Dicitur verò moralis aliquando impropriè tantùm, ac purè materialiter, quia nimirùm concernit materiam morum, in qua ſunt etiam aliqua certa ſimpliciter, & metaphyſicè quoque infallibilia.

450. Certum ergo moraliter propriè loquendo in idem cum probabili recurrit, ſicut moraliter impoſſibile recurrit cum difficili, & arduo, quod non eſt abſolutè impoſſibile, ſed ſecundùm quid tantùm, & cum addito diminuente: & quemadmodum arduum dicitur magis,

gis, aut minùs impossibile, prout fuerit magis, aut minùs arduum; ita etiam probabile dicitur magis, aut minùs certum, prout magis sit, aut minùs probabile, utrumque scilicet in suo genere imperfecto, & secundùm quid.

451. Præterea, sicut illud, quod arduum est, maximè si valde sit arduum, frequenter absolutè, & sine ullo addito, solemus impossibile dicere: itam etiam probabile, præsertim notabiliter, & insigniter, passim consuevimus dicere certum, nulla limitatione superaddita, quia ipsa moralis materia, de qua disputamus, aut loquimur, satis per se restringit locutiones ejusmodi, propriumque earum sensum ostendit, ut non debeant intelligi de impossibilitate, vel certitudine absoluta, ac perfecta, sed de imperfecta, & morali tãtùm, *juxtà exigentiam materiæ* scilicet, ut nuper D. Antoninus ajebat.

452. Possent hæc comprobari, aut explicari ulteriùs, si foret opus, exemplo objecti legis humanæ, quod est ex suo genere absolutè fallibile, adeòque probabile tantùm: & tamen passim appellatur certum certitudine scilicet morali. Similiter testimonia juridica, allegationes, aut probationes, quæ fiunt apud forum humanum, fallibilia sunt absolutè, & intra sphæram probabilitatis, ut compertum est apud omnes, & docet Magister Angelicus, cujus verba damus statim. Quis verò nesciat passim vocari certa, in ipso etiam utroque Jure, & quidem absque ulla restrictione ex modo ipso significandi? de quo post pauca iterùm sermo redibit. Sed pudet immorari rebus ejusmodi, vel apud vulgus notis, demonstrandis.

453. Legat, si sibi placet, Lapidarius, Eximium nostrum, non suum Doctorem (cui nempè nimium defert tunc unicè, cùm ad suum gustum loqui sibi videtur; aliàs verò cum reliquis passim contemnit) tùm sæpè alibi, cùm to. 4. in 3. p. d. 20. s. 1. n. 25. Laim. to. 2. li. 5. tr. 2. c. 5. & alios, etiam graves Probabilistas, & facillimè discet hanc certam veritatem, quòd opus omninò sit multa legisse, antequàm quis, præsertim in materia tanti momenti, ad paucula scribenda, dictandave, se accingat. Sua. Laim.

454. Cæterùm, ut sciamus, quid D. Thomas senserit de morali, quam dicimus, certitudine, testes alios producere non est opus. Audiatur ipse D. Angelicus: *Certitudo* (ait) *non est similiter quærenda in omni materia: in actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eò quòd sunt circa contingentia, & variabilia. Et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, & sic in paucioribus à veritate deficiat.* Legat hæc Lapidarius, & discat aliquando, si libet, an *inauditum* sit *paradoxum*, quod judicium purè probabile, adeòque absolutè fallibile, in materia morali certum dicatur, certitudine scilicet morali, & imperfecta. D. Tho. 2. 2. q. 70. a. 2.

455. Abeat jam igitur novus hic Magister, & *venerabilis sententiæ benignæ* vindex, fidenterque concludat, ex invicto suo principio, Angelicum Doctorem pro se stare, & esse apertè Reflexistam benignum: objurget, & contemnat audacter, & P. Generalem Societatis, & alios nuperos Antiprobabilistas apud cordatos omnes verè sapientes, eò quòd Cardinalem Cajetanum, P. Molinam, & alios plures, qui benignam sententiam expressè reprobant, cùm exigunt aliundè ad prudenter agendum judicium certum de honestate objecti, exponant de judicio directo verè probabili in sensu nostro, quod meritò certum vocatur, moraliter videlicet, ac imperfectè *juxta exigentiam materiæ* moralis. Alia denique plura ex illo suo certo principio depromat contra nostram doctrinam argumenta subtilia, & evidentia, qualia se passim jactat depromere.

§. III.

§. III.

De Bellarmino peculiaris correptio Lapidarii.

556. SEd dissimulare non possum quòd P. Generalem Societatis in speciali Animadversione, quam adversùs illum instituit per duas paginas supra quadraginta sui gloriosi libri (certè non magni), & in qua ad alias opiniones ejusdem ab hac materia prorsùs alienas acriter suggillandas digreditur, supra modum contemnit, ac pænè irridet; quòd piissimum, juxta ac sapientissimum Bellarminum docentem, ut quis tutò, & honestè operetur, debere in controversiis, quas designat, certam veritatem inquirere: &, si rei certitudo ad liquidum apparere non possit, (Cardinalis verba ipsa mox dabimus) debere omninò tutiorem partem sequi, exponat juxtà proximè dicta de judicio probabili veritatis, quale designat sententia nostra, quod jure merito certum appellatur, certitudine nempè morali, ac imperfecta, quæ propria est materia moralis.

Constat. omninò liber paginis 256.

457. Hanc, quæ re verà non expositio, interpretatiove, dici mereatur, sed simplex enarratio, aut expressio assertionis V. Cardinalis (utique de se claræ, propriæ, ac legitimæ, nullaque expositione, aut interpretatione indigentis) mirum est, quàm audacter Lapidarius contemnat, adeò ut dicat, vix fore cordatum aliquem, qui possit credere, P. Generalem Societatis *seriò, & ex animo illam adhibuisse*: esse enim, inquit, *incredibilis omninò, nec, ut apparet, seriò ab illo tradita.*

Lapis Lyd. n. 411.

458. Quid ergo, Magister cordatissime, tibi ne credibile apparet, quod P. Generalis expositionem istam non seriò, non ex animo adhibuerit; quam ex ipso Bellarmino deprompsit? Vide quid Bellarminus ipse docuerit de re ista, de qua distinctissimè tractat li. 3. de Justificat. per totum ferè cap. 2. Profectò jurè causari non potes, quòd nimium à te postulemus.

459. Audi igitur verba sapientissimi Cardinalis, qui postquàm varios certitudinis gradus distinxisset, & exposuisset, accedit tandem ad eam certitudinem, quæ *est*, inquit, *earum rerum, quæ sola fide, vel opinione nituntur*. Cùm verò & in hoc genere, tres gradus distinxisset, quorum duo priores ad fidem pertinent divinam, vel humanam, in hæc demum verba concludit: *Tertium gradum habent illa, quæ tot signis, & conjecturis nituntur, ut securum hominem reddant, & anxietatem excludant; non tamen formidinem omnem expellant: atque hæc dicitur* (aures arrigito) *certitudo conjecturalis, & opinionis est, potiùs quàm fidei*.

Bellarm. ubi nuper

460. Fateris jam, te hactenus de certitudine judicii opinativi aliter, quàm res habeat sapuisse. Ais tamen adhuc, verba Bellarmini expositionem illam non pati; nam loquitur de judicio honestatis, quo veritas *appareat ad liquidum*: licèt verò judicium merè probabile, & opinativum, possit, utcunque certum vocari; attamen, quòd per se ipsum veritas *appareat ad liquidum*, nemo profectò dixerit. Sed rem adhuc non attingis: quia, sicut certitudo veritatis, ita etiam liquiditas, aut claritas (imperfecta nimirùm, ac moralis) non repugnat judicio opinativo.

461. Utique prudentissimus Cardinalis illo loquendi genere significare voluit, & commendare diligentiam non segnem adhibendam in quærenda lege divina, maximè in rebus gravioris momenti, à quibus pendet animæ salus; neque sufficere nobis debere quàlibet apparentiam veritatis, sed studiosè potiùs enitendum ad judicium verè probabile, hoc est, maturum, solidumque, quo prudenter, ac firmiter judicemus, objectum, quod intendimus amplecti, esse honestum re ipsa, & coram Deo.

Id

462. Id utique judicium meritò dicitur certum, ac liquidum pro conditione materiæ moralis. Nec Bellarminus majorem aliam exigit, ad agendum prudenter, judicii claritatem, aut certitudinem, cùm de judicio hujusmodi disertè affirmet, sufficere, *ut securum hominem reddat*, securitate scilicet morali, quam patitur per se humanus, ac moralis modus agendi. Quæ verò illa? Nempè, *quæ anxietatem excludat; non tamen formidinem omnem expellat*. Non ne vides, apud sapientes quàm sit certum, prudentem conscientiæ nostræ securitatem, animi turbationem, & anxietatem quidem expellere: attamen non formidinem omnem, & timorem sanctum peccandi? Hanc tu dicebas magnam, & evidentem contradictionem. Sed qui facilè loquitur, facilè labitur.

463. Sufficiant puto dicta, vel apud mediocriter eruditos, ut constet, V. Bellarmini interpretationem exhibitam, non credibilem modò, sed indubitabilem esse.

Sed quia fortè non desint aliqui, quos nimiùm adhuc moveat Bellarmini locutio de veritate *ad liquidum* cognoscenda; nam quidquid de morali certitudine sit, evidentia tamen, aut claritas, quam hæc locutio apertè significat, manifestè videtur repugnare judicio de se obscuro, atque formidoloso, quale est juxta omnes opinativum omne judicium: quare operæ prætium sit non nihil addere pro hac æquivocatione removenda.

464. Addo igitur eumdem esse Bellarmini, ac D. Thomæ, & loquendi modum, & sensum. Nam Doctor Angelicus simili locutione nonnunquam utitur, eandemque designat agendi regulam, ut patet ex ejusdem S. Doctoris verbis alibi jam à nobis scriptis, quibus generaliter docet, quid agere debeamus in omni dubio circa sẽsum legis. Nempè, cùm objecisset secundo loco, nemini privato licere legem interpretari, aut ab ejusdem sensu deflectere, respondet S. Doctor: *Dicendum, quòd ille, qui sequitur intentionem legislatoris, non interpretatur legem simpliciter: sed in casu, in quo manifestum est per evidentiam documenti, legislatorem aliud intendisse. Si enim dubium sit* (attende), *debet, vel secundum verba legis agere, vel superiorem consulere*. D. Tho. 1. 2. q. 96. a. 6. ad 2.

En M. Angelicus solùm concedit, licere amplecti partem minùs tutam faventem libertati contra legem, quando, sit evidens, legem non obligare, aut non extendi ad illud objectum: omnem autem eventum, in quo evidentia desit, dubium appellat, in eoque generaliter abnuit licere agere contra verba legis.

465. Nemo autem eatenùs ineptiat, ut D. Thomam velit interpretari de evidentia dicta minis reflexi, nisi fortè, qui terminos non intelligat, & cujusmodi non paucos invenias: de similibus autem non oportet esse solicitos, ne nos similiter ineptiamus.

§. IV.

Evidentia moralis, & imperfecta, optimè cadit, sicut & certitudo, in judicium purè probabile.

466. JAm ergo cui D. Angelici non sufficiat auctoritas eximia ad deponendam vulgarem apprehensionem, rationibus præterea manifestis facillimè possit convinci.

Sanè, omne judicium opinativum obscurum absolutè est, sicut est absolutè fallibile, ac incertum. At, sicut absoluta incertitudo non contrariatur, sed optimè cohæret cum ejus certitudine secũdùm quid, imperfecta nimirum, & morali, sic etiam de evidentia, & eâdem ratione dicendum est; omnis enim judicii certitudo, quæ purè subjectiva non sit (excipio hìc certitudinem fidei, quæ ex alio principio descendit) cum pari claritate conjuncta est. Ergo,

go, ſicut judicium purè probabile, & opinativum ſimpliciter, rectè appellatur certum in materia morali *juxta exigentiam materiæ* ipſius, ſic, & eodem jure evidens dici poteſt evidentiâ ſimiliter morali, ac imperfectâ.

467. Movere ergo non debet, quod judicium humanum de veritate aliqua interdum clarum, liquidum, aut evidens dicatur, ut propterea debeamus exiſtimare, ipſum eſſe pluſquàm probabile, & opinativum ſimpliciter, quando ex materia ipſa, & circunſtantiis, meritò locutio reſtringitur, neque loquens aliundè contrariam intentionem ſatis oſtendit, ut re ipſa oſtendebant Janſeniſtæ, ſeu Tutioriſtæ, qui damnatum articulum tuebantur.

468. Quin immò aſſertio ipſa damnata ſe ſolâ, & alia quavis expreſſione ſecluſa, contrarium illum ſenſum jurè damnatum, clarè, & apertè ſignificabat; nam ſi opinione ulla, etiam probabiliſſima, non liceat aliquando uti, evidens eſt, judicium requiſitum debere ſemper eſſe pluſquàm probabile, adeòque minimè opinativum, ſed abſolutè certum, & evidens: id, quod Sinichius, ejus erroris auctor, ex profeſſo aliunde docebat, & actuoſiſſimè ſuadere nitebatur. Quid verò aſſertio iſta prorsùs irrationalis, & jure meritiſſimo damnata, cum ſententia noſtra, quæ docet, licitum eſſe uti non tantùm opinione probabiliſſimâ, ſed quavis etiam verè probabili?

469. Eſt ne ſatis hoc? Audi tamen præterea argumentum vulgare, ſed convincens omninò. Nihil ſanè frequentiùs apud humanum forum, quàm probationes, & allegationes, ſufficientes, ac neceſſarias, ut judex poſſit ferre ſententiam, præſertim capitalem, contra reum, debere certas, & evidentes eſſe, immò *luce ipſa clariores*. Hæc vox paſſim auditur in tribunalibus, paſſim repetitur à Jureconſultis, quin, & in Jure ipſo non ſemel invenitur expreſſa vocibus vel eiſdem, vel penitus æquipollentibus. Quid verò putas, probationes ejuſmodi tranſire ſphæram probabilitatis, ſeu certitudinis abſolutè fallibilis, adeòque moralis duntaxat?

Leg. ult. C. de Probat. leg. *Si quis* 34. C. Ad leg. Iul. de Adul. leg. 3. §. *Præterea* ff. de Suſpec. tutor. leg. 2. C. de In litem juran. leg. 14. de contrah. ſtipulat. Ex Jure noſtro Hiſpa. leg. 26 ti. 1. part. 7. & ſæpè aliàs.

470. Profectò teſtimoninm trium, aut plurium hominum delictum de viſu teſtantium, teſtimonium humanum eſt; adeòque abſolutè fallibile, & utinam quandoque non falſum. Ergo judex ex illo, & ex alia quacunque probatione legali, ut ſummùm concipere poteſt judicium aliquod de delicto commiſſo valdè prudens, ſed probabile tantùm, adeòque abſolutè fallibile, & non certum pluſquàm moraliter.

471. Denique ſemiplena probatio criminis, ſi accedat rei confeſſio, etiam per torturam extorta, cenſetur plena contra ipſum probatio, ut eſt expreſſa Juris deciſio, *Confeſſos in Jure pro judicatis habere placet*, & praxis ordinaria confirmat. Quis verò neſciat, contingere poſſe, & de factò ſæpè contingere, quod Auguſtinus amarè deflet? *Et quod eſt* (inquit) *intolerabilius, magiſque plangendum, rigandumque, ſi fieri poſſet, fontibus lacrymarum, ne occidat* (judex) *neſciens innocentem, fit per ignorantiæ miſeriam, ut & tortum, & innocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torſerat*. Vides ne, probationem de ſe fallibilem, & quandoque, teſte Auguſtino, ipsâque experientiâ, fallentem, ore pleno evidentem dici, immò luce ipſa clariorem? Et quidem verè, ac rectè; quia materia moralis per ſe ipſam locutionis ſenſum reſtringit, ut non niſi moralem, & imperfectam tantùm evidentiam ſignificet pro conditione ejuſdem materiæ.

Leg. fina. C. de Confeſſis.

Aug. 7. de Civit. c. 26.

472. Patet ergo, judicium certum, ac liquidum, de partis minùs tutæ veritate, quod ad honeſtè agendum exiguntD. Thomas, & V. C. Bellarminus, nihil aliud, re vera, ſignificare, quàm judicium verè probabile,

& simpliciter opinativum, quod cõgruè dicitur moraliter certum, & liquidum etiam, aut evidens, juxta conditionem materiæ; etenim evidentia, & certitudo, quando materia moralis est, imperfecta, ac moralis censeri debet, proindèque cum vera probabilitate recurrens, licèt locutio ipsa sit absoluta, dummodò aliunde loquens oppositum non satis ostendat.

473. Unde patet ulteriùs, non P. Generalis expositionem, (si appellari hoc nomine debeat) sed Lapidari potiùs impugnationem nimis exoticam, & inconsultam, nullique cordato credibilem absolutè censendam esse.

§. V.

Verborum V. Bellarmini Lapidarii mirabilis interpretatio.

474. ID verò ut novo discas experimento, quod fidem meam plenissimè liberet, subjicio tibi ipsius Lapidarii interpretationem egregiam, quam memoratis Bellarmini verbis adhibet tãdem tanquàm *germanam, naturalem, atque genuinam*; ita enim loquitur ipse. Sed priùs subjiciamus verba ipsa V. Cardinalis, quæ habentur in Admonitione ad Episcopum Theanensem nepotem suum, appensa Opusculo de Officio Principis Coloniæ edito anno 1619. biennio ante pretiosam mortem ipsius.

Vid. Lap n. 413.

475. Ea verò sunt hæc: *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, & simul oporteat, eum Episcopali officio fungi, is omninò debet de octo controversiis* (eas ibi designat) *certam veritatem inquirere, & non respicere, quid multi hoc tempore dicant, aut faciant. Et, si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omninò tutiorem partem sequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali proposita, ad minùs tutam partem declinare. Agitur enim de summa rei, cum de salute æterna tractatur, & facillimum est conscientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo, conscientia non remordente, ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.* Hactenus verba planè Bellarmino dignissima.

476. In illis verò id in primis observa, quàm fuerit exploratum summo isti Doctori, ac verè Theologo, sine advertentia actuali, remorsuve conscientiæ, facillimè quem posse, & peccare, & perire.

477. Jam relatis his verbis, postquàm de expositione P. Generalis prædicta, de que sententia ipsius, & nostra, solito suo impetu multa effudisset Author Lydii Lapidis, quam ipse adhibeat interpretationem audiamus. Ait igitur, Bellarmini sensum *germanum, naturalem, & genuinum*, nisi velimus ipsi tribuere doctrinam ab Ecclesia damnatam, hunc esse, *Quod in dictis verbis loquatur de consilio, & non de præcepto*: verba sunt Lapidarii.

478. Verùm ne putes, ipsum sine fundamento locutum; duo nanque producit, & patentia. Quæ verò illa? Accipito: *Patet* (ait) *primò ex titulo illius Opusculi, qui talis est*: Admonitio ad Episcopum: *monet ergo, & hortatur, non tamen præcipit*. Hoc fundamentum primum. Audi secundum: *Patet secundò* (inquit), *quia non universaliter, sed sigillatim loquitur de certis quibusdam controversiis* (in quibus nempè magis periclitari Episcopi possunt). *At nec omnes fideles sunt Episcopi, nec novem controversiæ sunt omnes morales controversiæ*. Egregiè! At potuit multò adhuc magis restringere; quia nec omnes Episcopi sunt Episcopi Theanenses: qui neque omnes Theanenses Episcopi Bellarmini nepotes sũt. Hæc est *germana, naturalis, genuina* interpretatio, quam Bellarmini verbis adhibet tãdem novus iste Recentiõr Magister, nempè consilium non præceptum significant, neque extenden-

denda ad alias controversias, neque ad alias personas, quàm ad Episcopos.

479. Ridiculus sim ego, si velim ista seriò refellere. Hæc enim ex illis sunt, de quibus Tertullianus alibi jam adductus, *Quædam sunt sic digna revinci* (scilicet contemptu, & risu), *ne ipsa gravitate adorentur*. Hæc de sensu Doctorum in quæstione proposita.

Tertull. in Apologe.

§. VI.

Quidquid in illa tandem re dicere libeat, doctrinæ nostræ nihil potest obstare.

480. ID facilè convincere proclive sit. Et in primis necessitas, si qua est, certitudinis absolutæ ultimi conscientiæ dictaminis, nõ est propria materiæ, de qua disserimus, sed omni materiæ communis, ut est concors omnium consensus; nemo nanque invenitur, qui prædictam necessitatem, vel non adstruat, vel neget generaliter, & sine ulla restrictione materiæ. Quare ad præsentem controversiam nostram specialiter non spectat.

481. Nunc verò assertio posita suadetur insuper discursu penitùs convincenti. Nempè judicium ministri Sacramenti de ejusdem veritate, realique valore, nec debere, nec posse, moraliter saltem loquendo, esse certum plusquàm moraliter, hoc est, verè probabile, absolutè tamen fallibile, extra quæstionis aleam debet esse apud omnes, ut demonstratum à nobis est adeò clarè, ut vel ipse Lapidarius ultrà nobis obstrepere non præsumat: neque subtili ullo reflexismi artificio incertitudo hæc absoluta, remotumque periculum frustrationis, vel præcaveri potest, vel superari, cùm non dependeat à nostris reflexionibus, quòd Sacramentum validum re ipsa sit, ut nobiscum supponunt cuncti Probabilistæ licèt inconsequenter, ut etiam demonstravimus.

482. Igitur, quòd minister Sacramenti, dum procedit ad ipsum conficiendum, aut conferendum, falli absolutè possit circa valorem ejus, exponatque propterea Sacramentum absoluto periculo frustrationis, quidquid sit de ulteriori certo, aut certissimo conscientiæ dictamine, inevitabile prorsus est. At hoc est quod movebat, & difficillimum videbatur cum vera prudentia componere; & hoc omnes fatentur unanimiter ab omnibus esse dicendum. Quid ergo peculiaris difficultatis opponitur doctrinæ nostræ?

483. Vel igitur minister Sacramenti, dum ipsi conficiendo voluntariè se ingerit, tanti imminentis mali periculum prudenter, & honestè contemnit, eò quòd sit remotum, & moraliter saltem inevitabile per providentiam ullam humanam naturâ suâ timidam, & incertam, vel imprudenter potiùs ac temerè se gerit? Posterius hoc opinor nemo Theologus dicat, immò, nemo Catholicus, alioqui frustra Dominus commisisset hominibus dispensationem Sacramentorum.

184. Si verò prius illud dicatur, ut procul dubio ab omnibus dicendum est, rursum distinguimus, aut inquirimus: vel illud ipsum potest à Ministro cognosci omninò certò, & infallibiliter, non tantùm in communi (quod extra dubium est), sed etiam in particulari, ita ut possit de actionis singularis suæ honestate habere omnimodam securitatem, & certitudinem absolutam; vel solùm probabiliter, & cum morali certitudine tantùm? Si secundum hoc: benè. Profectò cuncti fateri tenebimur, nõ esse necessariam ad prudenter agendum, etiam in hac materia, securitatem aliquam, aut certitudinem, quæ major sit imperfectâ, ac morali.

485. Si verò primum illud dicere libeat; quod ad præsens spectat, per me transeat. Certè doctrinam nostram (quæ omnium esse debet)

ex isto capite nullus abjiciat, cùm illa ex se non obstet præfatæ certitudini, si sit ipsa, ut supponitur, absolutè possibilis. Est igitur doctrina à nobis tradita penitùs independens ab illius ingentis difficultatis de ultimi dictaminis certitudine determinata resolutione.

ARTICULUS VIII.

Quid demùm statuendum de absoluta, ac perfecta certitudine ultimi conscientiæ dictaminis circa absolutam honestatem objecti in administratione Sacramentorum?

§. I.

Nec hìc, nec alibi, per se loquendo, necessaria illa est: immò communi sensui Theologorum, & quod est majus, Scripturæ Sacræ, repugnare apertè videtur.

486. HÆc definita nostra sententia est, quam sæpiùs insinuavimus, aut expressimus, & cui non cum formidine, sed impavidè absolutum assẽsum damus; est enim, si quid aliud (nostro quidem judicio) adeò in morali Theologia certa, ut ad instar miraculi nobis sit, quòd de absoluta ipsius veritate Theologus ullus dubitare potuerit. Verùm, quia, ut varia sunt mortalium ingenia, quàmplures Recentiores non modò falsam illam, sed & horridam censent, operæ pretium me facturum putavi, si ultra ea non pauca, quæ hucusque sparsim dedimus, ubi opportuna ferebat occasio, aliquas rationes produxero ex iis, quas alibi fusiùs expendemus, pro vano isto horrore, vel omninò tollendo, vel saltem temperando.

487. Et primùm quidem sufficere deberet auctoritas communis Theologorum, non modò veterum cum D. Angelico, de quorum mente circa rem istam rationabiliter dubitari non potest, sed etiam plurium insignioris notæ ex Recentioribus utriusque viæ, qui procul dubio multò plures sunt, quàm vulgariter creditur, & affirmatur. Porrò pro contraria sententia, à qua maximè alieni sunt, multi nimiùm vulgariter recensentur ex illo jam rejecto Lapidarii principio, seu potiùs futili æquivocatione, quòd nullum rationis dictamen, si sit absolutè fallibile, atque adeò solùm probabile, & opinativum simpliciter, in nullo sensu certum vocari possit, nisi per *inauditum paradoxum*.

488. Utique vix reperias, aut ne vix quidem, aliquem (si recentissimos Probabilistas exceperis), qui aliquando docuerit, ultimum conscientiæ dictamen de absoluta honestate actionis debere certum esse perfecta certitudine, hoc est, simpliciter infallibili: nam, vel signatè affirmant debere esse certum moraliter, vel solùm dicunt debere certum esse.

489. Adde etiam si sensus iste non adeò foret planus, atque genuinus, nũquàm tamen auderem alicui gravi Theologo oppositum appingere, nisi fortè ita clarè locutus esset, ut non posset de mente ipsius rationabiliter dubitari. An id temerè dixero, judicabis non temerè post pauca, si me velis tantillùm patienter sustinere.

490. Ergo præter communem Theologorum Doctorum auctoritatem, auctoritas in primis Dei ipsius sententiam nostram planè convincit. Porrò quid magis frequens in Scriptura Sacra, quàm commendare nobis, atque suadere sanctum timorem Dei, & tremorem in operando, humilitatem, animi demissionem, diffidentiam de nostra sapientia, atque prudentia, consiliorum nostrorum, providentiarumque incertitudinem, summæ denique nostræ infirmitatis, & ignorantiæ, qua passim labimur, fallimur, deficimus, humilem, & compertam cognitionem?

491. Precor te, ne mireris, candide Lector, si dicere compellar, ne-

sci-

denter me gesserim, quòd non discesserim à voluntate Dei: certus sum, quod conscientia non me fallat, nec quidquam est, quod verear in meo opere, aut cur timeam judicium Dei.

496. Quis ad hæc non obstupeat? Quid hoc prodigii est? Siccine mihi licet præsumere de via mea? Siccine in cunctis meis operibus absque ullo, vel minimo deceptionis timore gratias agere possum, quòd non sim sicut cæteri hominum? Siccine possum judicii mei proprii, conscienti æque sententiæ deferre, ut neque leviter debeam formidare, ne de opere meo apud me justo aliter Deus fortè sentiat, ac judicet? Ista ne congruunt veræ humilitati, timiditati humanæ cognitionis, incertitudini nostræ prudentiæ, justo metui, ac timori in operando salutem meam; quæ omnia toties Deus impensè mihi commendat, & inculcat? Sanè doctrina ista non Dei sapientiam, sed quidpiam aliud sapere magis videtur.

Cæterùm ora obstruere nostrum non est; nam loqui, aut obloqui terminum non agnoscit. Tu, Lector, cogita sine contentione, & memor Dei judicii, coram Deo sententiam ferto.

§. II.

Itidem Tridentino repugnat.

497. OPinio, quæ doctrinæ paginæ sacræ repugnare apertè videatur, doctrinæ quoque Ecclesiæ Catholicæ ut non congruat necessum est. Quare mirum non sit, si opinio Recentiorum de absoluta conscientiæ certitudine, doctrinæ Sacrosancti Concilii Tridentini conciliari haud facilè possit.

Equidem Tridentinum contra inanem fiduciam hæreticorum hanc impiam eorundem assertionem proscribit: *Oportere eos, qui verè justificati sunt, absque ulla omninò dubitatione apud semetipsos statuere, se esse* Triden. sess. 6. c. 9. *justificatos, neminemque à peccatis absolvi, ac justificari, nisi eum, qui certò credat, se absolutum, & justificatum esse.* Damnationis autem istius, seu decisionis suæ hanc Concilium rationem statim reddit: *Nam, sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest; cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.*

498. Huic verò Tridentini doctrinæ opinio Recentiorum, quam refellimus, multis rationibus videtur contradicere.

Primò: nam juxtà ipsos Recentiores, quisquis ad Sacramentum suscipiendum accedit, certò credere debet absque ulla formidine, se accedere re ipsa ritè dispositum, aliàs peccaret graviter Sacramentum exponens frustrationis periculo. Igitur, quantum est ex parte suæ dispositionis, *dumque se ipsum respicit*, certò, ac inhæsitanter credere potest, immò debet omninò, se verè, & coram Deo esse *absolutum, & justificatum*; cùm tamen inde maximè formidandum, timendumque Concilium statuat.

499. Audi iterùm ipsum: *Si quis dixerit* (ait) *omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certò, & absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis, & indispositionis, peccata esse sibi remissa, anathema sit.* Ecce juxtà Concilium de nostra infirmitate, atque indispositione maximè formidare debemus in susceptione Sacramentorum. At juxta Recentiorum sententiam hinc formidare, nec debemus, nec possumus, alioqui peccaremus sine dubio, quia sine certitudine ageremus. Ibid. can. 13.

500. Secundò: si dictamen propriæ conscientiæ de absoluta objecti honestate debeat ubique esse sic certum,

scire prorsus me, quibus libris utãtur Recentiores hi Theologi prudentissimi, intrepidissimi, & infallibiles, qui tantam, tàmque facilem nobis spondent, quin & inexcusabilem nobis deprædicant securitatem in operando. Porrò in libris divinis, quos mihi tradit Ecclesia Romana, quique pro mei status, ac professionis munere vix unquam mihi è manibus decidunt, non modò nihil unquam simile inveni, verùm frequentiùs mihi nihil occurrit, quàm doctrina extremè contraria.

492. Utique passim lego, cor meum pravum, & inscrutabile à solo suo conditore cognosci: neminem apud Deum justificari, nec respondere posse unum pro mille: me ipsum satis judicare non posse, aut delicta mea intelligere, nec tutum me putare debere, etsi me nihil conscientia accuset: probandos mihi spiritus, si ex Deo sint, nec alicui de facili credendum: cavendum mihi quàm diligẽtissimè ab Angelo Sathana transfigurante se in Angelum lucis, à rapacibus lupis sub ovina pelle venientibus, à falsis fratribus, ab Anti-Christis, à Pseudoapostolis, à Pseudoprophetis, à Magistris fallacibus loquentibus mihi placentia, & fictam mihi conscientiæ pacem, securitatemque pollicentibus, à meis pravis cupiditatibus, & inordinatis affectibus; maximè verò à frequentibus culpis, quibus iram Dei in me provoco, & ejus lumini sum rebellis: à cunctis his me posse facillimè seduci, & abduci in reprobum sensum, ut dicam malum bonum, & bonum malum, tenebras lucem, & lucem tenebras, denique ut solem ipsum meridianum non videam juxtà illud Psalmistæ, *Supercecidit ignis* (nempè passionis actus), *& non viderunt solem*, id est, evidentissimam veritatem. Psal. 57.

493. Itidem hominum stateras mendaces esse, quæque passim decipiant; aliud longè esse judicium Dei, qui in abstruso conscientiæ nostræ plurima sæpè videat, quæ nos penitùs latent; timendum, & orandum perpetuò pro nostris ignorantiis, & peccatis occultis, propter quæ nequeamus scire, an simus odio digni, an amore; viam esse, quæ recta nobis videatur, cujus tamen novissima ducant ad mortem, utique sempiternam; Deum tempore suo judicaturum justitias nostras, id est, opera ipsa, quę nobis justa videbãtur, & sancta; ideò de cunctis nostris operibus verendum nobis esse, & cavendum, ne *fortè* (ut ait Propheta) *mendacium sit in dextera nostra*; tandem illum beatum, ac tutum esse, qui fuerit semper pavidus, & cum metu, ac tremore operetur salutem suam. Hæc, & alia similia sine numero, quàm sint in sacris voluminibus crebra, notius est, quàm ut debeat expressis hic testimoniis ostendi. Ex Isa. 44.

494. Ex SS. verò Ecclesiæ Doctoribus frustra item vellemus in id ipsum verba producere; etenim qui in eorum lectione versatus, vel mediocriter sit, supervacaneum duceret laborem nostrum: cæteris verò sufficere debet id, de quo nemo potest, nisi temerè, & impiè dubitare, nempè, quòd Sancti Dei ipsius luce, & spiritu pleni, à tam expressa ejusdem, tamque commendata doctrina, verbis, aut factis discrepare non possint. Repete, quæ supra tradidimus art. 5. §. 12: ubi dedimus in specimen Augustini, & Bernardi testimonia, ex quibus nimis liquidò patet, quid Sancti omnes fecerint, & docuerint.

495. Modò verò dispiciat quisquis sincerè veritatem amat, utrùm cum ista Dei, & Sanctorum ejus doctrina benè congruat opinio docens, posse nos, ac debere, in omnibus, & singulis nostris actionibus ita certi manere de earum honestate positiva, vel saltem negativa, scilicet de non peccato, ut rogati promptissimè respondere possimus intrepidè, ac inhæsitanter absque ulla, vel minima, deceptionis formidine: *scio, quòd prudenter*

tum, ut operans non debeat, aut possit, deceptionem ullam timere, profectò, qui non meminit peccatum aliquod à se commissum, per quod amiserit gratiam Dei, facilè apud se potest certò concludere, se esse coram Deo sanctum, ac justum, neque de sua gratia formidare, aut timere poterit: maximè verò, cùm, juxtà Recentiores, nemo per ignorantiam ita possit delinquere, ut dum peccatum facit, non habeat aliquem conscientiæ remorsum, id est, actualem aliquam advertentiam, aut suspicionem de malitia objecti. Utique, si remorsum habuisset, hoc ipso jam sciret, se peccasse, quia non caruisset omni peccandi formidine. Hæc autem confidentia, & conscientiæ securitas (qua se carere fatetur Apostolus, & fatentur cum eo Sancti omnes) non apparet, qua ratione cohæreat cum mente, & doctrina Concilii.

501. Tertiò: ex eo quòd nemo per fidem infallibilem, ac supernaturalem, conscientiæ suæ statum agnoscat (secluso Dei favore extraordinario), supposita præterea communi infirmitate, & conditione hominum, colligit Tridentinum necessariam formidinem, ac timorem de sua gratia, quo debet unusquisque solicitari. Ergo censet apertè in rebus ad conscientiam spectantibus nullam aliam esse possibilem, saltem moraliter, ac per se loquendo, certitudinem absolutam, quæ formidinem omnem deceptionis expellat, quæque nos reddat prorsùs securos præter certitudinem fidei: aliàs sanè Concilium non rectè argueret, neque rationem dedisset efficacem, cur formidare semper, timereque debeamus.

502. Cæterùm Tridentini mens, & intentio propria, non aliunde patere melius potest, quàm ex doctrina, & mente Sectariorum, quam Concilium ibidem damnat, & improbat. Quid verò ipsi docerent, ac intenderent, audiatur P. Alphonsus Salmeron, egregius planè Doctor Parisiensis, & Theologus eruditissimus, unus è primis Sociis Sanctissimi N. Parentis, cujus morum integritas, & sapientia mirabilis supra ætatem, quæ tricesimum annum vix excedebat, admirationi fuit Synodo Tridentinæ, cui Pontificius Theologus adfuit.

503. Hic ergo eximius vir in Commentariis Epistolę ad Romanos ad illa verba Apostoli, *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*, sic loquitur: *Deinde falsum est, quod Lutherani ex hoc loco conantur evincere, nimirùm justificatum certum, & securum esse debere, quod quidquid agit ex fide, gratum sit Deo, nec de hoc esse dubitandum. Sic enim interpretantur*: Omne, quod non est ex fide, peccatum est: *idest, omne, quod agitur à Christiano, si non agatur ea animi certitudine, quòd acceptum sit Deo, peccatum est. Sed certè hæc manifestè falsa est doctrina.* Ad Roma. 14. Salmer. in eum locum.

504. Quę verò sit doctrina sana, Catholica, & contra Sectarios tenenda, prosequitur ibidem idem insignis Doctor, post data verba continenter subjungens: *Nam aliud est credere, quòd id, quod agitur, ex se, & ex genere, sit licitum, & Deo placens; aliud, quòd mea actio, qua quidquam ago, quod ex se licitum est, sit Deo accepta. Potest enim aliquod opus ex se bonum, & gratum Deo, à me tamen aliquâ circunstantiâ vitiari, quæ me ipsum lateat juxta illud*, Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me; *& S. Job*, Verebar (*inquit*) omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti; *& ipsemet Paulus*, Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum. *Quibus in verbis testari videntur, aliqua esse delicta, tam occulta, quæ prorsus à nobis ignorentur, et quæ nos meritò formidare debeamus, ut nulla sit alia nobis securitas, nisi timor sanctus, et metus.* Psal. 18. Iob. 9. 1. Ad Corint. 4.

505. Hæc de re ista præclarus ille Theologus (minimè sanè Probabi-

bilista) non minùs religiosè, quàm sapienter, quibus nihil conformius Scripturæ divinæ, Sanctorum omnium dictis, & factis, atque adeò Catholicæ Ecclesiæ sensui. Sed quæ opinioni pariter Recentiorum, & prætensæ conscientiæ securitati, haud minùs clarè repugnare videantur.

§. III.

Alia item ratione efficacissima refellitur opinio Recentiorum, firmaturque communis Theologorum sententia.

506. NEmpè nos in re ista nihil aliud docere, quàm quod sæpiùs perspicuè docuit Doctor Angelicus, & Theologi cum ipso communiter, satis clarè, ut existimo, monstratum est. Prætereà sensum nostrum paginæ sacræ, & Catholicæ Ecclesiæ sensui, apprimè concordare proximè ostendimus. Addimus autem ex eisdem principiis rationem itidem efficacissimam ex Patre Elizaldo desumptam ad nostram sententiam suadendam.

507. Nimirùm nemo Theologus audeat asserere, quòd minoris debeamus nos ipsos facere, quàm nostras morales actiones: hoc est, quòd minùs esse soliciti debeamus de bono statu nostræ conscientiæ, quàm de moralis nostræ operationis bonitate, ita ut minorem diligentiam, & curam adhibere debeamus, ut boni simus, & Deo per gratiam accepti, quàm ut benè moraliter operemur, eidemque placeamus per actiones honestas. Atqui de gratia nostra, aut bono nostræ conscientiæ statu, non obligamur quærere certitudinem absolutam, nec sumus reprehensibiles, si timeamus, immò valde laudabilis, & commendata prudentia est, quod humiliter formidemus. Ergo, neque tenemur de nostræ operationis honestate perfectam certitudinem quærere, nec ulla reprehensione digni sumus, si nonnullam de ipsa formidinè habeamus.

508. Discursus iste certus, ac infallibilis, totus videtur, nisi nos fortè Logica, & sacra simul Theologia fallant. Utique bonitatem illationis nullus opinor in dubium vertat. De certa verò Minoris veritate vera Theologia dubitare non sinit, cùm sit communis sensus Ecclesiæ ex divinæ Scripturæ crebris oraculis, cunctorumque Sanctorum factis, ac verbis, à Tridentina Synodo satis expressus. Major demum, quæ sola neganda superest, non video, qua ratione ab ullo vero Theologo possit negari, immò non evidens absolutè censeri.

509. Nam, suppositâ elevatione hominis ad ordinem supernaturalem, nihil ipsum curare diligentiùs debere, quàm nunquam esse gratiâ privatum, ipso rationis lumine manifestum videtur, etenim gratia supernaturalis est in ordine illo potissima, primaria, ac substantialis perfectio hominis, quæ facit ipsum bonum simpliciter, purum ab omni gravis immunditie peccati, divinæ naturæ participem, ipsi conjunctum, gratum, amicum, filium, æternæ beatitudinis hæredem, ad ipsamque obtinendam, etiam ut præmium, & ut mercedem, atque coronam suorum meritorum, laborum, ac pugnarum, habilem, ac potentem constituit.

510. Quapropter omnis alia perfectio hominis viatoris, & in merendi statu constituti, quantuncunque sit nobilis, ac excellens, sive per modum habitus, sive de genere operationis, comparatur ad ipsum tanquam perfectio quædam accidentalis, & secundaria, quæ dimanet à gratia, velut à forma quadam substantiali, & se habente adinstar naturæ in eo ordine supernaturali quæque per se ordinetur ad ipsam gratiam firmiter conservandam, & augendam in sua perfectione, vel si fortè peccato destructa sit, ad ipsam te-

restaurandam, ac denuò comparandam. Est igitur gratia sanctificans (de hac enim est sermo) multò prætiosior homini, multòque æstimabilior alia quacunque ipsius operatione, quantuncunque laudabili, & honesta.

511. Verum est fateor, qualibet morali operatione graviter inhonesta corrumpi, atque perire gratiam justificantem, totamque deturbari, atque fædari animæ perfectionem, ac pulchritudinem. Id verò probat quidem, eâdem diligentiâ, quâ teneor gratiam ipsam custodire, & curare salutem, & vitam animæ, quæ in gratiæ ipsius possessione consistit, teneri quoque fugere omnem præsertim gravem operationis inhonestatem, per quam illa destruitur, & anima vitâ privatur; quomodò nanque possem vitam amare, si mortem cavere negligerem? At, quòd plus debeam esse solicitus de turpi operatione præcavenda, quàm de gratia divina perpetuò possidenda, & conservanda, nemo dicere potest, si terminos intelligat, & principia Theologica non penitùs ignoret, aut profectò satis non penetret.

512. Cùm ergo sit certissimum ex doctrina Catholica, nos non esse obligatos per se loquendo ad habendam perfectam certitudinem de bono statu nostræ conscientiæ, sed sufficere nobis judicium, quo prudenter, & solùm probabiliter judicemus, nullo nos impediri gravi peccato, quominùs Deo nostro grati, & accepti simus: nec esse reprehensibiles aliquomodò, sed admodùm potiùs laudabiles, si humiliter timeamus, ac formidemus, ne fortè gratiam Dei re ipsa non habeamus, quia judicium, quo illam habere credimus, novimus esse de se fallibile, & errori absolutè obnoxium: cùm id, inquam, sit certum apud omnes Catholicos, certum pariter erit, quòd non teneamur quærere, per se loquendo, judicium absolutè certum, & evidens de nostræ operationis honestate; sed satis esse quod semper operemur ex judicio similiter probabili, adeòque absolutè fallibili, cum quo nimirùm rectè cohæreat prudenter formidare deceptionis periculũ modò jam sæpè à nobis explicato.

§. IV.

Refellitur Terilli solutio, et roboratur amplius vera sententia.

513. AD argumentum proximè adductum Terillus (ut jam vidimus initio articuli præcedentis) reponebat, discrimen esse latum, & evidens; quia de nostra justitia, sive de bono statu nostræ conscientiæ, non est nobis possibile habere certitudinem absolutam, quare nec illam quærere debemus, non enim possumus teneri ad impossibile: at verò de honestate operationis nostræ possumus absolutè, & facilè plerunque, certi manere, quapropter sine hujusmodi certitudine nec debemus, nec possumus prudenter operari; nam aliàs voluntarium subiremus periculum transgrediendi, re ipsa, legem Dei, quod est apertè contra veram prudentiam, & reverentiam debitam eidem legi.

514. Veruntamen in primis discrimen esse nullum juxta principia Probabiliſmi, ex dictis facilè colligere sit. Nam, si nemo potest aliquando peccare, dum operatur sine actuali remorsu, sine ulla formidine, vel timore de suæ operationis inhonestate: & aliunde tenetur semper ita operari, adeò ut peccet, hoc ipso quòd vel leviter timeat, aut formidet; consequens sit, ut quilibet in omni sua actione scire semper possit, ac debeat ex certo suæ conscientiæ testimonio, quando peccet, quando non peccet: ergo & scire poterit, an gratiam aliquando per peccatum amiserit: ergo & scire poterit eâdem certitudine, an gratiam habeat, vel non habeat re ipsa, saltem ex aliqua

suppositione, nempè, quòd per Baptismum, aliudve Sacramentum illam receperit.

515. Puto autem Terillus, & alii Recentiores non dicant, posse nos, ac debere certò prorsus scire, adhuc ex dicta suppositione, quod justi simus re ipsa, & coram Deo. Aut profectò, si dicant, difficilè reperiant, qui sibi credant. Sanè alioqui parùm timere deberemus, ne non gratiam habeamus, saltem ex capite infirmitatis, indispositionisque nostræ; cùm tamen hùc Concilium Tridentinum, unicè, vel præcipuè, referat motivum timendi, ut supra constitit ex verbis ipsius. Non ergo nostrum solvit argumentum Terillus, sed novâ quadam inconsequentiâ doctrinam suam involvit, & implicat.

Sup. §. 2.

516. Rursus, si per *mysterium* Probabilismi, & artificium reflexionum ipsius, certitudo absoluta de actionis honestate comparari minimè possit, facilè nobis Probabilistæ dabunt, illam nec necessariam, nec possibilem. Nam de honestate directâ objecti, vel actus, plerunque non dari talem certitudinem, immò nec possibilem esse, ipsi Probabilistæ perpetuò clamant. At subtile artificium Recentiorum non veram aliquam inferre certitudinem, sed errorem certissimum, & captiosissimum, à quo summopere sit cavendum, tùm aliàs sæpè, tùm præcedenti articulo, ubertim, & clarissimè demonstravimus, etiam attenta istius materiæ conditione, quæ nos ad lucem ipsam digito demonstrandam compellit. Igitur absolutè certitudo prædicta neque est necessaria, neque possibilis ad honestè, & prudenter operandum, (regulariter saltem, atque per se loquendo) ex humanæ prudentiæ lege.

517. Addimus bonâ veniâ ipsorum Recentiorum, nec ipsos, qui artificii sui mirabilis incredibilem fructum, utilitatemque pretiosissimam, tantopere commendant, ac suadent, si forte eidem conscientias suas, animæque salutem fidere audeant, Probabilismum ad praxim deducendo (quod de paucis crediderim, nisi dubitare non possim), præfatam certitudinem obtinere in cunctis suis individuis actionibus, ita ut per hoc precisè quod reflectant in regulæ objectivæ, quam sequuntur, directam probabilitatem, statim ex benigna sententia concludant apud se prorsus infallibiliter, ac immobiliter, operationis suæ honestatem.

518. Quid enim, an credere debemus, in tanta, atque tam crebra humanarum actionum varietate, in omni negotio, quod gerunt, in omni opere, quod exercent, semper, ipsos formare judicium absolutè certum, & evidens, de eo quòd non aliquo inordinato affectu fallantur, quòd nihil faciendum omiserint, quòd denique re ipsa, & coram Deo, diligentiæ adhibendæ necessariò in quærenda lege divina debitam mensuram impleverint? Rem miram! Maximè, cùm in cunctis actionibus non semper sit ad manum auctoritas viri prudentis, aut opinio certò probabilis, quæ uniuscuiusque actionis eliciendæ determinatum, ac peculiarem modum, propriasque circunstantias ipsius individualiter taxet, ac determinet; plures nanque frequenter necessum est relinqui propriæ prudentiæ ipsius operantis, qui ex regulis communibus ratiocinando actionis suę honestatem cõcludat.

519. Adhibeamus, vel unum determinatum saltem exemplum in hac ipsa materia Sacramentorum, ex quo ad actiones omnes humanas facilè sit argumentum ducere. Qui pœnitẽtiæ Sacramentum ministrat, quanvis non debeat, neque possit omninò, ex lege saltem Dei ordinaria, formare, inspectis omnibus, judicium absolutè certum, & evidens de Sacramenti conferendi valore (quod malè hallucinatus Lapidarius negabat, & facilè supra monstravimus); debet tamen, ut rectè, & honestè se gerat, judicare non temerè, sed

sed prudenter, se quantum debuit facere, re ipsa, & coram Deo verè feciſſe in cognoſcendo numerum peccatorum, eorundemque ſpecies, ac circunſtantias, verùm inſuper pœnitentis dolorem, propoſitum non peccandi de cætero, & diſpoſitionem legitimam ad ſuſcipiendam abſolutionem: item in ipſo pœnitente inſtruendo, ab ignorantiiſque liberando (quod eſt præcipuum Confeſſarii munus, quod utinam plures adimpleant!) in taxando legitimam peccatorum ſatisfactionem, in adhibendo ſanas opportunaſque medicinas vulneribns conſcientiæ ipſius: denique ſe perfectè undequaque impleviſſe munus ſuum, neque re verà in aliquo defeciſſe.

520. Id planè niſi poſſit prudenter judicare, concludere prudenter non poteſt, honeſtè ſe procedere ad abſolutionem tribuendam, conficiendumque Sacramentum, niſi velis, ut poſſit prudenter judicare, honeſtè ſe conficere Sacramentum, licèt non fecerit, quantum facere debuit, ut verum, ac legitimum ipſum conficiat, quod foret impium, ac ſtultum delirium.

521. Jam placidè rogamus neotericos Probabiliſtas, an ipſi, & alii omnes, qui Probabiliſmum ſequuntur, nunquam impendant aliquam Sacramentalem abſolutionem, niſi priùs ſciant infallibiliter, nimirùm per judicium abſolutè certum, & evidens, nullique obnoxium deceptionis periculo, ſe nihil prorſus ex iis, quæ recenſuimus, in ea confeſſione prætermiſiſſe? Scio, ipſos affirmare debere, ni velint, vel ſe ipſos, vel ſuam opinionem damnare. An affirmare audeant, quæſtione ſic diſtinctè propoſita, profectò non ſcio, ſed magnopere dubito. Id verò mihi dubium non eſt, quòd, ſi coram prudentibus affirment, paucos omninò inveniant, qui ſibi fidem habeant. Fortaſsè nullum.

522. Hoc de reliquis omnibus judicium noſtrum eſt. Iis tamen Lapidarium annumerare nobis non licet; ſcimus enim ipſum intrepidè affirmare, quin ex profeſſo, ac latè contendere, & ſe ipſum, & reliquos Probabiliſtas, & quotquot velint prudenter agere, debere omninò, ac facilè poſſe, non tantùm in materia proximè adducta, ſed generaliter in quacunque materia, antequam ad agendum aliquid ſe determinent, judicare judicio penitùs infallibili, ſe nihil omiſiſſe de diligentia debita in quærenda ſincerè lege divina, ita ut, neque leviter formidare debeant, aut poſſint, ne quid ampliùs ab ipſis exigat Deus. Alioqui nemo, inquit, operatur prudenter, quia non aliter poteſt rectè concludere ultimum conſcientiæ dictamen abſolutè certum, & evidens de ſuæ operationis honeſtate, ſine quo nemo unquam operatur prudenter. Sic ille.

523. Lege ipſum (ſi nimis tibi vacat), præſertim à 4. ſect. & miraberis hominem hæc paſſim repetentem; & tamen nobis ſolita urbanitate ſua, & ſtylo planè humaniſſimo, ſingulis ferè paginis objicientem intolerabilis ſuperbiæ crimen, nempè, quòd ultra modum deferamus proprio judicio, eò quòd generaliter doceamus (attende obſecro crimen noſtrum) neminem unquam poſſe aliquod objectum amplecti, quod honeſtum non judicet judicio proprio ſuo (alieno utique nemo judicat) non abſolutè certo, ſed probabili tantùm, neque propter rationes ex cerebro proprio depromptas, ſed vel propter majorem illud ipſum docentium auctoritatem, vel propter veras aliquas, ac ſolidas rationes ex probatis principiis hauſtas: nec doctrinam cujuslibet, quantuncunque ſapientis, debere nos probare, aut recipere, niſi, quam veram eſſe credamus, prout dictat lumen ipſum rationis, & Auguſtinus, & ſe ipſum facere, & ab omnibus ſemper faciendum expreſsè docet verbis alibi jam tranſcriptis. Sup. li. 1. contr. v. 8. art. 2. §. 3.

524. Hoc crimen noſtrum peſſimum: hæc eſt ſuperbia noſtra into-

leranda, quam nobis passim exprobrat hic Magister insigniter prudens, & humilis; qui non certè de rebus aliundè notis, sed de abstrusis conscientiæ suæ, in omnibus, & singulis suis actionibus singularibus, judicium profert (utique non alienum, nec de alieni consilii directione) absolutum, determinatum, penitùs evidens, & infallibile, quo adeò irreprehensibilem se pronuntiat, ut vel districtum judicium Dei nec leviter timere debeat, aut possit.

525. Denique nihil agere, quod honestum non judices sincerè, & coram Deo juxtà prudentiæ regulas: ita verò, ut de tali judicio tuo moderatè timere debeas, ne fortè discrepet à judicio Dei, hoc quidem tumor est, & superbia non tolerabilis: at te verè probatum absque timore ullo apud Deum putare, eò quòd te commendet testimonium conscientiæ tuæ, hæc vera humilitas, & prudentia est. Hæc est *Religiosissima*, atque *piissima* Lapidarii Theologia. O Theologiam! Repete, quæ tradidimus supra art. 5. maximè §. 11. & 12. ubi ex Augustino, & Bernardo antiquis, ac probatis Catholicæ Ecclesiæ Magistris, Theologiâ dedimus Lapidarii Theologiæ haud aliter oppositam, quàm lucem tenebris.

§. V.

Suadetur insuper vera sententia ad Recentiores Antiprobabilistas.

526. PRobabilistis igitur valere jussis, quorum scilicet artificium inane, cui innitentes à vera, communique sententia recedunt, parum negotii nobis facessit, superest apud nostros Antiprobabilistas, siqui adhuc repugnent (quod vix credere possumus) ejusdem veritatem sententiæ tandem aliquando evincamus.

Et verò præter reliqua superiora argumenta satis, ni fallimur, efficacia, ad argumentum istud proximè adductum non apparet, quid ipsi, vel apparenter, dicere valeant, Quid alioqui? Audebunt ne affirmare, neminem aliquando agere posse prudenter, & honestè, nisi judicio certo, prorsusque infallibili judicet, se inveniisse re ipsa legem antecedentem, atque directam Dei, cui suam actionem conformet?

527. Porrò ipsi ad legem reflexam, Probabilistarum asylum, confugere non possunt, ut supponimus. Neque item ad illud conscientiarum fidelium grande, ac generale solatium, de quo toties mentionem fecimus, nimirum opinionem Recentiorum docentium, neminem peccare posse formaliter, ac imputabiliter, dum agit nullum sentiens conscientiæ suæ stimulum, aut remorsum, ortum ex aliqua notitia actuali, dubitatione saltem, aut suspicione, de intrinseca malitia objecti.

528. Assertum hoc, utcunque Probabilismo connectatur (de quo non nihil supra, & latiùs alio die dicemus), nisi eidem de facto fuisset adjunctum, nec stare ipse posset, nec tantam, tamque immobilem, beatamque, conscientiarum gignere pacem; nulla nanque reflexio ad Probabilismi principia sufficit, ut vel illi, qui plenum ipsis assensum præbent, in omni actione sua possint concludere ultimum conscientiæ dictamen absolutè certum, & evidens de ejusdem suæ actionis honestate, ut proximè manet ostensum. Quapropter, nisi ulteriùs ad doctrinam istam reflecterent, semper timere possent, ne fortè fallerentur, & peccarent, quanvis se honestè operari censerent. Quia igitur firmissimè persuasi sunt, neminem unquam posse formaliter peccare, quandiù se non peccare existimat, quin immò, nisi judicet, se peccare, aut de hoc saltem dubitet actu; persuasio hæc, ad quam tandem reflectunt, omnem absorbet peccandi timorem, subindèque plenissimam securitatem, & conscientiæ pacem ingenerat.

529. Doctrina ista cõmuni persua-

suasione, & praxi quoque hoc sæculo nimis recepta ab errore negantes ignorantiæ peccata (quo nullus pernicioſior Chriſtianis moribus, ſanctoque Dei timori, & curæ ſalutis æternæ inimicitior extitit aliquando) in quo, vel parùm differat, ego planè non video. Illa verò non tantùm Probabiliſmum ſuſtinet, ſed nullum eſt adeò horrendum ſcelus, quod non poſſit protegere, & excuſare. Quid enim non hominibus licebit? Quid non pacatâ conſcientiâ fiet, ſi nemo verè peccat, niſi qui judicat ſe peccare, aut de hoc ſaltem dubitat actu? Quodnam erit dictamen Theologi, Directoris, Confeſſarii, immò & conſcientiæ propriè, uſque adeò improbabile, ut non avidè, intrepidè, ac ſecuriſſimè recipiatur? Quid jam errores circa legem Dei, & non potiùs ipſius veram notitiam, homines ſui amantes vehementer timeant, & caveant? Utinam tanti mali periculum hodiè tantùm immineat, & non ipſum in Populo Chriſtiano infeliciſſimè graſſetur, ac ſæviat! Sed hoc accuratiſſimam, & longiſſimâ poſtulat diſputationem, largioreſve fontes lacrymarum.

530. Hic eſt Ignorātiſmus (ideſt doctrina de ignorātiæ peccatis apud recentes Probabiliſtas) Probabiliſmi neſcias an parens, an alumnus, aut filius; an comes, aut germanus frater? Id certum, ſine illo Probabiliſmum vivere non poſſe. Sed & illud certum prætereà, per illum fieri vulnus propemodùm immedicabile, quia fit propemodùm inſenſibile, *& morbus inſenſibilis eſt incurabilis*, ut olim ajebat Bernardus. Ideò nos contra ipſum multa præmaturare, nec parùm terribilia ſæpè coacti ſumus, ne laborem, & operam ferè perdamus, dum Probabiliſmum refellimus.

Bern. li. de Ani. c. 12.

531. Interim Lapidarius Ignorantiſmum ſuum doctrinam adeò certam, & Catholicam cenſet, ut doctrinam oppoſitam, ſolitâ ſuâ animoſitate Janſeniſmum eſſe contendat: adeò nobis exorbitat, & paſſim non mediocriter errat novus hic Magiſter; cum quo, ſi nec dum dicta ſufficiant, alibi nos videbimus, Deo largiente, ubi doctrinam ejus non curſim ad verum Lydium Lapidem examinabimus, & nudam illi ob oculos conſtituemus nō ſine horrore, ut arbitror, contemplandam; niſi fortè nos interim Petri Sedes, quę verus Lydius Lapis eſt veritatis, labore iſto liberare voluerit in magnum bonum populi Chriſtiani.

532. Jam ad rem noſtram. Quod Probabiliſtæ, qui ex præfatis principiis ſibi certiſſimis totam benignam ſuam Theologiam hauriunt, prætenſam certitudinem abſolutam ultimi conſcientiæ dictaminis aſſerere præſumant, aut tueri, licèt mirabile ſit, quia mirum eſt, & ſtupore dignum, quòd talibus principiis aſſenſum præbeant; ex hac tamen ſuppoſitione parum certè, vel nihil admirationis habet: quid enim mirum eſt, ſi falſitatem falſitas generat, & magna falſitas magnam falſitatem?

533. At verò Recentiores Antiprobabiliſtæ, quibus principia illa falſa ſunt, & abſurda, mirum eſt, nec mediocriter mirum, quòd concluſionem Probabiliſtarum, quæ ſine illis ſtare non poteſt, vel tenere potuerint, vel probare. Suſpicor (quod jam alibi innui), ipſos Probabiliſmum, cui intellectus eorum diù fuerat aſſuetus, nondum ſatis eſſe dedoctos, nec omnia ipſius germina, & fructus plenè adhuc ex animo convelliſſe.

534. Enim verò hi Auctores nō audebunt, opinor, affirmare, neminem unquam poſſe bonam, & rectam formare conſcientiam ex judicio directo de actionis honeſtate non abſolutè certo; hæc enim eſt opinio, & error Sinichii ab Alexandro VIII. damnatus. At ex judicio non abſolutè certo, ſed verè opinativo, & probabili tantùm, nemo poteſt rectè cōcludere ultimum conſcientiæ dictamen abſolutè certum, & evidens de honeſtate ejuſdem actionis ſub eiſdem omninò circunſtantiis, ſi quidquam

quam valeant Dialecticæ regulæ. Igitur ex præfato judicio, vel non licet concludere dictamen certum, vel necessariò appellandum erit ad aliquod reflexum principium, cui directum judicium substans, reddatur absolutè certum, & evidens.

535. Ex nullo autem reflexo principio fieri potest, ut judicium directum de honestate intrinseca objecti accipiat novam aliquam certitudinem de eadem objecti honestate relatè ad legem Dei directam, & antecedentem; quia principia reflexa nullam novam rationem, aut conjecturam afferunt, ratione cujus objectum illud firmiùs putari possit conformari cum tali lege, seu (quod eòdem redit) esse re ipsa honestum per ordinem ad illam: ergo, si ex reflexo principio firmiùs, ac certiùs creditur honestum esse, non est per ordinem ad legem illam: ergo per respectum ad novam aliam legem (utique consequētem, sive reflexam) ad quam scilicet reflexum principium refert, & comparat objectum illud, ut affirmatum per judicium directum.

536. En igitur ex integro tandem relabimur in arcanum *mysterium* Recentiorum, & artificium novi Probabilismi. Quod tamen adhuc minimè sufficiet ad dandam certitudinem absolutam, & perfectam conscientiæ pacem, nisi adjuvetur, ut nuper dicebamus, à suo, vel parente, vel fætu, Benignistarum Ignorantismo.

Eligant ergo modò Antiprobabilistæ, cum quibus agimus, vel opinionem istam deserere, quam refutamus, vel redire ad benignum, quem deseruere Probabilismum, quod opinor non est timendum; neque enim alia via reliqua est, nisi via illa Sinichii, quam nemo jam Catholicus calcare potest, nisi velit Catholicus esse desinere.

§. VI.

Præcluditur evasio, & firmatur ulteriùs vera sententia.

537. Dicent, discursum nostrum neutiquam cogere ad ullam ex propositis viis, cùm adhuc præter illas via quædam tuta supersit.

Equidem, qui contendat, nunquam licere agere ex conscientiæ dictamine, quod non sit absolutè certum, & evidens, de positiva actionis honestate, evitare planè non potest appellationem, ad principia reflexa, quibus utuntur Antiprobabilistæ, nisi ad Sinichium declinare voluerit: idque discursus noster manifestè convincit. At verò, qui requirat dictamen, quo absolutè certus reddatur de suæ operationis honestate, non quidem positiva, sed negativa tantùm, hoc est de non peccato formali, & imputabili: is profectò, nec debet cum Sinichio adstruere judicium directum absolutè certum, & evidens; neque appellare cum Probabilistis ad fictitiam legem reflexam.

538. Utique per id solùm, quòd reflexè cognoscat judicium suum directum, licèt merè probabile, de honestate intrinseca objecti, supposito principio sententiæ nostræ penitùs infallibili, quod non certius judicium requiratur ad licitè, & prudenter agendum, evidenter concludit, se peccare non posse, saltem imputabiliter, ac formaliter, utendo tali judicio directo, quanvis absolutè fallibili; etenim si contingat, falsum esse re ipsa, violabit quidem legem re verà, involuntariè tamen, ac purè materialiter. At utrunque evidenter, & facilè cognoscere potest: ergo potest, ac debet concludere conscientiæ dictamen absolutè certum, & evidens de eo quòd formaliter non peccet, seu, quod in idem redit, de negativa saltem actionis

nis honestate. Hic esse debet sensus nostrorum Recentiorum, si nolint nos absolutè deserere.

539. Cæterùm via ista non modò difficillima, sed & prorsus impervia mihi videtur.

Et primò quidem illa rectè supponit, non esse contra humanæ prudentiæ legem, nec contra reverentiam debitam legi Dei, agere, inspectis omnibus, cum aliquo periculo (scilicet exiguo, ac remoto) transgrediendi re verà ipsam divinam legem; id quod præcipuè, aut unicè videbatur difficile: sed tamen absolutè à nemine posse negari, & constat ex jam dictis, & constabit ulteriùs ex statim dicendis.

540. Hac autem veritate suppositа, exigere ad honestè operandum absolutam conscientiæ certitudinem de negativa actionis honestate universaliter, ac sine restrictione, perinde sanè mihi videtur, ac si nos infallibiles asserere velimus, supposita judiciorum nostrorum (quam negare non possumus) fallibilitate absoluta, & nimis etiam frequenti falsitate.

541. Profectò practicos nostros errores de rerum turpitudine, vel honestate, plerunque (vix non semper) oriri, vel ex culpis nostris præteritis conscientiam nostram obtenebrantibus, quas commissas scimus, dimissas ignoramus, &, ut dimissæ sint, ex residuis habitibus fœdis, ac tetris, vel ex solita nostra negligentia, & incuria in lege divina quærenda, vel ex inordinatis, ac pravis affectionibus, quæ nos frequenter faciunt caligare, & malum bonum dicere, ac bonum malum; nemo, qui verè Theologus sit, inficiari posse videtur. Id utique doctrina Catholica de communi peccato originis, & propriis ipsius effectibus: id documenta, & exempla Sanctorum: id sensus, & consensus sapientium omnium: id denique, vel sola experientia nostra, satis manifestè nos docent.

542. Et volunt nihilominùs hi docti Recentiores, ut in omni actione morali possimus, ac debeamus evidenter scire, judicium, quo dirigimur, ita esse probabile, ut vel non fallamur re ipsa, vel nullâ culpâ nostrâ fallamur? Et Propheta sanctissimo exclamante in sermone Domini, *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me*: alio item Propheta in eodem spiritu dicente, *Pravum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscet illud?* Nos tamen possumus in omni opere nostro securi, ac imperterriti affirmare: *Mundus ego sum: non peccavi?* Et hoc, quando nescimus, aut quando certò saltem non novimus, an egerimus contra legem Dei? Id verò nobis videtur difficillimum: immò vix non certissimè crederemus à nullo verè Theologo affirmandum. Psal. 18. Hierem. 17.

543. Sed enimverò veritatis istius non Theologos duntaxat, & Doctores Catholicos, verùm etiam Philosophos, & ipsos Ethnicos, testes producere promptum sit.

Equidem Aristoteles errores nostros, maximè morales, non aliò, quàm in vitia, & pravas nostri animi affectiones, perpetuò refert, adeòque constanter, & universaliter asserat: *Studioso igitur id est affectabile voluntate, quod verè est bonum. Vitioso verò quidquid contigerit.* Subdit autem exemplum opportunum: *Fitque hoc perinde, atque in corporibus ipsis. His enim, quorum copora bene se se habent, salubria sunt ea, quæ verè talia sunt. Iis autem, quorum corpora sunt ægrota, nec hæc ipsa, sed alia. Similiter & amara, ac dulcia, & calida, atque gravia, & cætera id genus. Studiosus enim homo rectè singula judicat, & singulis in rebus id ipsi videtur, quod verè est tale.* Phil. 3. Ethi. c. 10.

544. Et paulò inferiùs: *Ratiocinationes enim agẽdarum rerum principium habent, cùm talis sit ipse finis, & ipsum optimum, quidquid tãdem sit illud... Hoc autem, non nisi bono viro videtur: pravitas enim pervertit, facitque, ut circa principia rerum agenda-*

darum (quid circa singularia?) *homo fallatur. Quare patet, prudentem neminem esse posse, nisi sit bonus*. Hæc Philosophus ibi, & alia multa sæpè in id ipsum, quæ, fateor, non sine rubore lego.

545. Sic censet de re ista satis sanè Christianè Philosophus gentilis, & in tenebris ambulans. Et nos Christiani Theologi, lucis filii, censebimus, nos facilè posse in omni actione nostra, non prudenter utcunque, seu probabiliter judicare, sed etiam evidenter scire, quòd si fortè fallamur, penitùs inculpabiles, & irreprehensibiles simus? Puto Theologos nostros ita censentes magis deceret Philosophia illa, sicut & hæc Theologia deceret magis, aut minùs saltem dedeceret Philosophum.

§. VII.

Itidem contra eosdem Recentiores ex doctrina paginæ sacræ validum argumentum conficitur.

546. VErùm habemus insuper pro veritate ista, omissis aliis multis, argumentum, me judice, prorsus irrefragabile.

Nimirùm Deus in Scripturis suis passim nobis promittit veram lucem, veram scientiam, verum intellectum, quo voluntatem suam, & legem exactè implendam cognoscere possimus, si diligenter illam quæramus, si pulsemus, si oremus, si humiles simus, si recto corde, ac simplici ad ipsum accedamus, si sincerè, ac non insidiosè agere cum ipso velimus: *Qui quærit legem, replebitur ab ea: & qui insidiosè agit, scandalizabitur in ea. Homo sensatus credit legi Dei, & lex illi fidelis. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, & alia sine termino in idipsum, quæ prolixum foret congerere. Plurima sparsim dedimus per decursum totius Operis, & multò plura dabimus cum Sanctorum Doctorum expositionibus, ubi de veritatis moralis inventione non impossibili, quam benigna Theologia adeò obfirmatè, & audacter negat, ut errores probabiles, eos scilicet, qui apud nos ipsos non minorem erroris, quàm veritatis, immò etiam majorem speciem habeant, pro regula moralis honestatis, & pro via tutissima salutis, obtrudere non vereatur.

Eccli. 32. & 33.

Ioan. 8.

547. Hæc verò testimonia divina, nisi nos Deus fallit verbis inanibus, & nisi SS. Patres, quos Deus ipse dedit Ecclesiæ Sanctæ lumina, & nobis pariter vitæ Doctores, suæque voluntatis interpretes, omnes in tenebris ambularunt, & nos miserè deceperunt, continent manifestam universalem promissionem, ratione cujus credere infallibiliter, & firmiter sperare debeamus, fieri nunquam posse moraliter, ac per se loquendo (nam rarò, atque per accidens oppositum contingere, haud diffitemur, nec contradicit verbis divinis), ut voluntatem, ac legem Dei, seu veritatem nobis necessariam ad honestè, & prudenter operandum, recto, ac sincero corde diligenter quæsitam aliquando non inveniamus.

548. Quid ni verò? An ne Deus, dum nobis loquitur, nihil nobis significat? Aut, quod toties promisit, non adimplevit? Nunquid faciemus Deum mendacem, ut innocentes nos ostendamus? Deus disertè affirmat, *Non habetis propter quod non postulatis: petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis*. Nos verò contra dicere audebimus: *postulamus, & quærimus diligenter, & benè; et tamen non habemus notitiam veritatis*; idque usque adeò inhæsitanter, ac firmiter, ut etiam jurare possimus? Quid dicemus? Profectò, si non falsò juramus, Deum non vera loqui necessum est. Iacob. 4.

549. Huc reflectant vellemus Probabilistæ, quibus vulgare proloquium est, veritatem moralem, & legem Dei, utplurimùm inveniri non posse, quanvis diligenter quæsitam.

tam. O quale assertum! o quale proloquium! Enim verò, si verum illud sit, falsum est assertum Apostoli ut rem immobilem proferentis, *Impossibile est mentiri Deum*. Cæterùm hodie doctrinæ hominum, & humanæ mentis discursus nimio habentur in pretio; verba verò divina vix attenduntur pro morum doctrina tradenda, quasi doctrina ista, si vera sit, ex Dei verbis non esset haurienda. Sed hæc in loco suo latè versabimus cum SS. Ecclesiæ Doctoribus, & fructum hunc ex arbore sua (ideſt, Probabilismo) pendentem demonstrabimus.

Ad Hebr. 6.

550. Nunc verò conclusionem nostrorum Recentiorum, apud quos verba sacra dignam habent æstimationem, cum hac doctrina Dei conferamus. Nempè ipsi cautè, ac sapienter docent contra Probabilistas, & Jansenistas, non esse necessarium ad prudenter agendum aliquod conscientiæ dictamen absolutè certum, & evidens de nostræ actionis positiva honestate, sive de eo, quòd agamus re ipsa conformiter ad legem Dei; sed satis esse per se loquēdo judicium absolutè fallibile, atque adeò simpliciter opinativum, dummodò sit probabile juxtà nostra principia, ideſt, quo judicemus determinatè, post legem Dei sincerè, atque diligenter quæsitam, eandem nos re ipsa invenisse; non tamen, quod expellat omnem prorsus formidinem de ipsius legis reali violatione.

551. Tum verò Deus ipse passim nobis promittit, & attestatur, eum, qui veritatem, & legem suam recto, ac sincero corde diligenter quæsierit, illam inventurum re ipsa. Et post hæc adhuc Recentiores contendunt, posse nos, ac debere in omni actione nostra judicare judicio penitus infallibili, quòd legem diligenter quæsiverimus; cùm tamen non possimus judicio simili judicare, quòd eandem re vera invenerimus. An hæc rectè cohæreant, vel Recentiores ipsos judices appellamus.

§. VIII.

Frustrà à docentibus argumentum retorquent.

552. AT opponat hìc aliquis argumentum vulgare apud Probabilistas frequentissimum, quo etiam aliqui nostræ sententiæ Auctores non rarò utuntur, fortè non satis cautè consentientes eisdem Probabilistis. Nempè moralis Theologiæ Magistri, ipsi etiam Ecclesiæ SS. Doctores, nimis frequenter contraria docent, & sibi invicem contradicunt de rerum turpitudine, vel honestate; unde alterutros falli necesse est: ergo vel non quæsierunt diligenter veritatem moralem, & legem Dei, quod nemo pius audeat asserere; vel certè memoratæ promissiones divinæ non eum sensum habent, quem nos intendimus, nec ita generaliter sunt accipiendæ, sed magna potiùs restrictione donandæ. Mirum est, quantum valeat hoc argumentum apud Recentiores, cùm exigui, me judice, ponderis sit, sed solùm non exiguæ irreverentiæ contra nostræ vitæ Doctores.

553. Et in primis negamus inhæsitanter, adeò esse frequentem cōtradictionem, maximè circa morum doctrinam apud SS. Ecclesiæ Patres; quin neque apud Doctores, etiam privatos pietate, atque sapiētiâ præstantiores. Probabilistis verò, maximè modernioribus, apud quos idem valet ad morum honestatem error probabilis, atque veritas ipsa, nulla fiet injuria, si dixerimus, ipsos, aut saltem plerosque ipsorum, non quærere ad docendum veritatem ipsam realem, sed apparentiam quandam ipsius: & quidem quæ non minor, aut etiam major erroris apparentia sit. Quid enim frustrà quærant veritatem, qui in apparentia ejus, adhuc minori, regulam honestatis moralis, etiam positivæ, constituunt? Lege Terillum ipsum in prologo de Con-

scientia probabili, & vide quid affirmet de *innumerabilibus* Theologis, qui ab anno maximè quadragesimo proximo de moralibus scripserunt.

554. Et verò, si sincerè non apparentia tantùm veritatis, sed ipsa veritas quæreretur, non hoc anno, vel mense opiniones hujus scholæ, sequenti verò mense, vel anno, quia commodius id accidit, nimis ardenter opiniones oppositæ propugnarentur. Sed hic etiam est fructus, & quidem valde proprius Probabilismi, qui nimis clarè ostendit, quo loco veritas hodie sit, & quem statum Theologia habeat.

555. Ad argumentum autem nobis oppositum respondemus præterea, præfatas promissiones divinas non loqui, nec procedere, eodem saltem sensu, de Magistris quærentibus veritatem moralem, & voluntatem, seu legem Dei, non ut illam adimpleant, sed ut alios doceant eandem. In hoc profectò magnum discrimen est, nec ex altero ad alterum argumentum rectè deducitur.

556. Equidem de Magistris in Sanctis Scripturis non lego eadem, nec verba similia; sed lego potiùs longe diversa, *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax: Maledictus homo, qui confidit in homine: Nec vocemini Magistri: quia Magister vester unus est Christus*, & alia id genus. Videtur autem hoc spectare ad providentiam Dei ordinatissimam, ut sciant homines totam spem suam in solo Deo suo collocare, neque humanæ sapientiæ plus justo fidant.

Ad Roma. 3. Hiere. 17. Math. 23.

557. Præterea non est æquè necessarium Magistris, & Doctoribus Ecclesiæ, cognoscere re ipsa, etiam post diligentiam sufficientem adhibitam, veritatem moralem, & legem Dei, ut alios illam doceant, ac est eisdem, & reliquis omnibus, eandem absolutè invenire, ut possint illam opere implere.

558. Ratio discriminis manifesta est: nam si unus Magister inculpabiliter decipiatur, alius, aut plures erunt, qui veritatem doceant; sunt enim multi ex Dei providentia: & ut minimum unus nunquam deficiet in Ecclesia Catholica, (scilicet supremus Christi Vicarius) qui cæterorum omnium errores infallibiliter corrigere possit, quique in rebus ejusmodi ad animæ salutem pertinentibus neminem possit aliquando decipere. Quamobrem, licèt unus, aut plures Magistri fallantur, nemo est, qui non possit per se loquendo discere veritatem, & legem Dei pertinentem ad unumquemque, si diligenter illam quæsierit.

559. At verò, si post factam diligentiam moraliter sibi possibilem omnes per se non possent invenire legem divinam, carerent absolutè notitiâ necessariâ ad realem ipsius observationem; unde observatio divinæ legis foret per se impossibilis, quod Jansenismum sapit. Ubi obviter observa, quò tandem ducat, etiam ex hoc latere, Theologia Probabilistarum, ex quorum ore nihil audias frequentiùs, quàm veritatem, & legem Dei, esse inventu impossibilem saltem moraliter. Hic, Lector, gradum siste, & parumper saltim considera novum hoc germen Probabilismi; nos enim diutiùs morari non possumus.

560. Oportuit ergo, ut Deus provideret hominibus gratiam veræ doctrinæ, quam nemo, si sincerè, ac diligenter quæreret, per se, ac moraliter invenire non posset; aliàs frustrà, & iniquè præciperet eisdem observantiam suarum legum, quod blasphemum foret asserere. Oportuit insuper, ut providentiam istam eisdem etiam manifestaret, & crebris promissionibus communiret, quo eorum animi erigerentur, nec magnis, sibi obviantibus in via morum, difficultatibus succumberent.

561. Non verò oportuit (fortè non expediebat) ut homines ad docendum alios eandem facultatem, & securitatem haberent inveniendi realem veritatem: unde nec debuit

Deus

Deus ad munus istud universales suas promissiones extendere, aut in eodem sensu dirigere; ne aut ipsi superbirent (quod est humanum) quasi scientiæ claves habentes; aut reliqui in eorum sapientia, ultra quàm par est, confidentes minori tenerentur solicitudine quærendi Deum, unicam vitam suam, ad ipsumque continuò accedendi per juge orationis studium, quasi ad verum, ac primum luminis fontem, & emendatorem sapientum. *Et ipsa hujus rei difficultas* (cum Augustino dicere possumus) *ad hoc est utilis, ne sit spes sibi quisque, aut homo alter alteri, sed Deus suis omnibus. Id enim nobis potiùs expedire, prorsus piorum ambigit nemo.* Sed de his fusè in loco jam insinuato.

Aug. Enchir. c. 60.

562. Interim verò, si Recentioribus discrimina ista non placeant, satis sit ab ipsis inquirere, utrum audeant asserere, præfatas promissiones divinas sic esse intelligendas, ut possit absolutè contingere, eum, qui diligenter recto, ac sincero corde inquirit legem Dei, & veritatem sibi ad honestè operandum necessariam, re ipsa non inveniat passim, atque frequenter, prout de Magistris, ac Doctoribus asserunt? Si negent ipso suo dissensu suum ipsi argumentum solvent. Si verò affirment (quod vix credere possumus) nolumus ultra hìc cum ipsis de re ista contendere. An autem verba illa divina à SS. Ecclesiæ Doctoribus toties usurpata, & exposita ita liceat Catholicis interpretari, pios omnes, atque sapientes, judices appellare sufficiat.

563. Cæterùm Recentiores, cum quibus agimus, illa interpretentur ut volent, dummodò nos patiantur cum Augustino potiùs desipere. Ex quo, sicut ex aliis Sanctis Doctoribus, multa, si locus ferret, possemus testimonia producere. Hoc unum modò: *Fieri enim non potest quadam providentia divina, ut religiosis animis se ipsos, & Deum suum, id est, veritatem, piè, castè, & diligenter quærentibus inveniendi facultas desit.*

Aug. li. de quæst. ani. c. 13.

564. At juxtà nostros hos Recentiores cùm de inventione ipsius per se loquendo absolutè certi manere non debeamus, neque possimus; scire tamen semper possumus evidenter, immò debemus, nos illam diligenter quæsiviisse. Et, quod est mirabilius, secundùm Recentiores Probabilistas inventionem moraliter loquendo, ne opinativè quidem possumus affirmare, atque adeò neque debemus: de nostra verò exacta diligentia quærendi, peccamus, si vel leviter, dum operamur, possimus aliquando timere. Quid hic? Nonne Augustinus verus est Magister Ecclesiæ?

§. IX.

Urgentur denique, & convincuntur Neoterici Antiprobabilistæ.

565. HÆc quidem per se digna seriâ, ac Theologicâ consideratione, & adversùs Probabilistas alibi à nobis fusiùs urgenda. Opinor autem eis non indigemus, ut Recentiores nostros penitùs convincamus. Mirum enim, si non sufficiat apud cordatos viros, solius veritatis amantes, illam unam rationem, gravem utique, ac seriam, §. 6. insinuatam sub generalioribus terminis, eandem hìc fidelibus, ac rectis conscientiis ipsorum paulò distinctiùs contemplandam offerre.

566. Quoniam igitur ipsi sponte fatentes nobiscum, ultimum conscientiæ dictamen absolutè certum, & evidens, de positiva actionis honestate, nec esse necessarium, neque possibile, ad licitè, & prudenter agendum, exigunt nihilominus dictamen penitus infallibile, & nulli formidini obnoxium de eo, quòd formaliter non peccemus: necessarium est, ut affirment, eum omnem, qui licitè operatur, & formidare me-

ritò posse, ne fallatur re ipsa circa realem honestatem objecti, de qua judicium habet purè probabile, adeòque absolutè fallibile; & simul absolutè certum esse debere, quòd si fortè fallatur, & legem transgrediatur re ipsa, per ipsum non steterit, neque ex aliquo capite sibi imputari possit legis trangressio. Hæc est istorum Recentiorum sententia, per quam cautè recedunt ab omnibus modernis, tum Jansenistis, tum Probabilistis, in eandem, ut vidimus, assertionem de absoluta conscientiæ certitudine, licèt diversis viis, immò & extremè oppositis, consentientibus.

567. Precamur autem ipsos benevolè, ac sincerè, ut qui non procul distant à via veritatis, quam unicè amant, & quærunt, quò illam tandem plenè teneant, ac doceant, in hoc disfidio magni certè momenti, hæc pauca, quæ subjicimus de multis, quæ noster Pater Elizaldus fusiùs expendit, seriò, & attentè meditari non negligant. Nolumus autem nostris in re tam seria, sed verbis potiùs ipsis tanti Doctoris loqui.

Elizal. de Recta doctr mo. p. 1. li. 3. q. 2. §. 3.

568. *In primis in universali certum est, nos teneri ad studium aliquod salutis nostræ; ad curam, & solicitudinem, & affectum demum aliquem æternorum: quod probandum non est, & negat nemo. Hoc autem studium, hanc curam, & solicitudinem taxare certa, & nobis perceptibili, & quoad nos nota, & determinata mensura, fortè est impossibile; quia fortè oportuit, nos de hoc ipso esse solicitos, tam humilitatis, quam sancti timoris Dei causâ, utque magis in ipso spem nostram collocemus, nec ex illis simus, qui in se confidebant, quorum unus suæ justitiæ sophisticè certus dicebat,* Jejuno bis in Sabbato &c. *Dato deinde, nobis eam mensuram esse notissimam, contingit mox alia incertitudo, an expleverimus mensuram, an remissiores extiterimus.*

Luc. 18.

Rursus Auctores omnes requirunt diligentiam aliquam pro invenienda veritate morali. Quantitatem hujus diligentiæ certa, & infallibili mensura taxare, quæ sit nobis nota, & infallibilis, tantum requiritur, & non plus, *est credo impossibile: rursus certi esse non possumus, nos segniores non extitisse. Auctores alii expresè requirunt orationem, nec illius necessitas videtur negari posse, cùm tam facile, & obvium id sit ex sacra auctoritate. Alii requirunt præterea purgationem conscientiæ, & animæ; anima enim non munda facilè fallitur.*

Etenim ex experientia uniuscujusque, & omnium, & ex Philosophia, & ex sacra auctoritate constat inegabiliter, secundum diversam animæ nostræ dispositionem, & habitus, & affectus, & passiones, diversa nobis apparere objecta, ac incredibiliter mutari faciem rerum omnium. Fortè, quia non, quantum debeo, in charitate affectus sum, & ex defectu ejus, objecta materialia charitatis pertinentia ad proximum non tantum mihi dissonant, v. g. in detractione, & fortè ex eo defectu, quod est grave, videtur leve; & sic in obedientia, in paupertate, in justitia, & in cæteris. Similiter etiam est in docendo, & speculando; fortè ex elatione, ex defectu propriæ cognitionis, quia majora viribus audeo, quia sanctos libros non consulo, quia Deum non oro, quia conscientiam non mundo, & animam, fallor, ac deficio &c. Hæc, & plura in idipsũ præclarus iste Theologus, verè Theologus, quæ libenter abrumpimus, licèt adeò pretiosa; quia opinor non difficilem Spartam colimus.

569. Porrò haud facilè mihi potero persuadere, si Recentiores isti, cum quibus agimus (viri nempè doctissimi, & eximiè prudentes) præfatas omnes causas incertitudinis, & alias plures, quæ cogitari possent, fideli suæ prudentiæ trutinâ seriò, ac maturè librare voluerint (de quo prudenter timerè non possumus), fore, ut deinceps doceant, aut teneant, posse nos, ac debere in omni actione nostra morali prorsus evidenter scire, quod in nullo re ipsa defecerimus, ita ut rogati promptè valeamus

mus citra omnem formidinem affirmare, *tantum facere debui, tantum feci, neque vereri debeo districtum Dei judicium in hujus mei operis examine*. Et quis precor sic audeat, nisi qui fortè, & Deum, & se ipsum ignoret?

570. Enimverò haud negaverim, posse nos reflectendo ad nostri operis circunstantias, & insuper ad nostram diligentiam adhibitam, quandoque, neque rarò, manere aliquantò certiores, seu minùs solicitos potiùs de culpæ formalis periculo. At, quod maneamus certi simpliciter, ut neque leviter timere debeamus, credimus nunquam prorsus, aut non nisi rarò contingat. Immò plerùnque solent reflexiones ejusmodi novam potiùs producere solicitudinem, & motivum justi timoris; ideòque homines, quò prudentiores sunt, eò solent esse tardiores, & in agendo magis cunctabundi, quia solertiùs considerant omnia errandi pericula, sæpiùsque, ac matutiùs reflectunt in cunctas sui operis circũstantias: contra verò ignorantes, atque imprudẽtes, intrepidè operantur, & audacter, quia de malitia, vel bonitate actionis facilè, & impavidè judicant, *eo quod respiciant ad pauca*, ut ex Philosopho notum est. Melius autem utrunque expressit Spiritus Sanctus, *Sapiens timet, & declinat à malo: stultus transilit, & confidit*. En quid timor (scilicet moderatus, & cautus), quid verò nimia confidentia sit. Prov. 14.

571. Ab hoc vero Magistro Sancti omnes didicerunt prudentiam suam, & modum operandi, non sanè impavidum, & vacuum timore peccandi; sed eum potiùs, quem non semel expressimus, præsertim supra art. 5. ex SS. Augustino, & Bernardo, ubi multa de hoc diximus, & aliàs sæpè. Unum tantùm hìc addam consideratione dignissimum.

572. Nempè illa mirabilis, & illuminatissima Virgo, Diva Teresia de JESU, cujus scripta ascetica verè Theologica, atque Dei spiritu plena, tanquam *Cælestis doctrinæ pabulum*, Catholica commendat Ecclesia; cùm in libro Mansionum in septimis, & ultimis descripsisset statum earum animarum, quæ jam ad sanctitatis supremum verticem, summumque apicem perfectionis pertingunt, quæque in terris cælestem, longè purissimam, & Seraphicæ potiùs, quàm humanæ, vitam agunt perquàm simillimam: de hujusmodi animabus asseruit, procul jam esse ab omni, minima labe peccati, immò & ab omni morali imperfectione. Eccles. in offic. S. Teres. Octob. 15.

573. Hanc tamen assertionem temperans, & exponens cautè, ac prudenter, subdit continenter hæc verba, quæ ex nostro Hispano idiomate fideliter reddidimus. *Neque verò putetis, præfatas animas, eò quòd talibus æstuent desideriis, & determinatione adeò firma non admittendi, vel unam imperfectionem, propter aliquam rem creatam, propterea non admittere multas, immò & peccata: licet non scienter; nam ad hoc illas opinor Deus auxiliis specialibus protegit: peccata, inquam, venialia; etenim à mortalibus, quæ agnoscant ipsæ, liberæ sunt; attamen non securæ, ne habeant fortè aliqua, quæ non intelligant: id, quod haud leviter eas torquebit*. Hæc cælestis hæc Virgo ab uno Christo Magistro edocta. Div. Teres. li. Mansio. Mansio. 7. c. 4.

574. Interim tamen nos universaliter asseremus, posse, ac debere homines semper agere cum omnimoda, ac plena certitudine, perfectaque conscientiæ securitate, vi cujus, licèt possint timere, ne fallantur, & violent legem Dei, timere tamen, neque leviter possint, ne fortè culpâ suâ fallantur? Procul absit à nobis Theologia ista, quæ (ut certò credimus) procul à Deo abest.

575. Et tamen adeò misero, & infelici sæculo vivimus, ut qui illam pro viribus refellimus, haud semel apud Judices, & Tribunalia Fidei vehementer delati, ac diffamati simus

mus (frustrà tamen propitio Deo), ut homines suspectæ doctrinæ, qui scilicet velimus in Hispaniam Jansenismi pestem invehere. Porrò benigni Theologi Jansenismum sapere dicunt docere, quod possimus peccatum formale timere, ubi putamus minimè nos peccare. Sic hodie errores dogmata Theologica, & dogmata reputantur errores. Quod neque doleremus, neque meminissemus (cum gaudii potiùs magni, juxtà doctrinam Domini, materia sit), nisi doctrinam tangeret veritatis, cujus infamiam pati non possumus citra Christiani populi scandalum.

576. Ignoscant ergo nobis Recentiores doctissimi, si eorum assertionem, quam impugnavimus, adeò dissimilem doctrinę Sãctorum, haud satis mirari possimus: & desinant nõ utilem, neque veram, sed inanem, ac verè potiùs noxiam conscientiarum nostrarum securitatem, plenamque in operando certitudinem, inde velle frustrà depromere, unde tota potissimùm incertitudo nostra, & timor peccandi suboritur, ut supra Tridentinum docebat. Non igitur requiritur ad agendum honestè certitudo perfecta, & absoluta de negativa honestate actionis, seu (quod in idem recidit) de non peccato.

Tridens. sup. §. 2.

§. X.

Ergo, nihil obstante difficultate supra insinuata de tutiori parte tenenda, vera, ac communis sententia Theologorum, pro pluribus saltem actionibus, ab omnibus recipi debet.

577. OStendimus ex puris veræ Theologiæ fontibus solidè, ut credimus, ac efficaciter, nullam restare Recentioribus viam per aliquam reflexionem possibilem discedendi à communi veterum Theologorum sententia, quæ conscientiæ dictamen absolutè certum, & evidens de nostræ operationis honestate positiva, vel negativa, negat esse posśibile, adeòque & necessarium, ad licitè, & prudenter agendum. Supereśt tamen ingens difficultas supra jam insinuata, & à nobis hìc expedienda.

578. Nimirùm, estò nobis non sit possibile comparare absolutam agendi certitudinem, perfectamque conscientiæ securitatem, per reflexionem ullam, aut aliâ, quavis viâ; possumus saltem semper illam habere amplectendo partem tutiorem, & declinando ubique à parte minùs tuta, quoties hæc non appareat, inspectis omnibus, evidenter honesta, & ab omni, etiam levi, remotoque peccandi periculo libera. Videmur autem prorsùs ad hoc obstringi ex veræ prudentiæ dictamine, & reverentia debita legi Dei. Immò id expresśè Augustinus, ut prorsùs certum docuisse videtur, hanc generalem regulam tradens: *In causa salutis hoc ipso quis peccat, quod certis incerta præponit.* Et rursus: *Efficere id, quod incertum est, an sit peccatum, certum peccatum est.* Aug. li. de Bapt. c. 3. li. contra Donatis. c. 9.

Difficultas hæc fateor nimiùm terreret nos, si nostro occurreret ingeniolo, veluti sibi ipsi relicto, nec instructo principiis multis, ac solidis, ex quibus possit solidè, nisi fallimur, nec nimis difficulter expediri.

579. Et in primis hæc via amplectendi partem tutiorem, quoties non adest perfecta certitudo de positiva actionis honestate, haud potest generaliter afferre plenam conscientiæ securitatem, & certitudinem in agendo, cùm sępè immineat ex utraque parte aliquod peccandi periculum; & sæpè etiam nequeat satis discerni, vel non nisi duntaxat opinativè, utrum eorum majus sit, ac vitandum. Utique in hac hypothesi, nõ infrequenti, operans meritò debebit formidare, ne fortè culpa sua decipiatur in prælatione extremi quod eligit: aut, nec ex aliqua culpa præcedenti inciderit in eam perplexitatem; in qua, licèt de culpa dolere debeat, quòd tamen coram Deo verè, ac

ac perfectè doleat, haud facilè cognoscet sine omni formidine, nisi nimiùm de se præsumat.

580. Præterea, etiam extra hypothesim dictam, nemo affirmare potest universaliter, & sine aliqua limitatione, teneri nos in omni actione nostra ad quærendam perfectam certitudinem, & securitatem conscientiæ, per electionem partis tutioris, & abstinendo semper ab omni objecto, de cujus honestate certi omninò non simus. Utique quis quis id affirmaret, deberet cõsequenter tenere, neminem posse licitè ministrare, aut suscipere aliquod Sacramentum, obire munus directoris conscientiæ, consultoris, prælati, judicis, & similia, nisi in his tantum casibus, in quibus urgeretur strictâ, ac rigorosâ conscientię obligatione, justitiæ, charitatis &c. quod, nisi nos insigniter fallimur, & totam ignoramus Theologiam, nemo cordatus dicere audeat.

581. Sequelam verò negari non posse, facilè sit ex dictis ostendere. Enimverò judicium particulare de positiva honestate ob ecti absolutum, atque directum, quod sit penitùs evidens, & nulli obnoxium deceptionis periculo, moraliter saltem loquendo, & ut in plurimùm non esse possibile, supponimus cum ipsis Recentioribus, & puto nullus Theologus negat: nec, si negaret aliquis, audiendus esset. Jansenianos autem non moror, qui non audiendi sunt, sed omninò cavendi, quippè qui verum venenum Calvini, ex quo illud bibit Jansenius, sub specie falsa pietatis, & sanæ doctrinæ propinant.

582. At reflexiones omnes ipsorum Recentiorum, quibus ex judicio probabili, & non penitùs evidenti, concludi possit conscientiæ dictamen de positiva, vel negativa, objecti, vel actionis honestate absolutè certum, & evidens, inanes esse, penitùsque fallaces, satis à nobis ostensum est. Ergo prædicti omnes, ut plurimùm, & moraliter saltem loquendo, abtinere debebunt necessariò ab omni sui muneris exercitio, ad quod aliunde non obligentur, cum ubique teneantur tutiorem partem sequi, dum certi omninò reddi non possunt de minùs tutæ partis honestate. Igitur nunquam poterunt munere suo fungi, nisi urgeantur stricta conscientiæ obligatione; quod à nullo prudenti credimus affirmandum.

583. Habemus ergo, ab omnibus necessariò fatendum, non esse semper, immò sæpè non esse, ad agendum prudenter necessarium quærere certitudinem absolutam, & perfectam conscientiæ securitatem, per electionem partis tutioris, ita ut nec leviter timere possimus de nostræ operationis honestate. Unde patet communem Theologorum sententiam negantem generaliter, & absolutè ejusmodi necessitatem, pro pluribus saltem actionibus, ab omnibus esse admittendam, adeòque regulam Augustini non eo in sensu accipiendam esse, neque convincere, saltem universaliter, necessitatem majoris certitudinis, quàm moralis, & imperfectæ. Reliquum est, ut eandem sententiam veram esse ostendamus per se, ac moraliter.

§. XI.

Tenenda est generaliter, & absolutè eadem communis sententia, saltem moraliter, ac per se loquendo.

584. Suadetur verò multis rationibus, quæ ex dictis, & expensis, ultrò se offerunt, & ideò latiùs illas alibi ponderandas celeriter hìc perstringamus.

Primò: si memorata conscientiæ certitudo pro pluribus actionibus comparari non debet per electionem partis tutioris, ut omnes fateri tenentur: ergo non est ex terminis contra prudentiam, aut contra reverentiam debitam legi Dei, operari cum aliquo

quo levi timore de nostræ operationis inhonestate orto ex remoto aliquo, & exiguo periculo ipsius legis divinæ violandæ, quod tamen posset absolutè caveri. Ergo, neque sic operari ordinariè, ac per se loquendo; etenim si subire voluntarium periculum (utique valde exiguum, ac leve) transgrediendi re ipsa legem Dei, non est modus agendi humanus ex se imprudens, aut inhonestus, difficilè credo ostendetur, quòd non liceat hominibus viatoribus, saltem per se, & ut plurimùm sic operari. Undenanque non liceat? At quis nobis hìc repugnabit?

585. Secundò: mortalium judicia de rebus agibilibus, ac moralibus, per se, & ex sua conditione propria, absolutè sunt fallibilia, nec possunt homines veritates morales, etiam nō oscitanter, aut segniter, sed & diligenter quæsitas, assequi cognitione evidenti, plerunque saltem, ac regulariter, ut est communis sapientium conceptus, docent sæpiùs Philosophus, & D. Thomas, & modò tanquàm certum supponimus, vel ex solâ experientiâ cunctis notoriâ. Non est verò credibile, nec in Dei providentiam cadit, quòd ipsos homines obligare voluerit ad modum operandi extraordinarium, excedentemque ipsorum facultatem cognoscitivam regularem, & ordinariam.

586. Utique Deus voluntate sua per se, & ex propria sua intentione, hominibus permittit, ac probat, omne objectum re ipsa honestum, placetque ipsi, ut illud liberè eligant; quod est ex terminis manifestum. Frustrà verò permitteret, aut probaret, si citrà culpam suam, & facta diligentia sufficienti ad cognoscendam divinam voluntatem, quæ hujusmodi licentiam ipsis indulget, adhuc non possent per se, ac plerunque, objectum illud licitè amplecti. Non possent autem per se, & ut plurimùm, si honestatem illius semper deberent judicio minimè opinativo, sed prorsùs evidenti cognoscere. Hęc ratio, vel se sola, meum intellectum convinceret. Tu vim ipsius, Lector, perpende.

587. Tertiò: intellectus operationes practicæ, ac de rebus moralibus, naturâ suâ ordinatæ sunt ad regulandas actiones voluntatis, cujus scilicet moralem perfectionem, & intendunt, & inferunt mediis actibus liberis rectis, & honestis moraliter, ut est principium nulli non notum. Ergo repugnat, intellectus actus rectos esse, & juxtà prudentiam, & voluntatis actus ex illis procedentes, per eosdemque regulatos, non esse moraliter rectos, sed obliquos potiùs, ac pravos: quæ consequentia si recta non sit, fatebor, quòd, vel terminos non intelligam. At practicos intellectus judicia, licèt fallibilia absolutè, si tamen verè probabilia sunt, & quæ de se plerunque non fallant, recta sunt juxtà omnem sanā Theologiam, & quæ ex prudentiæ directione procedant, cum materia moralis ex conditione sua majorem certitudinem non ferat. Ergo repugnat, voluntatis actus ex præfatis judiciis procedentes nō esse moraliter rectos.

588. Quartò hinc: quisquis agit, ut judicat, & judicat rectè de agendis, non potest jure vituperari, immò verò laudabilis debet censeri; quod si certum non sit ex ipsa terminorum acceptione, desperem ego quidquam in Theologia aliquando certum proferre. At homines, dum judicant determinatè, hoc esse agendum, vel omittendum, judicio non omninò evidenti, sed verè probabili tantùm (hoc est, de se absolutè fallibili, quod tamen plerunque non fallat), rectè, ac prudenter de agendis judicant, regulariter saltem, atque per se loquendo, cùm materia moralis, & humana per se, ac naturâ suâ, majorem certitudinem non ferat. Ergo, qui agit ordinariè, & ut plurimùm ex tali judicio probabili, vituperari jurè non potest, sed laudabilis potiùs est: igitur rectè, & prudenter agit. Nemo discursu isto non convinca-

catur, si fortè de Minori non dubitet. At illam esse certam satis patet ex dictis.

589. Potest tamen, si placeat ulteriùs confirmari. Quisquis de objecto quolibet judicat juxtà propriam materiæ conditionem, ipsiusque objecti naturam, rectè, ac prudenter judicat. Quid evidentius? At quisquis de agibilibus, & contingentibus, judicat non omninò evidenter, sed per judicium absolutè fallibile, verè tamen probabile juxtà dicta, is procul dubio judicat juxtà naturam, & conditionem propriam objecti; etenim *Non est eadem* (loquitur D. Thomas) *certitudo quærenda in omnibus, ut in 1. Ethi. dicitur. Unde in rebus contingentibus, sicut sunt naturalia, & res humanæ, sufficit talis certitudo, ut aliquid sit verum ut in pluribus, licèt interdum deficiat in paucioribus.* Ergo, qui de moralibus, & agendis, judicat probabiliter tantùm, rectè, ac prudenter judicat de agendis, saltem ordinariè, & ut plurimùm. Ergo, qui ex tali judicio agit, saltem ordinariè, ac per se, rectè, & laudabiliter agit.

S. Tho. 1. 2. q. 96. a. 1. ad 3.

590. Constat ergo non esse necessarium ad agendum prudenter, & honestè, saltem per se loquendo, dictamen absolutè, certum, & evidens de absoluta objecti honestate, nec debere operantem ex regula prudentiæ, aut reverentiæ debitæ legi Dei ejusmodi dictamen inquirere per electionem tutioris partis, prout fert communis veterum Theologorum, immò communis etiam modernorum sententia, à qua juniores tantùm Probabilistæ, & pauci etiam moderni Antiprobabilistæ recedunt.

Posset autem ulteriùs, si operæ pretium foret, multis aliis rationibus efficacibus comprobari sententia nostra. Sed sufficiet opinor rationes jam adductas satis de se perspicuas, ac validas, alia demum ratione, quasi à priori, validissimè communire. Quod exequor statim, dum tamen priùs hìc expediverim quandam nobis obviantem difficultatem, cujus mihi speciem suggessit argumentum planè mirabile, quo celebris Probabilista, & suum benignum Probabilismum, & pariter possibilitatem perfectæ certitudinis, quam refellimus, evidenter demonstrat, si Deo placet.

§. XII.

Argumentum acuti Probabilistæ, & emergens ex eo difficultas contra rationes proximè allatas.

591. ESt autem argumentum hujusmodi ipsis Auctoris verbis expressum, ne quid energiæ ejus detrahere videamur. *Si non teneor illud credere, quod certò mihi non constat revelatum à Deo fuisse, & ab Ecclesia propositum; non teneor etiam illam legem servare, quam certò non constat à Deo, vel ab Ecclesia latam: & sicut certò judico, me non peccare quando illud primum non credo; ita certò credo me non peccare, dum illud secundum non facio. Solvat hoc mihi Baronius, & erit mihi magnus Apollo.* Hoc argumento tantâ lacessit confidentiâ insignis iste Probabilista Baronium valdè doctum Dominicanum, sed nimis rigidum Antiprobabilistam, quoad modum saltem loquendi.

Honoratus Fabri in Apolog. Dialog. 5. qui est primus contra Baron. inter initium & medium.

592. Ex illo verò emergit statim non levis ad speciem difficultas, quę prorsùs enervare videtur vim rationum, quas proximè expendebamus pro vera, & communi sententia.

Nimirùm si prudenter se gerit, qui agit ex judicio tantùm probabili, & aliquatenùs formidoloso de absoluta honestate objecti, prudenter potest quis, immò omninò tenebitur, credere quidquid potest judicare judicio verè quidem probabili, absolutè tamen fallibili, fuisse re vera à Deo revelatum. Utique nemo potest imprudentiæ damnare eum, qui credat Deo loquenti, dum prudenter

existimat, ipsum re vera fuisse locutum: immò omninò videtur magnæ temeritatis, & irreverentiæ damnandus, si in ea hypothesi negaret assensum, quia magnam Deo injuriam irrogaret.

593. Atqui sequela ista falsa est, & damnata ab Innocentio XI. art. 21. sub his verbis concepta, *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis; immò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.* Falsum igitur est, vel eum, qui de rebus agendis judicat judicio fallibili, judicare rectè, ac prudenter; vel saltem eum, qui judicio hujusmodi operationem suam regulare voluerit, honestè, & laudabiliter operari.

Difficultatem istam expediemus statim. Sed argumentum ipsum Apollini tantùm solvendum probenigno Probabilismo præterire nobis licet, quandoquidem in illud incidimus.

594. Primùm verò, cùm Auctor arguat à paritate, dum illam ego in argumento quærerem, occurrit menti (quid enim diffitear?) opportuna quædam facetia cujusdam insignis Magistri, quæ sæpè etiam occurrere solet, dum modernos libros morales evolvere mihi contingit. Is solidas argumentationes valdè semper amabat, ac probabat, præsertim in rebus Theologicis, vehementerque ipsi displicebant inanes quorundam argutiæ. Aderat fortè domi cujusdam simul cum alio celebri Magistro, cui familiare, ac jucundum erat uti argumentis à paritate è longissimo sæpè quæsita, quibus artificioso quodam acumine, quo maximè pollebat, dispositis, primo saltem aspectu disputantes terrere, & irretire, magnopere delectabatur.

Accidit, ut utrique propinaretur, aliis etiam adstantibus non vulgaribus viris, Indica illa potio satis jam familiaris, ac nota, fortassis, etiam ultrà quàm oporteret (chocholaceam appellant Hispani nostri), quam pro cætus, ac loci conditione urbane detrectare non licuit, illamque alternis verbis, & haustibus placida quadam hilaritate identidem cuncti sumebant. Tum verò ad posteriorem prior ille Magister: *heus*, inquit, *hoc eodem momento Rex Gallus utitur chocholacea potione*: & alter ut ad quandam lepidam ineptiam subridens: *unde*, inquit, *id nosti, aut quo argumento poteris convincere? Probo*, ait, *& omninò convincenter: nos eâ modò utimur: ergo & ille.* Hic ad facetum dictum risus, & plausus, haud sine aliquo, ut fas est conjectare, alterius rubore Magistri.

595. Jam ad argumentum glorioſum. Illud in primis inducit apertissimè regulam Illustriss. Caramuelis de non omnimoda legis certitudine, multò procul dubio pejorem (quippè multò laxiorem procul dubio) regulâ, jam damnatâ ab Innocentio XI. de tenui probabilitate. Porrò nemo tenetur credere fide supernaturali, & simpliciter infallibili (nam de hac argumentum loquitur sine dubio) aliquam veritatem, de qua non sit absolutè certus, quod à Deo sit revelata: ergo neque tenetur servare legem, nisi sit similiter certus de ipsius legis obligatione; qua certitudine millies carere potest, carens simul omni, vel tenui, probabilitate directa de actionis eliciendæ honestate. En igitur errorem multò laxiorem, atque pejorem errore jam ab Ecclesia damnato.

596. Rursus: non modò credere non teneor, sed neque possum licitè credere, tanquàm mysterium fidei divinæ, quod certò, & absque ulla prorsus formidine mihi non constet esse revelatum: ergo nisi de lege mihi constet similiter, non tantùm illam servare non teneor, sed neque possum licitè agere juxtà illam. En alterum errorem, quem hactenus nemo desipuit.

597. Itidem in specie: non teneor credere fide Theologica, Christum

ſtum eſſe in hac hoſtia numero, etſi conſecratam ſciam à pio aliquo Sacerdote: ergo nec teneor illam adorare, immò neque licitè poſſum: immò poſſum (ceſſante ſaltem ſcandalo, quod tamen nullum foret, niſi prorsùs ſtultum) illam licitè conculcare. Porrò mihi non conſtat certitudine illa, quæ ad credēdum Theologicè requiritur, dari aliquam legem de hac numero hoſtia colenda, aut adoranda, vel etiam poſitivè non contemnenda, cum tanta certitudine non conſtet, eam eſſe re verà conſecratam. Sed fruſtrà ſinè termino proſequamur abſurda. Vide, quid probet paritas argumenti Apollinei.

598. Verùm erravi paritatem dicendo: ubi enim eſt paritas, aut ſpecies illius? Certè argumentum ipſum rectè ſupponit, non eſſe ullum præceptum credēdi illud, quod certitudine omnem formidinem excludente non conſtat eſſe à Deo revelatum: quid ergo, ſi non detur ulla obligatio, undecunque demum proveniat, quod tale præceptum non detur? Ex eo verò quod in illa hypotheſi non detur ullum præceptum credendi, qua precor veritatis ſpecie concludi poteſt non dari in noſtra hypotheſi præceptum aliquod ſervandi legem?

599. Perindè ſanè eſt, ac ſi quis arguat: non datur lex ſervandi virginitatem: ergo nec datur lex, aut obligatio ulla ſervandi aliquam continentiam. Aut magis in ſpecie: nullum datur præceptum obligans me ad credēdum infallibiliter, quod æternam ſalutem conſecuturus ſim: ergo neque datur præceptum obligans me ad eandem ſalutem procurandam. Rurſus: non teneor credere fide infallibili, hunc hominem eſſe meum parentem: ergo nec teneor ipſum honorare, licèt judicio fallibili credam. Ecce argumentum, ecce paritatem, quæ Apollinem depoſcat, ut ſolvi poſſit. Jam cur non detur obligatio credendi in hypotheſi dicta, rationem ſtatim reddemus, etſi non illam argumentum exigat.

600. Illud ergo certiſſimè laudati Recentioris ſententiam nec demonſtrat, nec probat, vel apparenter. Demonſtrat verò nimia claritate, quod ſæpiùs jam notavimus, & oſtēdimus, nempe, Probabiliſmum Recentiorum omni ratione, omni auctoritate, omni ſolido, ac firmo fundamento, ultrà quàm dici, vel credi poſſe, deſtitutum penitùs eſſe. Quis hoc precor clariſſimè non videat (etſi argumenta noſtra nolit attendere), dum videt argumenta potiſſima, quæ nimia, ac incredibili confidentia, & veluti patenter demonſtrativa, proferunt pro ſua ſententia Probabiliſtarum Primores, acutiſſimi ſcilicet, & doctiſſimi Probabiliſmi ipſius Apologiſtæ?

§. XIII.

Expeditur propoſita difficultas.

601. EAm verò in noſtram ſententiam, non niſi Janſeniani poſſunt objicere. Quidniverò? An ne eadem requiritur ubique ad agendum prudenter certitudo judicii de reali objecti honeſtate, atque requiritur de loquutione Dei ad prudenter credendum fide Theologica? Quis annuat, niſi velit cum Sinichio damnari? Profectò, neque Chriſtum Dominum Noſtrum in Euchariſtia prudenter adorare, nec inſtituta ab eo Sacramenta miniſtrare, aliquando, vel ſuſcipere, immò nec quidquam ferè poſſemus aliquando agere, niſi temerè, ac imprudenter, dum incolæ ſumus in terra.

602. Unde (quò tandem Tutioriſmus ducit) deberemus abire in dogma Janſenianum de abſoluta aliquorum Dei præceptorum, immò & cunctorum impoſſibilitate: quo non alium turpiorem, impudentiorem, ſtultioremve errorem aliquando hominum inſipientia tulit; quippe qui per ſe ipſum, & nemine impugnante, ſuos ipſos Auctores apertè ſe fa-

teri compellat, vel mendaces, qui doceant, contra quàm sentiunt, impiam, & execrabilem blasphemiam; vel sceleratissimos, ac turpissimos, qui sentiant, se non posse ab sceleribus continere. Ubinam fuere monstra Tartarea humano commertio indigniora?

603. Ratio ergo, cur credere nihil possimus (utique fide supernaturali), nisi quod per judicium omninò certum, & omnem excludens formidinem, noverimus à Deo revelatum, obvia in Theologia, & facilis est ex ipsa nostræ fidei natura. Videlicet per ipsam Deo loquenti credimus inhæsitanter, atque firmissimè, atque adeò, quod credimus, absolutè infallibile judicamus; hæc est enim fides Theologica, & ad hunc finem nobis infunditur propter immensam Dei bonitatem, & merita infinita Salvatoris nostri JESU, ut eidem scilicet *Attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus nostris*, non per incertam viam gradientes, quasi manibus attrectantes ex fallibilibus conjecturis, aut humanæ rationis ductu, sed ex divino quodam, ac indefectibili lumine infallibiliter viam monstrante, æternam veritatem, id est, Deum ipsum quæramus, ad eum cognitum accedamus, & possidere tandem possimus. 2. Petr. 1.

604. Non est autem possibile credere aliquam veritatem ut omninò infallibilem ex Dei ipsam loquêtis auctoritate, nisi de ipsa locutione divina ita sit certus intellectus noster, ut formidare omninò non valeat, aliàs prudenter posset deceptionem timere, quod fidei veritati, ac firmitati, manifestè repugnat, ut notum est: vel certè alii principio, non verò locutioni divinæ, tribueret sui assensus infallibilem certitudinem, unde non esset fides, sed scientia, aut potiùs vana quædam, ac superstitiosa persuasio. Patet ergo me non debere, quin neque simpliciter posse credere fide vera, ac Theologica id, de quo certus omninò non sim, quod à Deo sit revelatum.

605. Hinc verò qua ratione liceat concludere, eandem esse prudentiæ legem in ordine ad honestè operandum in qualibet alia materia? Nihil ejusmodi illatione ineptius. Sanè rationibus à nobis adductis oppositum aperte convincitur, & ratione præterea statim subjiciendâ eadem veritas apertiùs illustrabitur.

606. *Fide*, dixi, *vera*, *ac Theologica*: nam opinione, aut fide humana, & naturali, prudentiæ lex non prohibet credere, aut judicare aliquid tanquàm verum, & absolutè à Deo revelatum, licèt prudenter possit intellectus aliquomodò formidare, & de existentia divinæ locutionis, & de absoluta objecti veritate. Quis porrò audebit imprudentes dicere eos, qui libros sacros probabiliter, ac purè opinativè interpretantur, aut qui privatæ alicui revelationi ex congruis fundamentis, ac conjecturis, absolutè tamen non certis, fidem præbent (utique humanam), & assensum determinatum? Sanè oportebit, eum nimis esse impudentem, ac temerarium, qui Sanctos omnes, & Doctores Catholicos, temeritatis, & imprudentiæ damnet. Hîc Jansenistæ videant, quid eligant, si sustinere pertinaciter velint, omne judicium purè opinativum, maximè in rebus fidei, & morum, esse vitiosum, atque damnandum.

607. Constat ergo emergentem, ex prælaudati illius Probabilistæ argumento, difficultatem, rationes, quibus veram, communemque sententiam ostendimus, neque labefactare, neque infirmare: quin immò ex lege veræ prudentiæ, quæ dirigit intellectum humanum ad assensum de objectis à Deo revelatis, & rationes prædictas, & eandem nostram sententiam haud parùm confirmari, & roborari. Porrò ex hac directione clarè colligimus, quòd ubi assensus noster liber, atque moralis, ex peculiari

ri sua ratione non debet esse supernaturalis, & simpliciter infallibilis, de cætero prudenter, ac laudabiliter operamur, per se saltem loquendo, dum agimus ex judicio probabili, adeòque absolutè fallibili: quæ nostra, atque communis sententia est.

§. XIV.

Ratio quasi à priori, cur agere ex dictamine non absolutè certo, cum humana prudentia rectè cohæreat.

608. INquam, *cum humana prudentia*, quæ tamen vera prudentia non carnis, sed vera potiùs virtus, vera, ac laudabilis prudentia sit, pro hac miseræ nostræ peregrinationis caligine.

Ratio igitur est: quia judicium verè probabile de absoluta honestate objecti, quod statuimus ultimum conscientiæ dictamen, & immediatam agendi regulam, licèt non sit absolutè certum, aut cui ex genere suo falsitas subesse repugnet; non est tamen adeò fallibile, ut plerunque, aut frequenter fallat, sed rarò potiùs, ac ferè nunquam: id enim est juxtà nostra principia judicium verè, & propriè probabile probabilitate conscientiæ, de qua in præsenti tractare attinet. Quare periculum deceptionis, adeòque & violationis divinæ legis, quod judicium ejusmodi secum affert, leve est, ac remotum: quia pericula omnia de rarò contingenti per icula levia, ac remota, à sapientibus reputantur. At ex lege prudentiæ non tenemur (saltem per se, ac plerunque) pericula remota cavere; alioqui deberemus exire de hoc mundo, ubi vix aliquid invenire sit ab omni periculo tutum.

609. Suadeamus id exemplis à nemine negandis. Nemo vituperabilem, aut imprudentem jure censebit eum, qui in negotiis humanis eventus quosdam rarò contingentes, ex quibus malum, etiam magni momenti, sibi accidere possit, præcavere non curat per providentiam aliquam extraordinariam, nisi aliqua adsit conjectura, aut ratio specialis, quæ malum illud rarò contingens, hic, & nunc imminere suadeat.

610. Sic homines prudentes non manent suæ domi recluſi, aut si domo exire contingat, nō incedunt per medium callem longè declinando à parietibus, ne fortè tegula è tecto decidente, quod aliquando contigit, percutiantur: sic iter agere curru vecti, vel equo, sic flumina trajicere solent: sic in lite curanda, aut in alio negotio gravi non diffidunt parentibus, aut amicis fidelibus, ac notis; & alia id genus multa passim exercent non curantes cavere, quanvis facilè possent, pericula non leviumve malorum nonnunquam in his omnibus contingentium; quorum si fortè aliquod de facto quandoque contingat, non propterea culpantur, sed potiùs excusabiles apud prudentes omnes habentur. Immò verò, qui ex metu talium periculorum à præfatis actionibus abstineret, censeretur ab omnibus incivilis, fieretque apud cunctos sapientes, ac cordatos, animal quoddam planè insociabile, & humano commertio ineptum.

611. Nec solùm in negotiis humanis, sed etiam in spiritualibus, & ad salutem animæ pertinentibus, veræ prudentiæ lege non obstringimur pericula similia cavere. Sic non tenentur homines per se loquendo ingredi Religionem ad pericula sæculi cavenda: sic Sacerdotes aliàs idonei prudenter Sacramenta ministrant, quanvis ex proprio munere, aut professione, ad ministerium istud non obligentur: sic denique (ne diutiùs in re certissima detineamur) viri cordati, ac probi, plures alias actiones passim exercent citra temeritatis, aut imprudentiæ notam, in quibus tamen aliquod peccandi periculum, etiam formaliter, prævideatur.

612. Ratio verò in his omnibus una, & eadem est: quia pericula ejus-

ejusmodi non impediunt, quominùs homo in singulis suis actionibus, post factam debitam diligentiam, assequatur de eventu, quem intendit, judicium morale, & humanum, scilicet non fluctuans, aut vacillans, sed firmum potiùs, ac immutabile morali quadam firmitate, & constantia; tale nanque censetur judicium de plerunque, & ut in plurimum contingentibus: & illud, estò non sit sufficiens, ut excludat omnem formidinem, sufficiens tamen est, ut excludat re ipsa turbationem, & anxietatem, adeòque, ut securos nos reddat securitate quadam imperfecta, ac morali, qua majorem prudentia per se non exigit.

613. Utique per judicium ejusmodi prudenter homo credit, nec temerè confidere potest, se finem, quem intendit, obtenturum esse re ipsa; quia prudenter quis judicat, effectum secuturum juxta naturam, & conditionem causæ, quanvis simul prævideat absolutè non repugnare, quod aliquando oppositum contingat. Sic prudenter censemus, neque promptè affirmare dubitamus, matrem filio ægrotanti non defuturam, pictorem peritissimum pulchram productarum imaginem, advocatum doctum, ac probum non decepturum clientem suum, judicem integerrimum non accepturum munera pro sententia ferenda, & alios plurimos similes eventus morali quadam firmitate prædicimus, licèt non ignoremus, eos esse simpliciter contingentes, & qui possint per accidens absolutè deficere.

614. Nec contingentias istas præcavere, adhuc quoad actiones morales, & spectantes ad animæ salutem, in humanam prudentiam cadit, regulariter saltem, atque per se loquendo: quia, licèt rei ipsius magnitudo, ac momentum omnem securitatem, omnemque certitudinem possibilem merito jure postulare videatur; licèt insuper homo de misericord divina, deque divinæ gratiæ efficacia confidere piè possit, ac debeat, ut superiùs ajebat Tridentinum; tamen, attenta propria infirmitate, humanarumque actionum contingentia, moraliter loquendo non potest, adeòque nec tenetur absolutè tantam certitudinem quærere, ut nulli obnoxius maneat deficiendi periculo, nullamque subeat errandi contingentiam. Sup. §. 2.

615. Porrò jurè non potest exigi ab homine modus agendi plusquàm humanus, mortalemque conditionem exsuperans: modus autem agendi regulariter, ac per se, ex judicio omninò infallibili, & omnè superans deceptionis periculum, agendi modus est potiùs Angelicus, quàm humanus, quia judicium ejusmodi potiùs est Angelorum, quàm hominum, ut vel sola experientia palàm testatur: *Aliter aliquid sapere, quàm res se habet* (ajebat Augustinus) *humana tentatio est: in nullo autem aliter sapere, quàm res se habet, Angelica perfectio est.* Ergo non cadit in providentiam Dei sapientissimam, & æquissimam, neque vera prudentia dictare potest, quòd debeant homines, saltem per se loquendo, vitare omnem contingentiam errandi, omniaque remota pericula, & quærere perfectam judicii certitudinem, ut honestè, ac prudenter agere valeant. Aug. li. 2. contra Donat. c. 5.

§. XV.

Concluditur communis sententiæ veritas.

616. NEc insistas: ut minimùm, quando non posint ad tantam usquequaque judicii certitudinem pertingere, posse abstinere à parte minùs tuta, & declinare ad partem tutiorem: id verò jure suo postulare reverentiam divinæ legis. Id enim esse falsum, cuncta argumenta nostra manifestè convincunt.

617. Enimverò ab hominibus exigere Deus non potest divinæ suæ le-

legis reverentiam, quam non ferat conditio hominum; neque enim est austerus, aut injustus exactor, qui velit tollere, quod non posuerit, aut metere, quod non seminaverit, ut servus ille piger, simul & impius, in Evangelio olim calumniabatur. Luc. 19.

618. Frustrà alioqui ipse per se, ac ex propria sua intentione, voluntate sua probaret objecta de se licita, & honesta, si nunquam possent homines honestè, ac laudabiliter illa prosequi, nisi certò simpliciter, ac evidenter cognita. Cùm enim hæc cognitio pro actionibus suis singularibus hominibus non sit possibilis moraliter, ac per se loquendo, si ex reverentia debita legi Dei universaliter prohiberentur operari aliquando sine illa, jam Deus lege sua prohiberet generaliter, ac per se, eadem illa objecta, quæ generaliter permittit, aut approbat. Hoc verò omninò patet esse repugnans.

619. Itaque, etsi honestissimum, valdeque laudabile sit, quando non urget specialis necessitas, cavere, vel remotum deceptionis periculum, quod secum affert judicium probabile de absoluta honestate objecti, declinando in partem tutiorem, idque viros per paucos eximiæ sanctitatis frequenter facere credendum sit: haud tamen oportebat id præcipi per legem aliquam strictè talem, veramque obligationem inducentem; foret enim hominibus intolerabilis, majorque pars eorum, ac vix non omnes, oneri succumberent: unde major tandem procederet divinæ ipsius legis irreverentia, ejusdemque frequentior violatio, atque adeò lex illa recta non esset, neque hominibus utilis, sed perniciosa potiùs, & exitialis. Porrò lex justa, ac recta, respicit, quod plerunque, atque per se contingit, & quid ferant majori ex parte conditio ipsa, viresque subditorum.

619. Immò, vel illi ipsi, qui ex nimia charitate erga Deum, & maximo honestatis amore, ferè semper, aut crebrò, à minùs tutis, quæ valde probabiliter honesta judicant, sponte sua abstinere solent, & vel minima quæque delinquendi pericula diligentissimè præcavere, si ad diligentiam adeò exquisitam, tantumque perfectionis studium obstrictos se cognoscerent generaliter ex rigorosa legis obligatione, fortasse laberentur frequentiùs; quia ex immoderata anxietate, nimio peccandi timore, conscientia eorum conturbaretur, deesset que spiritui tranquillitas, & spiritualis hilaritas, quæ, ut docent Sancti, & viri spirituales, necessaria maximè est ad heroicos virtutis actus, & opera perfectionis eximiæ, prout de ministris Sacramentorum superiùs argumentabamur.

620. Sicut igitur homines (præsertim Sacerdotes, & Religiosi, quibus maximè incumbit perfectionis studium, & vitæ integritate, ac puritate prælucere cæteris debent) ad hãc extraordinariam solicitudinem, eximiamque in agendo prudentiam adhortandi frequenter sunt, ut æmulando charismata meliora, ad honestatis saltem metas pertingant: sic etiam non oportuit ad illam generaliter adigi rigoroso legis imperio, sed contineri debuit in illis, de quibus Dominus in Evangelio suo, *Non omnes* (inquit) *capiunt verbum istud; sed quibus datum est: & Qui potest capere, capiat.* Ex quo deinde Apostolus, *Porrò hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam.* Math. 19. 1. Ad Corint. 7.

621. En ergo non utilitas, non prudentia, non legis cultus, aut reverentia est; sed verè potiùs laqueus animarum, nimis arduam, & cautam prudentiæ normam, nimis exactam agendi regulam, nimis denique diligens perfectionis studium, sub præcepto communi velle concludere.

622. Caveamus ergo à laqueo Jansenistarum, qui verè est *laqueus superborum absconditus, & scandalum juxta iter*: nam, sicut, qui in illum inciderit, perditissimus oportet evadat Ex Psal. 139.

dat (etsi enim initio constringere nimiùm videatur, in summam tandem ducit laxitatem, & impietatem), ita etiam optimus quisque, ni diligenter caveat, facilè in ipsum potest incidere, cùm sit opertus optimo, ac specioso velo pietatis, & moralis doctrinæ reformationis: qua cùm re vera egeat (quod utinam tam verum non esset), periculum haud modicum imminet amplectendi doctrinam istorum hominum, quæ reformationem prætendit, cùm sit re ipsa morum corruptio, totiusque honestatis subversio. Mihi crede, pejores vulpes simul, & lupos, quique pellem ovinam callidiùs sibi induerint, non sustinuit Ecclesia Dei.

624. Patet ergo non esse necessarium ad agēdum prudenter, & honestè, ultimum conscientiæ dictamen de absoluta objecti honestate simpliciter certum, & evidens; sed sufficere potiùs, saltem ut plurimùm, judicium certum morali quadam, imperfectaque certitudine, id est, judicium verè probabile, quale designat sententia nostra. Id profectò argumenta, quæ produximus, (& latiùs quidem, quàm initio putavimus, haud tamen inutiliter expendimus) satis evidenter evincunt, neque à modernis nostris Antiprobabilistis negandum jam deinceps veremur.

§. XVI.

Neque Probabilistæ, adhuc admisso inani reflexionum suarum artificio, à communi sententia jure recedunt.

625. QUod si adhuc recētes Probabilistæ mirabili artificio benignitatis suæ hāc efficaciam detrahi non patientur, ne pereat pariter magnum illud *securitatis præfectæ privilegium*, illaque conscientiarum pax beatissima, & optabilissima, quæ nimiam falsitatem Probabilismi operit, ipsumque ab examine liberans incognitum utcunque sustentat: animadvertant volumus, seriòque precamur considerent, totam subtilium reflexionum suarum infinitam propemodùm efficaciam (cujus inanitatem fallacissimam toties demonstratam relinquimus) sufficere adhuc non posse ad sustinendam univetsaliter hanc suam opinionem, quam refellimus, de absoluta conscientiæ certitudine ad prudenter agendum necessariæ.

626. Porrò alioqui sustinere debebunt, neminem posse licitè onus tremendum Episcopale, officium Judicis, Confessarii, & alia similia suscipere. Aut certè tenebuntur affirmare, quotquot hæc munera voluntariè suscipiunt, non debere, nec posse (alioqui formaliter peccaturi), vel leviter formidare, aut timere, ne in talium munerum administratione formaliter aliquando delinquant; sed judicio infallibili, & absolutè certo debere omninò credere oppositum. Non ita disipient opinor Probabilistę (utique viri doctissimi), ut utrunque non negent incunctanter. At alterutrum ipsis sustinendum firmiter esse, si firmi velint adhuc in opinione sua persistere, ostendi clarè potest dicto faciliùs.

627. Enimverò, si in talium munerum susceptione ii, qui suscipiunt, possent prudenter formidare formalis peccati periculum, & vera sit Probabilistarum sententia, agerent procul dubio imprudenter, & contra legis divinæ reverētiam; ideò enim ipsi requirunt in omni omninò morali actione plenam conscientiæ securitatem, & ultimum dictamen certum, & evidens excludens omnem peccandi formidinem, quia formido, etiam levis de peccato formali, est voluntarius legis contemptus, adeòque formale peccatum. Igitur, qui suscipiunt munera illa, vel formaliter peccant in ipsa susceptione, vel formidare, minimè possunt. Quid plura in re patenti? En novam rimam, en magnum hiatum subtilis fabricæ Probabilismi.

Re-

628. Reliquum est, ut quærant ad ipsum obstruendum novæ alicujus subtilis reflexionis mirabile, & arcanum *mysterium*, quo homo, dum acceptat Episcopale munus ex. g., prudenter possit se judicare, & quidem judicio infallibili, absolutè, ac simpliciter impeccabilem, ideſt, ut possit prudenter insanire. Porrò reflexio ad legem consequentem, aut alia quævis hactenùs excogitata avertere nō sufficit, ut est evidens, peccati futuri periculum in tanti muneris administratione, si absolutè peccare possit Episcopus, aut nisi omnes Probabilistæ dicantur absolutè impeccabiles. Id Recentiores hactenùs non cogitarunt, nec cogitare audebunt opinor, etiamsi dilectissimum Probabilismum suum abjurare alioqui deberent.

629. Quidquid verò deinceps cogitare ipsis libeat, patet Magnum Gregorium, Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, innumerosque alios primos, ac summos Ecclesiæ Catholicæ viros, præfatum artificium, seu *mysterium*, non cognovisse, qui propterea consenserint in sui consecrationem pleni tremore, ac lacrymis, utique de peccatis sibi imminentibus ex Pastoralis muneris susceptione. Miserè igitur peccarunt, ac perierunt, si falsam nos docemus sententiam contra Probabilistas, & Jansenistas. Porrò voluntariè subiere aliquod peccandi periculum, nisi fortasse lacrymas pueriles, ac stultas fuderunt.

630. Nonne Probabilistis satius foret (Jansenistas quid attinet morari?) ferre secundam saltem laudem sapientium, prout Augustinus, summus Ecclesiæ Doctor, verbo, & exemplo suo faciendum docuit, retractando aliquando Probabilismum suum adeò sibi difficilem, & importabilem, adeòque noxium Christianis moribus? Nonne melius & sibi, & Ecclesiæ Catholicæ consulerent, si redeuntes tandem ad castra veritatis clarissimè jam affulgentis, sanæ doctrinæ morum vires adjicerent, & vitiis patrocinium subtraherent, ut uno invicto agmine nobiscum facto, omnes pariter præliaremur prælium Israel cum lætitia? Nonne ingenii vim magnam, & eximiæ sapientiæ dotes, quibus plures ipsorum eminent, multò feliciùs, gloriosiùsque locarent propugnādis Decretis Pontificiis, quibus moralis Theologiæ laxitatem Apostolica Sedes coercet, quàm eisdem interpretandis (ne dicam enervandis, omninòve frustrandis) impendant, ut sustineant ruinosam Probabilismi fabricam, quæ diutiùs jam stare non valet, & cujus magna tandem ruina, sicut Christiano populo saluti, ita ipsis dedecori haud mediocri futura sit? *Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent!* Verùm id Deus. Nos cum ejus auxilio Probabilismi tantùm falsitatem demonstrare patenter possumus. Deut. 32.

§. XVII.

Pro sententiæ communis stabilitæ praxi non nulla sunt advertenda.

631. EVicimus opinor aliquando, ut nemo, nisi nimiùm decipi velit, exigat in agendo cum Jansenistis, & Probabilistis tantam conscientiæ securitatem, ut quidquid agat quis, judicare omninò teneatur judicio simpliciter certo honestum esse, liberumque absolutè ab omni pecati periculo; sed fateatur sufficere judicium imperfectè, ac moraliter certum, id est, judicium verè probabile, quo id prudenter sibi persuadeat, licèt cum aliqua deceptionis formidine. Ne verò in praxi verissimæ sententiæ exorbitetur à via veritatis, aliqua sunt observanda, & cavenda, quæ licèt in decursu notata jam, & ostensa sint, hìc nihilominùs quasi per synopsim ob oculos cōstitui operæ pretium fuerit.

632. Primò: quod nuper jam

insinuavimus, illa generalis assertio, quod periculum deceptionis aliquando, sed rarò contingentis, remotum sit, & ideò juxta prudentiæ legem præcaveri non debeat, sic accipienda est, ut verum per se habeat, quando non aliqua circunstantia occurrit, quæ timere prudenter faciat ex aliqua speciali conjectura, errorem hic, & nunc imminere; in hoc enim eventu debet omninò operans diligentiam majorem adhibere, & studiosiùs veritatem inquirere; aut certè partem tutiorem amplecti. Ratio est manifesta: quia periculum illud, licèt, inspectâ causâ secundùm se, & præscindendo ab ista accidentali circunstantia, meritò censeatur remotum, utpotè mali non proximè imminentis; in hac tamen hypothesi non potest jure censeri remotum, adeòque ob rationem oppositam prudentia dictat esse cavēdum. Omittimus exempla passim obvia.

633. Hoc est onus, quod secum affert (ut Pater Elizaldus sæpiùs advertit) regula plerunque non fallens, non tamen absolutè infallibilis, qualem sententia nostra designat; quo nihil per se clarius, & ad intelligendum cuique facilius. Sed nescio quibus oculis Terillus Elizaldum legit.

634. Secundò: generaliter, dum in nobis sentimus alicujus internæ passionis motum, ratione cujus voluntas nostra afficitur ad objectum aliquod, in ipsumque amplectendum propendet, maturè, atque cautissimè procedendum tunc est, nec facilè credendum judicio nostro, licèt valdè probabile, quin immò, licèt evidens nobis appareat. Porrò, ut Bernardus prudēter admonet, *Amor, sicut & odium, veritatis judicium nescit*, propterèaque ab eorum præjudicio cavere nobis diligenter debemus.

Bern. li. de Grad. humilit.

635. Et eò quidem major cautela, major, atque distinctior diligentia præstanda ad cognoscendam naturam objecti, quò vehementior erit passionis motus, intensiorve erga illud propensio. Satiùs tunc sit, si operans satis velit sibi consulere, præter orationis auxilium adhibere consilium viri probi, ac sapientis. Immò consilium erit perquàm saniissimum, vel sequi omninò partem tutiorem, vel, si res moram patitur, definitam actionis determinationem suspendere, donec passionis æstus deferveat, plenoque imperio suo ratio potiatur,

636. Diximus de re ista non semel, neque iterùm. Cæterùm pro periculi magnitudine, & nostri negotii momento, quidquid dicere possumus, minùs est. Nunc, ut compendio dixero, accipe veritatem ex divinis oraculis, ex verbis, ex factis, Sāctorum, ex cunctorum sapientium communi conceptione, ex ipsa denique experientia notissimam: *nunquam, aut ferè nunquam fallaris de rerum honestate, vel turpitudine, si nulla abduceris cordis affectione, quæ rationis aciem obtenebret*. Hinc periculum nostrum ingens, atque tremendum: hinc vigiliæ continuæ, & excubiæ justorum, de quibus Augustinus supra productus: hinc Augustinus ipse negotium istud de veritate, maximè morali, invenienda, aut non invenienda, in cordis vel munditiem, vel immunditiem, totum perpetuò, & ubique refert; quin & ipse infidelis Aristoteles, cujus verba jam dedimus consideratione dignissima.

Sup. art. 5. §. 12.

Sup. hoc eod. art §. 8.

637. Equidem, ut lux ista corporea, si visus fuerit expeditus, ac liber, fieri nequit, ut non videatur, sic lux spiritualis veritatis, si anima sit libera ab intemperatarum affectionum caligine, mundaque à peccatorum, atque vitiorum fæce, facillimè intellectui se conspiciendam præbet; nam, ut rectè Augustinus, *Veritas ubique præsens est, si cordis oculus ad eam pateat*: itidem & Chrysostomus, *Nihil veritate clarius, nihil simplicius, nisi maligni esse velimus*. Contrà verò, si affectus, maximè ad sen-

Aug. in Psal. 30. concio. 1. Chrysost. Homil. 51. in Ioan.

si-

sibilia, voluntatem nostram inflammat, tantum obducit menti fumi caliginosi, tantum in intellectum tenebrarum offundit, ut vel solem ipsum non videat juxtà illud Prophetæ, *Supercecidit ignis, & nõ viderunt solem.* Psal. 57.

638. Audito denique ipsam Veritatem utrunque disertissimè docentem: *Error, & tenebræ peccatoribus concreata sunt*; quæ certè verba sunt mirabilia: sed Dei verba sunt, neque dijudicanda à nobis, sed credenda. Itidem: *Clara est, & quæ nunquàm marcescit sapientia, & facilè invenitur ab his, qui diligunt eam.* Adeò interest nostra cor mundum semper gerere, ut tot caveamus pereundi pericula; non verò, ut sancto timore careamus, qui tota nostra securitas est. Vide, quæ fusius dedimus supra. Eccli. 11. Sap. 6. Sup. art. 5. præsertim à §. 9.

639. Hìc verò observa iterùm, & milliès (quod utinam sincerè semel observes), qualis possit esse securitas, qualis pax, & tranquillitas conscientiæ, quam spondet benignus Probabilismus, qui moralem ipsum errorem designat tanquàm rectam agendi regulam, dummodò sit probabilis, hoc est, speciem quandam veritatis habens, quæ æqualem, aut majorem patiatur secum falsitatis speciem. Enimverò pax ista non est ab illo, cui Propheta dicit, *Omnes viæ tuæ veritas*. Psal. 118.

640. Tertiò præterea observandum est: cum ad verè prudentiæ munus spectet circunspicere undique, & maturè considerare omnes, & singulas objecti circunstantias, ut actioni eliciendæ, secundùm illas omnes, debitum modum, ac mensuram præscribat: ubi actionis objectum, seu materia, majoris ponderis, ac momenti sit, quia malum imminens ex opposito errore gravius est absolutè, sive quia magis operanti nocet, sive quia universalius, & ad plures se extendens, sive quia nullo modo, aut multò difficiliùs reparabile, aut ex capite alio quocunque: tunc diligentia necessariò adhibenda ex ipsius prudentiæ directione ad cavendum errorem imminentem, major esse debebit, & exactior cum proportione debita ad ipsum materiæ momentum; unde & dictamen proximè directiuum actionis oportebit, ut firmius, certiusque sit, minorique periculo deceptionis obnoxium.

641. Ex hoc certo principio, cujus de se evidentem veritatem satis in superioribus demonstravimus, immediatè, ac legitimè concluditur in Sanctis Sacramentis Ecclesiæ administrandis, ac conficiendis, secundùm dignitatem, & naturam cujuslibet requiri diligentiam maximè exactam, quæque specialem inferat (intra lineam moralis infallibilitatis) regulantis dictaminis certitudinem.

642. De certa verò istius diligentiæ mensura, de ipsiusque comparandæ via, diximus etiam ibi accuratè, quantum fas fuit tenuitati nostræ. Quibus aliquid ultrà superaddere non oportet: quia ultimum conscientiæ dictamen, de quo nunc agimus, vel est idem re ipsa cum judicio absoluto, atque determinato de reali valore Sacramenti; vel si sit ex illo resultans (de quo differere parùm habet momenti) non erit illo certius, saltem plerunque. Porrò vel nunquam, vel ferè nunquam, debere, aut posse, esse certum simpliciter cujusvis reflexionis artificio, certum existimamus. Hæc cuncta in superioribus articulis, fusiùs etiam, quàm spopondimus, declarata, & ostensa manent.

§. XVIII.

Corollarium pro bellis observatione dignum.

643. EX eodem principio facilè sit deducere, quid de mensura diligentiæ adhibendæ, adeòque de dictaminis certitudine, dicendũ sit pro bellis inferendis, pro applicandis corporeis medicinis, & pro materiis aliis consimilibus, de quibus in specie differere ex professo nostrum nõ est.

Id, quod ad bella gerenda attinet, animadvertere non omittam, requiri scilicet pluribus titulis necessitatis, & justitiæ causæ examen sinceriſſimum, & quàm accuratiſſimum, maximè autem ad provocandum. Nec verò causa belli justa esse poterit, nisi omninò sit necessaria secundùm notam Augustini sententiam, *Pacem debet habere voluntas, bellum verò necessitas*.

Aug. epiſ. 205.

644. Ratio verò assertionis facilè patet: tum quia ex bellis communiter innumera mala sequuntur; tum quia graviſſima, tum quia communia toti ferè reipublicæ subditorum, immò & toti reipublicæ Christianæ, si inter Christianos Principes bellum geratur; tum quia si bellum re verâ injustum sit, resarciri debent omninò, & difficilè resartientur; tum quia bellare est actio ut plurimùm non extemporanea, aut quæ ad deliberandum moram non ferat; tum insuper quia non est ex illis, quæ passim, aut crebrò exercentur, ut examen illius diligentiſſimum ninriam possit molestiam, aut anxietatem parere; tum demùm propter alias plures rationes, quas Principes, & Reges temporales, dum de bello deliberant, ob oculos habere deberent, & coram summo Judice, ac Rege, cui strictiſſimam olim rationem sui muneris sunt reddituri, sinceriſſimè cogitare, ac perpendere. Id si facerent, puto non ita frequenter, ac miserè, lugeret Christiana Respublica. Porrò Augustinus, qui justam belli causam necessitatem unam designat, quid illam faciat diserte quoque docet per notam illam, optimamque sententiam, quam ex Tullio probat, & laudat, *Nullum bellum ſuſcipi à Civitate optima, niſi aut pro fide, aut pro ſalute*.

Aug. li. 22. de Civita. Dei c. 6.

Tull. li. 3. de Rep.

645. Interim tamen vix Regi bellum ullum aliquando veniat in mentem (veniat autem perquàm facillimè), cum simul non statim occurrat multiplex, & justiſſima causa bellandi, quam celebriores Theologi, Regiique Consiliarii mirificè laudent, ac probent: totidem verò, aut plures ditionis suæ plaudunt adversario bellanti: utrique probabiliter (licèt invicem sibi contradicentes), atque adeò prudenter, ac tutiſſimè; mirum etenim foret, si benigna Theologia Recentiorum avarè Regibus indulgeret benignitates, & securitates, quas adeò largiter effundit in populum. Fortè indulgentiæ istæ (utinam vanus sit timor noster!) Regibus, & Magnatibus frequenter cõcedendę haud parùm faciunt mundo necessariam liberalem istam Theologiam.

646. Uterque igitur Rex honestè, justè, ac sanctè, debachatur, ac furit; totam exhaurit substantiam subditorum; incendiis, cædibus, populorum strage, regnum suum pariter, & alienum devastat; hominum vitas propè innumerabiles largiſſimè profundit, ac prodigit, quasi forent vitæ muscarum; cuncta regna finitima, quin & dissita, belli strepitu concutit, perterret, belloque ipso involvit, & implicat; totam denique Sanctam Ecclesiam Dei crudeliter affligit, ac turbat, prædamque facit hostibus suis, ut suæ voluntatis desideriis, effrenique dominandi cupidini, sine modo indulgeat, ac serviat: hæc autem omnia conscientiâ pacatisſimâ; utinam excusabili apud Deum, apud quem nempe dictamen Theologorum omnem timorem eximens in hoc sæculo, non eximet in altero fortasse damnationem æternam. Verùm de his ubertim ubi de ignorantiæ peccatis.

647. Interim tamen Christiani plurimi vix non blasphemiam reputant asserere, quod possit quis peccare, ac perire, dum sequitur dictamen Theologi, aut Confessarii, gravis, ac docti. Nihil hodie receptius, nec arguendum me vereor, quod falsum referam. Sed cogitatio ista non solum stultitiâ plena est, sed errorem involvit etiam in fide: cæterùm, qui, ut & similes alii praxi ipsa

ſa communi clàm obrepentes, utinam infeliciter hodiè plurimorum mentes non teneant. Huc nempè ducit homines, lucis filios, errorum tenebras non timere, ſed beatos ſe exiſtimare quandiù probabiliter errent, ac ſine conſcientiæ remorſu, pace illa damnabili, ac damnata, totieſque à Deo maledicta fruentes, per quam ſecuri dormiant, ſed pereant. Heu! *Populе meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. Stat ad judicandum Dominus.* Verùm dolor nos abripit quò tempus ire probet: Redeamus. Iſa. 3.

648. Reges ergo, & ſæculi Principes, qui ſui ipſorum obliviſci non vellent, hæc terribilia verba Regis Omnipotentis, *Qui aufert ſpiritum Principum*, jugiter meditari deberent: *Audite ergo Reges, & intelligite, diſcite judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè, & citò apparebit vobis: quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Puto, ſi mundi Principes hæc cogitarent, fortaſsè mallent exigui eſſe: & in extremis ſaltem procul dubio maluiſſent. Pſal. 75. Sap. 6.

§. XIX.

Qualis tandem, & unde, quærenda nobis ſit conſcientiæ noſtræ pax, & ſecuritas?

649. QUartò demum præ omnibus obſervãdum: quamvis minimè omittere, quin potiùs adhibere non ſegniter ubique debeamus noſtram induſtriã, diligentiam, ſtudium, cõſilium peritorum, cautelã, laborem indefeſſum, & operam, denique in cunctis noſtris operibus circunſpectam, pervigilemque attentionem ad univerſas veræ prudentiæ regulas; hoc enim maximè noſtri muneris eſſe, lumen ipſum rationis naturalis ignorare neminem ſinit, & Deus etiam nobis millies denuntiat verbis clariſſimis, ac ſignatiſſimis: attamen tota noſtra in agendo ſecuritas non iis omnibus, aut in eorum aliquo, etiam ex parte, nobis collocanda, ſed in ipſius Dei protectionem, auxiliumque totaliter referenda eſt: alioqui nos nulla vera ſecuritas, ſed illa Domini maledictio expectat, *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Hanc veritatem ſummi momenti, quæ nempè ſumma noſtra ſapientia eſt, ſatis ſuſè monſtravimus illo articulo 5. plurimis ſacris teſtimoniis clariſſimis, quæ iteranda modò non ſunt. Hierem 17.

650. Porrò ex illa procedit humilitas Chriſtiana, quæ fundamentum virtutum omnium eſt, & timor ille ſanctus, ac *pavor omni ſecuritate* (ut Auguſtinus dixit) *appetendus*: ex hoc verò neceſſitas, & diligens ſtudium orationis, à qua tota ſpes noſtra, & ſecuritas in agendo infallibilibus Dei verbis, crebriſque promiſſionibus innixa, ut dicere cum Ambroſio poſſimus, *Felix neceſſitas, quæ ad meliora compellit*, aut melius cum Regio Propheta, *Bonum mihi, quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas. Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti.* Aug. de Symbo. ad Cathec. c. 4. Ambro. Pſalm. 118.

651. Hinc Auguſtinus ſupra ſapienter adnotabat, hanc ipſam inveniendę veritatis difficultatem utilem nobis eſſe ex piorum omnium conſenſu, *Ne ſit ſpes ſibi quiſque, aut homo alter alteri; ſed Deus ſuis omnibus*, in quo vera felicitas, & tota vita noſtra conſiſtit, abſolutiſſimè Deo ipſo atteſtante, *Quærite Deum, & vivet anima veſtra. Ex occaſione quippe* (ut Bernardus ajebat) *frequentium neceſſitatum crebris neceſſe eſt impre-* Aug. Enchir. c. 60. Pſalm 68. Bernar. li de Diligen. Deo c. 6.

ca-

cationibus Deum ab homine frequentari, frequentando gustari, gustando probari quàm suavis est Dominus.

652. Utique ex cognitione summæ ignorantiæ nostræ, ac propriæ infirmitatis, cum nos aliunde hostibus, laqueis, periculis, undique videamus circumdatos, non potest non oriri ingens solicitudo, timorque pereundi: quapropter si nos ipsos nõ despiciamus, & miserè perire nolimus, fieri nullo modo potest, ut ad Deum non confugiamus, clamantes cum Propheta, *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Psal.142. *Deus meus, illumina tenebras meas,* Psal.17. *ne unquam obdormiam in morte. Incola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua.* Psal.118.

653. Novimus autem Deum *respicere orationem humilium, & non spernere precem eorum*; sed esse paratissimum ad nos illuminandos, & adjuvandos, immò ad nos custodiendos, *tanquam pupillam oculi sui*: quia sæpè id nobis pollicitus est, & ipsum esse scimus infallibiliter, summè veracem, atque fidelem in suis promissionibus adimplendis. Hinc spes nostra constans, ac firma, utpotè verbis infallibilibus, & infinita Dei bonitate subnixa: hinc tota securitas nostra, quia scimus etiam, ipsum dixisse, *Non delinquent omnes, qui sperant in eo. Clamavit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam, & glorificabo eum.* Et ore suo Dominus in Evangelio, *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ.* Ex Psal. 101. Ex Psal. 16. Psal. 33. Psal. 90. Ioan. 8.

654. Cæterùm nostra hæc confidentia, & securitas, timorem illum de nostra infirmitate moderatur quidem, ac temperat, ne nos nimiùm dejiciat, atque conturbet: eum tamen omninò non modò non expellit, immò non potest unquam sine illo subsistere; quia promissiones Dei, quibus innititur spes nostra, factæ non sunt ab ipso, nisi ad humiles, parvulos, & trementes sermones ejus; his enim etiam plena Scriptura est: *Testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Pfal. 18. Isa. 66. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: Alioquin* (addit Bernardus) *non requiem, sed laborem invenietis: Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit: quoniam ipse est spes ejus: Beatus homo, qui semper est pavidus: Homo sapiens in omnibus metuet: Qui timent Dominum, invenient judicium justum, & justitias quasi lumen accendent*: & alia sine fine. Iaco. 4. Matth. 11. Bernh. de Dilig. Deo c.8. Eccli. 34. Prov. 28. Eccli. 18. & 32.

655. En quibus Deus veræ sapientiæ lumen, & gratiæ suæ auxilium promittat: en quibus offerat protectionem suam, indèque veram securitatem, & requiem. Nulla igitur nobis spes non vana superesse potest non passim errandi, ac labendi, si non humiles corde, ac pavidi semper fuerimus; spes enim, quæ semper non sit conjuncta cum vera nostræ miseriæ cognitione, adeòque cum sancto pavore, & humili timore Dei, non spes vera, sed præsumptio vana, & perversa superbia est temeritate, & stultitiâ plena. Hæc verò non auxilium divinum, sed terribilem potiùs indignationem, & maledictionem meretur: sicut & vicevversa misericordiam, & benedictionem suavissimam, qui humiliter cõfidit in solo Deo. Audi ipsum solemniter utrumque denuntiantem: *Hæc dicit Dominus: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus. Erit quasi myricæ in deserto, & non videbit, cum venerit bonum.... Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.* Hier. 17.

656. Quæ verò putas est benedictio, qua Deus humiles benedicit? Illa profectò, de qua Psalmista inquit,

Psal. 93. quit, *Benedictionem dabit Legislator.* Hęc autem benedictio quid tibi boni afferat, audi Bernardum graphicè exponentem: *Benedictionem* (inquit) *dabit Legislator: quia qui dedit legem, dabit & benedictionem: hoc est, qui jussit humilitatem, perducet ad veritatem. Quis verò est hic Legislator, nisi dulcis, & rectus Dominus, qui legem dedit delinquentibus in via? In via quippè delinquunt, qui veritatem derelinquunt. Sed nunquid, vel sic à dulci Domino derelinquuntur? Ipsis ergo dulcis, & rectus Dominus legem dat viam humilitatis, per quam redeant ad agnitionem veritatis. Dat occasionem recuperandæ salutis, quia dulcis est: non tamen absque disciplina legis, quia rectus est.*

Bern. tract. de grad. humilit. c. 1.

657. En tibi viam rectam, ac facilem inveniendi moralem veritatem: ut non movearis ab iis, qui passim repetunt, ipsam per se non esse invenibilem, & ideò regulam honestatis præfigunt ex æquo, aut potiùs complectentem errores, dummodò tibi probabiles sint: cum quo tamen conciliant imperterritam, & omni prorsus timore vacuam conscientiæ tuæ securitatem, & pacem. Tu verò magis opta pacem Domini ajentis, *Veritatem tantùm, & pacem dilige*: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Eis verò, qui viam adeò dissimilem, immò & contrariam docere te volunt, reponito cum eodem Bernardo: *Sine causa contendunt: non eis magis, quàm Christo credimus, nec omninò acquiescimus mendacem eum facere, qui promisit*: Tantùm humilis esto, & procul dubio veritatem invenies: nam procul dubio, *Qui dedit legem, dabit & benedictionem: hoc est, qui jussit humilitatem, perducet ad veritatem.*

Zacha. 8.
Psal. 118.
Bern. in Declamat. versus fin.

658. Hac providentiâ Deo sanè dignissimâ; & nobis perquàm saluberrimâ, oportuit regi hominem, animal utique cõditione sua cæcum, infirmum, per omniaque miserrimum, quodque, ut Propheta compendio dixit, *Universa vanitas est*; & simul (quod videatur incredibile) arrogãtissimum, ac superbissimum: ut, vel ex summa sua miseria, disceret ad Deum confugere, tanquam ad unicum præsidium suum, humili, atque verissima cõfessione compertam suam infirmitatem, propriamque indigentiam agnoscens, totamque semper salutis suæ Deo tribuens gloriam, & laudem, ex corde eum Propheta pronuntians, *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Hoc frenum illud est suavissimum, ac utilissimum, de quo Dominus ipse per Isaiam, *Laude* (inquit) *mea infrenabo te, ne intereas*: nempè non minùs ipsi Deo glorioſum, quàm nobis penitùs inexcusabile, si interire miserè nolumus, nec à superbia nostra præcipitari.

Psal. 38.
Psal. 72.
Isa. 48.

659. Propterea ipse, quantum in se est, & propter gloriam suam, & propter propriam nostram salutem, quam ardentissimè procurat, & amat, hoc nobis frenum nunquam laxabit, quia ex ineffabili misericordia sua nostrum interitum semper avertit: *Sacrificium laudis honorificabit me* (inquit): *& illic iter, quò ostendam illi salutare Dei.* Nobis igitur suæ protectionis auxilium ea semper lege promittit, ut propriæ infirmitates nunquam immemores sic in ipso spem collocemus, ut de nobis semper timeamus. Porrò, ut in summam misericordiam ejus, & promissionum fidelitatem penitùs infallibilem intendentes, meritò debemus confidere, & in spem firmissimam erigi auxilii nobis nunquam non affuturi; ita dum nostram indispositionem, propriamque infirmitatem attendimus, fieri nequit, ut semper non paveamus, prout suprà Tridentinum ajebat.

Psal. 49.

660. Hanc Sanctorum scientiam in primis salutarem, qua quisquis careat, vanus est, ac stultus, verbo, & exemplo suo Regius Psaltes mirificè nos docet, ac frequentissimè: *Qui tribulant me, exultabunt, si motus*

Psal. 12.

Psal. 69.

tus fuero: ego autem in misericordia tua speravi: Ego verò egenus, & pauper sum: Deus adjuva me &c. per quos, & similes clamores innumeros, quibus Psalmi divini pleni sunt, & clementiæ divinæ, & nostræ infirmitatis admonemur, ut speremus simul, & timeamus: quorũ alterutrum nec tutum, nec sufficiens; utrunque verò salus, & vera nostra securitas est.

En rerum connexionem, & ordinem: en totam nostri ædificii compaginem: en denique artificium, & *mysterium* sententiæ nostræ.

§. XX.

Ergo cavendum omnibus est à Jansenismo, & Probabilismo, & media via omninò tenenda.

661. FAcessat ergo procul à nobis utraque Recẽtiorum Theologia, Jansenistarum, & Probabilistarum, qui licèt ex contrariis principiis, utrique tamen nimiam, atque præposteram securitatem intendentes, totam adimunt nobis veram securitatem, totamque spem illius obtinendæ, cum viam unicam ad illam comparandam utrique pariter nobis occludant.

Utique totam veram securitatem nostram in nullo alio posse consistere, quàm in accessu ad Deum, & in spe divinæ protectionis, nemo pius negaverit, & abũdè manet ostẽsum. At totam spem nostram per accessum ad Deum utrique simul destruunt per extrema contraria, dum alii per nimium rigorem in desperationem impellunt, alii verò per nimiam laxitatem in vanam cõfidentiam præcipitant.

662. Et verò Janseniani, cum exigant ubique ad honestè operandum judicium de honestate directum plusquàm probabile, & non opinativum, sed absolutè certum, & evidens (quod patet nobis non esse possibile, saltem ut plurimùm, ac per se loquendo), legem divinam faciũt observatu impossibilem; quod de nonnullis saltem Dei nostri præceptis ipsi (quæ hominum impudentia est) blasphemo ore non verentur fateri. Deum igitur nobis iniquum, & crudelem comminiscuntur, in quo verè confidere non possimus; quis enim spem suam ponat in Deo, qui præcipit impossibilia sub pæna damnationis æternæ?

663. Probabilistæ autem per oppositam viam, cum totam nostram securitatem in testimonium referant conscientiæ nostræ, cui, etiam dum amplectitur, quod inhonestum judicat, aut judicare potest, adeò tamen intrepidè fidendum docent, ut de nostra ignorantia, nel negligentia, ne quidem leviter formidare debeamus, totam pariter nobis spem præcidunt, qua Dei auxilium, & protectionem prudenter expectare possimus.

664. Sanè iis, qui non pavent, qui sua opera non verentur, qui cum metu, & tremore salutem suam *non* operantur, veræ sapientiæ lumen, & gratiæ suæ auxilium, sine quo nemo potest spem veram habere assequendi moralem veritatem, nusquam Deus promisit, immò millies negavit se daturum: quin & ipsos terribili maledictioni subjicit, utpotè non in Deo, sed in homine confidentes. Adeò verum est illud Magni Augustini effatum, *Multos impedit à firmitate præsumptio firmitatis. Nemo enim erit à Deo firmus, nisi qui à se ipso se sentit infirmum*. Is verò, cujus firmitas non est à Deo, quò se magis reputat firmum, eò est periculosiùs, & insanabiliùs deceptus.

Aug. li. de Verb. Domini. 13.

665. Nostra ergo Theologia inter extrema ista mediâ viâ procedit, quę via unica salutis est, & utriusque erroris scopulos cautè devitat, atque prudenter, per spem veram, & sanctum Dei timorem: utrunque pariter complectendo in debito gradu, ac mensura; utrunque nanque pariter necessarium est ad veram nostram se-

securitatem: *Sicut enim* (ait Augustinus) *præpostera securitas in periculum impellit, ita ordinata solicitudo securitatem parit.* Porrò timere, & non sperare, via est damnatorum, ac perditorum: sperare, & nihil timere, Pharisæorum, ac superborum: timere simul, & sperare, via humilium, atque justorum. Aug. in Sentent. nu. 78.

666. Nemo ergo in hac vita cõscientiæ suæ securitatem quærat, quę humilem timorem, & moderatam solicitudinem auferat. Nemo de suis propriis operibus, quæ justa, ac laudabilia sibi videantur, tutam se, ac felicem existimet, nec nimiâ unquam confidentiâ lætetur; hæc etenim securitas, hæc lætitia, non est re vera secundùm Deum, nec verè nos felices, ac tutos, sed verè potiùs miseros facit; nam ut rectè Bernardus, *Nulla verior miseria, quàm falsa lætitia.* Bern. in Florib. cap. 147.

667. Denique, ne te miserè fallat captiosum artificium Probabilismi per *privilegium securitatis perfectæ*, & beatissimam conscientiæ pacem conjunctam cum immodica indulgentia, & libertate tibi placendi, præter superiùs dicta satis illustria, nisi studiosè velis oculos claudere, eosve à lumine veritatis avertere, placuit ejusdem Bernardi verba, licèt paulò fusiora, tibi subjicere, ut ab hoc vero Ecclesiæ Magistro planè, ac facilè discas, quam debeas in hoc sæculo optare, ac quærere, conscientiæ tuæ pacem, & securitatem agendi.

Nos autem miserabiles (inquit) *vicini tot serpentibus, & ignitis telis undique volantibus, insurgentibus inimicis, nihilominùs perniciosa securitate, & negligentia dormitamus: torpentes otio, vanitatibus, & scurrilitatibus indulgemus, tam pigri ad spiritualia exercitia, ac si jam pax sit, & securitas, & non sit militia vita hominis super terram. Hoc est (dico vobis charissimi), quod me vehementiùs terret, quod omninò timoris gladio transverberat animam meam: quod inter tanta pericula minùs timorati, minùs exercitati, minùs, quàm necesse sit, soliciti videamur. Siquidem unum è duobus hæc ipsa negligentia nostra probat: aut omninò traditos nos hostibus, & nescire: aut si inter conservamur, ei, qui tuetur nos, ingratos nimiùm inveniri. Quorum utrunque quid periculi habeat, satis manifestum est. Propterea obsecro vos, dilectissimi, ipsa nos excitet hostium malitia pervigil, & instantia eorum maligna, quam tam seduli, tam soliciti sunt in nostram perditionem, nos quoque solicitos faciat, & circunspectos, ut in timore, & tremore nostram ipsorum salutem operemur. Ecce in Cruce salus nostra &c.* Bern. serm. 2. de S. Andr. paulò ante fin.

668. Plaudant igitur sibi, & Reflexismi sui *mysterio*, quantùm volent, moderni Probabilistæ, inter quos maximè Lydium Lapidarium, *Religiosissimam suam sententiam*, ut prudentissimam, ac tutissimam, super astra ipsa efferentem; nostramque ut temerariam, & periculosissimam, accusantem, legere sine risu vix possum: plaudant, inquam, si libeat, & quantum libeat, artificiosæ Theologiæ suæ, & certitudinem, etiam metaphysicam, nunquam peccandi in praxi ullius opinionis benignæ, etiam minùs probabilis, etiam falsæ, & reipsa, & in mente operantis ipsius, verbis gloriosis polliceantur, ac prædicent, & (quod dolendum magis) multis persuadeant.

669. Nos profectò cum SS. Ecclesiæ Patribus, veris nostrę vitæ Doctoribus, apud quos hanc Theologiam nusquam invenimus, sed extremè potiùs contrariam, novam hanc viam tantæ securitatis, ac certitudinis in agendo, libenter prætermus, ac fugimus; neque pacem optamus, aut certitudinem, quæ nos avertat à via veritatis. Hanc si semper teneamus, tuti sumus: si verò deseramus aliquando, tutos nos reputabimus, sed non erimus. Veritas autem docet, *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: Beatus homo, qui semper est pavidus.* Psalm. 2. Prov. 28.

670. En lætitiam non fictam: en veram beatitudinem, quam abscondisse Deum dixit Propheta non sine admiratione, *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* quia scilicet non patet oculis carnis, ideò fugientis à via ista, quod ipsius dulcedinem percipere non valeat. Porrò, ut inquit Apostolus, *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Verùm, si verè sapimus, veramque optamus securitatem, & pacem, *spiritu ambulare debemus, nec desideria carnis perficere*, ut idem nos Apostolus docet.

Psal. 30.

1. Ad Corinth. 2.

Ex Epist. ad Galat. 5.

CONCLUSIO.

INjuriam tibi Lector, irrogare me crederem, (licèt is olim fueris, quem meminimus,) si diutiùs te morandum putarem. Puto dicta sufficient, & abundabunt, ut vel persuasus firmiter maneas de benigna sententiæ falsitate, vel saltem ut solicitus non mediocriter de veritate tanti momenti sinceriſſimè investiganda, lectionem libri nostri, quem cæcus percurristi, jam expeditis oculis repetas. Id dum effecerò, non modò nihil verear, ne non Probabiliſmum constantissimè damnes; verùm etiam ne non, & doleas nimiùm, & mireris magnopore, quod illum aliquando probaveris.

Hæc sunt, DOMINE JESU CHRISTE, quæ te donante, peccatorum meorum licèt tenebris repugnantibus, de luce tua capere potui. Sententiam veram, adeòque tuam, quin, te dante, docuerim, dubitare non possum. Doctrinæ veræ tuæ multa ex meo irrepsisse ineptè nimis, importunè, imprudenter, & (quod dolendum magis) falsò fortasse dicta, non dubitare, sed præsumere debeo. Probabilistas omnes (tu nosti Domine) sinceriſſimè amo. Probabiliſmum vehementer odi, & ut oderint omnes impensè opto, & te adjuvante, semper pro viribus curabo, quia te illum odisse certò novi. Errores insectari tantummodò, ne noceant animabus innumeris pretioso tuo Sanguine redempris, intentio mea extitit. Ab scopo fortasse haud parum aberraverim, nimis credibile mihi est. Strenuè, ac fortiter pugnandum fuit, si spei victoriæ renuntiare non vellem, multis strenuis contra fortiſſimè pugnantibus. Facile fuerit jaculum validè in errorem contortum contra intentionem meam ad errantem pertingere. Homo sum miser, ac nimis homo, & *Ignorans egressum, & introitum*. Tu verò, Domine, propter nomen tuum ignorantias meas misereberis.

3. Reg. 3.

FINIS.

IN-

INDEX

RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hoc Opere continentur, ordine Alphabetico digestus.

Prior numerus paginam, Posterior numerum Controversiæ designat.

A

Actio Agere.

Actionis *humanæ bonitas, & honestas moralis, unde sumatur.* pag. 2. n. 2. & pag. 134. n. 2. & seqq.

Ex conformitate cum regula rationis taxante modum, quem tenere debet in ordine ad ultimum finem, dicitur moraliter bona, recta, laudabilis, & honesta. ibidem.

Si eidem regula contrarietur, mala moraliter. ibidem.

Si præter regulam ipsam sit, indifferens appellatur. ibidem.

Practicè tamen nulla datur actio hujusmodi. ibidem.

Actio *nulla, procedens ex errore, etiam invincibili, potest esse honesta, & bona moraliter, absolute positive.* p. 237. n. 47.

Actio *moraliter mala dicitur per recessū à regula honestatis moralis.* p. 358. n. 4.

Agere moraliter male ille duntaxat dici debet, qui tenetur regulam honestatis moralis quærere, & eidem se conformare. ibidem.

Agere quem male moraliter, quin teneatur ad aliquam positivam bonitatem moralem, opinio falsa Cajetani contra D. Thomam, Theologos antiquos, & SS. PP. ibidem. n. 9.

Actio *circa materiā non præceptam exercita, si non in finem honestum dirigatur, turpis, & vitiosa est.* pag. 382. n. 119.

Obligatio ad hujusmodi actionis directionem descendit ex jure naturali. ibidem n. 121.

Appellatio.

Appellatio *ad Sapientes, & Prudentes, in quam tandem Probabilistæ resolvunt ratiocinium suum, absurda, & importuna.* pag. 25. n. 40. & pag. 157. n. 15. & seq.

Appetitus.

Appetitus *rectus in Moralibus exponitur.* pag. 435. n. 400. & seqq.

Articulus.

Articulus *secundus, damnatus ab Innoc. XI. inevitabilis sequela ex moderno Probabilismo.* pag. 313. n. 16.

Articuli *duplicis, ab Innoc. XI. & Alexand. VIII. proscripti Damnatio, optime cohæret cum Auctoris principiis.* pag. 395. n. 179. & pag. 429. n. 368. & pag. 438. n. 413. & seqq.

Artificium.

Artificium *reflexionum à Probabilistis inventum, ejusque fallacia.* pag. 99. n. 6. & seqq.

Ejusdem mysterium detectum. pag. 109. n. 40.

Idem artificium iterum reprobatum. pag. 148. n. 54. & seqq.

Artificium *aliud suspendendi judicium directum circa objectum, & per reflexa principia judicandi, detectum, & latè impugnatum.* pag. 173. n. 79. & seqq.

Assensus.

Assensus *propriè, & simpliciter importat firmitatem, formidinem omnem excludentem: largè acceptus usurpatur pro quolibet judicio, seu certo, seu formidoloso.* pag. 44. n. 13.

Impossibilis est assensus intellectus, etiā ex imperio voluntatis, immediatè præstandus parti minus, aut æquè probabili. pag. 50. n. 38. & seqq. & pag. 94. n. 212.

Assensus *Fidei, etiam quoad exercitium, liber est, & meritorius.* pag. 70. n. 119. & 120.

Assensus *Fidei Divinæ meritum, atque libertas explicantur*. pag. 74. n. 139. & seqq.

Non semper, ac datur assensus ex fundamentis verisimilibus judicanti, assensus est prudens, & inculpabilis. pag. 77. n. 150. & seqq.

Id in Hæretico obstinato, & in assensu temerè judicantis exponitur. ibid.

Assensus *Fidei Divinæ necessariò supponit alium assensum, quo mysterium judicatur ab intellectu verum*. pag. 75. n. 142.

Assensus *partis minus probabilis, vel dissensus probabilioris, non est intellectui violentus, sed impossibilis.* pag. 77. n. 149.

Possibilitas ejusmodi assensus non infertur ex suppositâ etiam possibilitate judicandi positivè determinatè de dubiis actionibus Proximi. pag. 87. n. 183. & seqq.

Quamvis possibilis, non tamen esset prudens. pag. 94. n. 211.

Auctoritas.

Auctoritas *sapientum, & prudentum, qualiter usurpanda.* pag. 25. n. 40. & pag. 157. n. 15. & seqq.

Multa de Auctoritate eorum Sapientum, ad quos appellant Probabilistæ, pro licito usu opinionis minùs, aut æque probabilis. pag. 161. n. 36. & seqq.

Auctoritas *eorum, quos quis judicat errare, aut falli, patrocinari nequit eidem ad sequendam errantium opinionem*. ibidem. *& ulteriùs latissimè*.

Quænam auctoritas pro regula Probabilistarum de possessione libertatis in Dubiis. pag. 197. n. 36. & seqq.

B

Bellarminus.

Bellarminus *Cardinalis expositus contra Lapidarium.* pag. 447. n. 456.

Ejusdem Cardinalis interpretatio mirabilis, à Lapidario producta. pag. 450. n. 474.

Bellum.

De Bello quædam notanda. pag. 483. n. 643. & seqq.

C

Certitudo.

Quis Theologorum sensus de certitudine dictaminis ultimi conscientiæ. pag. 442. n. 431.

Certitudo *moralis explicata*. pag. 444. n. 446.

Absoluta, perfectaque certitudo talis dictaminis necessaria per se non est in Moralibus, etiam in administratione Sacramentorum. pag. 452. n. 486. *late*.

Imò talis certitudo sensui Theologorum, & Scripturæ repugnat. ibidem.

Certitudo *absoluta judicii de carentia peccati formalis non requiritur ad moraliter, prudenter, & inculpatè agendum.* ibidem.

Ea certitudo repugnat Tridentino. pag. 454. n. 497.

Imò nec requiritur certitudo de carentia peccati materialis, seu de negativa honestate actionis. pag. 462. n. 537.

Oppositum non cohæret cum Scriptura Sacra. pag. 464. n. 546.

Certitudo *requisita ad assensum Fidei ineptè adducta pro certitudine judicii, vel dictaminis conscientiæ.* pag. 473. n. 594.

Nisi Jansenianis, nemo potest seriò uti ea paritate contra sententiam nostram. ibidem. n. 601.

Nec Probabilistæ beneficio reflexionum suarum obtinent certitudinem absolutam dictaminis ultimi conscientiæ. pag. 480. n. 625.

Vide Dubium. Judicium. Conscientia. Sacramentum.

Cognitio.

Cognitio *applicans primam regulam honestatis moralis est actualis, & formalis directio nostrarum operationum moralium.* pag. 3. n. 8.

Cognitio *hæc non debet esse necessariò actualis, seu coexistere physicè semper actualiter operationi morali.* pag. 4. n. 10.

Sufficit, si physicè extiterit, & moraliter perseveret. ibidem.

Quamvis cognitio hæc, seu dictamen rationis, applicans primam regulam, sit

sit formaliter prima, vel potius unica; simpliciter tamen, & absolutè est secunda regula honestatis moralis. ibidem. n.11.

Si recta non sit; nec erit regula honestatis moralis, nisi abusivè, & impropriè. pag.5.n.14. & seqq.

Vide Regula.

Collatio.

Collatio *doctrinæ communis Recentiorum cum Augustiniana.* pag. 158. n.22. & seqq.

Confessarius.

Confessario *non licet hortari ad debitum reddendum conjuges ignorantes nullitatem conjugii sui.* pag. 239. n. 57.

Confessarius *non potest, nec debet absolvere Pœnitentem, qui velit uti opinione minùs tuta, & minùs eidem Pœnitenti probabili.* pag. 354. nu. 204.

Conscientia.

Conscientia *non distinguitur à cognitione, vel dictamine rationis practico, determinante, & ultimò dictante, quid agendum, aut omittendum, ut conforme, vel dissonum voluntati Divinæ, & primæ regulæ honestatis moralis.* pag.4.n.13.

Conscientiæ *formatæ, juxta regulas Probabilismi reflexi, descriptio, status, & sensus.* pag. 99. n.6. & seqq. & 175.n.89. & seqq.

Conscientia *erronea non ligat, vi legis Divinæ, reflexæ, & consequentis, sed vi solius antecedentis, directæ, ac universalis.* pag. 238. n. 50.

Ultimum conscientiæ dictamen nequit esse certum; si judicium directum, & antecedens de honestate objecti, falsum sit. Fusè per totam Contr.ult. lib.1. & pag. 431. n. 378. & seqq.

Conscientiæ *dictamen ultimum qualiter certum esse debeat.* pag.394.n.177. pag. 433.n.388.& pag.442.n.431. & seqq.

Conscientiæ *remorsus actualis non requiritur ad peccandum, etiam formaliter.* pag. 180. n. 101. & pag. 460.n.528. & seqq.

Ad conscientiæ securitatem in agendo nō semper, imò sæpè non est necessarium eligere partem tutiorem. pag.395.n. 178. pag.438. n.413. pag. 452. n. 486. & pag. 470.n.579.& seqq.

Conscientiæ *securitas vera.* pag. 410. n. 260. & pag. 485. n. 649. & seqq.

Vide Timor. Sacramentum. Judicium. Certitudo. Dubium. Consilium. Consulere.

Consulere *alicui actionem, tanquam licitam, ex opinione minùs, aut æquè probabili consilianti ipsi, licitum non est.* pag.181.n.106.

Id verum, quamvis consilians videret, aut certò sciret, accipientem consilium posse à culpa excusari. ibidem. n.112.

Conscientia sic dantis consilium describitur. ibidem. n.113.

Consulere *minus malum homini ex se parato ad majus perpetrandum, non licet.* pag.239.n.58.

Indirectè verò, exclusive, aut permissive, consilium ejusmodi laudabile. ibidem. *n.*59.

Compensatio.

Compensatio *occulta, ex opinione minùs probabili, illicita est, & fructus Probabilismi.* pag.335. n.114.

D

Dictamen.

De dictamine conscientiæ vide, Conscientia. Judicium. Certitudo. Dubium. Sacramentum.

Difficultas.

Difficultas *inveniendi Sapientes.* pag. 157. n.16. & seqq.

Diligentia.

Diligentia *major adhibenda ad conformandam regulam secundam cum prima in materia Sacramentorum.* pag.392.n.168. & seqq.

Diligentiæ *exactæ mensura in præfata materia insinuatur.* pag.399.n.202. & seqq.

Non in propria industria, & studio, sed in oratione, humilitateque fundari debet. pag.410.n. 260. & seqq.

Hujus diligentiæ mensuram solus Deus docet. ibidem.

Ejusdem diligentiæ solicitudo, non onus, sed

sed oneris levamen est. pag. 413. n. 274.

Non eadem diligentiæ ponendæ ratio, quoad realem veritatis inventionem, in Docentibus, atque in operantibus pag. 465. n. 552. & seqq.

Doctrina.

In tradenda doctrina morali medium tenendum. pag. 407. n. 243. & seqq.

Dubium. Dubietas. Dubitare.

Dubium, *quid sit?* pag. 42. n. 4.

Quodnam negativum, quodnam positivum? ibidem.

Dubia *circa actiones Proximi qualiter interpretari debemus?* pag. 83. n. 170. & seqq.

Dubium *intellectuale generaliter exponitur.* pag. 188. n. 2. & seqq.

Variæ pro eius intelligentia illationes. ibidem.

Dubitatio *formaliter consistit in motu, & conatu ad veritatem.* pag. 189. n. 7.

Dubium *negativum non propriè, sed abusivè dubium est.* ibidem. n. 8.

Dubii *definitio vulgaris debet intelligi de objectivo.* pag. 190. n. 12.

Dubietas *formaliter, & proprie est affectio, & modus intrinsecus actus intellectualis.* pag. 191. n. 13.

Rem esse dubiam, denominatio est relativa ad solum intellectum dubitantis. ibidem. n. 14.

Potest aliquid esse dubium in sensu quodam absoluto, & non esse dubium respectu omnium. pag. 162. n. 40. & pag. 191. n. 15.

Ad dubitandum non est satis simplex apprehensio. pag. 191. n. 17.

Ad dubitandum necessarius non est actus expressus, ac reflexus supra insufficientiam motivorum. ibidem. nu. 18.

Motus rationis in dubitante est apprehensio quædam specialis naturæ, & modi tenendi, quasi per inquisitionem, aut interrogationem. pag. 192. n. 19.

Hanc apprehensionem consequitur plerumque judicium exprimens incertitudinem rei, quo consummatur Dubium. ibidem

Solius intellectus est propriè dubitare. pag. 193. n. 21.

Dubitare, *indirectè loquendo, liberum nobis.* ibidem. n. 22.

Dubitare, *qualiter nobis liberum, aut necessarium.* pag. 43. n. 8. & seqq. & pag. 193. n. 23.

Cum dubio practico operari, peccatum est. pag. 194. n. 26.

Non dubium remotum, seu speculativum, sed proximum, & practicum, remoto perseverante, resolvi dicendum est à Probabilistis per suum principium reflexum de possessione libertatis. pag. 195. n. 29.

Per regulam istam reflexam non potest resolvi dubium directum. ibidem. & pag. 223. n. 127. & seqq.

Nullum dubium resolvi potest, nisi per inventionem veritatis. utrobique.

Dubia *moralia resolvenda non sunt per regulam de possessione libertatis.* pag. 205. n. 66. & seqq. & pag. 222. n. 126. & seqq.

Dubia *moralia non rectè resolvuntur per usum sententiæ benignæ, nec per scientiam discernendi Probabile ab improbabili.* pag. 324. n. 63. & seqq.

Vide. Possessio. Voluntas. Opinio. Probabilitas. Judicium. Regula.

E

Error,

Error *falsa quædam opinio est.* pag. 44. n. 10.

Error *positivus, etiam circa singularia, & contingentia, est malum intellectus.* pag. 84. n. 172. & seqq.

Error *omnis positivus pœna peccati est.* pag. 86. n. 179.

Talis error nec in Angelis, etiam Viatoribus, inventus, nec in hominibus innocentibus inveniendus. ibidem.

Nullus error turpitudine caret. pag. 85. n. 174.

F

Falli.

Falli *positivè, in quacumque materia, malum intellectus.* pag. 84. n. 172. & seqq.

Fides.

Cur ad Fidem supernaturalem requiratur

tur certitudo Divinæ Revelationis. pag.476.n.603.

Finis.

Finis, *quasi mensura, & norma voluntatis Divinæ, regulantis actiones morales.* pag. 383.n.124. & seqq.

Formido.

Formido *opinionis duplex.* pag.43.n.9.

Actualis, formalis, & signata, accidentalis est actui opinativo. pag. 44. n.10.

Imò, licèt identificata realiter actui, nõ esset de conceptu opinionis formaliter, & logice, sed identice, ac materialiter. ibidem.

Quandoque, imo multoties opinio realiter separatur ab actuali formidine. ibidem.n.10.

Formido *propria opinionis inepte exponitur per istum modum tendendi.* ibidem.n.14.

Actualis, & signata formido est actus reflexus, distinctus à directo opinionis. ibidem.n.15.

Formido *propriè talis ad appetitum, & voluntatem spectat.* pag. 193.n. 21.

H

Hæreticus.

Hæreticus *non excusatur à peccato, assensum præbens erroribus sibi apparenter verosimilioribus.* pag77. n. 150. & seqq.

Honestas.

Honestas *actionis moralis desumitur ex ordine, & conformitate ad regulam rationis rectam.* pag.5.n.14.

Unde major excellentia in altero objecto honesto, præ altero. pag. 384.n. 127.

Vide. Actio. Regula. Voluntas.

Humilitas.

Humilitas *commendata pro veritatis inventione obtinenda, & rectitudine operationis comparanda.* pag. 410.n.260. & seqq.

I

Ignorantia.

Ignorantia *invincibilis legis non tollit ejus strictam promulgationem.* pag. 118.n.72.

Ignorantia *voluntaria legis, quam facile quis cognoscere poterat, & debebat, est moraliter notitia legis ipsius.* pag.173.n.80.& seqq.

Ignorantia *legis permissa in suspendente judicium circa malitiam objecti directi, affirmatam per opinionem sibi probabiliorem, ut contra hanc operetur ex reflexis principiis Probabilisini, non excusaret operantem à culpa formali.* pag. 180.n. 101. & seqq.

Talis ignorantia esset directe volita, studioseque procurata. ibidem.

Augeret potiùs, quàm minueret culpam. ibid.

Vide. Lex. Reflexio. Opinio.

Intellectus.

Intellectus *potest moveri ex imperio voluntatis ad assensum, propter motivum notabiliter superans motivum oppositum:* pag.45.n.17.

Non tamen potest, etiam parti probabiliori, assentiri; si opposita maneat probabilis absolutè. pag. 45. n. 19.

Unde respectu intellectus assentientis probabiliori nequit manere probabilis altera pars opposita, in sensu composito assensus. pag. 46.n.19.

Intellectus *non est antecedenter immediate indifferens ad assensum partis minùs, aut æquè probabilis, ex imperio voluntatis eliciendum.* pag. 48.n.30. & seqq. *latissimè.*

Intellectus *potentia ad assensum, vel dissensum, non cohæret cum judicio signato de æqualitate, vel inferioritate motivorum.* pag.60.n.80. & pag.74.n.139. & seqq.

Intellectus *non est immediatè proximè potens ad dissentiendum Fidei Mysteriis.* pag.74.n. 139. & seqq.

Aliter nulla ratione posset assẽtiri Mysteriis Fidei firmiter, & sine formidine. pag.54.n.55. & seqq.& pag. 89.n.195.

Intellectus *inclinatio ad assensum motivi probabilis non probat potentiam proximam ejus ad assentiẽdum parti, aut motivo minùs, vel æque probabili.* pag.90.n.199.& seqq.

Vide. Assensus. Opinio. Prudentia. Judicium.

Judicium. Judicare.

Judicium *temerarium non esset possibile; si posset intellectus assentiri parti minùs probabili.* pag. 81. n. 161.

Judicium *potest esse temerarium, etiam in intellectu assentiente fundamentis verosimilioribus judicanti.* pag. 80. n. 157. & seqq.

Id intelligitur, per se loquendo, & præcisive à prohibitione particulari. pag. 82. n. 164.

Judicantis *temeritas exposita.* ibidem. n. 165.

Præceptum non temerè judicandi de Proximo *explicatur.* pag. 85. nu. 176. & seqq.

Per suspensionem judicii adimpletur. ibidem. n. 179. & seqq.

Si judicandum esset positivè; in meliorem partem dubia talia resolvi deberent ibidem. n. 182.

Judicii *directi suspensio ad formandam conscientiam ex principio reflexo, pro parte minùs, aut æque directè probabili operaturo, nihil prodest ad vitandam contradictionem, absurditatem, peccatum, &c.* pag. 173. n. 79. & seqq. *latissimè.*

Judicium *opinativum, proprie loquendo, non est dubium, quamvis sit incertum.* pag. 194. n. 24.

Judicium *de honestate actionis necessariò supponit regulam aliam, à se distinctam, & se priorem, cui conformetur.* pag. 259. n. 138.

Judicium *sequi, qualiter damnabile non sit.* pag. 159. n. 24. & seqq.

Judicium *particulare in agendis discrepare nequit ab universali; nisi diversum objectum sit.* pag. 168. n. 58.

Judicans *absolutè objectum illicitum sub certis circumstantiis, generali ratione acceptis, id ipsum judicat, aut judicare debet respectu singularum Personarum, & sui etiam ipsius.* ibidem. n. 59. & seqq.

Alioquin contradictoria judicaret respectu ejusdem simul, retento scilicet illo suo primo judicio. ibidem.

Judicium *conditionatum, aut hypotheticum affirmantis licitum objectum ex aliorum opinione probabili contra propriam retentam actu, sensum importat ineptum, & absurdum.* pag. 169. n. 62. & seqq.

Judicii *suspensio in operante contra propriam habitualem, & probabiliorem opinionem ex principiis reflexis Probabilismi, non excusat à peccato, malitia, & absurdis inde deductis.* pag. 173. n. 79. & pag. 177. n. 96. & seqq.

Quamvis ea suspensio judicii impediret (permisivè) notitiam legis; non tamen excusaret à culpa formali. pag. 180. n. 101. & seqq.

Judicium *de valore Sacramenti conferendi quanta, qualique certitudine firmari debet.* pag. 394. n. 177. & seqq. *latissimè.*

Judicium *falsum falsò dum taxat, apparenter, & quoad nos probabile.* pag. 291. n. 33. & pag. 425. n. 341. & seqq.

In judicium probabile cadere potest absque repugnantia moralis evidentia, & certitudo. pag. 448. n. 466. & seqq.

L

Lapis Lydius.

De Lydii Lapidis Libro, Auctore, Censoribus, judicium Auctoris, & compendiaria notitia. pag. 346. n. 163. & seqq.

Solutiones, & instantiæ ipsius contra argumentum Auctoris de Judice non potente judicare ex minùs probabili opinione, propositæ, & profligatæ. pag. 353. n. 195.

Lapidarius *idem varie redargutus, & impugnatus.* ibidem. & in seqq.

Lapidarii *ejusdem insignis hallucinatio circa mentem D. Thomæ.* pag. 444. n. 443. & seqq.

Lapidarius *idem corripitur, in defensionem Card. Bellarmini, & P. Generalis Societatis.* pag. 447. n. 456. & seqq.

Lex.

Lex *æterna, prima, suprema, & universalis regula, atque mensura honestatis moralis.* pag. 2. n. 4. & seqq.

Ipsa unica radix obligationis fugiendi actio-

actionem moraliter malam. pag. 161.n.17. & seqq.

Cum sit nobis extrinseca, non potest movere, & dirigere immediatè. pag.3. n.8.

Dirigit applicata, & proposita per cognitionem. ibidem.

Duplicis legis, antecedentis, & consequentis existentia in Deo, inventum Terilli. pag.100.n.12.

Ejus absurda fallacia detecta, & improbata. pag.102.n. 17. & seqq. *latissimè*.

Lex *est regula objectiva, & extrinseca, impotens regulare, & obligare, nisi proposita, & applicata per cognitionem*. pag.112.n.53.

Acceptiones legis in actu primo, & secundo, remoto, ac proximo. ibidem. n.54.

Legis *promulgatio, seu intimatio constituit partialiter essentialem legis conceptum*. ibidem.

Alia promulgatio magis stricta, & publica. ibidem.n.55.

Varia de promulgatione legis. ibidem. & seqq. *item* pag.124.n.98.& seqq.

Particularis notitia legis jam promulgata solùm requiritur in subdito, ut approximatio, seu propositio actualis ejusdem legis. pag.114.n.61.

Lex *nõ violaretur, nec materialiter quidem, si ex suppositione opinionis minùs, aut æquè probabilis contra legem, argueretur ejusdem legis insufficiens promulgatio*. pag. 116. n. 66. & seqq.

Id ipsum probatum ad homines ex Probabilistarum doctrina. ibidem.

De qua legis promulgatione loqui debent Probabilistæ, quando ejus insufficientiam causantur ex suppositione opinionis minùs, aut æquè probabilis contra legem ipsam. pag. 114. n.62. & seqq.

Legis *promulgatio ad omnes de communitate obligandos ex voluntate Principis debet extendi*. pag. 118. n.75.

Hujusmodi legis insufficiens promulgatio omnes habet sibi contrarios, etiã Terillum. pag. 115.n. 65. & seqq.

Falsitas ejus Principii ex decretis condemnatoriis Pontificum ostensa.pag. 120. n.84.

A ratione demonstratur.pag. 123.n.91. & seqq. *latissimè*.

Absurditas ipsius varia. pag. 128. nu. 115. & seqq.

Legem *Dei syncerè non quærit, qui contra propriam opinionem judicat licitum objectum, ex aliena opinione, objectivè sibi tantùm repræsentata*. pag.176.n.89. & seqq.

Licèt suspendat judicium, contemptor legis arguitur. pag. 173. n. 79. & seqq.

Lex *Dei secundaria, reflexa, subsequens, & per accidens tantùm existens, falsa, ficta, repugnans, & absurda*.pag. 227.n.5. & seqq. *latissimè*.

Absurditas hujus legis clariùs demonstrata. pag. 234. n. 30. & seqq. *latissimè*.

Falsum est, non transgredi legem materialiter, quisquis eam formaliter non transgressisse opinatur. pag. 246.n.85. & seqq.

Lex *Divina non esset immutabilis, ex suppositione alterius legis reflexæ*. pag.247.n.89. & seqq.

Si lex reflexa daretur, ut fingitur à Terillo, omnis opinio probabilis falsa, non falsa, sed vera, omnis error, nõ error, sed veritas esset. pag.248.n. 93. & seqq.

Imò omnes opiniones morales erunt veræ, omnes item falsæ: nullum etiam objectum natura sua bonum, aut malum, sed omnia indifferentia.pag. 249.n.97. & seqq.

Alia plura absurda, ex prædicta lege reflexa manantia. pag.251.n.107.& seqq.

Novum, & monstrosum absurdum. pag. 252.n. 111. & seqq.

Legis *munera duo explicata*. pag.253. n. 113.

Legis *Divinæ, antecedentis, & subsequentis coexistentia majorem hujus contemptum argueret*. pag. 260. n. 144. & seqq.

Lex *Divina reflexa, à Probabilistis inventa, est regula ex conceptu suo*

subordinata nostris erroribus, & opinionibus. ibidem n. 147. & seqq.
Unde nostri, vel errores, vel opiniones, sunt regula honestatis prima absolutè non tãtùm negative, sed etiam positive, non solùm respectu hominum, sed etiam respectu Dei. ibid.
Si cum lege Dei reflexa Probabilistæ conformare velint actiones elicitas ex opinione directè minus, aut æque probabili; hallucinantur egregiè. pag. 264. n. 163. & seqq.
Paritas Divini concursus adducta à P. Mag. Palanco, pro tuenda in speciem lege Dei reflexa, importuna nimis, & graviter injuriosa doctrinæ Societatis. pag. 267. n. 172. & seqq.
Per occasionem doctrina Societatis de concursu Omnipotentiæ, ac Scientia Media, & concordia libertatis creatæ cum gratia vindicatur à traductione injusta præfati P. Palanco. ibidem n. 177. & seqq.
Legis *naturalis proprius conceptus explicatus.* pag. 364. n. 27. & pag. 376. n. 87. & seqq.
Legis *omnis humanæ, ut talis, obligatio descendit ex lege naturali.* pag. 381. n. 111. & seqq.

Libertas.

Libertatis *possessio, ut est regula formandi conscientiam in Dubiis probabilibus, explicata juxta sensum juniorum Probabilistarum.* pag. 194. n. 26. & seqq.
De quibus Dubiis procedat hæc regula, juxta mentem RR. Probabilistarum. pag. 197. n. 34.
Vide. Possessio. Regula. Voluntas.

Libertas opinandi.

Vide. Intellectus. Assensus. Opinio.

Loquutio.

Loquutio *Probabilistarum*, hoc non licet, probabile tamen est licere, *multis impugnata.* pag. 170. n. 68. & seqq.
Absurda inde resultantia. pag. 171. n. 72. & seqq. & pag. 243. n. 71. & seqq.
Loquutio *hæc absolute, non hypothetice, prolata censeri debet.* ibidem.
Imò nec absolutum sensum habere rectum, adeòque nullum habere potest. ibidem n. 78.
Si sensus sit hypotheticus, non cathegoricus, videtur pejor sensu opinionis damnatæ de amphibologiis, & restrictionibus mentis. pag. 186. nu. 124.

M

Malitia. Malum.

Malitia *formalis in privatione consistens.* pag. 360. n. 11. & seqq.
Malitia *moralis in objecto intrinsece malo non est formaliter, & consummate prior æterna Dei lege prohibente.* pag. 363. n. 23. & seqq.
Malum *morale non est pura negatio, sed privatio honestatis moralis, id est, carentia debitæ conformitatis cum regula honestatis.* pag. 359. n. 8. & seqq.

Minister.

De Ministro Sacramentorum. Vide Sacramentum.

N

Notitia.

Vide Judicium. Lex. Opinio.

O

Opinio. Opinari.

Non quævis opinio, affirmans honestatem objecti, est regula honestatis moralis. pag. 10. n. 8. & seqq.
Debet esse conformis re ipsa Divinæ voluntati, vel, ut minimùm, non temerè concepta, absque sufficienti diligentia præmissa. pag. 13. n. 23. & 24.
Opinionis conformitas cum prima regula, si sit fortuita, aut casualis, licèt vera re ipsa, non sufficit ad honestè operandum. pag. 14. n. 27. & 28.
Id intelligendum etiam de judicio, vel opinione, quoad nos certo, & certissimo, & respectu honestatis etiam negativæ. ibidem. n. 29. & seqq.
Non omnis opinio unius, vel etiam multorum gravium Auctorum, sufficit ad honestè operandum. pag. 18. n. 14. & seqq. *latè.*
Id verum, quamvis talis opinio non sit no-

notata ab aliis, tanquam improbabilis. ibidem. n. 35. & seqq.
Nullus potest taxari numerus Auctorum, quorum opinione ductus quis prudenter operetur, universaliter, & ubique. pag.28.n. 57.
Opinionis *probabilis aliquæ definitiones propositæ, & rejectæ.* pag. 34. n. 25. & seqq.
Opinionis *tutæ, & tutioris divisio apud Recentiores Probabilistas de subjecto non supponente.* pag.31.n.10.
Opinionis *cujusvis, minùs, aut æquè probabilis contra legem, usus illicitus est in sensu ab Auctore priùs exposito.* pag. 39. n.48. & seqq.
Opinionis *definitio.* pag.42.n.2.& seqq.
Opinari, *quoad exercitium, nobis liberum simpliciter.* pag.45. n.16.
Quoad speciem, liberum etiam, saltem mediate. pag.46.n. 23.
Opinio *minùs, aut æquè probabilis, objectivè in mente operantis, nec immediate, nec mediate potest esse regula recta objectiva, nec fundare rectam formalem.* pag. 99. n. 4. & seqq. *latissimè.*
Illicitus usus opinionis minùs, aut æquè probabilis operanti, rationibus positivis, & exemplis probatus. pag. 35. n. 6. & seqq.
Nullius Auctoris, quamvis sapientissimi, licet opinionem sequi, quam sequens veram non judicaverit. pag. 158. n. 24.
Opinandi *licentia, & opinionum moralium multitudo nimia, fructus naturalis Probabilismi moderni.* pag. 210.n.84. & seqq.
Opinio *falsa nunquam probabilis, nisi falsò.* pag.291.n.33.&seqq.& pag. 425. n. 341. & seqq.
Opinionis *probabilitas tradita à Recentioribus, comparata cum opinionibus damnatis per Pontifices.* pag. 284. n.5. & seqq. *latissimè.*
Opinionis *minùs, aut æquè probabilis, usus illicitus universaliter, & in omni materia.* pag. 340. n.136. & seqq. *latissimè.*
Paritas judicii impotentis judicare, vel sententiam ferre juxta minùs probabilem opinionem, multipliciter urgetur contra Probabilistas. ibid.
Opinionis *practice, vel speculative probabilis, distinctio vulgaris reprobata.* pag.320.n.40. & seqq.
Rationes omnes Terilli, & Recentiorum contra Judicem ex opinione minùs probabili judicantem, retorquentur adversus ipsos, & Probabilismum. pag.318.n. 35. & seqq.
Opinio *communis non ideo dubia, aut incerta, quòd unum, vel alterum Doctorem, etiam clari nominis, contrarium habeat.* pag.400.n. 204.
Sensum, in quo loquitur, exponit Auctor. ibidem.n.206. & seqq.

Oratio.

In oratione potiùs, quàm in alia diligentia, quæri debere certitudinem judicii, pro moralibus actionibus exercendis. pag. 410. n. 260. & seqq.

P

Palancus.

Magister Palancus impugnatus in defensionem doctrinæ, & Auctorum Societatis pag.268. n.177.& seqq.

Peccare. Peccatum.

Peccari *potest, etiam formaliter, absque actuali remorsu, vel reflexione de peccato.* pag.180.n.101. & seqq. & pag.460.n.528. & seqq.
Alioquin de medio tollerentur ignorantiæ peccata: imò quodvis scelus sic posset excusari. ibidem. n. 529. & seqq.
Non est peccatum agere cum aliqua formidine, timoreve conjuncto cum judicio moraliter prudente, & verè probabili. pag.452.n. 486. & seqq. *latè.* pag. 462. n. 537. & seqq. & pag. 480.n. 625. & seqq.
Absurdum alioquin ad Homines Probabilistas inde deductum. ibidem. nu. 627.

Periculum.

Periculum violandi materialiter legem, quanti faciendum. pag. 31.n.11. & seqq.

Possessio.

Possessio *libertatis qualiter à Probabilistis adstruatur pro Dubiis moralibus,*

bus, & licentia sequendi opinionem faventem libertati. pag.201.n. 51. & seqq.

Deturbatur ejusmodi possessio auctoritate Sacræ Scripturæ. pag. 203. n.58. & seqq.

Possessionis *titulus valens in materia justitiæ, impertinens est ad dubia moralia generaliter solvenda.* pag. 212. n.92. & seqq.

Possessio *prætensa libertatis cõtra legem Divinam sive Deum, injusta, & irrationabilis.* pag.213.n.94.& seqq.

Paritas possessionis in materia justitiæ retorta in Probabilistas,& convincens falsitatis eorum sententiam. pag. 214. n.98. & seqq.

Id ipsum in materia Obedietiæ. pag.218. n.113. & seqq.

Falsitas, & absurditas prædictæ regulæ Probabilistarum ostensa ex capitalibus,& oppositis principiis. pag.222. n.126. & seqq.

Probabile. Probabilitas,

Probabile *latissimè sumptum recidit cum opinabili.* pag.30.n.4.

Probabile *strictè acceptum, seu probabilis opinio definitur.* ibidem.

Notiones, & divisiones ipsius. ibidem.

Probabile, *seu* probabilius *immeritò confunditur cum* tutiori, *vel* minùs tuto. pag.32. n. 12.

Probabilitas impunitatis, *seu* trascendentalis, *longè diversa à probabilitate* conscientiæ. pag.33. n. 17. & seqq.

Probabilitas *practica conscientiæ non est absolutum quid, sed relativum, non generale, sed determinatum* pag. 165.n.50.

Probabile *alicui, vel aliquibus, non statim omnibus probabile.* ibidem.

Quid per absolutam probabilitatem intelligendum sit. pag. 166.n. 52. & seqq.

Probabilismi *novitas per generalem reflexionem ad ejus principia ostenditur.* pag.230.n.16. & seqq.

Probabilitas *à Modernis inventa, tanquam recta regula agendi, confixa virtualiter per Pontificum Decreta.* pag.284.n.2.& seqq.

Probabilitas *vera, ab Auctore propugnata.* pag.291.n. 33. & seqq.

Probabilitas *moderna cõparata cum propositionibus damnatis.* pag. 284. n. 5. & seqq. *latissime.*

Argumentum inde contra Probabilissimum ineluctabile. pag.292.n.39. & seqq.

Ex damnata tenui probabilitate *arguitur tacita damnatio probabilitatis moderna Recentiorum.* pag. 294. n. 2. & seqq. *latissimè.*

Probabilistæ, *dum declinant articulum secundum, damnatum ab Innoc. XI. sententiam suam benignam in eandem damnationẽ trahunt.* pag.322. n.50: & seqq.

Promulgatio.

Vide. Lex.

Propositio damnata.

Vide. Articulus. Loquutio.

Propositio legis.

Vide. Lex.

Prudentia.

Prudentiæ *gradus infimus esset, imperare intellectui assensum partis minus probabilis.* pag.71 n. 125.

Prudentia *virtus perfectiva intellectus,* pag.94.n.113.

Ejus ratio formalis, & objectum proprium. ibidem.

Convenientia, & discrimen ipsius cum, & ab aliis virtutibus intellectualibus, & moralibus. ibidem.

Munus proprium ejusdem. ibidem.

Imprudenter ageret sequutus opinionem alienam, sibi minùs, aut æquè probabilem. pag.155.n.11. *latissimè.*

Prudentia *vera in actionibus moralibus.* pag.417.n.299.& seqq.

Cum prudenti timore deceptionis cõjungi potest, & debet in Probabilibus. pag.422.n.327. & seqq.

In definitione Prudentiæ perinde debet intelligi Ratio vera, *ac* Ratio recta. pag. 435.n.398. & seqq.

Imo nec Ratio *dicenda, nisi sit vera.* ibidem.

Cum prudentia humana rectè cohæret, agere ex dictamine conscientiæ non absolutè certo. pag. 477.n. 608. & seqq.

Vi-

Vide. Assensus. Judicium.

R

Radix.

Radix *obligationis fugiendi actionem moraliter malam est regula honestatis moralis; & hæc non alia, nisi lex æterna, seu voluntas Dei.* pag.361. n.17. & seqq.

Rationalis Natura, secundùm prædicata essentialia, non est hujusmodi radix. pag.362.n.19. & seqq. *latè.*

Ratio.

Ratio non vera, *nec debet censeri* recta, *nec* ratio. pag.435.n. 398. & seqq.

Ratio vera, *& ratio* recta *perinde in definitione Prudentiæ.* ibidem.

Reflexio.

Vide. Artificium. Lex.

Regula.

Regula *prima honestatis moralis, suprema, & universalis, est lex æterna, aut voluntas Dei.* pag. 2. n. 4. & seqq.

Est nobis extrinseca. Non movet, aut dirigit immediatè, sed per cognitionem applicantem, vel repræsentantem regulam eamdem. pag.3.n.8.

Regula *prima, sic applicata, est objectivum principium, & virtus moralis, dirigens, ac mensurans operationes morales.* ibidem.

Nunquam movere potest, & regulare, nisi fuerit vere cognita, & applicata, saltem per cognitionem cōfusam, quæ physice extiterit, & moraliter perseveret. pag.4.n.10.

Potest proponi, & applicari in aliquo signo creato; quod non, nisi instrumentaliter, & ut cognitum, sit participatio, & intimatio primæ, & summæ regulæ. ibidem. n.11.

Non est sufficiens regula honestatis moralis opinio unius, aut etiam plurium gravium Auctorum. pag. 18. n. 14. & seqq. *latè.*

Dictamen rationis applicans regulam primam, vel in se, vel in signo, quāvis sit immediata, & formalis directio, simpliciter tamen est regula secunda. pag.4.n.12.

In hoc autem sensu, ut formaliter applicans, dici potest prima, vel potius unica. ibidem.

Regulæ *formalis, & objectivæ, proximæ ac remotæ, notiones propriæ.* pag. 5. n.14. & seqq.

Regula *objectiva secundaria debet esse conformis primæ, ac supremæ.* ibid.

Opinio minùs, aut æquè probabilis, objectivè existens in mente operantis, nec immediate, nec mediate potest esse recta regula objectiva, nec fundare rectam formalem. pag. 99.n.4. & seqq. *latissimè.*

Regula *operandi reflexa, posterior, ac subsequens notitiam operantis, fictitia prorsus, & vana.* pag. 227.n. 4. & seqq.

Regulæ *rectitudo antecedens esse & præsupponi debet ad cognitionem operantis ex illa.* pag. 233. n. 115. & seqq.

Regula *honestatis moralis legitimè deducta ex principiis Probabilistarū.* pag.257. n.132. & seqq.

Quænam differentia inter regulam strictè talem, & meram actionis mensuram. pag.368.n. 49.

Regula *secunda moralium actionum semper eadem formaliter, & solùm materialiter diversa.* pag. 374. n. 77. & seqq. & pag.382. n.122.& seqq.

Regula *moraliter agendi primaria semper eadem formaliter: diversè tamen usurpanda, pro respectu ad materiam, & circūstantias operis.* pag. 382. n. 122. & seqq. & pag. 385. n.131. & seqq. *latè.*

Id ipsum ostenditur, descendendo ad materias particulares, spectantes ad Proximum. pag.387.n.140.& seqq.

Major conformitas cum regula quæri debet in materia Sacramentorum. pag.392.n.168. & seqq.

Inæqualis proinde, non æqualis ubique debet esse conatus ad conformandam actionem moralem cum prima regula honestatis. pag. 374. n. 77. & pag.382. n. 122. & seqq.

Revelatio.

Revelationis *Divinæ certa cognitio præire debet assensum Fidei.* pag. 75. n. 142. & seqq.

Re-

Revelationis *Divinæ certitudo requiritur ad fidem supernaturalem*. pag. 476.n.603.

Rigor.

Rigor *nimius in tradenda doctrina morali perniciosus*. pag.407.n.243.& seqq.

S

Sacerdos.

Vide verbum sequens.

Sacramentum.

In materia Sacramentorum major diligentia adhibenda ad conformitatem secundæ regulæ cum prima honestatis moralis.pag.392.n.168.& seqq.

In Sacramentorum collatione plerumque nõ requiritur judicium penitùs certum de eorum valore. pag.395. nu. 178. & pag. 452. n.486. & seqq.

Sufficit judicium verè probabile in sensu veræ probabilitatis. ibidem.n.189. & pag.438.n.413. & seqq.

Enitendum tamen in hac præcipue materia ad certitudinem judicii præfati. pag.397.n.193. & seqq.

Licèt opinio contraria valori Sacramenti non sit nimis exorbitans à communi, sed pro se habens graves Auctores; non idcò hujus opinionis usus necessarius erit ad validam Sacramenti collationem. pag.401.n. 211. & seqq.

Non debet quis cavere periculum aliquando, vel rarò potens contingere, circa nullitatem Sacramenti conferendi. pag.403.n. 219. & seqq.

Sacerdotum in administrandis rectè, & rite Sacramentis debita solicitudo. pag.412.n. 270. & seqq.

Vide. Certitudo. Conscientia. Dubium. Judicium. Timor.

Securitas.

Securitas *Jansenismi, & Probabiliſmi, licèt diversa, utraque tamen noxia conscientiæ*.pag.488.n.661.& seqq.

Sensus.

Sensus *aliquarum propositionum, damnatarum per Pontificia Decreta, circa probabilitatem benignam, & legitima intelligentia eorum Decretorum*. pag.283. n.1. & seqq. *latissimè*.

Vide. Loquutio.

Societas Jesu.

Societatis *Auctores, & doctrina circa concursum Omnipotentiæ cum causis liberis & concordiam gratiæ cum libero arbitrio per Scientiam Mediam, vindicantur ab Auctore per occasionem, contra injustam traductionem P.Palanco*. pag.267.n.172.& seqq.

Suspensio.

Vide. Artificium. Judicium. Opinio.

Suspicio.

Suspicio, *quid sit?* pag.42.n.5.

T

Terillus.

P. *Antonius Terillus per totum Operis decursum frequentissimè impugnatus, tum absolute, tum ad hominem, inconsequentia multoties redarguitus &c.*

Timor.

Timor *in agendo compositus cum morali securitate prudenter operandi*. pag. 417.n.299. & seqq.

Idem timor commendatus in Sacra Scriptura, probat, non esse necessariam certitudinem absolutam judicii, vel dictaminis in agendo. ibidem. & pag.452. n.486.& seqq.

Timendum maxime, quòd benigna Probabiliſtarum securitas excludat omnem timorem ab actionibus moralibus. ibidem.

Quem deceptionis timorem in operando nõ excludat judicium verè prudens, & probabile in sensu Auctoris. pag. 422.n.327. & seqq.

Vide. Certitudo. Conscientia. Judicium. Sacramentum.

Tutum.

Tutior *pars quando, & quatenùs sequenda*. pag.395.n. 178. & pag.470.n. 579. & seqq.

Absolute, & per se loquendo, non datur præceptum de tutiori parte sequenda. pag.478. n. 616. & seqq.

Aliter Deus prohiberet simul ea, quæ generaliter approbat, aut humanæ electioni permittit.pag.479.n.618.

Aliàs laqueus injiceretur animabus. ibidem.n.622.

Tu-

Tutiorem *partem amplecti quis teneatur, quando periculum deceptionis imminens non est ex raro contingentibus.* pag. 482.n.632. & seqq.
Vide. Conscientia. Opinio. Probabile. Dubium.

V

Vazquez.

P. Vazquez *singularis opinio, circa primam moralis honestatis regulam.* pag.361.n.18. & seqq.
Idem latè impugnatus. pag.362. n. 19. & seqq.

Veritas.

Veritatis *apparentia comitans, aut subsequens assensum intellectus, impertinens est ad potentiam proximam assentiendi parti cõtradictionis minùs, aut æquè probabili.* pag. 58. n. 73. & seqq.
Veritas *moralis, syncerè quæsita, rarò nõ inventa.* pag.211.n.88. & seqq.
Eadem absolutè invenibilis per Orationem, & humilitatem. pag. 410. n. 260. & seqq. & pag. 487. n. 657.
Vide. Opinio. Regula.

Via.

Via *media, inter Jansenismum, & Probabilismum, incedere, securum cõscientiæ.* pag.488.n. 661. & seqq.

Virtus. Vitium.

Virtutum, *sicut & vitiorum, specifica diversitas optimè cõponitur cum unica regula moralis honestatis, formaliter invariabili.* pag. 390. nu. 152. & seqq. *latè.*

Voluntas.

Voluntas *potest determinare intellectum ad assensum ex motivo notabiliter superante motivum oppositum.* pag. 45.n.17.
Voluntatis *imperium nequit intellectum determinare ad assensum partis minùs, aut æquè probabilis.* pag.50.n. 38. & seqq. *latè.*
Voluntas *nequit directe immediate determinare intellectum ad speciem assensus, vel dissẽsus.* pag.37.n.110.
Determinare mediate quoad speciem, nõ est aliud, quàm determinare quoad exercitium. ibidem, & seqq.
Quoad hanc motionem voluntatis in intellectum elucidatur multis mens Angelici Doctoris. pag. 66. n. 107. & seqq.
Motio voluntatis in intellectum, quoad assensum, explicata latissimè. pag. eadem, & seqq.
Voluntatis *in intellectum motio tradita à S.P.N.Ignatio in epist.de Obediẽtia, exponitur.* pag. 70. n. 121. & seqq.
Relatè ad voluntatem bona inter se pugnantia non opponuntur contradictorie, sed contrarie tantùm. pag. 89.n.195.
Duplex in Deo voluntas, altera primaria, per se, *antecedens, atque directa, altera verò secundaria, indirecta, reflexa,* & per accidens, *inventum falsum, & fallax Terilli.* pag.10 .n.12. & seqq.
Voluntas *nullum jus possidet ad moraliter agendum in Dubio contra legem.* pag. 215.n. 101. & seqq.
Voluntas *solùm possidet jus indefinitum ad agendum moraliter in casu certò nõ prohibito.* ibidem.n.102.& seqq.
Ex possessione, vel jure generali, & certo voluntatis ad actiones quasdam inepte fit argumentum ad actiones dubias. pag.217.n. 109. & seqq.
Possessio, & jus voluntatis ad agendum moraliter in Dubiis esset independens, & non subjectum Deo; si vera supponeretur Probabilistarum doctrina. pag.216.n. 104. & seqq.
In materia Obedientiæ retorquetur specialiter in adversarios regula ista de possessione libertatis in Dubiis. pag.218.n.113. & seqq.
Voluntatis *Divinæ generalis, & dirigentis creaturas in fines suos, prælibata declaratio.* pag.376.n.87.& seqq.
Ostenditur, voluntatem Divinam esse radicem, & originem præceptorum naturalium. ibidem.
Eadem voluntas, relatè ad præcepta Deum concernentia, est jus naturale primarium: relatè ad præcepta spectantia Proximum, est jus naturale secundarium. ibidem.
Si libera sit hujusmodi voluntas, jus positivum, aut lex positiva Divina nuncupatur. ibidem.n.110.

REGESTUM.

✣ § §§ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr

Omnes sunt Duerniones, præter folium §§ quod est simplex.

NEAPOLI. Ex Officina Typografica Michaëlis Aloysii Mutio. M. DCCII.

SUPERIORUM LICENTIA.

RATIO TOTIUS OPERIS
AD LECTOREM SINCERUM
AMATOREM VERITATIS.
PROLOQUIUM.

BEnignum, amicum, benevolum expetunt alii passim: Ego Te sincerum, Lector, expecto veritatis amatorem. Siquidem, cùm non meam, sed causam agam solius veritatis, si te minùs sincerum ejusdem amatorem nactus fuero, vix quidquam mihi sperandum superfit. Veruntamen, quia causæ, quantumvis optimæ, non optimum, quin malum obtinere patronum, non rarò contingit, ex quo fit, ut causæ patrocinium cum causa ipsa sæpe confundatur. Hoc etiam opto, ut ne Patroni vitia, si quæ sunt, in causam de qua agitur, id est, in veritatem ipsam conjicias; quia turpior nulla, aut iniquior sententia esse potest, quàm quâ veritas ipsa damnetur; quocumque demum titulo id fiat. Neque enim veritate damnatâ, honestas ulla judicii, æquitas supereſt ulla: quemadmodum & Propheta pridem lugendo significavit: *Conversum est retrorsum judicium, & justitia longè stetit; quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.* Isa. 59.

Ut igitur periculum tantum non alteri, quàm tibi, magis timendum, quòd in me fuerit, procul submoveam, non nulla te de causa, non nulla de me ipso monitum velim, quem tibi, si nolueris spontè caligare, lucem abundè præferant, qua facilè discernere inter utrumque possis. Hoc autem discrimine facto, de utroque penes te judicium esto; in quo, modò (quod opto) veritatem non oderis, quemadmodum pro ipsa sententiam te dicturum vix ambigere possum, sic etiam in me ipso, hoc est, in meo opere, quin multa tibi passim occurrant nullo modo probanda, sed quæ damnari meritò debeant, nec item dubito, nec magnopere metuo, dum (quod mea magis interest) salva ubique constistat doctrinæ veritas.

Enimverò de optione veritatis, quæ operis totius scopus est, procul sum, ut timere posse me videam. De cætero, quod sæpè, in veritatem etiam, nolens peccavero, non suspicari, sed presumere debeo: peccata verò ista nulla forent, nisi mihi incognita essent. Reliqua in methodum, in stylum, aliaque Operis ornamenta, ea esse quàmplurima, & suo in genere minimè levia, vel ego ipse facilè agnosco; quæ tamen facilè cavere non valui, quamquàm & ea possem excusare quodammodò, nisi quidquid ad causam veritatis non faciat, contemnendum mihi censerem. Cuncta igitur tibi benignè, vel severè, utcumque voles, libens

bens corrigenda ſubjicio, correctionem haud ægrè, ſed ſpontè, ſed & cum actione gratiarum, & audire paratus, & accipere, modò illam ex animo non malevolo, ſed ſincero, ſed candido proficiſci cognovero. Quæ ad cauſam ergo facere putavi, accipe nunc haud leviter perpendenda.

§. I.

Scribendi occaſio, & conſilium.

Prov. 18. CUm juxta Dei oraculum à ſui accuſatione ſermonem inchoare conſultum ſit, apertam, de me ipſo, & ingenuiſſimam confeſſionem ante omnia præmittere non erubeſcam. Viginti ferè elapſi ſunt anni, poſtquam in controverſia de Probabilibus ſingulari Dei providentia veritatem inveni, aut inveniſſe me reor: indicante ſcilicet illo ipſo *qui corripit .... qui docet hominem ſcientiam.* Pſal. 93.

Conſuetum Philoſophiæ diſcendæ, Theologiæque curriculum emenſus, biennio item deinde impenſo eidem more noſtro recolendæ, Probabiliſmum iſtum modernum, quem benignam ſententiam vocant, velut dogma quoddam Theologicum reputabam, de quo liceret nemini dubitare, quæſtionemve aliquando movere. Verùm, quia in medio ipſo addiſcendæ Theologiæ curſu, inſignem feceram jacturam valetudinis, qua capite potiſſimum permoleſtis, continuiſque doloribus attenuato, Scholæ ſtudiis, & exercitationibus longè me imparem agnoſcebam, ad moralis Theologiæ ſtudium, quo ſacris confeſſionibus ſaltem audiendis juxta Inſtituti noſtri rationem, operam non inutilem poſſem navare, animum diligenter adjeci, quantum per capitis infirmitatem licebat. Dum igitur morales doctrinas pro confeſſionum praxi neceſſarias frequentiùs meditarer, & impenſiùs, cæpi in præfatum dogma (ut putabatur) commune, primùm attentiùs identidem reflectere, mox timere nonnihil de veritate ipſius, deinde etiam dubitare velle; attamen vix poteram, adeò intellectum meum retinebat communis, & inveterati erroris impreſſio, pluribus obfirmata fabellis, & apprehenſionibus fallacibus. Nihil enim legeram adhuc, vel audieram, quod dignum aliqua reflexione cenſerem, pro vera, & antiqua ſententia.

Ultra quadriennium jam fluxerat, ex quo ſacris ordinibus ſuſceptis, Philoſophiam utcumque docere juſſus, animum à moralibus ferè avocaveram. Hærebant tamen animo ſemper præconcepti timores de regula moralis honeſtatis, qui ut me magis incautum nonnunquam ſubiti præoccupare ſolebant, eò intimiùs, & altiùs mentem ſubibant, de tantoque imminenti periculo formidinem in dies augebant. Oſtendebat ſe interdum, vel nolenti, quaſi denſis errorum nubibus prævalens facies pulcherrimæ veritatis, ad cujus tamen lucem ipſa Probabiliſtarum opinio, ſimpliciter mente concepta, ſtatim repugnabat. Sonare mihi interea, velut ad aurem ipſam, videbantur inſtar extremi judicii tubæ nota illa Domini verba, *Ego ſum lux mundi: Ego ſum via, & veritas, & vita: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris*, echo, quaſi ab oppoſito, in imo meo pectore reddentibus alterius paginæ terribilibus illis, *Eſt via, quæ videtur homini juſta, noviſſima autem ejus deducunt ad mortem: Vir, qui erraverit in via doctrinæ, in cœtu gigantum* (id eſt, dæmonum) *commorabitur*. His veluti fulminibus concuſum, jamque in ſerium examen tantæ difficultatis abeuntem caliginoſa novæ Theologiæ inanium reflexionum involucra, cæteraque communis, ac inoliti erroris præjudicia, quò fortiùs detinere nitebantur, eò ſuſpectam magis Probabiliſmi viam mihi reddebant. Enimverò doctrinam myſterio plenam, ſuopte ingenio tenebris ſimillimam, adeò latebrarum amantem, luciſque conſpectum fugientem, cum veritate benè convenire perſuadere mihi non poteram. De-

Ioa. 8. & 14.

Prov. 14. & 21.

Denique, ne te pluribus morer, post magnos abeuntium, & recurrentium importunarum cogitationum fluctus, post superata plurima sese mihi objicientium haud minùs ad speciem terribiliter, quàm verè inaniter difficultatum spectra, apud me tandem firmiter coram Deo constitui, nulli labori parcere, ut de re tanta, omni mora postposita, quàm possem sinceriſſimè, ac diligentiſſimè inquirerem, donec, Deo ipso largiente, certam veritatem tenerem, quin enim posset illa certò inveniri, si ritè quæreretur, non dubitabam. Rem incredibilem, sed veriſſimam tamen! Vix per Dei bonitatem animo ad veritatem sic comparato, tranquillæ mentis oculos ad quæstionem converti, & utramque sententiam invicem sibi oppositam ad certa fidei nostræ, & rationis principia contuli, cùm statim antiquæ, ac moderatæ sententiæ veritas sic intellectui meo, suo quasi pondere, insedit, ut, licèt vellem ultrò, de illa dubitare nequirem: neque in Ecclesia Christi deesse eidem posse auctoritatem aliquam maximam, ac præcipuam, firmiſſimè mihi persuasi. Disparuerunt enim verò, velut ad subitaneam lucis præsentiam, tenebricosa illa antiquæ deceptionis præjudicia: evanuerunt fictitia difficultatum terriculamenta, vanaque ludibria phantasmatum, cunctaque quasi à somno evigilanti, non nisi quædam insomnia videbantur.

Ab illa die, satis mihi notabili, nisi Factori meo sim ingratiſſimus, quo controversiam istam diligentiùs evolvi, (evolvi autem puto non segniter) & Probabiliſmi principia intimiùs penetrare curavi, non modò nihil unquam inveni, quod de veritate concepta me, vel leviſſimè, faceret dubitare; sed eò magis semper miratus sum, magisque, ac magis mirari pergo, quòd vel leviter, unquam de ea dubitare potuerim, & quòd aliquando in oppositò sensu steterim. Id quidem ob exiguam intelligentiam meam, communem consuetudinem, ignorantiam, aliaque præjudicia jam insinuata accidere utcumque mihi potuerit, quemadmodum & multis aliis similiter incautè deceptis: at illud jam omnem meam admirationem vincit, ut etiam incredibile mihi censendum esset, si quoquo modo dubitare me sineret ipsa notorii facti evidentia: nempe tot viros probos, simul & doctos, post tot, tamque lucentia fulmina Vaticana, post deceptionem à pleriſque sapientum adeò clarè deprehensam, & ostensam, post impensum studium, post diuturnum examen controversiæ (quod de quibusdam saltem credendum est), hodie tamen, non dubitare modò, verùm etiam benigno Probabiliſmo adhuc ita tenaciter adhærere, ut, vel in dubium illum adduci, perquàm moleſtiſſimè ferant. Neque verò me, Lector, in hoc judicio, & admiratione, aut unicum existimes, aut exoticum. Novi multiplici doctus experientia, non paucis in Hiſpania, & in hac maxima Academia nostra Viris valde sapientibus, ac cordatis tantundem ferè, ac mihi, accidisse, & in veteri errori dediscendo, & in firmiſſima capienda persuasione de inventæ veritatis evidentia.

Sanè (ut alios omittam, quos possem non invitos referre) haud ita pridem quidam è cætu nostro Theologiæ Doctor clari, præcellentisque ingenii, ætate quidem juvenis, sed maturitate judicii, seriâque prudentiâ longævus, dum me fortè pro sua humanitate inviseret, inter loquendum casu in nostram incidit controversiam, circa quam cùm communi ducèretur errore, nullo adhibito studio, sed eodem, ac cæteri, communi præjudicio consuetudinis, ut ingenuo candore fassus est, rogavi illum amicè, ut tantæ veritatis examini tantillum temporis non renueret impendere, neque enim rem esse multi laboris, si contendendi studium abesset: annuit facillimè, ut est pius, ac docilis: libros duos, quia nullos dixit apud se habere, ex condicto illi misi: alterum verò eorum, die statim sequenti (nisi memoria fallat) mihi remisit, testatus per Epistolam familiarem, nolle se diutiùs illum detinere, ne fortè à me desideraretur; difficultatem istam nullum studium, & improbum simul exigere: nullum, inquit, ut quisque veri-

ratem sibi comperiat; ad hoc enim sufficiet, si animo expedito, ac sincero oculos in quæstionem conjiciat : improbum verò ut possit alios convincere artificiosis, ac inextricabilibus Probabilismi laqueis innexos. Nihil profectò verius, nihil prudentius dictum.

Sed, ut ad me regrediar: ab eo tempore continuo docendi labore Theologiam in Scholis profiteri, quanvis innata mea propensione, & simul valetudine repugnantibus, ex obedientiæ imperio compulsus, cùm controversiam istam de Probabilibus apud cordatos omnes summi momenti, præ oculis semper habuerim, continuis aliis occupationibus non nihil temporis, quoad licuit, furatus sum, ut præcipuas quasdam quæstiones hujus materiæ diligenter excolerem, quas, opportuna occasione data, discipulis dictarem, quod & feci non semel. Licet verò testari synceriſſimè (quod facilem opinor fidem inveniat) nunquam mihi in mentem venisse, ut typis aliquando subjicerentur. Aliter tamen aliis visum est, quorum judicio, & votis semel, & iterum, validè quidem, sed frustrà reluctatus, quanvis non absque ingenti quadam formidine acquiescendum tandem putavi.

Id verò firmiter animo meo insederat, ob momenta rationum ponderis nō exigui, ut alii etiam mecum censebant, quas recensere modò non est operæ pretium (& hinc præcipuè onus meritò detrectabam), aut materiam hanc non artingere, aut eandem à summis, & imis fundamentis, atque *à priori*, ut ajunt, quàm accuratissimè evolvere. Terret me fateor nimiùm assumpti Operis difficultas adeò vires meas excedens; nam controversiam istam de se quidem facillimam, immò nullam, uti supra indicatum est, subtilia nonnullorum Recentiorum ingenia intricatissimam reddidere, totiusque Theologiæ difficillimam, ut ad eandem expeditè enodandam Dædalea ars necessaria videatur : ita ut pro statu, quem hodiè habet, expediat, meâ quidem sententiâ, eam nullatenùs delibare, nisi vera, & sana doctrina nimis clarè, ac perspicuè demonstretur; quia reflexionum Probabilismi tricæ semel extractæ, & quasi evolutę, nisi penitùs dissolvantur, densiores tenebras offundunt veritati, quibus lucem ipsius magis obnubunt, fitque tandem illud Poetæ nimis indecorum, ac noxium, *ex luce fumum*, optimæ causæ haud modico, ut existimo, detrimento

Horat. in Ar.

Video à te, Lector, ut quid enim dissimulem? manibus (sic tu cogitas) me teneri, ut, vel manifestæ stultitiæ, vel arrogantiæ planè intolerabilis ex meo proprio sensu palàm redarguar. Vim argumenti sentio, nec adeò sum stupidus, ut ejus conclusionem non cogitaverim. De illa tu censebis, ut voles; ego verò propterea à sententia mea non abeo : cùmque cordatè nequeam arrogantiam fateri, audacter spondere non dubitabo, falsitatem moderni Probabilismi, atque adeò communis sententiæ veritatem, me, non semel, sed sæpiùs, evidenter demonstraturum. Insipiens videar : esto : mihi sufficiat non inveniri tandem mendacem. Porrò modestiæ veritas adversari non potest. Hujus causa me cogit sic audere, *Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate*. Et verò, cùm licuerit neotericis Probabilistis id passim spondere, multò etiam glorioſiùs de novella sua sententia, principiis innixa novis, & inauditis, qualia tibi postea monstrabimus, non est, cur ego nimiùm audere videar, dum id spondeo de communi sententia à seculis in Ecclesia probata.

2. Ad Corint. 13.

Cæterùm, ut si placet, tantillùm saltem sententiam teneas, interim dum statim plura subjicio, liceat mihi, Probabilismi machinam aspectu pulchram, & speciosam, repræsentare tibi, veluti phantasticam illam statuam, quæ aurum, argentum, ferrum oculis objiciebat, tota tamen fictilibus pedibus nitebatur; in quos lapillus quidam incurrens, sic eam momento comminuit, ut in favillas totam redegerit. Auri, ac argenti specie plurimi detinentur, ideſt, splendidarum reflexionum fallaciâ: Probabilismi pedes, hoc est, principia, & prima fun-

Dan. 2.

da-

damenta, quibus totus subsistit, multi non vident, quibus propterea stare firmus videtur, quinimmò inexpugnabilis etiam apparet. Hæc nos primùm aggredimur ante oculos omnium constituere, ut quin fictilia sint, nemo possit in dubium revocare, neque ultrà de fabricæ firmitate confidat. Si verò dixeris, ea, licèt fictilia, magno tamen acumine, subtilique artificio conficta esse, ut opus sit ingenio non vulgari ad ipsorum falsitatem clarè ostendendam; audeo dicere: falleris: non est ita: nihil facilius est, dum peritia suppetat aliqua ad eruendam intimam ædificii compaginem, eamdemque fideliter revelandam: id utique si fiat; spero fore ut totam machinam momento ruere, & in favillas redigi videas, haud secus ac fumus evanescit extincto igne. Quod si contendas adhuc, id ipsum ingenii non mediocris acumen, & exquisitam artem deposcere; animum oro te ne despondeas: ingenium nos polliceri non possumus; non ideò tamen de eventu dubitamus: Fortasse ingenium supplebitur studio, quod profectò in rem istam diuturnum, & assiduum impensum esse à nobis, testari non mendaciter possumus. Porrò, ut Tullius ajebat, *Assiduus usus uni rei deditus, & ingenium, & artem sæpè vincit.* Veruntamen, quia ex illis non sumus, qui se existiment posse sine cortice nare, non in ingenio nostro, non in industria, non item in studio, quod utrumque posset supplere; sed in causæ, quam agimus, bonitate, & in Dei solius auxilio causæ suæ, ut credimus, non defuturo, totam fiduciam nostram, & spem collocamus. Tull. pro Cornelio Bal.

Denique Librum ipsis manibus tenes: an fidem nostram liberet, tibi ipsi libenter judicium damus: modò autem duo, quæ petimus, largiri non graveris pro tua humanitate: alterum, ut si ad ejus lectionem accingere te velis, omninò illam non priùs aggrediaris, quàm ea, quæ subjicimus, attentè videris: alterum, ut dum fortè pertesus volueris eam prorsus abrumpere, librum tamen post januam nolis abjicere, ante quàm ejus saltem conclusionem perlegeris: sic enim fortè fiet, ut ipsum non abjicias, sed ut ejus lectionem aliis oculis repetas.

§. II.

Momentum Operis, Argumentum, Scopus.

REgulæ Honestatis moralis, quam Operis ipsius titulus præfert, & quæ ejusdem est argumentum, momentum summum velle multis ostendere, labor foret inutilis, ac supervacuus. Equidem, nisi veram regulam honestatis pro universis suis actionibus homo sibi præfigat, tam nequit fieri, ut morum assequatur honestatem, quàm impossibile omninò est, ut rectum sit, quod aberrat à recto, prorsusque cum obliquo commensuratur. Homini verò moribus rectis, & honestis non prædito, nulla spes supereſt æternæ beatitudinis, in quam à Deo suo conditus est: adeòque nec vera ulla, etiam non æterna felicitas, nec bonum aliquod verè bonum; neque enim bonum verum hominis esse potest, quidquid non potest hominem facere bonum: bonum autem posse fieri hominem, nisi per veram morum honestatem, vel ethnicis, ac barbaris notum est. At homine nō bono nihil indignius, nihil pejus habet natura: tantò scilicet belluis vilior, ac turpior censendus est, quantò indignius, ac turpius reputari debet, ex rationis ductu non agere, præditum ratione qua belluis præcellit. Hinc, ut homines Deus contineat in officio rationis, hanc illis vilitatem, atque turpitudinem exprobat: *Nolite* (inquit) *fieri, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*: & rursus, *Homo, cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*, propriæ, nimirum, arbitrio voluntatis. Psal. 31. & 48.

Enimverò de prima regula moralis honestatis, hoc est, de lege, seu volunta-

tate Dei, primo, & universalis totius honestatis principio, cùm nullum sit dubium, nullum item periculum nobis imminet: novimus utique prorsus infallibiliter, cùm fidei, tum ipsius rationis lumine, nos, sicut illam semper recto, ac sincero corde pro regulandis nostris actionibus quærere diligenter debemus, ita etiam, si ab illa non deflectamus, veram assequuturos rectitudinem, morumque honestatem, quam petimus. Cæterùm, cùm non rarò, immò verò plerunque, quid in particularibus quibusque eventibus illa nobis præscribat, incertum sit, variaque de hoc ipso hominum judicia ferantur (utique humana, adeòque fallibilia), ecce in janua periculum ingens illud, ac evidens: nempe terminus unus, & unicè petendus, extra quem nobis salus nulla superstit: viæ autem objectæ non unica, sed plures, & unaquæque in terminum suum, non alteri dissimilem, sed omninò contrarium, viatorem tandem deducens, in vitam nimirum, vel mortem, hoc est, in observantiam, vel transgressionem Divinæ Legis. Adest quidem, utplurimùm via tuta, fuga scilicet viæ, quæ ducere possit ad mortem: verùm nec illa nobis semper est nota, & ut nunquam non esset, durum foret, planèque irrationabile, quin etiam impium, miserum viatorem ad illam semper cogere; hæc etenim necessitas mitteret in periculum majus. Quid igitur consilii capiendum?

Hìc tu mihi: Periculum planè in conspectu est; dubium tamen ego non video: quis enim inveniatur, qui nesciat debere semper viatorem, si possit, declinare omnem viam, de qua prudenter nequeat judicare, quod ipsum non deducat ad mortem? Alioqui planè morte non cavet, neque viram servare seriò amat. Sic quidem te tota mente censere, si mentem, ut optabam, liberam geris, neque consuetis præjudiciis adductam, & gaudeo plurimùm, & facillimè credo. At vide quò res venerit. Non modò viam illam, de qua viator ipse non judicat prudenter, seu probabiliter (neque fortasse potest, immò non potest, etiam temerè, judicare) quòd ipsum non deducat in mortem (liceat hic eo nomine designare realem, ac veram transgressionem Divinæ Legis; quantumvis materialis dicatur); sed etiam illam, de qua prudenter judicat, vel judicare potest, ac debet, quòd, in mortem jam designatam, ipsum abducat, posse tamen illam liberè arripere, neque ipsum propterea jure reprehendi posse, quin imò honestè etiam, prudenter, adeòque laudabiliter acturum, dummodò noverit, viris alioqui probis, & simul doctis, atque prudentibus viam illam probari tanquam rectam, ac tutam, etsi illis ipse non credat, sed eos potiùs falli judicet, aut judicare possit: Hoc, inquam, in Assertionem jam celebrem transiit, sed aliis conceptam vocibus; quibus scilicet ajunt *licere uti opinione quacunque, & minùs tuta, & minùs etiam operanti probabili, dummodò verè, ac practicè probabilis eidem sit*. Nam hæc reipsa est opinio recentium Theologorum, qui Probabiliftæ dicuntur, quam ipsi benignam appellant, & quam plerique saltem eorum, etiam hodiè propugnant tanquam omninò certam. Hanc ergo controversiam examinare, & quid in eventu proposito statuendum denique sit, ut viam salutis teneamus, planum est, ac conspicuum totius nostri Operis argumentum accuratè, ut præmisimus, & exactè versandum.

Scopus autem, in quem totum collimat, est, ut benignam hanc opinionem, & regulam agendi, quam consignat, radicitùs convellamus, eandem neque tuta m, neque rectam, quin neque ullo solido fundamento subnixam, sed universis locis Theologicis, totique repugnantem rationi multipliciter demonstrantes: tum, quod legitimè consequens est, ut veritatem ipsam, moralem probabiliter saltem cognitam, seu, quòd eòdem redit, opinionem verè probabilem, quâ videlicet operans actu maturè, ac prudenter judicat, actionem, quam exequitur, esse reipsa honestam, & Legi Divinæ conformem, unicam constituamus regulam honestatis (videlicet secundam, ac proximam), à qua nobis dis-

sce-

ſcedere nunquam liceat, & quam ut teneamus reverà, curare ſemper pro viribus debeamus. Id & ad primam ipſam operis frontem ſummatim adumbratum præmittimus, & inferiùs præterea ad controverſiam primam toto art. 4. iterùm diſtinctiùs repetimus; valde enim optamus, ut Lector ſcopum hunc, & ideam operis diſtinctè, ac ſine errore menti præfigat, priuſquàm libri lectionem aggrediatur. Hæres ad hæc, opinor, atque jam miraris argumentum expoſitum, poſſe aliquod in Theologia negotium faceſſere. Laudo candorem, ſed, ut obſtupeas magis, attende, vel ad ea, quæ hìc ſtatim ſubdimus pro Lectore non ita candido.

§. III.

Cauſæ, ex vulgari errore, commune præjudicium, obex maximus veritatis.

NEmpe videre mihi videor Lectorem, qui modernum Probabiliſmum, vel ex lectionibus quorundam Magiſtrorum, vel ex libris quorundam Recentiorum dumtaxat acceperit, nec tam mente concepit, quàm toto cordis affectu ſuſcepit, qui ſi fortè ad hæc accedat, confeſtim, aut in riſum totus effundatur, aut etiam fortaſſis in indignationem, vixque ſe contineat, quin me vel miſerè delirantem, vel mentientem dicat, quòd Probabiliſmum ſuum ita deſcribam. Equidem hominem ſic animo affectum admitterem ad libri lectionem; perinde mihi videtur fore ac colorem cæco monſtrare velle, ut rectè de illo cenſeat. Curandus prius eſt morbus, aut ejus ſaltem vis temperanda.

Atque ejuſmodi homines plerumque nec ipſa quidem principia (quod probè expertus aſſero) ſui Probabiliſmi callent, ſæpè etiam nec primos ejus terminos, neque de his callendis quidquam laborant: „ Sufficit (inquiunt) „ nobis pro morali doctrina non poſſe falli: falli verò non poſſe, certò novi„ mus abſque aliquo ſtudio, vel labore. Unde? Ex authoritate planè infallibili, „ qua benigna ſententia munita eſt. Quis enim prudens audeat, vel dubitare, „ aut leviter unquam timere, de moralis doctrinæ veritate, in quam tradēdam „ Doctores omnes (uno excepto tantùm vel altero quibuſdam Janſeniſtis ad„ hærente) mirabili quodam conſenſu in Eccleſia Catholica convenere per to„ tum ſaltem integrum ſæculum? Quid alioqui firmum, & infallibile erit in „ Theologia Chriſtiana? An ne timere liceat, ne per integrum ſæculum Deus „ Eccleſiam ſuam deſeruerit, permittendo, ut fallatur circa regulam ipſam „ moralis honeſtatis? Quis effutire audeat? Profectò ſi quis erit, non is audien„ dus, ſed increpandus eſt; neque rationes, aut argumenta ejus, quæ certò ſci„ mus eſſe ſophiſmata, ullo modo curanda, ſed contemnenda ſunt, ne unquàm „ de dogmate noſtro indignè dubitare videamur cum ſcandalo etiam impe„ ritorum.

Ecce Probabiliſmi firmiſſimum principium apud iſtius generis homines: quorum in noſtra ſaltem Hiſpania paſſim invenias non tot, quin plures; neque de trivio vulgi duntaxat, ſed & de numero Magiſtrorum, quorum aliqui, libris, etiam de re iſta, vulgatis, ſapientiſſimi paſſim, & eruditiſſimi prædicentur. Hoc aſylum eorum cunctis periculis inacceſſum: hìc illi pedem utrumque figunt: hinc incipiunt, hoc repetunt, huc refugiunt, quò nempè nulla accedant adverſariorum tela, & unde ſua ipſi inevitabiliter jaciant. Denique ex hac arce editiſſima cuncta immoti deſpiciunt, ſeque non tantùm inexpugnabiles, ſed & inimpugnabiles gloriantur: quin & eſſe revera (ne fortè per hyperbolen dictum exiſtimes) ſeriò propugnat, & operosè quidam è celebrioribus velut anteſignanus Probabiliſta.

Ve-

Verùm, ut , vel ex hoc , semel agnoscas , qualis sit sententia benigna , & qualibus innitatur principiis, sufficiat hìc verissimè, sincerèque testari, non alia ex parte, Probabilismi murum (qui undique, ut videbis , aereus est) patentiùs, atque sensibiliùs infirmum deprehendi , quàm ex ejusdem auctoritate , quæ, etiam in se ipsa, & absolutè inspecta,non est magni momenti; nostræ verò sententiæ auctoritati opposita adeò invenitur debilis ,& exigua,ut non modò præferri, sed neque eidem seriò conferri mereatur. Id, ne fidem videamur à te gratis deposcere, latè in secunda parte ob ipsos tibi oculos constituimus: est enim factum in Ecclesia notorium, si tamen (quod facillimum sit) fabulæ amoveantur , & umbræ , quibus non tam objectum ipsum obtegitur , quàm prohibetur oculorum intuitus . Id itidem & in hac prima parte sub ipsum quæstionis ingressum, & iterum in conclusione breviter, ac summatim perstringimus.

Cæterùm , quia nolumus tecum , & cum aliis , quibuscum res nobis est, oleum, & operam perdere , ut certò nos perdituros scimus , nisi præstigiæ istæ vulgares ab oculis depellantur, non committendum duximus, ut ita perniciosè deceptus,libri nostri lectionem aggredereris; En igitur summatim, sed exactè, & authenticè , utriusque sententiæ auctoritatem hìc etiam tibi sistimus, & comparamus .

§. IV.

Probabilismi auctoritas æqua lance librata.

NIhil hìc tibi, Lector, exhibemus , quod ipsis , si volueris, corporeis oculis haurire non valeas . Si verò nolis, in sententia persistens, nullum tecum negotium nobis est ; neque enim adeò vani sumus , ut aliquid exhibeamus homini videndum , qui obfirmato consilio oculos pertinaciter claudat .

Principio igitur statuendum est , summam auctoritatis , quam pro se colligunt Recentiores, totam ferè devolvi ad numerum privatorum Auctorum, qui benignam suam sententiam hoc sæculo postremo tradidere . Sanè in literis sacris, in Sanctis Ecclesiæ Doctoribus, ac in cæteris locis Theologicis , quàm leve, immò quàm nullum præsidium habeant , non aliundè certiùs comperias, quàm ex ipsis eorum celebrioribus libris, ad quos te mittimus recolendos.Cæterùm , si prudenter decreveris laborem simul , tempusque redimere , sufficiat in specimen tibi dare,quidnam Terillus (cujus geminum Opus neotericis Probabilistis instar equi Trojani est) , postquam in omne latus se vertit , ut aliquid utcunque venari posset ex universis Sacris Scripturis , primo , & amplissimo Theologiæ loco, proferat tandem pro sententia benigna ?

Teril. de consc. proba.q.22 nu. 220. & 221. & q. 25. à nu. 2.

Hanc ille primùm assertionem statuit: *Textus , & exempla Sacræ Scripturæ expressè favent sententiæ benignæ , eamque tantùm non expressè tradunt , & confirmant.* Quem non terreat sponsio? Verùm quid promit tanto dignum hiatu? Quinque in utroque loco testimonia producit ejusdem ferè ponderis, & efficaciæ: omnia verò à proposito usqueadeò extranea , & aliena, ut in eorum allegatione excusatio nulla,nisi à sùma argumenti penuria, afferri posse videatur.

Ibi eo nu. 221.

Magnopere gauderem , si cuncta tibi sistere hìc possem : sed neque omnia omittere licet. Accipe saltem unum, quod opinor sufficiat. Arguit ergo Terillus , & sententiam benignam ex Evangelio ipso legitimè concludit , eò quòd

Luc. 2.

Beatissima Deipara usa sit opinione probabili (hoc est , minùs probabili , si ad rem loquitur) re ipsa falsa, per quam in transgressione legis naturalis gravissimæ, qua nempè tenebatur puerum JESUM amissum statim quærere, & quampropterea violaverit, re ipsa tamen à culpa formali, seu imputabili,apud Deum fuit excusata . Hic scilicet est discursus , quo secundùm Terillum , ut benignæ ip-

ipsius sententiæ Divinam Scripturam expressè favere credamus, immò *eam tantùm non expressè tradere*, persuadere nobis debemus Matrem sapientiæ, & gratiæ ab omni, vel leviſſima, culpæ labe, cunctisque pravis ejus effectibus intemeratam semper, ac illibatam, lapsam esse in errorem reipsa turpissimum, moralem nimirum, & practicum, ac de facto conjunctum cum transgressione reali legis, qua gravissimè secundùm se obstringebatur, eumque minùs sibi probabilem: cùm tamen certa Theologorum sententia sit, non incidisse illam in ullum, etiam levem errorem, merè speculativum, quin neque in aliquam ignorantiam, quam privativam vocant, sive pravæ dispositionis: *Hæc conclusio*, ait Magnus Suarius, *apud me certa est, & contraria pias aures offendere videtur*. Ex uno disce omnes. Sua.to.2.in 3 p.d. 19.s. 6. vers. *Dicendum vero*.

Itaque Recentiores spem victoriæ totam demum reponant necesse est in præfato numero Auctorum, quorum elenchum plures accuratè texuerunt. Mercorus Antiprobabilista ad 60. retulit uno minùs, quibus Terillus postea alios quamplures addidit, pænè 100., quo tamen titulo, vel consilio, suo loco mõstrabimus. Arsdekin demum, & alii moderniores ferè ad 200. numerum extendunt. Scimus, plures immeritò referri, propterea quòd alicubi dubiè, aut obscurè locuti sunt, cùm tamen aliàs clarè, ac indubiè oppositam doceant sententiam, ut productis in medium verbis ipsorum, facile nobis foret ostendere, eosque à recensito numero excipere. Ab hoc tamen consilio procul absum; immò, si foret opus, nonnullos fortè omissos libens adjicerem. Priusquàm verò adductam auctoritatem cum opposita conferam, paucas tantùm ex multis exceptiones subjiciam, & reflexiones, seria observatione digniſſimas; adeò tamen claras, ac certas, ut in dubium à nemine vocari possint.

Primò: Ex præfato numero Auctorum multi sunt (pænè omnes præcipuæ notæ, minùsque recentes), qui tanti momenti quæstionem leviſſimè planè tractarunt: plurimi, qui, ne leviter quidem, sed per meram duntaxat subscriptionem, nulloque rei examine præmisso, aliis se præeuntibus gregatim suffragati sunt: nonnulli, qui, nec si vellent, difficultatem istam dignè tractare possent, quippè qui nec Dialecticam didicere, neque Scholæ Theologicæ disputationes, neque alios unquam versarunt, quàmpaucos quosdam libros morales aliorum Probabilistarum, ex quibus brevem quandam, ac indigestam summam (absit invidia verbo, cui veritas notoria non abest) vulgari idiomate confertierunt. Denique, qui accuratè controversiam versaverint, & utriusque partis momenta non obiter libraverint, noti sunt mundo, & numerum brevissimum explent. Quanti verò sit ponderis auctoritas eorum, qui sustinent partem quæstionis nõ diligenter examinatæ, & à fortiori eorum, qui meros agunt compilatores, aut gregarios duntaxat subscriptores alios sequentes instar ovium, & avium, jampridem observarunt Sanchez, Navarrus, aliique passim, & est apud doctos notissimum.

Secundò: Multi eorum (immò quamplurimi, ac vix non omnes) ex benigna sua sententia, & principiis eisdem, quibus innititur, ut sequelas legitimas deduxerunt multas opiniones morales, vel jam expressè ab Ecclesia damnatas, vel quæ tanquam absurdæ à cunctis, etiam Probabilistis, communiter jam rejiciuntur. Nam, ut ex. g., vel unam, proferamus, opinionem de Judicis licentia ad judicandum ex opinione, etiam æquè, aut minùs probabili, tot jam docebant Probabilistæ ex suis principiis communibus, ut recensere possem, saltem ad septuaginta, quos distinctè notatos apud me habeo, nec dubito, quin plures invenire facilè foret. Cùm igitur ex Logica certum sit, eos, qui ex aliquo antecedenti concludunt consequens falsum, & absurdum, vel teneri relinquere antecedens, ut falsum, vel fateri se malè ratiocinatos esse; verosimilius certè videtur, si humani ingenii morem attendas, homines, maximè doctos, & acutos,

priùs illud amplexuros fore, si quæstionis examen modò repeterent. Utique falsam assertionem aliorum (præsertim, de qua ferè non disputatur) veram putasse, minùs pudere solet; id etenim ut errorem alienum, aut saltem ut communem, vixque vitabilem infelicitatem, leviùs ferre consuevimus: at verò consequentiam deducere labor, & opus proprium nostri intellectus est, cui diligentiùs homines invigilamus, & in quo errorem tardiùs agnoscere, multòque magis solemus erubescere. Saltem Auctores istos (idest Probabilistas plures, & sapientiores) non posse jure ullo determinatè pro antecedenti referri, certum debet esse apud omnes, nisi divinare quis velit ultrò, immò contra id, quod verosimilius appareat.

Tertiò: Valdè notandum: quo tempore Probabilismus maximè invaluit in Orbe Christiano, *Prodiisse complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes; excrevisse summam in dies luxuriantium ingeniorum licentiam, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepserat alienus omninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset Christianæ vitæ corruptela*; denique, per quem *via salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatabatur*, & loco ipsius alia aperiebatur, *lata videlicet, & spatiosa, per quam itur ad perditionem*: hæc, inquam, omnia ex Alexandri VII. celebri, ac vulgato Decreto notoria sunt in Ecclesia Dei. Quorum autem ingenia, & opiniones, ipsumque insuper opinandi modum hæc Summi Dei Vicarii contestatio in genere notet, ac taxet, qualisque ex illa in benignam sententiam oriatur suspicio, aut præsumptio, facilè cordati censebunt. Utique certum est, per hæc Summum Pontificem neutiquam reprobare, ac detestari moralem aliquorum Theologorum doctrinam, qui doceant extra Ecclesiam Dei; neque item doctrinam ultra modum strictam, licèt & hæc alioqui paritet damnabilis sit, & alibi quoque damnata. Denique quanti ponderis reflexio ista censenda sit, quantique ab omnibus Ecclesiæ filiis jure meritò sit facienda, eisdem nunc æstimandum relinquimus, aliàs à nobis accuratè expendendum. Interim tamen meminerint oportet, doctrinam, quam hic reprobat Christi Vicarius, viam esse, *per quam itur ad perditionem*.

A'ex. VII. in Decreto edito die 2. Octob. an. 1665.

Quartò demum: ne ullis tibi sit conjecturis opus, audi Terillum tuum, testem utique probatissimum, quem profectò ob affectus propensionem in sententiam antiquam non recusabis. Is igitur in ipsa præfatione ad suum Tractatum de Conscientia probabili vulgatum anno 1669. statim à principio sic loquitur: *Fuerunt enim verò ex Recentioribus non pauci, qui levissimis ratiunculis ducti, antiquorum Theologorum in opinando severitatem non modò clàm carpere, sed palàm ausi sunt suis scriptis condemnare. Quod enim priores doctiores, ac severiores Theologi unanimi sententia damnabant ut malum, Recentiores isti ausu sanè temerario pro bono, & honesto venditare non erubuerunt. Cum enim plus æquo famæ, vanæque de sua doctrina existimationis essent cupidi, mirum est quo ardore, atque animi contentione ad scripta sua typis mandanda incubuerint .... Universalis hic scribendi pruritus in nulla materia, quàm in re morali lamentabilius grassatus est. Innumerabiles sunt* (attende), *qui à triginta annis summis casuum, rerumque moralium tractatibus bibliothecas impleverunt. Quid autem facerent, ut ad famam, quam aucupabantur, pervenirent? .... Ergo ad nova promenda animosiores effecti in opiniones laxiores oculos, animumque conjecerunt, gnari eas præ omnibus rudiori legentium vulgo mirùm placituras*. Hæc Terillus verissimè, ac prudentissimè, & plura multò etiam graviora, quæ in idipsum fusè prosequitur, meritò apud eundem non celeriter, aut oscitanter tibi legenda.

Terill. in Præfat. ad Tract. de conscient. proba.

Nunc precor oculos seriò reflecte in Auctores morales generatim expressos,

sos, de quibus Summus Pontifex, sub illud idem tempus, conquerebatur; & eos compara cum Auctoribus istis, quorum vultum, & habitum, modumque ipsum opinandi communem graphicè Terillus depingit; & judicio tuo decerne, an sidem utrique sint. Quidquid verò decreveris, illud advertere omninò non omittas, ne unum quidem eorum reperiri, etiam merum Summistam, aut vulgaris idiomatis casuum Compilatorem, qui in communem elenchum Auctorum benignæ sententiæ, & à Terillo ipso non satis sui, nec suæ causæ memore, & ab aliis benignis Probabilistis studiosè non referatur. Ab hujus autem conditionis hominibus numerum relatum explentibus, (qui, Terillo testante, non pauciores, quàm *innumerabiles sunt*) tibi etiam relinquimus judicandum, quantum apud cordatos, aut non prorsus vecordes, accipere possit reverà auctoritatis pondus, ac robur eadem benigna sententia.

Denique, collectis in unum, vel his duntaxat quatuor exceptionibus, sive animadversionibus nuper exhibitis, de quarum veritate, etsi maximè velles, dubitare non potes, tibi etiam committimus, ut apud te concludas (sed coram Deo), quanta censeri debeat Probabilismi auctoritas tota quanta, etiam non collata cum opposita (nam collationem seriam mox instituemus), sed in se ipsa tantùm, & absolutè considerata.

§. V.

Antiquæ, ac moderatæ sententiæ auctoritas Probabilismo benigno anterior.

SEd, ut pensatis omnibus, prout rectum, ac prudentem Judicem decet, litem tandem decidas per definitivam sententiam, auctoritatem jam partis oppositæ summatim, sed exactè collectam accipe.

Igitur nunquam licitum esse uti opinione aliqua minùs tuta, nisi sit eadem contrariâ probabilior, & quæ proinde absolutè vera prudenter judicetur ab operante, docuerunt unanimiter antiqui Theologi, quin vel unum sit invenire, qui ab hac cõmuni assertione discesserit ante Bartholomæum de Medina (Mercadum non moramur sub idem tempus, nullo præmisso quæstionis examine, vulgari sermone loquentem), qui an. 1578. primus dedit in lucem typis vulgatam Probabilistarum sententiam. Id cùm factum sit per se ipsum in Orbe Christiano notorium, profectò à nobis ostendendum non esset, nisi quorundam Recentiorum contentio vocibus saltem dubium niteretur efficere, vel apud vulgus hominum imperitorum, quibus libros Theologicos legendi, vel copia, vel facultas absoluta, vel voluntas certè non suppetit. Cæterùm, ne quis possit, etiam si sponte velit, hanc facti veritatem ignorare, eam sub ipsos oculos constituere argumentis patentibus promptum est. En igitur ejusdem triplicem, si non una sufficiat, plenam, atque legitimam probationem ex testibus idoneis tibi producimus.

Primò: Medina ipse Probabilismi Inventor, seu primus Author, cùm plures se antiquiores referat pro contraria sententia, ne unum quidem refert pro sua, licèt eam difficilem esse fateatur, propterea que in ejusdem propugnatione haud parùm se meticulosum ostendat. Quis verò credat, hominem cæteroquin pium, ac doctum in tradenda assertione tanta, tamque difficili non frustrà novitatis, & audaciæ notam metuentem, omissurum proferre patronum aliquem, si fortè illum invenire potuisset? Med. t. 2. q. 19. art. 6.

Secundò: Vazquez, qui 20. post annos eandem opinionem promovit, ait quidem illam jam tunc esse communem, & fuisse etiam ante Medinam, (nimirum Vazq. t. 2. disp. 62 c. 1. 2. & 3.

rum *in Scholis*, ut subdit) : neminem autem refert præter Medinam ipsum, qui ad illud tempus eam typis vulgasset ; cùm tamen pro opposita sententia complures cum Angelico Doctore antiquos Theologos adduxisset.

Tertiò: Doctiores quique, gravioresque Doctores, ut Suarez, Curiel, Bannez, Sanchez, Navarrus, Valentia, Amicus, Lessius, Filiutius, & reliqui communiter, tàm hujus, quàm alterius opinionis patroni, qui rem sub illud tempus attigere, cùm plures antiquorum referant pro sententia moderata, neminem tamen anteriorem Medinâ pro benigna sententia referunt : imò plures eorum, etiam disertè affirmant, eam esse opinionem juniorum Thomistarum ; quam tamen modò quidam ipsorum per miram rerum vicissitudinem Jesuitis volunt appingere, tanquam primis ejusdem inventoribus, sicut & Vendrochius, & alii Jansseniani Jesuitarum hostes infensi. Verum hanc esse apertam, injustamque impostaram facilè, ac luculenter palàm faciunt Dechamps, Sarasa, Pollenter, Daniel, aliique è Nostris viri eruditi, etsi res ea sit, quæ non multam depoſcat eruditionem.

Hæc testimonia passim omnibus obvia (quorum loca propterea notare prætermittimus), estò argumenta negativa videantur, si circumstantiæ omnes maturè, & animo sedato considerentur, nullum relinquunt locum prudenter dubitandi de veritate nostræ assertionis. Sed neque testes absunt, qui positivè, ut dicitur, & signanter rem attestentur.

Primus sit egregius Theologus, & Doctor magni nominis Corduba in suo Quæstionario Venetiis edito anno 1569. cùm asseruisset, partem tutiorem necessariò tenendam esse, quando simul est probabilior (quod idem asserit, si sit, æquè probabilis), subjungit continenter, *Et in hoc omnes Doctores consentiunt.*

Cordu. Quæstiona. li. 2. q. 3. propos. 1. & 3.

Secundus verò Paulus Comitolus, vir (quidquid de eo minùs considerate dixerint, Terillus, & Esparza) *disciplinis omnibus eximiè perpolitus*, ut inquit Alegambe in Bibliotheca Nostrorum Scriptorum, & ejus Opera satis clarè testantur, propositis duabus quæstionibus, quarum prior est quæstio nostra, sic ait : *In priore fœda Armillæ prolapsio fuit : in sua enim Summa verb.* opinio *nu. 2. satis esse dixit, probabiliore abjecta, probabilem sequi opinionem. At id satis non esse &c.* Quamquam neque satis constat Armillam licèt Medinæ fere coævum ab antiquis Doctoribus discessisse: nam & ab ipsis etiam Probabilistis pro antiquorum sententia passim refertur : & revera in allegato numero multa habet Probabilistarum opinioni valde contraria. Sed in fine quædam alia subjungit, propter quæ meritò potuit Comitolo videri in eam opinionem prolapsus.

Comitol. li. 5. Responſ. moral. q. 15, nu. 1.

Tertius secundam istam legalem probationem compleat vir acutissimus, neque minùs pietate, quàm varia, ac plurima eruditione præclarus P. Ægidius Estrix, qui in illo suo politissimo Scripto, qui Titulum præfixit, *Examen rationum &c.* quodque non in angulo terræ, sed in ipsa Romana Curia, Summo Pontifici Innocentio XII. Eminentissimisque Cardinalibus legendum obtulit anno 1692. sic de benigna sententia loquitur : *Est ne tam sancta sententia benigna, ut eam tangere nefas haberi debeat ? Ipsa in se inspiciatur ad rationem primam* (ubi scilicet illam vividissimè expresserat verbis à nobis alibi exscriptis) *Est ne tam firmis vallata propugnaculis, ut nulla spes sit convellendi ? Non est invenire locum sacrum, quo eam munierint ejus patroni ferè occupati struendis labyrinthis principiorum reflexorum, ut doceant esse licitum nobis, quod ipsi judicamus, aut judicare possumus, ac debemus esse illicitum nobis. Est ne tam antiqua, ut saltem hoc titulo nobis veneranda sit ? Heri, ut sic dicam, nata est, ante annum 1577. omnibus ignota Theologis, Doctoribus, Patribus.* Hæc Pater inclytus non ad hominum vulgus, sed directa intentione ad Summum ipsum Præsidem, Supremumque Senatum, ipsumque sapientissimum totius Catholicæ Ecclesiæ.

Estrix in Exami. ratio. par. 1. rat. 2. nu. 3.

Hac 1. p. li. 1. controv. 8. art. 4. §. 2.

Verùm tribus his testibus exceptionem opponas, quòd omnes sint Proba-

babiliſmi hoſtes. Verum eſt. At quid tum? Nunquid propterea hoſtes ſunt veritatis? Nunquid, vel ſui ipſorum honoris hoſtes ſunt, ut ſaltem non vereantur in facie Eccleſiæ impudenter mentiri mendacio, de quo facilè convinci poſſint, ab iis etiam, qui legere tantùm ſciant? Quod ſi credendi tamen adhuc non ſunt circa factum de ſe publicum, ac notorium, quod, vel oculis ipſis haurire fas ſit, cur non eorum fidem Probabiliſtæ elevant producto in medium uno tantùm Auctore, qui Medinæ opinionem ante ipſum tradiderit?

Age verò exceptionem, licèt iniquam, prorſuſque voluntariam, non contemnamus; veritas nanque, cùm verè dives ſit, liberalis eſſe non renuit. Accipe ergo ejuſdem veritatis probationem tertiam ex teſtibus ab omni ſuſpicionis, vel tenui ſpecie, liberis.

Primus ſit Franciſcus Amicus, gravis utique, ac doctus Probabiliſta, qui ad annum 1640. cùm controverſiam iſtam ſic inſtituiſſet, *Gravior inter Doctores difficultas eſt, an poſſimus non ſolum operari ex opinione probabiliori, ſed etiam ex probabili minùs tuta?* Subjungit continenter, *Negant ferè omnes antiqui Theologi. Sed nobis cum Recentioribus dicendum eſt &c. Ferè omnes*, inquit, non quia inveniatur aliquis, qui non neget ex iis, qui quæſtionem tractarunt, ſed quia non omnes eam tractavere. Tom. 3. d. 15. n. 75.

Secundus ſit Azor, in omnis generis librorum lectione, verſatiſſimus: qui, cùm ex communi ſententia ſtatuiſſet, & oſtendiſſet, licere uti minùs tuta opinione, ſi probabilior ſit; tum ipſe ex propria ſententia ſubjicit: *Item quando opiniones ſunt æquè probabiles, videlicet ex numero, vel teſtimonio, ſive auctoritate Doctorum, quamvis non ex pondere, & momento rationum, jure poſſumus minùs tutam in agendo præferre: immò, etiam ſi, quæ minùs tuta eſt, minùs probabilis habeatur, ut ſtatim dicam. Hoc licèt Auctores non tradiderint, ratione tamen efficaci concluditur &c.* Hæc Azor ſcribebat ad annum 1600. quando jam procul dubio non pauci Medinæ ſubſcripſerant. Quia tamen nova ipſius opinio vix dum egreſſa erat Scholarum gymnaſia, adhucque pænè continebatur in codicibus M. S. ideò ejuſdem patronos non curavit, ſed verè, ac ſimpliciter protulit, præfatam opinionem ab Auctoribus, videlicet antiquis non eſſe traditam. Azor 1. p. Inſtit. moral. l. 2. c. 16. q. 2. verſ. *His igitur poſitis* ad med.

Sed quid eſt, cur moremur, cùm hujus evidentis veritatis Terillum ipſum teſtem habeamus, & quidem locupletiſſimum, quippè qui non expreſſa confeſſione duntaxat, ſed plenisſima inſuper probatione, & omnium planè luculentiſſima illam ex profeſſo demonſtret? Nempè ipſe copioſa, exquiſitaque eruditione Doctores omnes veteres, qui ab anno 1235. controverſiam noſtram tractarunt (nam ante illud tempus nemo invenitur, qui illam inſtituerit, aut de rè iſta dubium aliquod moverit), non modò ſigillatim, exactèque recenſet, ſed etiam verba ipſa, quibus illam definiunt, fideliter exſcribit, ac prolixè: nemo autem eorum reperitur, qui doceat, licere minùs tutam opinionem amplecti, niſi ſit eadem probabilior, aut certior, ſed una eſt omnium concors ſententia vocibus iiſdem, aut æquivalentibus expreſſa. Id, quod Terillus ipſe præterea ſæpiùs ibidem, & fatetur, & probat: *Itaque* (inquit) *& tunc, & antea ſemper verum fuerat, quod ſuo tempore obſervavit Sylveſter, verb.* opinio, *ſcilicet nullam fuiſſe opinionum varietatem in materia præſenti.* Quid hìc plura? Teril. dicta q. 22. de conſc. Ibid. n. 122.

Miraris tamen fortè, & inquiris, quo Terillus conſilio antiquos omnes Theologos adeò accuratè referat, cùm omnes unanimiter moderatam ſententiam doceant? Mirum profectò appareat ei, qui Terilli Opus non accuratè evolverit, nec artificium ejus ſatis perſpexerit. Equidem claritatem, ac diſtinctionem in primis ſe curare frequenter profitetur, & oppoſitæ incuriæ ſingulis ferè paginis Auctores noſtros arguit; ipſe tamen egregiè multa paſſim confundit longè inter ſe diverſa, immò & prorſus contraria, quibus ſententiæ ſuæ falſitatem aliunde nimis apertam, & noſtræ veritatem nimis de ſe conſpicuam ob-

um-

umbrare conatur; ex præconcepta, ut videtur, deceptione communi, quæ ipsi instar omnium argumentorum fuit. Nam & hinc multa in Theologia inaudita commentus est, & artificio usus perquàm subtili; quo facile est eos decipi, qui vocum sonum, & rerum superficiem solùm considerant. Id generatim hoc loco admonuisse visum est, quod opportuna occasione data per totius decursum operis palam facere studuimus: cùm nec in libris celebrioribus Recentiorum quidquam ferè invenire potuerimus, quod veritati nostræ sententiæ ad speciem non nunquam obstaret præter supradicta quædam Terilli molimina.

Nunc re deo ad admirationem hìc subortam. Nempe Terillo in eo loco propositum fuit demonstrare adversus Tutioristas, & Jansenistas, non semper in opinabilibus tutiorem partem esse de præcepto tenendam, non opus esse ad honestè agendum concipere judicium de honestate objectiva (directum, seu de objecto secundùm se) absolutè certum, & evidens, sed usum opinionis verè probabilis semper in Ecclesia viguisse; quod quidem optimè, & patenter evincit ex sensu concordi, & unanimi antiquorum omnium Doctorum.

Ac tum ibi, tum aliàs sæpè loquitur indistinctè, & confusè, quasi nostram sententiam vellet involvere cum sententia Tutioristarum. An id reverà intenderit, alii censebunt, mihi profectò credere non est animus, etsi verba, quæ profert, haud parum urgens fundamentum præbeant. Prætereà sæpe etiam, cùm non audeat palam fateri, opinionem benignam esse usqueadeò novam, totique antiquæ Theologiæ adversam, contra sententiam nostram determinatè veteres Theologos conatur inflectere: sed per interpretationem adeò de se incredibilem, ut nullus, quem sciam, etiam ex Recentioribus, qui pænè in verba Terilli jurarunt, eam non modò in medium producere, sed nec de ipsis meminisse sit ausus. Nihilominùs illas, etsi à sapientibus facilè improbandas, ob vulgus tamen imperitorum fusè nos alibi refutamus.

Hæc est summa antiquioris auctoritatis sententiæ nostræ: ut omittamus interim plurima valdè illustria Scripturæ Sacræ, Sanctorumque Doctorum, & Patrum testimonia, non quidem generalia, aut importuna, sed nimis potiùs opportuna, & urgentia, plures Juris Canonici (cui omninò civile concordat) vix non expressas, & claras decisiones, aliaque multa, & maxima momenta auctoritatis, quæ passim ab Auctoribus sententiæ nostræ, ubertimque allegata facilè invenies, & quæ nos suo loco, Deo favente, fusè quoque allegabimus, exactèque expendemus.

§. VI.

Incrementum ejusdem auctoritatis post Probabilissimum inventum.

NOn utique cunctorum antiquorum Doctorum unanimi tantùm suffragio (quod abundè sufficeret), sententia nostra vallata est. Verùm decem saltem, & ultra supra centum numerare Auctores jam licet (quorum apud me nomina distinctè, ac sigillatim notata habeo), qui post natum modernum Probabilissimum veram, & antiquam sententiam constanter, & acerrimè propugnarunt: in quibus plures sunt S.R.E. Eminentissimi Cardinales, ac Præsules piissimi, & sapientissimi, quorum vel quilibet pro pluribus est: cæteri ferè omnes, aut Doctores Sacræ Theologiæ, aut ejusdem per plures annos in famosioribus Orbis Academiis noti, ac celebres Professores, qui controversiam istam non leviter, aut perfunctoriè, sed seriò, ac diligenter examinarunt, neque per meram, ac nudam subscriptionem, sed per valdè accuratam, exactamque veritatis in-

indaginem veræ ſententiæ ſuffragati ſunt; & id quidem (quod magnopere notandum eſt) poſtquam eorum non pauci novo Probabiliſmo à primis annis eſſent innutriti, & per longum tempus aſſueti, ut ipſi palàm, & ingenuè fatentur, cujus certè generis nemo invenietur apud Probabiliſtas. Denique noſtri longè alterius ſunt conditionis ab illis, quos Terillus in ſua Præfatione vividis, ut vidiſti coloribus, & quod majus eſt, Summus Pontifex in Decreto ſuo expreſſit; & tamen hos omnes poſtea, nullo prorſus excepto, Terillus ipſe, & cæteri Recentiores in ſuum communem elenchum retulerunt, quaſi ſui reipſa forent.

His ita ſe habentibus, obſtupent nihilominùs aut rident etiamnum plures ex Adverſariis nimio probabiliſmi ſui amore præoccupati, quod ad impugnandum ipſum inſurgamus, quaſi pro ſententia noſtra pauciſſimi ſtarent, unus ſcilicet aut alter duntaxat ex modernis Doctoribus. Sed quid faciemus ad riſum iſtum non tam riſu, quàm commiſeratione dignum? Obtulimus non ſemel his deriſoribus, catalogum exactum prædictorum Auctorum parati de quocunque, qui ab aliquo excipiatur, certam, atque diſtinctam rationem reddere; necdum tamen ab aliquo de fide data conventi ſumus. Et verò, cum ex illis ad quadraginta, aut ultra jam ſint, qui per ſeriam, & longam diſputationem, & Libris, aut Tractatibus integris editis, qui per omnium manus teruntur, Probabiliſmum ex profeſſo refellant, puderet certè me vehementer, vel illos non vidiſſe aliquando, vel, ſi videre nollem, de re tamen hac loqui non erubeſcere.

Accedit multò majus auctoritatis pondus ex ſupra memorato, aliiſque Decretis Apoſtolicæ Sedis circa morum doctrinam recens vulgatis, adeo clarè faventibus ſententiæ noſtræ, ut contrariam quodammodò reprobare videantur; ex iteratis Summorum Pontificum inſinuationibus, votiſque toti Eccleſiæ teſtatiſſimis in favorem ejuſdem ſententiæ noſtræ; ex pluribus conſtitutionibus & ſanctionibus generalibus aliquarum ſacrarum Religionum, etiam Apoſtolicæ Sedis auctoritate confirmatis; ex Edictis communibus, & literis encycliis multorum præclarorum Antiſtitum ſedulò invigilantium pro ſuo munere paſtorali ſaluti ſpirituali ovium à Chriſto ſibi creditarum; ex nobilium quarundam Catholicarum Univerſitatum publicis, & authenticis ſtatutis: denique non ex uno, aut altero duntaxat, ſed ex compluribus, ac ſæpiùs iteratis Synodis, ſeu Conventibus diœceſanis, aut Provincialibus, in quibus approbatur ſententia noſtra, & unicè doceri præcipitur, benigna autem ſententia penitùs reprobatur. Quæ omnia ſunt de rebus in Eccleſia notoriis, eaque exactè adnotata, & collecta facilè, ſi libuerit, videre poteris apud graves, & eruditos Viros ſtrenuè hoc tempore decertantes contra benignum Probabiliſmum.

His tot, ac tantis auctoritatis momentis acceſſit nuper inſigne ſuffragium univerſæ Eccleſiæ Gallicanæ, quæ in generalibus Cleri Comitiis anno 1700. celebratis modernum, ac benignum Probabiliſmum ſpecialiſſimè reprobavit Decretis jam vulgatis, ac notis, quorum exemplar apud me habeo, & quorum verba ipſa perlibenter exprimerem, niſi conſulerem brevitati; ſunt etenim graviſſima, vereque digna eximiâ pietate, ac ſapientiâ tantorum Præſulum omni laude majorum. Non licet tamen omnia præterire, vel eo ſaltem titulo, quod in illis habeamus irrefragabile etiam teſtimonium veritatis, quam nuper ſtatuebamus, de unanimi conſenſu Doctorum antiquorum in noſtra ſententia tradenda, qui quanti in cauſa iſta faciendus ſit, leviter ſaltem mox inſinuabimus.

Conventus ergo, cùm in ipſo Proœmio ſpem ſuam, & votum præmiſiſſet, ut aliquando Summi Chriſti Vicarii ſalubre opus moralem Theologiam purgandi, aliquando tandem perficiant, inferiores omnes Paſtores onere iſto, & cura levantes, *Dum expectamus* (inquit) *fore, ut tantum opus more Majorum, & Canonico ordine perficiant: nos interim Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi in unum congregati, ne dirum virus ſerperet &c.* Mox, poſt multa in idipſum, ac poſt

Conventus Gallicani Cleri anno 1700. in ipſo Proœm. pag. 6.

post recensionem complurium opinionum moralium expressè, ac signanter damnatarum, accedit tandem ad fundamentum, & caput moralis doctrinæ, usum videlicet opinionis probabilis, circa quem duo extrema cavenda docet, rigoris nempè, ac benignitatis. Tum reprobato in primis errore Tutioristarum per hæc verba, *Absit verò, ut probemus eorum errorem, qui negant licere sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam*: ut extremum oppositum pariter reprobet, nimirum sententiam benignam, sententiam nostram optimè expositam statuit tanquam regulam unicam in conflictu variarum opinionum ubique necessariò tenendam, nisi sponte velimus tutiorem partem sequi: *Denique statuit, ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non veritati magis consentaneam duxerit*.

Ibid. pag. 46.

Post hæc verò immediatè, ac continenter subdit: *Quod ergo in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi ut probabiliorem eligendam judicemus* (attende), *hoc novum, hoc inauditum, hoc certis, ac notis Auctoribus postremo demum sæculo proditum, & ab iisdem pro regula morum positum repugnat huic effato à Patribus celebrato*, Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus, *nec habere potest Christianæ regulæ securitatem. Hoc initium malorum esse, atque omnium antedictarum corruptelarum caput, & doctrinæ consecutio, & series temporum ostendit. Hoc ab Antecessoribus nostris, viris fortibus, ac religiosis censorìè notatum, hoc sæpè reprehensum, hodieque reprehendi, nullo incusante, immò bonis probantibus, diffiteri nemo potest. Nos quoque his de causis &c.* Quæ invitus abrumpo, & quibus datas regulas comprobant, & illustrant pluribus Sacræ Scripturæ testimoniis. Hactenus sapientissimi, ac vigilantissimi Præsules, in Actis, quorum titulus est *Censura, & Declaratio Conventus Generalis Cleri Gallicani edita Parisiis an.* 1700.

En tibi, Lector, summam auctoritatis antiquæ, atque recentis, nostræ sententiæ. Reliquum est, ut eam breviter conferamus cum benignæ sententiæ auctoritate per breves aliquas reflexiones.

§. VII.

Auctoritatis utriusque collatio.

TOta quanta benignæ sententiæ auctoritas ex privatorum numero Auctorum unicè, ut vidisti, conflata, si fideli, & exacta trutina ad rationis pondus libretur, quanta censenda sit absolutè, constat tibi ex §. 4. Nunc verò quanti sit æstimanda, si cum sententiæ communis, & an iquæ auctoritate eadem conferatur, quamvis ex nuper dictis evidens etiam sit; ut tamen, vel invitus, non possis non evidenter agnoscere, de multis, & gravissimis, quas possem, paucas tantùm selectas reflexiones subjicio.

Primò: Universim nostræ sententiæ auctoritas non ex uno, aut altero tantùm, sed ex cunctis, ac singulis locis Theologicis cumulatissimè coalescit. Id, etsi aliunde certum non foret, vel ex eo constaret, necessum est, quòd opinio benigna immediatè ei oppositæ nullum in illis præsidium habeat. Sanè, cùm utraque vera esse non possit: veram autem non concordare omnibus certis veritatis principiis impossibile omninò sit, si de altera constet eisdem non congruere, oppositum de altera necessariò statuendum est.

Secundò: Ut sigillatim nonnulla saltem auctoritatis capita, quæ patentiora sunt, attingamus, communis, & unanimis Theologorum consensus in nostra sententia tradenda per cuncta retrò sæcula ante natum modernum Probabilismum, sufficiens vel se solo censeri debet ad absolutam certitudinem ejus. Etenim veritas ista summi momenti est, caput videlicet, ac fundamentum totius

tius moralis doctrinæ, atque adeò totius moralis honestatis, ut nulla veritatis specie præsumi possit, Theologis antiquioribus, dum morum doctrinam tradebant, materiam istam non occurrisse, aut sensum suum potuisse dissimulare, si à sensu aliorum foret alienus: nemo autem ab aliis unquam dissensit, nec *ulla fuit opinionum varietas in materia præsenti*, ut ex Sylvestro Terillus fatebatur; sed quotquot mentem suam contigit aperire, omnes concorditer, quasi uno ore, sententiam nostram semper docuerunt, neque quisquam eorum mentionem unquam fecit de aliquo, qui dissentiret. Habet ergo ex hoc capite sententia nostra quantam habere aliquando potest Theologica ulla veritas certitudinem ex communi consensu Theologorum. Sup §. 5.

Quanta verò absolutè hæc certitudo sit, ex Melchiore Cano discere possumus: *Tertia* (inquit) *conclusio: concordem omnium Theologorum Scholæ de fide, aut moribus sententiam contradicere, si hæresis non est, at hæresi proximum est*. Quam conclusionem pluribus ille argumentis probat. Post illa verò, quæ adducit primo loco, numerum illum in hæc verba concludit: *Atque, ut uno verbo dicam, nemo, qui in Catholicis habeatur, omnes sine discrimine Theologos explosit. Quod abundè satis magnum argumentum est, sine fidei discrimine hujusmodi Scholæ placita negari non posse.* Canus de Locis li. 8. c. 4. concl. 3.

Post hæc tamen neoterici Probabilistæ sententiam suam, si superis placet, ut indubitabile dogma proponunt, & recipi ab omnibus volunt sine ulla disputatione, vel ex communi tantùm Theologorum postremi istius sæculi consensu: neque desunt, qui libris etiam vulgatis proferre palam non vereantur, si benigna sententia falsa foret, futurum, ut per integrum sæculum Deus Ecclesiam suam deseruisset. Sic illi. Quasi videlicet ante sæculum istud, in quo *modus opinandi irrepsit, in rebus ad conscientiam pertinentibus, alienus omninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina*, nulla vera fuisset Ecclesia, neque, quam nunc habemus, è Christi latere, sed è Medinæ cerebro fluxisset cum novo suo Probabilismo. Quasi tempore isto soli Probabilistæ tota fuissent Ecclesia Dei. Quasi doctrinæ ipsorum nemo contradixisset. Quasi tota doctrina Doctorum antiquorum simul cum illis esset in æternum sepulta, nec Libri ipsorum ampliùs Populum Christianum docerent. Quomodo hæc proferre non pudet, non dicam in conspectu mundi, sed vel in privato cubiculo?

Tertiò: Ex Conciliis, licèt particularibus, ubi nimirum Ecclesiæ Præsules, qui veri ipsius Patres, atque Magistri sunt, conveniunt cum letissimis, ac sapientibus viris, ut oves Christi suæ curæ commissas publicè doceant viam salutis, sanæ doctrinæ pabula per authenticos canones, atque vivendi regulas ipsis præbendo, quibus proinde (ut piè credi debet) in Christi nomine congregatis Christum ipsum adesse per spiritum suum, ut nihil non rectum statuant, prudenter dubitari non potest, nisi aliunde contrarium innotescat: ex ejusmodi, inquam, publicis statutis, & authenticis testimoniis sæpiùs pro nostra sententia repetitis, quantùm ejus auctoritas adaugeatur, qualemque, ac quantam capiat certitudinem, etiam imperiti non nesciunt. His verò quantum momentum accesserit ex publica declaratione Generalis Conventus Cleri Gallicani nuper adjuncta nemo non videt. O Deus bone! quid fieret nobis, si vel unum quid simile Probabilismus posset pro se referre? Sed Deo gloria, nihil ejusmodi, nec authenticum ullum, publicumve statutum, seu Sacri Ordinis, seu Academiæ, seu similis alterius Congregationis, protulit adhuc, neque proferet unquam, uti certò credi potest.

Quartò: Tandem, ne diutiùs te moremur, reflectere juvat ad Decreta Apostolicæ Sedis, quæ quanti momenti sint ad roborandam nostræ, & veræ sententiæ auctoritatem, & oppositam evertendam, nullius est laboris ostendere. Neque enim Probabilistæ Recentiores verentur spontè asserere, neque, si vellent,

possent viâ ullâ negare complures opiniones morales Decretis Pontificiis recens damnatas, donec damnatæ de facto essent, fuisse verè, ac propriè probabiles juxta principia, & regulas Probabilismi sui. Scimus autem infallibiliter ex eisdem Decretis, eas omnes, & unamquanque earum scandalosas fuisse reipsa, & animabus in praxi pernicioſas, proptereaque ab Ecclesia fuisse proscriptas tanta severitate, ut nullus Catholicus possit de illis, vel privatim, disputare, si nolit ipse ab Ecclesia abscindi.

Hinc ergo fit consequens, regulam generalem Probabilismi, sive communem definitionem, ad quam Probabilistæ formant, & exigunt benignam suam Probabilitatem talem esse, ut secundùm eosdem Probabilistas sana sit, ac recta; tametsi opinio exacta ad illam, eidemque adamusim conformis sit verè scandalosa, & animabus in praxi pernicioſa, id est, lethifera, & exitialis. Locum hunc alibi fusè prosequimur: hìc verò non arguimus, sed Recentiorum sensum simpliciter referimus, ut videas; quo jam loco Probabilismus sit post Sedis Apostolicæ Decreta. Utique jam habemus, si benigna sententia vera sit, opinionem reverà scandalosam, & animabus in praxi pernicioſam, nisi expresè damnetur, esse verè probabilem, adeòque rectam agendi regulam. Quo nihil absurdius dici posse videtur.

Hac 1. p li. 2. cóirov. 3.

Jam ergo, Lector, auctoritatem benignæ Recentiorum sententiæ penitus, ut vidisti, constitutam ex numero privatorum Auctorum, quibus tot adeò graves, adeòque inevitabiles exceptiones objecimus, confer sedato animo, cum antiquæ, & communis sententiæ auctoritate, non ex uno, vel altero, sed ex Locis Theologicis universis, validissimè, ut constitit, roboratam, ex Sacra scilicet Scriptura, ex Canonico Jure, ex Sanctis Ecclesiæ Doctoribus, ex unanimi consensione Catholicorum omnium Theologorum constanti per sedecim sæcula, à qua, cùm primùm cæpit dissentiri, *modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Doctorum doctrina*, & quam, post natum etiam novum Probabilismum, constantissimè semper retinuerunt, & publicis scriptis propugnarunt, non modò plures, insigneſque Doctores, sed, quod majoris ponderis est, complures è Supremo Catholicæ Ecclesiæ Senatu Eminentissimi, ac Purpurati Patres, plurimi, ac præclarissimi Ecclesiæ Antistites, Synodalibus etiam, & authenticis statutis oppositam, doctrinam severissimè reprobantes, plures, aut ferè omnes Ordines Religiosi, & celebres Universitates: quam denique (quod maximè fieri debet) ipsi etiam Summi Pontifices per Decreta sua novissima vix non expresè probant, & oppositam damnant.

Enimverò, si rectè judicas, dubium non sit, quin facilè fatearis, moderatissimè me dixisse, benignæ tuæ sententiæ auctoritatem communis, & antiquæ sententiæ auctoritati oppositam, adeò esse exiguam, ac tenuem, ut non modò præferri, vel æquari eidem non debeat, sed neque dignam esse, quæ eidem conferatur. Atolli quidem illa facilè poterit, verbis magnificis quorundam Recentiorum. Sed pumilio, ut acutè Seneca ajebat, etiam in montis vertice collocatus, pumilio semper, si ipsum sine basi metiaris, sicut Colossus verè Colossus est, etsi constituatur in puteo.

Sene. epis. 76. ad Lucil.

§. VIII.

Vindiciæ Societatis.

ABsit autem, ut homo de Societate duplex hominum genus hìc nobis obstrepentium dissimulet. Utrique scilicet benignam sententiam Societati tribuunt ut propriam, quanquàm intentione longè diversa. Alii enim id faciunt animo non prorsus malo, sed studio duntaxat impenso, quo doctrinam istam de-

depereunt rati Religionem tantam, si benignam sententiam tanquam doctrinam propriam tuendam sibi adsciverit, magnum ipsi tribuere pondus auctoritatis, quam proinde munitam esse benignam suam sententiam ipsi maximè optant. Alii verò è contra id faciunt, non studio ullo erga doctrinam istam, quam falsam existimant; sed eo solùm animo, ut Jesuitis obtrectent, doctrinam illis impingentes, ex qua morum corruptelam oriri deprædicant.

Ab utrisque tanquam ab Hostibus, seu Adversariis ferè æquè fugiendis cavendum sibi esse Societas agnoscit: quòd calumniam utrique eamdem sibi importent; nisi quòd priores, etiam quodammodò magis aversari debeat, quia licèt affectu non ita malo, at effectu longè pejori in ipsam invehuntur. Enimverò norunt omnes mediocriter periti, sensum, & spiritum proprium Religionis cujusvis contineri, in peculiaribus ejus constitutionibus, tum in regulis, præceptis, & ordinationibus, quibus tota Religio gubernatur juxta normam, & modum proprii sui Instituti; non verò in privatis opinionibus personarum ejusdem Religionis: sicut proprius spiritus, & sensus Ecclesiæ Catholicæ, à quo omnis spiritus sanus, ac rectus cujuslibet non fictæ Religionis dimanat, non continetur in sensibus privatis hominum de Ecclesia, qui ab ejus sensu possunt aberrare; sed in fide infallibili, doctrina, & legibus à Deo sibi traditis, & immobiliter in ipsa persistentibus.

Jam verò quòd in constitutionibus, & legibus Societatis nihil omninò sit, quod benignæ sententiæ faveat, immò multa quæ eidem repugnent, ac veram, & antiquam sententiam haud obscurè commendent, ita compertum est, ut nihil magis. *Sequantur in quavis facultate* (ait in constitutionibus N.SS. Institutor, & Parens) *securiorem, & magis approbatam doctrinam, & eos Auctores, qui eam docent.* Nonne vides sententiam nostram non modò eodem sensu, sed & eisdem verbis expressam? Quid enim differt *magis approbata doctrina* à doctrina magis probabili? Eandem legem repetit sæpè aliàs verbis paulò diversis, eundem tamen sensum reddentibus: quem perpetuò Societas sæpissimè innovatum, ac expressum constantissimè hactenus retinuit, ut ex multis Decretis Congregationum Generalium, ex regulis, ex ratione studiorum, aliisque partibus nostri Instituti, si foret opus promptum esset ostendere.

Const. Societ. p. 4 c. 5. §. 4.

Ead. par. c. 14. §. 1. p. 3. c. 1 §. 18. in Exa. c. 3. §. 11. & alibi

Sufficiat ad faciendam plenam fidem recens, & publicum testimonium Congregationis generalis duodecimæ: *Quavis contra novitatem, laxitatemque opinionum, præsertim in rebus moralibus, abundè provisum sit, & Præpositorum Generalium ordinationibus, & Superiorum Congregationum decretis, & constitutionibus ipsis, quibus jubemur sequi in quavis facultate securiorem, magisque approbatam doctrinam. In re tamen tanti momenti, postulante pro suo zelo P. N. omniumque conspirantibus votis, nihil prætermittendum rata Congregatio præens &c.* Quid illustrius, ut constet, sensum, & spiritum proprium SS. N. Parentis ipsis constitutionibus expressum in Societate semper viguisse, & constanter fuisse retentum?

Congreg. generat. 12. Decret. 28.

Neque verò hæc producimus, quasi egregiam hinc aliquam, peculiaremve laudem Societati quæramus, nisi fortè ex solerti vigilantia, studioque perpetuo, ac indefesso ingenitum hunc sensum retinendi, & omnibus palàm testandi, in quo profectò, ut moderatè dixero, à nullo ex Sacris Ecclesiæ Ordinibus Societas nostra superata est: sed ut ingentem, probrosamque calumniam eidem importatam repellamus. Nam alioqui precor te, Lector, per salutem animæ tuæ, an tibi aliquando persuaseris, futurumve credideris cordatum ullum, qui sibi unquam possit persuadere, fuisse in Ecclesia Religionem aliquam, immò in orbe terrarum ullam rationalem Rempublicam, quæ, cùm legem, aut regulam communem de doctrina tenenda subditis traderet, omnibus generaliter non præscripserit doctrinam veram semper, & docere, & amplecti?

Nimiùm profectò fallimur, & ineptimus, si quis aliter sibi persuaserit. Quid verò magis pugnat cum sententia benigna, juxta quam generaliter omnibus licet, & docere, & ad praxim etiam deducere opinionem minùs probabilem, hoc est, quam falsam, vel judicamus actu, vel si velimus, possumus judicare? Et tamen volunt aliqui, immò & scriptis publicis testari non verentur, Societatem JESU pro Religione, ut ajunt, tanquam doctrinam suam peculiarem, ac propriam, sententiam istam suscepisse tuendam; & hoc præsertim titulo de Societate ipsa benemereri, ipsiusque clientes, ac discipulos fidelissimos confidentissimè se jactant profiteri.

At nimis illi aberrant, ne quid asperius dicere cogar de novo isto obsequendi genere. Non ita desipit Societas universa, nec veram gloriam suam, & honorem ignorat, ut hæc fallacia blandientium oscula pro veris obsequiis acceptet, nec observet gladium Joab fraternè salutantis, & hostiliter percutientis. Egregia sanè laude, præclaro obsequio delinitur Societas, ut illius doctrinæ patronam se specialem, ac magistram constituat, quam nulla unquam tenuit, ut propriam, Christiana, quin nec humana Respublica. Alioqui, si fallimur, aut excedimus, proferant hi fallaces Societatis amici constitutionem aliquam, statutum, regulam, aut legem communem, qua doctrinam ejusmodi in aliqua Republica rationali communiter teneri, vel doceri, aliquando sit constitutum. Certi sumus, quod nunquam proferent.

2. Reg. 20.

Facessant ergo vana, juxta ac iniqua sub obsequendi obtentu suscepta eorum Recentiotum molimina. Neque benignæ Theologiæ suæ auctoritatem quærere velint cum tantâ Societatis injuriâ, quam ipsa, licèt pati atrocia quæque satis assueta, nunquam patienter feret in æternum dedecus suum. Nec quidquam pensi habebit, si fuerit opus, famam filiorum, etiam quàmplurimorum, aliquomodo deteri, aut deturpari, ut honorem, & nomen suum ab hac nota illibatum, & perpetuò liberum servet. In quo & ipsorum filiorum *nomini* pro veræ matris munere prudentissimè consulit, neque enim verus honor filiorum stare potest sine matris honore, nec pereunte capite, membra vivere possunt. Malè igitur filii sibi consulerent, nisi de vera vita, hoc est, de vero Matris honore, unde, ut vivant, spiritum debent haurire, in primis soliciti essent.

§. IX.

Jesuitarum vindiciæ.

ID ante omnia firmiter constitutum, & ultra litis aleam positum volumus, si qui sunt, qui ex communi Jesuitarum deceptione aliquam invidiam, aut notam in Societatem ipsam derivare contendant, eos perinde facere, ac si quis damnaret Pictoriam, quòd plurimos Pictores non peritos, aut deformes picturas passim invenerit. Non vitiat regulam errantium multitudo, cum ideò potiùs errent, quod à regula abeant. Nonne aliquando, teste Hieronymo, *ingemuit totus Orbis, & Arianum se esse miratus est*? Anne propterea Ecclesiam Romanam immobilem non perstitisse, aut Religionem ejus nutasse ab aliquo Catholico dictum est?

Hieron. in Dialo. contrà Luciferia. aliquàto post med.

Itaque nolo quisquam existimet, causam Jesuitarum cum Societatis causa confundere me velle, aut ideò Jesuitas suscipi à me excusandos, ut crimen aliquod Societatis excusem; neque enim eget ullius patrocinio, quæ, sive insontes illi, sive rei dicantur, accusari à nemine potest, nisi per stultam calumniam. Ea ad summum dedecoris species, si Jesuitæ modò excusandi caderent causâ, in ipsam Societatem recideret, quæ caderet in agrum suâ naturâ pinguem, & fructuum optimorum feracissimum, si fructus ferret quandoque pravos.

vos ex pravo semine in eundem immisso. Id verò nemo prudens criminis notam, sed infortunii potius casum existimet. Jesuitarum igitur obtrectatores, etiamsi rectè assumerent, malè tamen colligerent, si crimen, quod eisdem objiciunt, in Societatem ipsam velint refundere.

Verùm & assumptionem legitimam non esse, sed multâ, & variâ calumniâ gravidam, demonstratu non est difficile. Et primùm quidem, quod benigna sententia Jesuitis tribuatur ut inventoribus, quasi primi in Orbem Christianum ipsi doctrinam istam invexerint, ut propriamque inventionem propugnaverint, evidens, & notoria calumnia est, quam proinde refellere non esset opus, etiamsi à nobis supra præoccupata non esset. Sup §. 5.

At Jesuitæ, inquiunt, plurimi numero, & studio vehementiori doctrinam hanc prosecuti sunt, suaque industria, & auctoritate validè confirmarunt, atque munierunt. Esto: sed, si aliquod Jesuitarum in eo crimen est, non aliud profecto invenitur, quàm quod ab aliis, simul & cum aliis decepti infeliciter sint. Nam quod plurimi Jesuitarum moralem Theologiam docuerint, & per hanc occasionem controversiam istam versaverint, id, ut opinor, nullum crimen est. Quod verò eorum, aliqui (neque enim plurimi) sententiam, quam decepti veram putabant, insuper & innoxiam, immò, quod consequens videbatur, communi hominum infirmitati, sicut gratam, sic etiam commodissimam, toris ingenii, & industriæ viribus acriter promovere conati sint, indèque suo, & acumine, & nomine valde illam munierint, & multis ubique persuaserint, id enimverò, deceptione suppositâ, nulli verti crimini potest, nisi fortasse plurimùm ingenii viribus, & sapientiæ laude valere ab aliquo crimen censeatur. hunc autem Judicem planè iniquum, ac stultum esse oportebit.

Insistunt tamen obtrectatores, & accusationem instaurant. Etsi crimen non fuerit increpatione dignum doctrinam veram, innoxiamque putatam acriter excoluisse, ac propugnasse, crimen tamen, & grave censendum est, quòd Jesuitæ doctrinam illam ultra omnem modum protenderint, passim docentes opiniones morales nimiùm benignas, sensibusque indulgentes, adeòque nimis laxas, & noxias, quibus leges omnes laxaverint, & Christianos mores corruperint, & quas, ut apud populum majori communirent auctoritatis pondere, doctrinam Societatis appellabant, & sub ipsius nomine publicè tuebantur. Vides, Lector, ut nihil dissimulemus, nihil adversariorum criminationibus detrahamus; neque enim quidquam aliud nobis possunt objicere majori veritatis colore. Sed verò color iste plus obtegit calumniæ, quàm veritatis.

Et primùm quidem fatemur ingenuè (neque enim mendaciis nos excusare intendimus) nostratum aliquos, non plerosque, non plures, quandoque nimiùm exorbitasse, nimisque laxas aliquas opiniones docuisse. Quid tum verò? Hoc, si crimen, naturæ ipsius crimen censendum est, illud nempe, quod olim mente excedens pro omnibus Propheta fatetur, *Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax*: foretque instar miraculi, immò miraculum longè maximum, si in tanto hominum numero non fuissent aliqui, quorum ingenia in laxas opiniones frequenter amplectendas propenderent; sicut humanam etiam conditionem excedit, quod Doctor aliquis, quantunvis sapientissimus, si multa doceat, quandoque non desipiat, *Quia non est hominis* (inquit Doctor Angelicus) *ut nihil à mente ejus excidat*. Certè, vel illi ipsi, qui severiorem, immò & qui severissimam morum doctrinam ubique se profitentur sectari, aliquando in quæstionibus particularibus laxissimè opinati sunt. Quid mirum ergo, si pauci Jesuitæ, qui ad Probabilismi principia adeò de se proclivia in laxitatem Theologiam suam moralem exegere, in opiniones laxas sæpè prolapsi sint? Psal 115. D. Tho. 2. Ethi. 7. lect. 1.

Cæterùm, si nostri adversarii veritatem syncerè amant & non calumniari tantummodò fatebuntur etiam ingenuè, reliquos Jesuitas, & multò plures numè-

mero, & sapientiores, prolapsiones eorum Jesuitarum nullo modo dissimulasse, immò non alios illas, ut & fœdiores alias aliorum Theologorum laxitates, acriùs, ac vehementiùs esse insectatos. Cur igitur paucorum exerrationes à cæteris communiter castigatas, vehementerque reprobatas, in Jesuitas omnes sine discrimine generaliter refundentur? Id plane nemo æquus nō censebit iniquum.

Quod verò unus, vel alter Jesuita (non enim plures, sed pauciſſimi sunt) Probabilismum ipsum benignum, aliasque laxas opiniones morales, tanquam doctrinam propriam Jesuitarum, immò & Societatis ipsius, publicè venditare non erubuerint, id quidem cæteri neutiquam excusamus; neque enim seria ulla excusatione, sed severa dignissimum reprehensione censemus. Verùm & hoc ab aliis non paucis Jesuitis protinus data opera animadversum, & acriter explosum, notorium est. Cæterum Societas ipsa, etsi in antiquam, sanamque Theologiam valde semper propenderit, ut jam constitit, benignum tamen istum Probabilismum adeò communiter in Scholis receptum, quandiù ab aliis Sacris Ordinibus, & ab Ecclesia ipsa toleraretur, prudenter Jesuitis prohibendum non censuit, sed libertatem hactenus ipsis indulsit, ut quisque de re ista, quod vellet, & sentiret, & doceret. At verò, quod Societas Probabilismum ipsum ulla ratione aliquando probaverit, immò, quod Jesuitæ tanquam doctrinam propriam, non modò Societatis, sed neque ipsorum Jesuitarum, eundem propugnandum susceperint, id quisquis effutire non dubitavit, cæca quadam affectus vehementia in benignam Theologiam delusus est, ut quod fieri optaret, factum crediderit, cùm tamen prorsus incredibile esset.

Denique Jesuitæ satis communiter, sicut & alii Theologi hujus postremi sæculi, Probabilismo fateor nomen dedere, eundemque non segniter, quin & eorum aliqui vehementissimè, totisque ingenii viribus propugnavere: hanc non tam culpam Jesuitarum, quàm infelicitatem, & temporum malitiam diffiteri sanè non possumus. De cætero non alios, quàm Jesuitas, Probabilismum continentiùs tractasse, ejusque regulas, ac principia, licèt naturâ suâ penè illimitata, severiùs restrinxisse, diligentiùsque coarctasse, ex eorundem libris promptum esset ostendere, nisi à Nostrorum pluribus Sparta ista strenuè, ac eruditè fuisset exculta.

§. X.

Roborantur vindiciæ Jesuitarum.

Videbamur calumnias, atque querelas de morali doctrina Jesuitarum in vulgus, vel malignè, vel temerè sparsas opportunis excusationibus, solidisque rationibus quodammodò refellisse. Sed procul sumus, ut adversarios omnes, obtractoresque placaverimus, quia procul quidam eorum sunt, ut productas recipiant excusationes.

Ajunt scilicet, immò magnis clamoribus crebrò vociferantur, & scriptis etiam evulgant, Jesuitas non ideò novum Probabilismum studiosissimè propugnasse, & acerrimè ubique promovisse, quòd illum veram, sanamque doctrinam, & animabus utilem existimaverint; sed quòd illum cognoverint sibi accommodatissimum, ut per nimiam ejus licentiam largiter omnibus indulgendo, populorum auram, ac plausum, in primis autem Principum gratiam artificiosè sibi captent, at teneant. Hìc jam se prodit nequitia Janseniana, & flagrantior invidia in Jesuitas, quæ totius pudoris velut impatiens, & larvâ etiam pietatis abjectâ, retegit faciem impudentem, & impiam.

Sed hæc antiqua contentio est, in qua convitia Jansenistarum totidem Jesuitis laudis præconia sunt. Quod verò nostrum propositum attinet, ipsa calum-

lumniæ exorbitans intemperantia calumniam per se ipsam evertit. Nam, si Jansenistæ non calumniantur, sed verum crimen Jesuitis objiciunt, hos non sceleratos, & impios tantùm, sed & atheos esse oportebit: nemo autem opinor verè pius, & orthodoxus Jesuitas tales existimet. Verosimilius procul dubio est, eos heterodoxis, & novatoribus fuisse semper unguem in ulcere, & ideò semper istos pro viribus curasse innumeris calumniis, ac mendaciis Jesuitarum nomen traducere, eosque apud Catholicos suspectos reddere, & oves Christi juxta scitum apologum à canibus fugientes lupis se dederent.

Sed verò, an Jesuitæ per laxam doctrinam moralem intenderint captare populi plausum, ipsum Christianum Populum testem appellare licebit, cujus communis vox esse solet, eos, qui nimium sibi indulgeri desiderant, Jesuitas ut Confessarios, sive directores non quærere. Hæc pro excusatione, solidisque vindiciis Jesuitarum, qui benigno adhæsere Probabilismo, non tam electionis arbitrio, quàm dura temporum quasi necessitate.

Cæterùm, si universam Jesuitarum Rempublicam attendere simul velimus, & quid tandem operæ ab omnibus in hanc communem causam collatum sit, ut æquitas postulare videtur, fidenter affirmare non dubitavero, non alios in Ecclesia Catholica, quàm Jesuitas, impigriùs decertasse pro sana, & antiqua Theologia, nullos constantiùs in controversia ista veram sententiam semper sustinuisse, nullos fortiùs, ac acriùs restitisse Probabilismo, eundemque pro viribus oppugnasse, nullos denique alios in hac communi causa plus industriæ, ac laboris contulisse, operamve utiliorem effecta ipso Populo Christiano navasse. Id cum ad factum unicè totum pertineat, eventus ipsos certos, ac notos tibi fideliter referemus, ut post eorum omnium notitiam de veritate nostræ assertionis tu ipse ex æquitate sententiam proferas.

Enim verò vix novus Probabilismus in publicam lucem prodierat, & caput incipiebat attollere, cùm plures ex gravioribus Societatis Doctoribus antiquam, & veram sententiam non tanquam dubiam aliquam veritatem, sed ut certum dogma docuerunt, opinionis benignæ recens natæ, ne mentionem quidem facientes; sic enim scribebant de re ista sub ipsum sæculi præcedentis initium V. Bellarminus, P. Ludovicus Molina, & P. Ferdinandus Rebellus.

Bellarm. in Admonit. ad Epist. Thien. Molina to. 4. de Just. tr. 2. d. 80. Rebell. de Just. p. 2. li. 3. q. 5. §. ult. Comitol. li. 5. Respont. moral. q. 15. an. 1609.

Eodem ferè tempore supra laudatus P. Comitolus primus in Ecclesia Catholica novum Probabilismum (quem fœdam prolapsionem appellavit) non obiter, aut segniter adorsus est, sed rationibus optimis, planèque solidis confutavit, quibus aliis se posterioribus ad eundem similiter oppugnandum studium pariter ministravit, & arma.

Post annos aliquot Comitoli zelum imitatus est P. Blancus sub nomine Candidi Philalethi, de quo Gonetus, *Candidus Philalethus, seu potius Andreas Blancus è Societate* JESU, *primus in Italia* (immò in Ecclesia) *sub eo nomine adversùs sententiam oppositam* (nempè benignam) *calamum strinxit, & ut ait Mercorus, hujus nostri sæculi libertatem opinandi compescuit primus*, scilicet uberiùs, & operosiùs, quippe qui primus Tractatum integrum valde acutum, & eruditum de controversia ista vulgaverit complurium Theologorum non vulgarium speciali suffragio, & approbatione munitum, quo multi, jam concepta deceptione repulsa, in antiquam, & sanam Theologiam resipuerunt.

Gonet. in Disserta. de opinio. probabilit. a. 2. §. 2. Blanc. Tractat. de opinio. praxi. an. 1642.

Cæterùm, cùm in dies Sectatorum Probabilismi numero sine modo crescente, antiquæ, ac veræ sententiæ defensores propemodùm obruerentur, ante 40. circiter annos pugnam opportunè instauravit P. Ludovicus Scildere, vir apud Belgas magnæ auctoritatis, & insignis sapientiæ laude conspicuus, edito in lucem Opere plànè egregio *De Principiis conscientiæ formandæ*, in quo per sex Tractatus, quos continet, omnia Probabilismi fundamenta solidè, ac nervosè profligat; & quanvis jam præcipitis multitudinis impetum omninò vince-

Scild. de Principiis consc. form. Tract. 6 an. 1664.

cere non potuerit, plures tamen discipulos post se reliquit antiqua, & sana doctrinâ instructos, qui usque ad id tempus illam constanter semper in Belgio sustinuerunt.

Verùm cùm jam eo esset loco Probabilismus, ut placens ejus benignitas non instar fluvii placidè decurrentis, sed torrentis ad instar omnia ferè raperet, eo scilicet tempore, de quo Alexander VII., quin & Terillus ipse supra conquerebatur, prodiit in auxilium opportunissimus causæ veritatis sublimis ille, ac profundus Theologus P. Michael de Elizalde, suo proprio cognomine non tam abscondito, quàm paruniper dissimulato sub anagrammate *Cella Dei*, de cujus Opere dicere jure possumus, quod de altero ejusdem, nempè de *Forma veræ Religionis quærendæ*, protulit aliquando Cardinalis Pallavicinus: *Hujus quidem Libri ut admiratio concipiatur, opus non est ignoratione, cujus filiam Aristoteles admirationem agnoscit, quin potius sapientia.*

Sup. §. 4.

Elizal. de Recta doctr. mo. an. 1670.

Pallavic. Histo. Con. Trid. p. 1. lib. 6. c. 17. nu. 14.

Ob illius partim inopiam, partim etiam ob alia benignitatis præjudicia Magni Elizaldi Opus multi arroserunt, qui, vel ex iis, quæ in illud obmurmurant, facilè deprehenduntur, vel ne legisse quidem (quod de non paucis ferè certum est), vel ipsum minimè intellexisse. Cæterùm quale reverà sit, & quid in causam istam contulerit, testati sæpiùs sunt, & testabuntur semper viri omnes sapientes, & cordati, qui ex æquitatis lege tantummodò, & citra omne partium præjudicium de rebus istis sententiam ferent.

Fuerant & alii ex inclyta Dominicanorum familia, qui præcipitem impetum Probabilismi retardare, ac continere studuerunt: quibus, & quod majoris momenti est, accesserunt Pontificia Decreta, de quibus supra mentionem fecimus, quibus utique videretur novus Probabilismus, vel extinguendus, vel ita comprimendus, ut vix hiscere inposterùm auderet. Verùm & cùm his non obstantibus, ad pugnam novo quodam ardore regrederetur Probabilismus, quasi novis copiis auctus: rem Ecclesiæ, totique Societati utilem se facturum existimavit R.P. Thyrsus Gonzalez Societatis nostræ Præpositus Generalis, si se illi opponeret, edito illo insigni opere, quod duodecies intra annum recusum, & per totum Christianum Orbem incredibili plausu vulgatum, & acceptum commendatione nostra non eget; eget tamen eventus divinæ providentiæ commendatione. Siluit ubique penè, præter quàm in Hispania, Probabilismus, vixque jam alibi auder, vel mutire; fore tamen confidimus, ut brevi nullibi, vel cõparere audeat.

Denique Jesuitæ, qui non obiter, sed ex professo, ut ajunt, controversiam versantes, & Libris, seu Tractatibus integris editis contra benignum Probabilismum fortiter, ac strenuè pugnaverunt pro vera, & antiqua sententia, circiter viginti jam sunt, quorum Libris per omnium manus, & ora toto Christiano Orbe volitantibus, supervacaneum foret proprios eorum titulos, ut & Auctorum nomina sigillatim exprimere.

Hæc cùm facti evidentiâ notoria sint, jam te, Lector, convenio, ut tuâ sententiâ definias, an affirmare verè potuerimus, nullos alterius sacri Instituti homines, quàm Jesuitas, pro hac communi causa impigriùs, aut constantiùs decertasse, nullos pro vera, ac solida morali doctrina ab ipsa novi Probabilismi origine diligentiorem operam, aut utiliorem Populo Christiano navasse.

Interim verò nobis liceat pacificè, tantillùm saltem expostulare cum quibusdam Viris Catholicis (quid enim attinet Jansenistas morari, sponte sua maledicentes), qui moralem doctrinam Jesuitarum generaliter carpere non verentur ob peculiares quorundam prolapsiones ab aliis Jesuitis severè reprobatas, & quæ non tam Auctores reos constituunt, quàm benignam ipsam sententiam, à qua, ut à fonte quodam communi, quasi inevitabiliter dimanarunt. In ea verò sententia propugnanda Jesuitæ, vel nihil, vel saltem specialiter rei non sunt,

sunt, immò multas, & solidas possunt obtendere excusationes jam insinuatas, quæ cæteris fortasse Probabilistis haud ita validè suffragentur.

Æquum præterea nemini videatur lapsus peculiares quorundam, etiam si prorsus forent inexcusabiles, in Jesuitas omnes indiscriminatim refundere; studium verò, & meritum aliorum tot, tamque insignium Jesuitarum, qui in oppugnando novo Probabilismo, & sana doctrina tuenda adeò strenuè, & utiliter præ cæteris decertavere, prorsus contemnere, ac obliviscì; quasi, paucis peccantibus, etiam excusabiliter, statim generaliter omnes inexcusabiliter peccent, multis autem eorum strenuè se gerentibus, nihil omninò laudis Jesuitæ mereantur. Id verò quisquis æquum censebit, nescio quid censebit iniquum.

Hæc si pacato animo vellent attendere obtrectatores isti Jesuitarum, moralem eorum doctrinam, si qua parte deficeret, opinor excusarent, aut saltem ejusdem Auctores; eorum tamen nomen generaliter non traducerent cum gaudio, & triumpho, licèt vano, & inani, Tutioristarum, & Jansenistarum, quorum insidias, odiumque implacabile Jesuitæ propterea maximè sustinent, quod illorum vaferrimas technas, & artes, quibus impia sua molimina, doctrinamque pestiferam dissimulare intendunt, pervigilanter sēper detexerint, & constantissimè insectati sint. Sanè, si ex zelo syncero, ac puro sanæ doctrinæ morum servandæ adversùs Jesuitas moventur, quòd eorum complures cum aliis propè innumeris ex omni Ordine, Probabilismum prosecuti sunt, cur nō eosdem commendant, & amant, quòd omnes uno agmine semper Tutiorismum, & Jansenismum, præ omnibus sunt insecuti? An non sanam morum doctrinam, & omnem simul veram pietatem Jansenismus corrumpit, & Tutiorismus? Vereor, ne zelus horum obtrectatorum alienis affectionibus (utinam non & sensibus!) immisceatur, unde fiat, ut vivax ipsius flamma non sine multo fumo surſum ascendat, & ideò ad Deum nunquàm accedat, *Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.* 1. Ioan. 1.

Longiùs, quàm voluissemus, progressi sumus. Dabit tamen id Lector homini Jesuitæ, cui Societatis suæ, & suorum Jesuitarum injuriam præterire non erat integrum, præsertim circa morum doctrinam. Sed neque in proprium locum, nimirùm in secundam Operis partem, ubi de auctoritate summatim hìc concepta, latiùs, atque distinctiùs agendum est, licuit protrahere vindicias nostras nunquam non necessarias, & fortasse in perpetuum omittendas. Supereſt tantùm, ut de stylo, quo utimur, & methodo rationem tibi reddamus.

§. XI.

Stylus Operis.

ETsi rerum naturas non immutet stylus, cùm sit quædam earum quasi species tantùm externa, vestis, aut ornamentum quoddam sensibile; eundem tamen vim habere non modicam, immò propemodùm incredibilem, ut homo, nempe sensibile animal, per ejusmodi speciem, vel afficiatur, & accedat ad rerum veritatem, vel ab eadem potiùs recedat, omnes, præsertim eruditi, noverunt.

Itaque nolim, Lector, illis me annumeres, qui styli sui perpetuum squalorem, & incultam quandam barbariem sæpè ex neglectu quodam, sæpiùs non ex arbitrio procedentem, eò excusare solent, quod rerum, maximè Theologicarum, veritas concinnitatem, & ornatum styli non amet, immò verò detrectet. Haud secùs ferè mihi hi sentire videntur, quàm si quis in imagine venustatem, & optimam colorum dispositionem pictori contemnendam censeret,

eò quod rei depictæ natura ad sui pulchritudinem, & veritatem specie illa, & ornatu non egeat.

Cæterùm, sicut vestis, licèt honesta semper, concinnèque, ac modestè composita personas omnes generaliter deceat, haud tamen eadem omnibus congruit: sicut item non eadem ex artis lege species, aut temperies colorum rerum omnium picturis communiter impenditur; ita etiam non omnibus rebus tractandis unum, & idem convenit styli genus. Unicuique verò tribuere stylum opportunum, & aptum juxtà propriam ejus naturam, peritia sanè difficilis est, & quædam quasi artis justitia, contra quam, si velimus verum fateri, vix inveniatur usquam, aut ne vix quidem, vel unus, qui aliquando non peccet.

Ego, licèt pro mea quantulacunque arte styli formam non omninò neglexerim, cùm tamen suus unicuique proprius, sicut gressus, & risus, styli modus à natura contingat, quem ars quidem perficere, aut corrigere possit, mutare verò omninò rarò, vel nunquàm soleat, fateor stylum meum, vel mihi displicere; ejus tamen defectus, quos facilè deprehendere mihi est, (deprehendent multò plures cultiores alii) constanter emendare, seu cavere, impensioris studii curam deposcit, quàm, licèt vellem, possem frequenter adhibere: quo fit tandem, ut sæpiùs, veluti necessariò, in vetus illud incidam, *Video meliora, proboque: deteriora sequor*. Ovid. pro Med.

Esset tamen haud ægrè tolerabile malum, si æquabili tenore, concinnitate, aliisve similibus dotibus stylus meus passim careret, modò saltem in eo non deficeret, quod, in hac præcipua materia, quasi substantiam ipsam styli, ac veluti animam reputo. Porrò adinstar problematis expeditu non facilis visum est mihi quale adhibere expediat, pensatis omnibus, ad controversiam istam gravissimam, maximè pro præsenti rerum statu, styli genus, placidine, ac pacati, an animosi potiùs, ac vegeti? Illud verò mihi compertum, haud levis, immò etiam momenti maximi, ad propositum Operis negotium esse, utram in bivio isto viam eligas, ut à recta tenenda non deflexeris.

Enimverò prudentes, atque cordati viri, qui citra ullum partium præjudicium, omnemque mentis perturbationem animo tranquillo, ac syncerò unam veritatem inquirunt, parùm, aut nihil solent verbis moveri, sed vim propriam ipsorum argumentorum, & rationum momenta tantùm considerant. Hi tamen in re ista multi non sunt; vix enim pauci aliqui reperiuntur, qui ab omni præjudicio communis consuetudinis, amoris libertatis, desiderii placendi hominum multitudini, eidemve displicendi timoris, contentionis, aliisque id genus multis non levibus veritaris obicibus ad quæstionis examen liberi accedant. Pro hujus autem conditionis hominibus, qui nimirùm non rectos, aut expeditos oculos in lucem veritatis vix aliquando intendunt, ratio se sola impares vires habet: quare ad eos flectendos, ac superandos (post influxum divini luminis, cui primùm, ac potissimùm adscribi debet) totis ingenii, ac industriæ viribus, tota orationis, artisque efficacia, omni denum vi opum pugnandum est. Facere verò plurimùm ad intentam victoriam congruum styli genus secundùm differentiam nuper exhibitam, nemo prudens opinor inficias eat.

Diù igitur, & multùm rem meditatus, syncerâ, quantum mea mihi conscientia ostendit, in ipsum finem Operis intentione directa, post seriam deliberationem styli genus non flaccidi, vel mollis, sed vegeti potiùs, ac validi, pierunque mihi adhibendum censui. An temerè decreverim, ut, sapiens Lector, judices, rationes, quibus tandem in hanc mentem inductus sum, summatim hic perstrictas ecce tibi subjicio.

Sup. §. 1. In primis generaliter errores in doctrina fidei, & morum (errorem hìc, & aliàs, ut jam prænonui, simpliciter accipio, ac philosophicè, pro deceptione quavis) difficilè convelli, facilè nosti. Hanc verò superare difficultatem dispu-

ta-

tatione placida, ac leni, difficile mihi videtur.

Profectò SS. Patres Ecclesiæ Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, Cyprianus, Prosper, Bernardus, & alii, qui, sicut in doctrina, sic etiam in modo docendi, primi post Dominum Magistri nostri sunt, dum similes errores oppugnant, non molli, ac placida oratione fluere, sed torrentis adinstar ruere solent. Puto verò in genere doctrinæ moralis vix peculiarem alium errorem inveniri, qui cum benigno isto Probabilismo, undecunque inspiciatur, possit conferri. Porrò quanti momenti negotium sit radicitùs illum convellere, quantaque aliundè plurimo ex capite illius convellendi difficultas, frustrà commemorem, cùm res ipsa loquatur, & vel ex antea dictis facilè pateat.

Videtur ergo mihi hic, si aliàs unquàm, locum maximè habere diserta Augustini doctrina regulam definitam, ac signatissimam de styli genere nobis præscribentis: *Ea, quæ magna sunt, dicenda sunt granditer, & ad flectendos animos congruenter*: maximè verò (quod statim subjungit), *si aversus inde animus, ut convertatur, impellitur*. Quid sit autem granditer loqui, exponit ipse cap. seq: *Grande autem dicendi genus in hoc maximè differt à temperato genere, quod non tam verborum ornatibus acceptum est, quàm violentis animi affectibus*. Quid aptius in rem nostram dici possit, non video. Aug. li 4. de Doctr. Christia. c. 19. Cap. 20.

Cæterùm, si ratio deesset, si doctrina, si auctoritas, si exempla sacrorum Doctorum, sufficeret profectò, vel experientia sola de eadem ista peculiari materia ad hoc consilium nobis, & suadendum, & persuadendum. Quid ni verò? Profectò, si de Hispania nostra loquamur, ubi Probabilismus etiamnum dominari videtur, haud secùs moveant animos plurimorum disputationes lenes, aut temperatæ, quàm tenuis auræ spiritus movere montem possit. Rem loquor non incompertam. Undè autem oriatur, hæc immobilitas, satis est notum.

Nempè, populi plausus secutus ad placentem, ac indulgentem Probabilismi benignitatem; communis consuetudo, ex illaque procedens indulgendi necessitas, aut certè sustinendi multitudinis odium; numerus Sectatorum, & ex illo conflata ingens pro vulgo auctoritas Theologiæ benignæ, vulgaribus insuper rumoribus, fabellisque citra examen ullum probatis ultra modum adaucta: hæc, inquam, omnia, ut alia prætermittam, tantos benignis Theologis animos faciunt, tanta mentes ipsorum securitate in benigna sententia firmant, ut Magistri complures, atque ex eorum dictis, etiam discipuli, vix non ut fidei dogma, sententiam suam populo venditent, & incredibili confidentia, quidquid contra illam differitur, neque attendendum unquàm, neque curandum, sed prorsus abjiciendum, ac contemnendum decernant.

Neque verò Auctorum nostrorum moderationem, & temperatum disputandi genus, quo modestissimè plures usi sunt, modestiæ tribuunt ipsi, sed reverentiam debitam sententiæ suæ, & metum potiùs nostrum interpretantur. Hinc, quâ scriptis, quâ verbis sententiam nostram multi, ne probabilem quidem, vel laxa illa probabilitate, quam nulli penè denegant, cujusvis Recentioris opinioni fateri dignantur; sed absolutè potiùs improbabilem dicunt, ac velut anomalam quandam cogitationem traducunt; cùm suam è contra velut doctrinam certissimam jactitent, quæ conscientiam generet rectam, ac securam, quin immò & infallibiliter tutam. Hæc multorum annorum observatione, atque experientia adeò frequenti didici, ut nihil hoc in genere magis mihi compertum sit; & sunt præterea adeò de se notoria, ut nesciri à nemine possint. Tot autem, tantaque communis, ut mihi videtur, deceptionis præjudicia, idest, magna, ac ingentia impedimenta veritatis, placida, & moderata disputatione vincere, opinor difficillimum est, si humani ingenii morem attendas. *Magnis telis magna portenta feriuntur*. Quid, si non feriri sufficiat, sed deleri prorsus oporteat? Senec. Epist. 82.

Quin, licèt pauci forent (qui plures tamen sunt) illi, qui per ejusmodi cõfidentiam ita loquerentur, & docerent; nec tunc stylo fortè, ac valido parcendum fortè esset; quando nisi reprimerentur, valere possent ad decipiendam populi incautam multitudinem. Accipe Ambrosium, utique probum, verèque prudentem Magistrum, qui quæ sit nobis in tali eventu styli norma tenenda, disertâ regulâ præscribit: *Quod, si aliqua* (inquit) *vel in populo, vel in aliquibus contumacia, vel culpa est, sint sermones tui hujusmodi, ut audientem stimulent, compungant malè conscium. Sermones enim Sapientum, quasi stimuli. Stimulavit & Dominus* JESU *&c.*

Ambr. Episto. ad Constant.

At video, complures esse Probabilistas sanè delicatissimos, qui, cùm ipsi audacissimè, non modò de nostra sententia, verùm, & de patronis ipsius quidvis loquantur, & scribant, benignam tamen suam opinionem, vel leviter tangi non ferunt. Hos verò quomodo habituros putemus, quod audacter, ac fortiter contra illam agamus? Parum erit, si acerrimè nos refellant, quin insuper reos pronuntient de violatis Pontificiis Decretis, quibus aliquam notam, vel censuram inurere Catholicorum hominum opinionibus, quæ adhuc hinc inde controvertuntur, Theologis interdictum est.

Hoc nimirum præceptum (quod utique consultissimum est) benigni Recentiores susceptisse quàmlibentissimè, ac liberalissimè videntur: nam cùm reliqua ferè omnia, tanquam onerosa, ac odiosa, (sic enim loquuntur) restringenda esse pronuncient, sive, ut iidem ajunt, benignè interpretanda; hoc tamen Pontificium Præceptum adeò severè, ac rigidè intelligendum censent, ut nemini liceat post illud opinionem cujusvis Viri Catholici (sic enim audivi propriis auribus à quodam præclaro Magistro), vel falsam simpliciter dicere. Quin vix prodeat in lucem liber ullus contra moralem laxam doctrinam, quem non statim deferant ad fidei tribunalia, tanquam reum violati Decreti Pontificii. Quò tendat rigor iste benignitatis difficile non est divinare: at verum certumque manet leges justas, ac sanctas sibi repugnare non posse.

Itaque cùm constet Decreta Pontificia, de quibus hìc agitur, ad hunc finem potissimum dirigi, ut doctrinæ morales Christianis moribus perniciosæ eliminentur, & ab earum praxi Oves Christi deterreantur; nemo sibi persuadeat in ea peccare, & non pro iis potius pugnare Theologos, qui totis viribus connituntur ad ea radicitùs convellenda, ex quibus velut principiis doctrinas ejusmodi suum traxisse virus arbitrantur? Ad hæc quisquis refellit aliquam opinionem, falsam eam simpliciter censet, & dicit: opinionem verò moralem humanæ libertati contra legem faventem, esse falsam, & noxiam perinde est, & qui alterum dicit, utrumque affirmat. Aut igitur benignam opinionem nemini tanquam falsam refellere licebit, aut licebit eam refellere, tanquam doctrinam moribus exitialem.

Insuper nemo jure reprehendat eum, qui disputans in sententiam benignam, deduxerit ex ea sequelas plurimas, quas affirmet, aut probet esse longè horridissimas, vel hæreticas etiam, aut blasphemas, ex quibus ipsam benignam sententiam deducat esse falsam: alioqui argumentum ab absurdo (quod ajunt), seu impossibili, quo nullum in Theologia frequentius est, oportebit de medio tollere. Nonne & Probabilistæ, vel modestissimi, passim de nostra sententia affirmant, & suadere pro viribus nituntur, eam divinas leges reddere observatu impossibiles, jugum Christi importabile, Sacramenta frustranea, Cœli januam imperviam, & his similia, quibus nihil absurdius sit? Quis verò propterea conqueritur, aut eos reprehensione dignos pronuntiat de isto genere argumentandi? Id, Lector, volumus diligenter observes: nam argumenta nostra ferè ejusmodi sunt, & quoties in benignam sententiam exclamamus, hoc argumenti genere tacitè, vel expressè disserimus.

§. XII.

§. XII.

Operis methodus, & dispositio.

METhodum magnifaciendam esse præsertim in longioribus, & abstrusis disputationibus, semper existimavi, quasi vis potissima & efficacia artis in ea posita sit. Nam & sine illa cuncta languere, aut titubare necesse est; ita ut argumenta quæque fortissima instar fumi penè evanescant. Exemplum suggerit nobis pulvis hic bellicus, seu tormentarius, ad hominum exitium inventus, cujus modica copia in opportuno loco constituta, & artificiosè dispositа muros, & montes elevat: eadem verò, aut etiam longè major copia per terræ superficiem sparsa excitat tantùm vanam fumi caliginem, quæ nullo fructu facilè dissipatur. Idcircò rectam mei Operis methodum speciali studio curare ab ipsius exordio seriò apud me constitui: quanquam, ne illam penitus assequerer, quantum erat in animo, ultra mei debilitatem ingenii, atque aliquam etiam temporis ad id necessarii penuriam, obstitit, opinor, plurimùm confusio ipsa materiæ à Probabilistis, quos impugnamus sæpius intermixtæ. De cætero quam optimam potuimus disputationis totius seriem, rerumque connexionem, & ordinem tenere sategimus; illud etiam, quoad licuit attendentes ut præfatum incommodum nobis quàm minimè obesset. Hinc & doctrinæ facilitati, claritatique invigilavimus, quantùm permisit nobis spissa reflexionum caligo, qua Probabilismus totus involvitur.

Quod verò ad Operis divisionem, & dispositionem spectat, habes satis expressum locis supra adnotatis. Cur autem præcipuorum fundamentorum Probabilismi hac prima parte examen præmittamus, rationem item supra reddidimus: reliqua, quæ minoris momenti ab ipsis Recentioribus existimantur, in secunda parte afferemus, & diligenter etiam discussa nullius ponderis esse ostendemus. Si quid prætereà interim in auxilium Probabilismi, jam ferè exanimis, cogitatum sit (quod sanè post Terillum vix aliquis confidat), nullo modo dissimulabimus, sed cum cæteris pariter ibi diluemus facili, ut speramus, immò nullo negotio. Id, Lector, ne jactantiæ tribuito: causæ bonitas est, & animositas invictæ veritatis adeò nobis jam manifestæ, ut in ejus propugnatione quilibet possit esse disertus. Sup. §. 2. Sup. §. 1.

Reliquum est, ut omni contentione sepositа, (quam profectò, controversia, in qua æternæ salutis negotium vertitur, in pectore Christiano patitur nullam) oculos mentis rectos, ac limpidos in tantæ veritatis pulchritudinem dirigas, fieri enim non potest, quin eam ames, ardenterque desideres; *Quid enim fortius desiderat anima, quàm veritatem?* Si autem illam ames syncero corde, fieri item non potest, quin facile eandem invenias, & ubi sit reipsa certò cognoscas; non enim veritas adeò necessaria syncerum sui amatorem latere potest, attestante Chrysostomo, *Nihil veritate clarius, nihil simplicius, nisi maligni esse velimus*; quin immò ipsa veritate spondente, *Clara est, & quæ nunquàm marcescit sapientia, & facilè videtur ab his, qui diligunt eam, & invenitur ab his, qui quærunt illam.* Aug. tr. 26. in Ioa. Chrysost. Hom. 51. in Ioa. Sap. 6.

Ut verò illam semper ames, & quæras, prout oportet ad hoc, ut eandem semper invenias, instanter Deus orandus est; non enim sufficit ingenium, & studium, quanvis & hoc omitti non debeat, id potiùs diligens adhiberi. Porrò illud antiquum, *Invenit, qui quærit semina rerum*, vel pro physicis tantùm veritatibus, nimis humanum est, ac philosophicum, si nostræ industriæ opem, & vim solùm nativam intellectus significet. Præcipuè autem mens

no-

noſtra deficit ad veritates practicas, & morales propter caliginem humanorum affectuum, cùm tamen earum cognitio potiſſimùm ſit neceſſaria: *Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum Sanctum tuum de altiſſimis: & ſic correctæ ſint ſemitæ eorum, qui ſunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines?* Sap. 9.

Ergo Lector, ut quærere ex toto corde Dei noſtri voluntatem, & legem, ſic orare debemus, ut illam invenire poſſimus. Id precor te, & velimus uterque, & faciamus *pro invicem ut ſalvemur*: quod tibi ex corde opto, ſicut & mihi. Vale. Iac. 5.

R.E.


Th
9190

